C. IVLII CAESARIS
RERVM GESTARVM COMMENTARII XIV.

NEMPE:

C. Ivlii Caes. de bello Gallico,	Comm.	VII.
A. Hirtii de eodem,	Liber	I.
C. Ivl. Caes. de bel. civ. Pompeiano,	Comm.	III.
A. Hirtii de bel. Alexandrino,	Liber	I.
De bello Africano,	Liber	I.
De bello Hispanico,	Liber	I.

OMNIA COLLATIS ANTIQVIS MANVSCRIPTIS Exemplaribus, quæ passim in Italia, Gallia, & Germania inuenire potuimus, doctè, accuratè, & emendatè restituta: prout proxima pagina indicatur.

Evtropii *Epitome belli Gallici ex* Svetonii Tranqvilli *monumentis, quæ desiderantur.*

Cum doctiss. Annotationibus:

Henrici Glareani, Fvlvii Vrsini Romani,
Francisci Hotomani, I. C. Aldi Manvtii, P. F.

Ex Musæo & impensis Iacobi Stradæ *Mantuani, S. C. M. Antiquarij, & ciuis Romani.*



Cum S. C. M. Priuilegio: & Regis Galliarum.

FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. D. LXXV.

ADIVNCTÆ sunt his quadraginta Figurarum tabulæ, antehac nusquam alias in lucem editæ, in quibus omnia loca situsq; eorum difficiles ad amussim expressi sunt, eorum potissimum, vbi quondam C. IVL. CÆSAR suo tempore varijs in mundi locis, tam mari quam terra bellum gessit. Hæ tabulæ quondam maximo labore & studio, sumptibusq; ingentibus comparatæ sunt per Illustriss. D. Ferdinandum Gonzagam Protegom[illegible], Caroli q; v. Imp. summum Præfectum, qui omnia prædicta loca tabulis Geographicis ad viuum delineari curauit opera & studio Architecti cuiusdam insignis: adiuncto illi simul Philosopho Mathematico viro doctissimo, istorumq; locorum [illegible] cum maritimorum, tum terrestrium peritissimo. In istis tabulis præterea videre licet varias ædificiorū ex lignis structuras & figuras cum turribus & alijs, quæ ad munitiones vrbium cum maritimarū, tum Mediterranearū conducunt & possint quomodo alius eam obsessi sese contra incursum inimicorum defendere, eiusq; eorum repellere debeant. Insuper etiam quomodo vrbes oppugnari & expugnari ab hostibus, siue vi & armis, siue deditione per interceptionem commeatus, & annonæ defectionem: et quocunq; tandem modo hostis ab hoste superari & vinci possit: Adeo vt non immerito, [illegible] hæc tabula ipsa anima & vita Commentariorum Cæsaris appellari queant. Lector enim in inspectio, se sola [illegible] loris præsentem esse, coramq; omnia intueri, existimare poterit.

PRÆTEREA addidimus omnes Antiquitates, ea sepulchra & elogia veteribus marmoreis detumptas, quæ passim in tota Hispania, & Portugalia reperiuntur, & in memoriam hominum illustrium & nobilium Romanorum (qui pro sua patria, eiusque libertate sanguinem suum profundere non dubitarunt, cum sua immortali gloria & honore) posita sunt, antehac etiam nunquam conspecta, neq; in lucem edita.

ACCESSERVNT hisce Indices aliquot vtilissimi: quorum primus Latinogallicus, continet nomina propria Galliæ populorum, vrbium, fluuiorum, & montium: Et hic Index iterum diuiditur in tres alios Indices, nimirum: Belgicum, Celticum, Aquitanicum, ac Braccatum.

PORRO alter Index habet nomina propria ciuitatum, cum interpretatione Germanica.

TERTIVS Index continet nomina propria, quibus CÆSAR & alij vtuntur, Germanicè sonantia.

QVARTVS complectitur nomina vrbium, & quarundam [illegible] Hispaniæ, Hispanis vocabulis expressa.

QVINTVS Index, est veterum Galliæ locorum, populorum, [illegible], montium, ac fluuiorum Alphabetica descriptio, eorum maximè, quæ apud Cæsarem in Commentarijs sunt, [illegible] Cornelium Tacitum, autore Raymundo Marliano, viro clarissimo, &c.

SEXTVS & vltimus Index est rerum & verborum memorabilium, quæ in Commentarijs Cæsaris habentur, &c.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ALBERTO COMITI PALATINO RHENI, AC DVCI VTRIVSQVE BAVARIAE, ET ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBUS eius filijs Guilielmo, Ferdinando, & Ernesto Episcopo Frisingensi, Dominis ac Patronis meis semper obseruandissimis,

IACOBVS STRADA Mantuanus, S. C. M. Antiquarius, ciuis Romanus, S.



QVI IN lucem ad vtilitatem publicam opus aliquod suum sunt edituri, diligenter secum inter scribendum cogitare solent, cuinam potissimùm labores suos dedicare debeant, nimirùm ei cui cordi ac curæ sit quod tractatur argumentum. In eam certè cogitationem necesse est autorem admodum esse intentum, alioqui frustrandū labore suo ac sumptu, quippe quum cōtemptui sit, immò molestiam pariat ma-

teria aliqua etiam si nobilissima nec intellecta nec comprehensa iudicio, & in vniuersum ingrata. Quæ eadem ab homine bono iudicij, & amante, laudari satis nunquam potest, & cuicunque obuio obtruditur, & ad voluptatem in omni eius celebratur sermone, nouisq; semper laudum auctarijs euehitur. Habet & id locum in hoc opere Commentariorum C. IVLII CAESARIS, quod elegantia characterum, & nobilitate typi, & accuratis castigationibus, & figurarum passim suis locis adaptatarũ præstantia illustratum, iam demùm renatum videri queat. Adiunctæ sunt quoque à nobis in fine operis, ne quicquam necessarium ei deesset, sepulchrorum inscriptiones, & elogia antiqua marmoribus Hispaniæ & Portugalliæ insculpta, nostris hominibus omninò anteà incognita, sed omnium votis expetita vel maximè, è quibus sanè constare liquidò potest, quàm magno numero pręclari viri pro patria ac Repub. sua sanguinem suum quondam profuderint. Quid dicam de eruditissimorum virorum tot tamq; varijs exantlatis laboribus, illorum, inquam, qui vbiq; terrarũ, & varijs seculis in hoc ipsum opus Annotationes scripserunt? quibus si & nostrę accederent nouę, & antehac non visæ, non ab re fore iudicauimus: Porrò figuras huius libri, quarum fecimus mentionem, ad natiuam locorum formam exprimi iussit Ferrantes Gonzaga Prorex Siciliæ, vt Sacratissimo & inuictissimo Cæsari Carolo v. gratificaretur: Et vt ad viuum expressas haberet figuras, industrium architectum, vnà cum Philosopho Mathematico doctissimo solertissimoque misit, qui benè ijs regionibus terra marique perlustratis, locorum istorum delineationes conficeret. Atque ita Carolus v. tam variam in IVLII CAESARIS libris descriptam castrametandi rationem videre potuit. Accesserunt superioribus diuersa ædificiorum ligneorum, pontium, turrium, aliarumq; huius farinæ machinarum genera, ad muniendas, obsidendas, oppugnandas, capiendasque vel armis vel deditione vrbes, aut ad inuadendos ac repellendos hostes idonea: Quæ omnia nemo est quin intelligat, Imperatori exercitum ducturo, cui quauis via hostem suum opprimere studio sit, esse quàm vtilissima. Vnde non absurdè quis colligat, ab istarum ipsarum figurarum luce, hisce elegantissimis Commentarijs tamdiu iam mortuis, quasi animam esse datam atque sermonem, ac vnum inde opus esse confectum, quod anima simul constaret ac corpore. Certè hoc polliceri audeo, fore vt qui cum iudicio ipsum legat, in ijsdem esse locis sibi videatur, in quibus tantæ res gerebantur. Sunt mihi & aliæ quoque figuræ manu mea ipsius ex marmoribus antiquis factæ, quæ admodum his congruunt Commentarijs, sed sculptorum inopia, & magna artificum raritas, earum editionem hoc quidem tempore retardauit. Aliàs verò eas commodiùs, si modò DEVS aspiret, dabimus in lucem. Cæterùm quum sedulò mecum ac sæpè cogitassem ILLVSTRISSIME DVX, cui Principi hos meos honestissimos sudores dedicaturus essem, comperi profectò eos quàm optimè magnanimitati ac nobilitati inuicti animi tui conuenire, qui neque virtute, neque vlla alia re ipso sis inferior Cæsare: Cuius tuæ laudis ego non leue nec paruum testimonium reddere possum, ijs certè annis, quibus placuit Celsitudini tuæ vti opera mea. Sed cùm hæc narratio alius sit loci, nobis nunc quidem relinquetur & differretur in aliud commodius tempus. Vt verò ad nostrum propositum redeamus, conscriptus hic liber non tantùm purissima Romana lingua, sed scriptus ab ipso Cæsare, & Hirtio, de præclarissimis rebus, tum bellicis, tum etiam ijs, quæ ad gubernandam

pace

pace Rempub. ſpectant. Quibus cum iudicio lectis, nemo non admiretur, tanti viri diuinum potiùs, quàm humanum animum. Qui deinde conſiderare volet, quàm dexterè ac placidè tantas res tam pace quàm bello geſſerit, fieri non poterit, quin totus obſtupeſcat. Atque hæc fuit cauſa, cur non à ſuis tantùm, ſed etiam ab ijs amaretur nationibus, quibus non facie, ſed ſola nominis fama eſſet cognitus. Sed de Principe tanto omniq́ue laude digniſſimo dicere velle, infiniti ſit laboris. Quod verò mirandum eſt, quum tanta in eo eſſet clementia, aduerſam eius tamen contra eum ad victoriam omnibus vtebantur fraudum, ac crudelitatis generibus. Sed ſuperi & ſua ſuorumq́ue militum, in quibus totam ſuam ſpem collocârat, virtus & ſua, vt & hoc addamus, fortuna nunquam ipſum deſeruerunt. Crudelitatem enim ac iniuſtitiam hoſtium ſuorum, manſuetudine ac iuſtitia vincere nôrat. Videbantur quidem principiò inimici eius ob potentiam, ſolitamq́ue fortunæ proſperitatem elatis animis victoriam ſibi omnem polliceri, non tantùm potentes, ſed potentiſſimi, eiuſdem nationis, eiuſdem patriæ, primarij totius Romæ ciues, qualis erat & ipſe CAESAR, earundem regionum militibus ſuffulti, paribus inſtructi armis, ſimilem pugnandi rationem, ac militiæ diſciplinam, quaſi eodem in ludo edocti. Vicit tamen CAESAR, & quidem multò maiore gloria ſua, quum nulli dubium eſſe poſſit ſola eius virtute, quam fortuna tanquam ſocia comitabatur, ſuperatos & proſtratos eſſe omnes eius aduerſarios. His qui addere volet ſigna, quæ eius mortem ſunt ſubſecuta, iudicabit proculdubiò ſanctum hunc, & diuinæ potiùs quàm humanæ conditionis hominem fuiſſe. Quotieſcunque enim incruentè vincere potuit, & ſeruare integros exercitus, ad crudelitatem, effuſo ſanguine humano, nullo modo à iuſtiſſimis etiam contra illos cauſis, multò minùs ab ira traduci ſe paſſus eſt, quum tamen ab hoſtibus in ſuos milites turpiſſimam, ac, vt noſtris exemplis vtamur, Turcarum, Perſarumq́ue, ac Moſcouitarum planè barbaro more, immaniſſimam lanienam exerceri videret. Quapropter minimè mirum eſt, Carolo v. P. F. A. in tanta exiſtimatione habitos & tantoperè laudatos fuiſſe hos IVLII CAESARIS Commentarios. Intellexi enim à viris fide dignis, vſum eſſe eum diuerſis horum Commentariorum exemplaribus, quorum margines ſua ipſius manu Annotationibus referciebat eorum locorum, vbi ſi fortaſſis caſtrametatus eſſet, eadem ipſe ratione fuerit vſurus. Nullum certè vnquam familiariorem habuit librum, & quoties de IVLIO CAESARE loquebatur, tam agebat de eo grauiter, vt facilè eſſet videre, quo animo, quantoq; ſtudio erga Cæſarem Cæſar ipſe loqueretur. Solymannus Ottomannus Turcarum Imperator, ita Carolum v. obſeruauit, etiamſi inimicus, vt effigiem eius ſtudioſè perquiſiuerit, & Titiani diuiniſſimi pictoris manu, vt audio, factam, & via Veneta miſſam, tanquam viri diuini potiùs, quàm hominis, traduxerit in cubiculum ſuum. Frequens autem illi erat in ore, Carolo, præter virtutem illam bellicam, familiarem aliquem ſpiritum diuinum adeſſe, à quo adiuuaretur, & Chriſtianos librorum ope futura omnia tenere. Voluit & ſcire, quo libro Carolus v. maximè vteretur. (Turcæ enim præter Alcoranum ſuum quod diſcunt, alios lectu dignos aut alicuius momenti libros non habent:) Intellexit autem ab eo librum quendam quotidiana lectione teri, cuius præceptis ad ſuum commodum in rebus bello paceq́ue gerendis ſæpenumerò vteretur. Eſſe verò hunc, ipſos C. IVLII CAESARIS Commentarios. Iubet itaq; barbarus va-

ria ex orbe Christiano exemplaria afferri, veritus ne sibi suppositicius aliquis, aut alioqui non omninò idem liber obtruderetur. Collatione verò facta exemplarium, ac amoto iam scrupulo, curauit Cæsaris Commentarios in Arabicam linguam, scriptoribus Turcicis ac Politicæ Ottomanicæ curiæ familiarem, eoque loco habitam Turcis, quo Christianis est Latina, quam cõmodissimè verti, ac tanto eos studio ac sedulitate euoluere cœpit, vt facilè appareat horum opera adiutum fuisse in multis bellicis facinorib: tam per stratagemata, quàm per iusto marte inita prælia, editis. Quin & in multis politicis Solymanni rebus, imitatio Iuliana eluxit. Dicere solebat barbarus, IVLII CAESARIS animam vnà cum virtute & fortuna (quæ in bello non minimi est momenti) in Carolum v. simul migrâsse, & hunc, vt nominis Cæsaris, ita & animę virtutumq; eius fuisse hęredem. Huiusmodi ille encomijs celebrabat, ac in cęlum vsq; laudibus vehebat Carolum verè maximum, cumq; vocabat hominem planè diuinum. sed vt redeamus eò; vnde digressa erat oratio, nempe ad IVL. CAES. Commentarios, merebatur certè pulcherrimum hoc opus aliquando harum figurarũ elegantia vel viuum renasci vel mortuum resuscitari, crassis illis ac ineptis ac ne nominari quidem, nedum aspici dignis, quæ iam tòt annis nitorem huius libri deformabant, repudiatis reiectisq;. Neq; verò mihi dubitandum vllo modo esse video, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, quin Celsitudo tua vnà cum Principibus filijs suis gratissimo animo benignissimoq; vultu acceptura sit admirandum hoc opus, in quo tanquam in tabula aut speculo potiùs ipse IVLIVS CAESAR omnesq; eius virtutes clarissimè perspici possunt. Accedit ad hoc altera causa, cur hoc opus Illustrissimæ Celsitudini tuæ potiùs, quàm alteri dedicare volui, quòd nimirùm hoc C. IVLII CAESARIS volumen dignissimum sit nobilissima & instructissima Bibliotheca tua Monachiensi, de qua meritò C. T. gloriari ac dicere potest, qui huiusmodi incredibilem librorum thesaurum possideat, toto terrarum orbe Principum esse hodie neminem. Quòd si quis celebres Italiæ, Franciæ, Hispaniæ, Germaniæ, aliarúmue regionum Bibliothecas obijciat, is mecum Monachiensem istam inspiciat, & citra controuersiam palmam huic & principem locum inter reliquas omnes dabit. Neque verò mirum hoc videri debebit, si primum eius autorem ac patronum quis cognoscat. Ioannem Iacobum Fuggerum Augustanum, Comitem Kirchspergensem, & VVeissenhornensem, Caroli v. alumnum, & trium Imperatorum consiliarium, ex primoribus suæ Reipub. facilè primum, supremum verò nunc Consiliarium, Oeconomum, & Gubernatorem curiæ Bauaricæ, cuius viri si virtutes inspiciamus, dicere cogemur, haud facilè non in Germania tantùm, sed ne toto quidem terrarum orbe reperiri aliquem posse, qui cum huius heroico ac liberali animo, vel in augenda ornandaque hac Bibliotheca, vel in vllis alijs gloria ac vera laude dignis studijs, paria faciat: Et certè huius encomia decantare velle infiniti sit operis ac laboris. Addemus tamen illi nos pro nostro in illum studio titulum, quem optimè meretur, Mecænatis omnium omnis generis ac cuiuscunque nationis præstantium ingeniorum, & omnium virtutum præclarorumque studiorum amatoris integerrimi, atque ita ad Bibliothecam reuertemur. Referta est ea maxima librorum Græcorum manuscriptorum copia, nec in eo genere vllam sibi habet parem. Testari verò id ego meritò possum, quippe qui viderim & non paucos librariorum, qui in ea assiduè calamum exercebant, aliosq; multos splendido ornatos stipendio ad vndiq; & quouis pre-

uis precio conquirendos libros, cognouerim. Quin & hi, quos vel quod publici essent, vel quod apud Magnates hærerent, vel aliquam aliam ob causam omnino venales non essent, pecunia redimere non poterant, studiosè passim describebāt. Adde his tantam Fuccari gratiositatem noménque adeò celebre, vt non rari, amicitiæ captandæ gratia, libros ei manu scriptos donarent. Quod verò ad typis excusos attinet, nihil est, vt vno verbo dicamus, quod hic, in vlla lingua, aut arte desiderent Studiosi, siue eosdem tursus, sed alibi editos, siue locupletatos, siue è maiori forma in minorem contractos, aut contra eductos in maiorem siue quidlibet aliud quis requirat. Res penè incredibilis & quæ si ad particularia ac minuta descendamus, verbis enarrari satis dignè non possit. Certè qui Bibliothecam Tigurinam posteà ter locupletatam typis mandârunt, paria cum hac haud quaquam potuerunt facere, cuius describendæ si illis facta fuisset copia, in IIII. maiora volumina ipsis sua Bibliotheca excreuisset. Quid verbis opus est? In tanto tamque nobili Thesauro congerendo, nullis parcitum est sumptibus, nullis laboribus aut molestijs, donec præclarissimus vir publicis suæ patriæ negotijs intermissis, aut potiùs in totum relictis, lassus iam, & vt homo oneri tanto quasi succumbens, quum librariæ huic supellectili vix inueniret quod adderet, finem accumulandi fecit. Quoniam autem filios aliquot haberet nobilissimis dotatos ingenijs, opibusque abundantes, qui tamen varijs locis quisq; pro sua commoditate degerent, ac multum vereretur, ne post obitum suum thesaurus hic plus quàm gemmeus, in multas discerperetur partes, & quasi dismembraretur, satius esse pro summa sui ingenij nobilitate statuit, vt gratæ posteritati saluus ac integer, vno eodémque custoditus conseruaretur loco. Proinde prompto ac liberali animo vniuersam Bibliothecam Monachiensis vrbis custodiæ consecrandam obtulit multo liberalissimæ Celsitudini tuæ Dux Illustrissime, neque hanc solummodò, sed & innumera antiqua numismata aurea, argentea ac ærea adiecit, cum plurimis alijs Antiquitatibus summo suo, tùm patris sui studio coaceruatis. Quibus omnibus nunc fruitur præstantissimus animus tuus, cum Nobilissimis ac vera virtute conspicuis Principibus filijs suis, qui pulcherrimam hanc paternam hæreditatem in posterum continenter augere, & exornare non desinent, in hoc exemplum virtutis & liberalitatis paternæ sequuturi & imitaturi. Breuiter sum exspaciatus in laudes huius tuæ Bibliothecę Dux Illustrissime multis fortassis anteà incognitæ, sed quæ nunc epistolæ huius meæ veraci deprædicatione pluribus innotescere possit. Cæterùm prætereundam hic nequaquam esse arbitror Fuccari magnanimitatem, liberalitatemq;, dignissimam sanè, quæ omnium vocibus celebretur. Missus sum ab hinc annis 20. in Italiam, Romam, Venetias ac alio ad numismata auro, argento, ac ære efformata, vetustateque insignia marmora comparanda, quæ ego magna vi pecuniarum expensa Augustam, nobilissimis spolijs exuta Italia, aduexi. Sunt inter ea quàm plurima Imperatorum ac Imperatricum capita, multæ insuper integræ marmoreæ statuæ, aliáque opera non minimi precij & peruetusta. Hæc omnia quoque familiæ Bauaricæ cesserunt. Verùm nec illud silentio inuoluere possum, apud eundem Fuccarum absoluisse me mea ipsius manu 18. magna volumina numismatibus referta studiosè delineatis ex archetypis suis aureis, argenteis ac æreis, in quorum sunt & ea numero quæcunque ego numismata vspiam terrarum totos hos annos 30. quos in hoc studium absumpsi, videre potui. Additæ sunt autem singulis descri-

ptiones Latinæ non suppressis etiam dominorum suorum, apud quos mihi ea videre contigit, nominibus. Hæc omnia coniecta in 11. magna volumina cum alijs meis maximis ac dictu incredibilibus laboribus Fuggerus suæ Bibliothecæ addiderat. Fuggerinæ verò Celsitudo tua alias duas adiunxit, Vnam quidem maiorum tuorum, alteram Doctoris Lucretij, Canonici Ratisbonensis viri non Latinæ modò, Græcæ ac Hebrææ, sed multarum aliarum peregrinarum linguarum callentissimi, multisque annis in Orientali plaga versati. Hinc profectò quæ totius Bibliothecæ quotidie etiam increscentis magnitudo sit ac elegantia, quilibet secum æstimare potest. Verùm hæc licèt longè pulcherrima quum magnanimitati tuæ Illustrissime Dux satis non essent, inflammatus desiderio Principes omnes alios superandi, non librorum tantùm, sed & Antiquitatum quas vocant, copia ac dignitate, me in his à puero enutritum, & iam olim (absit verbo inuidia) exercitatum, cuique earum possessores non ignoti essent, ab Imperatore Domino meo Clementissimo, ad commodandam in Italicam profectionem operam meam, impetrâsti. Duobus itaque in Italiam, Venetias, ac aliò factis itineribus, coëmi celeberrimum Musæum Andreæ Lauredani Patricij Veneti, in quo visebantur pulcherrima capita marmorea ac ahenea, statuæ veteres integræ & antiqua numismata omnis generis: quæ ille 50. annorum spacio magno precio paulatim & per occasionem collegerat. Hæc cum alijs huius generis nobilissimis operibus, quæ longum esset commemorare, Monachium curaui afferenda multis erogatis ducatorum milibus. Quin & aliorum Antiquitates, quorum nomina de industria prætereo, comparare mihi erat animus, & tanto horum ardebat desiderio Celsitudo tua, vt ne decies quidem centenis aureorum milibus expensis fuerim hanc honestissimam tuam voluntatem ac sitim restincturus, cui sanè prudentia tua frænum quoddam iniecit, postquàm mihi ad susceptam meam veterem prouinciam esset redeundum. Sed si vt Viennæ ita Monachij mihi habitare contigisset, libenter essem, in omnibus, tuæ Celsitudinis mandatis obsecutus. Quod cùm multis de causis fieri non posset, positus est pulcherrimo conatui, locorum intercapedine modus aliquis. Iam verò cùm constitutum esset hæc omnia comportare in vnum aliquem commodum locum, & à calamitatibus ignis immunem, fabricatum est iussu tuo elegantissimum palatium, ac in insulam, totius structuræ ordine interiori à me delineato, redactum. In eo sunt cellæ duæ spaciosissimæ, quarum inferior fornice incrustato munitur, collocatis hic illic ordine non inconcinno, ipsis antiquitatibus: superior eleganti tabulato ornata est, ex opere sumptuosè secto. Hic nunquam satis laudata Bibliotheca est. Ipse verò structuræ locus, hortus aliquando fuit fratrum Franciscanorum. Huc Celsitudo tua nulli conspecta, è suo castello, quoties libet, commeare potest, Vtriusque huius Musæi certè longè nobilissimi ac omnibus diuitijs anteponendi, vtrùm sit preciosius, multum mecum dubito, ac volens dubitationem hanc meam, quum vtriusque reuera inæstimabile sit precium, in medio relinquo. Illud verò asserere minimè dubitem vel ipsi IVLIO CAESARI nostro Celsitudinem tuam nobilitate & præstantia animi, cui & potentia indies succrescens respondet, æquari, & quo ille nomine, Patris inquam Patriæ, insigniebatur, eodem & te Illustrissime Princeps ob summam tibi à tuo populo exhibitam beneuolentiam, decorari debere, idemque de Illustrissimis filijs tuis meritò esse dicendum. Recitatis iam laudibus tuæ Bibliothecæ ac studij Antiquitatis,

quitatis, differam in aliud commodius tempus reliqua nobilissima studia, virtutesque tuas, & ad primum institutum nostrum reuersus, laborem hunc meum in hos Commentarios insumptum, Tuæ Celsitudini Dux Illustrissime, atque adeò Principibus filijs tuis dedico, nuncupóque, quem quidem nec collocare meliùs nec loco magis honorato poteram, quàm in tua celebratissima ac omnium vocibus decantanda Bibliotheca. Oro autem Celsitudinem tuam quàm obnixissimè, vt eo animo eaque fronte, qua reliquos meos superiorum annorum labores sibi desudatos, hos quoque nunc in sinum ac tutelam suam accipere dignetur. Ego vicissim polliceor me dum viuam, nunquam nec calamo, nec lingua defatigatum iri in celebrandis omni conatu Celsitudinis Tuæ laudibus, cui me quàm possum humilimè cum Paulo & Octauio filijs meis commendo, omniáque prospera opto, ac Deum Opt. Max. precor, vt eam feliciter ac diu sibi suisque in sua pulcherrima ditione saluam & sanam conseruet, Viennæ Austriæ, Calend. Septemb.
Anno 1575.

PRI-

PRIVILEGIVM CAESAREVM.

MAXIMILIANVS *Secundus Diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c.* NOTVM *facimus tenore præsentium vniuersis, Quòd, cùm fidelis nobis dilectus* IACOBVS STRADA, *Antiquarius noster, humiliter nobis exposuerit, se tempore ab hinc aliquo indagandis omnis generis Antiquitatum monumentis studiosè incubuisse, multisq; laboribus & vigilijs complures diuersæ sortis libros concinnasse, quos certo catalogo nobis exhibito comprehensos significauit. E quibus hic est qui hunc titulum præfert:* C. Iulij Cæsaris rerum gestarum Commentarij XIV. Nempe: C. Iul. Cæs. De Bello Gallico, Comment. VII. A. Hirtij, de eodem, Liber I. C. Iul. Cæs. De Bello Ciuili Pompeiano, Comm. III. A. Hirtij, De Bello Alexandrino, Liber I. De Bello Africano, Liber I. De Bello Hispanico, Liber I. Omnia collatis antiquis manuscriptis exemplaribus, quæ passim in Italia, Gallia, & Germania inuenire potuimus, doctè, accuratè & emendatè restituta. Eutropij Epitome Belli Gallici, ex Suetonij Tranquilli monumentis, quæ desiderantur. Cum doctiss. Annotationibus Henrici Glareani, Fuluij Vrsini Romani, Francisci Hotomani I.C. Aldi Manutij, P.F. *Constituisse etiam hunc eundem librum pro suo de re literaria bene promerendi desiderio, studiosæ Iuuentuti communicare, & in publicum edere. Vereri autem ne sinistris artibus æmulorum, qui falcem in messem alienam inijcientes, ex aliorum laboribus sua commoda venari solent, fructu & emolumentis tanto labore dignis defraudetur. Perquàm demissè supplicando, vt nostra authoritate æmulorum proteruiam reprimere, suaq; indemnitati clementer consulere dignaremur. Nos sanè huiuscemodi precibus benignè intellectis, ijsdem pro nostro rem literariam vndequaque iuuandi & promouendi studio benignè annuendum duximus. Quapropter scienter & deliberatè, Cæsareaq; authoritate nostra seriò decernimus & statuimus, quòd nemo Pictorum, Sculptorum, Calatorum, Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui vendendo vel imprimendo, seu quacunque alia ratione Librariam negotiationem exercent, æmulisq; vel pingendis sculpendisue, aut alio quouis modo exornandis atque illustrandis imaginibus atque tabulis, vsui atque auxilio esse possunt, memoratum hunc* IACOBI STRADAE *librum, quando ipsius studio in lucem prodierit, intra vicennium ab editionis absolutæ die numerandum, nec in parte, nec in toto, nec typis, nec sculptura, seu quocunque alio modo aut charactere, æmulari, vel imitari, vel aliunde allatum, intra sacri Romani Imperij fines, venum exponere aut distrahere publicè vel occultè possit aut debeat. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, memoratumq; librum sub quocunque titulo aut prætextu recudere, nouis additionibus augere, mutare, minuere, aut quouis modo mutatum seu locupletatum in fraudem authoris spargere conatus fuerit, eum non solum huiusmodi libris tanquam commissis, & præfato* IACOBI STRADAE *vel eiusdem hæredibus, aut mandatum habentibus (auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi*

prehensi fuerint) vendicandis, priuari: sed insuper etiam pœna decem marcharum auri puri fisco nostro Imperiali, fraudis vindici, & dicto IACOBO STRADAE *seu hæredibus, aut mandatum legitimum habituris, ex æquo soluendi & numerandi mulctari volumus. Ita tamen vt ad Cancellariam nostram Imperialem supradicti operis, quàmprimum absolutum & in lucem editum fuerit, tria exemplaria transmittantur. Quod nisi fiat, præfatum* IACOBVM STRADAM, *aut eius hæredes, hoc priuilegio nostro vti non posse decernimus. Mandantes proinde vniuersis & singulis nostris & sacri Romani Imperij subditis, & fidelibus dilectis, tàm ecclesiasticis quàm secularibus, cuiuscunque status, gradus, ordinis & conditionis extiterint, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo vel suorum superiorum loco & nomine, Iuris ac Iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc priuilegium seu interdictum nostrum impunè violare, spernere vel negligere patiantur: sed si quos contumaces compererint, præscripta pœna plecti, & quibuscunq; rectè fieri potest modis coërceri curent: quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & Cæsarei sigilli nostri impressione munitarum. Datum in ciuitate nostra Vienna, die penultima mensis Maij. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani duodecimo, Hungarici vndecimo, Bohemici verò vigesimo sexto.*

Maximilianus.

V^t. Io. Bapt. VVeber.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.

Obernburger.

PRIVILEGE DV ROY DE France.

CHARLES par la grace de Dieu Roy de France, A nos amez & feaux les gens tenans nos cours de parlement, Baillis, Seneschaux, Preuots ou leurs lieutenãs, & tous nos autres iusticiers & officiers, & à chacun d'eux, si comme à luy appartiendra, Salut. Iaques de Strada Mantuan, antiquaire de l'Empereur nostre trescher & tresamé beaupere & cousin, nous a fait entendre qu'il desireroit volontiers faire mettre en lumiere les liures contenus en vne fueille de papier à nous præsentee, & attachee sous le contreseel de nostre chancellerie. Desquels le premier est, vn liure en langue Italienne, ensemble auec la version Latine, intitulé en Italien, *C. Iulij Cæsaris rerum gestarum Commentarij* XIV. *Nempe: C. Iul. Cæs. De Bello Gallico, Comm.* VII. *A. Hirtij. De eodem, Liber* I. *C. Iul. Cæs. De Bello Ciuili Pompeiano, Comm.* III. *A. Hirtij De Bello Alexandrino, Liber* I. *De Bello Africano, Liber* I. *De Bello Hispanico, Liber* I. *Omnia collatis antiquis manuscriptis exemplaribus, quæ passim in Italia, Gallia, & Germania inuenire potuimus, doctè, accuratè, & emendatè restituta. Eutropij Epitome Belli Gallici, ex Suetonij Tranquilli monumentis, quæ desiderantur. Cum doctiß. Annotationibus Henrici Glareani, Fuluij Vrsini Romani, Francisci Hotomani, I. C. Aldi Manutij, P. F.* Toutesfois estant chose qu'il ne peut faire qu'auec grans frais & despens, il craint que l'ayant fait imprimer en Allemagne ou ailleurs, les libraires & imprimeurs de nostre royaume le fissent puis apres reimprimer en iceluy, pour le priuer de son labeur, peine, trauail & curieuse recherche, & en tirer le fruit, au preiudice de luy & de ses enfans: S'il ne nous plaisoit leur defendre de ce faire pour quelque tems, & eust de nous priuilege special à ceste fin: lequel il nous a treshumblement fait supplier & requerir luy vouloir ottroyer. Pource est-il que nous desirans, autant qu'il nous sera possible, gratifier & fauoriser toutes personnes de sauoir, à ce que plus volontiers ils s'employent à l'entretenement & auancement des bonnes lettres: Voulans aussi donner moyen audit de Strada de se rembourser des frais qui luy conuiẽdra faire pour cest effet. Auons inhibé & defendu, inhibons & defendons par ces presentes, à tous libraires & imprimeurs de cestuy nostredit Royaume, pais, terres & seigneuries de nostre obeissance: que durant le tems & espace de douze ans ensuiuans & consecutifs, à conter de la date de la premiere impression dudit liure, ils n'ayent à l'imprimer ne le faire imprimer, vendre ne debiter, depuis qu'il aura esté mis en lumiere sous le nom d'iceluy Strada, ou de quelcun de sesdits enfans, en quelque langue que ce soit: soit en la forme & maniere qu'il auroit esté premierement imprimé, ou augmenté, ou abbregé par epitome, ou en y adioustant plus grand nombre de figures, ou en ostant aucunes de celles qui premieremẽt y auroyent esté mises, ou en le desguisant sous autres noms ou titres, ou l'imprimant de plus grand ou petit caractere, ou soit en le traduisant en autre langue: & si ce n'est auec la permission & congé dudit Strada ou de l'vn de sesdits enfans: Sur certaines & grandes peines à nous à appliquer, & de confiscation & perte desdits liures. Si vous mandons, commetons & enioignons par ces presentes, & à vn chacun de vous, si comme à luy appartiendra: que contre les contreuenans à nos susdites defenses, vous procedez & faites proceder par les peines ci dessus indictes, & autres que verrez estre à imposer selon l'exigence des cas. Car tel est nostre plaisir. Et pource que desdites presentes lon pourra auoir afaire en plusieurs & diuers lieux, Nous voulons qu'au *Vidimus* d'icelles fait sous seel Royal ou collationné par l'vn de nos amez & feaux notaires & secretaires, foy soit adioustee comme à ce present original. Et qu'en mettant par brief ou extrait le contenu en icelles au commencement desdits liures, elles soyent tenues pour deuement signifiees à tous libraires & imprimeurs de nostredit Royaume, & autres qu'il appartiendra: A ce qu'ils n'en pretendent cause d'ignorance. Donné à Paris le XXV. iour de Decembre, l'an de grace 1572. Et de nostre regne le XIII.

Par le Roy.

Et au dessous
Brulart.

EVTROPII EPITOME BELLI GALLICI EX SVETONII TRANQVILLI MONVMENTIS, QVAE DESIDERANTVR.

ANNO *ab urbe condita* DC.XCIII. *C. Iulius Cæsar, qui posteà imperauit, cum L. Bibulo Cos. est factus. Decreta est ei Gallia transalpina & Cisalpina, & Illyricum, cum legionibus denis in quinquennium datis: Galliam comatam posteà Senatus adiecit. Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenißimè explicuit: cuius nos competentes portiunculas decerpsimus. Heluetiorum animos fortißimos Gallorum omniũ gentis, ea vel maxima causa, quòd perpetuò penè cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam Princeps gentis, spe totas inuadendi Gallias, in arma accenderat. Quo cæteri optimates correpto ad mortem coacto, cohibere tamen animatas semel in prædam plebes nequiuerunt. Qui coniuratione facta, ac die dicta exustis vicis & domibus suis, ne quod desiderium & spes reuertendi foret, profecti sunt. Quos cùm ad Rhodanum fluuium Cæsar obuios habuisset, magno difficiliq́ bello bis vicit, victos ad deditionẽ coëgit. Horum fuit, cùm primum progressa est omnis multitudo, Heluetiorum, Tulingorum, Latobrigum, Rauracorum & Boiorum, utriusq́ sexus, ad centum quinquaginta septem millia. Ex his quadraginta & septem millia in bello cecidere. cæteri in terras proprias remißi sunt. Posteà Cæsar contra Ariouistum Regem pugnans, excitantem inuehentemq́ secum incredibiles Germanorum copias, quibus nuper uniuersos Galliarum populos se subegisse iactabat, apud Sequanos fugere compulit. Cumq́ diu exercitus Cæsaris Germanorum multitudine & virtute perterritus, pugnam detractasset, Ariouistus in Germaniam arrepta nauicula, Rhenum transuectus aufugit. Vxores eius duæ, totidemq́ filiæ captæ sunt. Fuerunt autem in exercitu Ariouisti, Arudes, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemetes, Sebusij, & Sueui. Pugna maximè grauis ex phalange Germanorum fuit, quam coacto in unum agmine, scutisq́ supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti undique præstruxerant. Sed postquàm Romanorum aliqui militum agilitate audaciaq́ insignes, supra obductam salière testudinem, scutisq́ velut squammis singillatim reuulsis, desuper nudos deprehensorum detectorum humeros perfoderunt: territi hostes nouo mortis periculo terribilem dissoluêre compagem. Exinde in fugam versi, per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt. Neque conijci numerus Germanorum potuit, vel quantus pugnæ affuerit, vel quantus fuerit occisorum. Post hæc Belgarum gens, quæ tertia pars Galliarum est, aduersus Cæsarem exarsit: quorum distributim copia hæc fuit. Bellouaci, qui cæteris numero & virtute præstare viderentur, habuêre lectißima sexaginta*

millia armatorum: Suessiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia: Nervij, quorum adeò feritas prædicabatur, vt nunquam mercatores ad se accedere sinerent, vina, cæteraq́ venalia deferri, quibus inducta iocunditas torporem virtutis afferret, habuêre similiter L. *millia: Atrebates etiam & Ambiani decem millia: Morini vigintiquinq́ millia: Menapij decem millia: Caleti decẽ millia: Velocasses & Veromandi decem millia: Atuaci* X V I I. *millia: Condures & Eburones atq́ Cercesi & Pemani, qui vno nomine Germani vocantur, quadraginta millia. Ita omnes simul fuisse referuntur ducenta octoginta duo millia armatorum lectissima. His igitur repentè è syluis erumpentibus, exercitus Cæsaris perturbatus, atque in fugam actus, plurimis suorum amissis, tamen hortatu ducis restitit, victoresq́ aggressus, vsque ad internicionem penè deleuit. Igitur Cæsar magnis in Gallia rebus gestis, cùm in Italiam proficisci decreuisset, Galbam cum legione duodecima ad Varagros Sedunósque misit. Qui cum hyemandi causa in vico Veragrorum, cui nomen erat Octodorus, consedisset, mediúmque oppidi, quod torrente distinguebatur, accolis concessisset, quadam die eosdem decessisse pariter per noctem, ac proximo insedisse colli videt. Quippe illi paucitatem vix mediæ legionis despectui habentes, vltroneam nullo cessuram negocio victoriam arbitrabantur, finitimosq́ suos in hanc cædis & prædæ societatem vocauerant. Igitur Galba tam præsentibus & grauibus periculis circunsepto, ac trepido, atque inter varias consultationes certi consilij incerto, repentè Galli descensu montis effusi, castra imperfecta circundat, raros per vallum propugnatores saxis telísque onerant. Cúmq́ iam castra irrumperentur, Pacuuij primipilaris, & Voluseni Tribuni cunctis Romani portis eruperunt, incautósq́ subitò aggressi hostes consilio primùm perturbauerunt: deinde in fugam versos, miserabili strage fuderunt: nam ampliùs quàm* X X X. M. *barbarorum tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar, cùm iam pacatas vniuersas Galliarum gentes putaret, ad nouum & maximum bellum retractus est. Namque cùm P. Crassus adolescens cum legione septima Oceano vicinus apud Andegauos hyemaret, Veneti cæteriq́ confines repẽtè in arma coniurant, legatos Ro. vinciunt, eosq́ ita demùm se reddituros, si obsides suos recipiant, Romanis indicant. Socios ad id bellum Osismios, Lexouios, Nannetes, Ambibaritos, Morinos, Diablintes, & Menapios adsciscunt, auxilia quoque à Britannia accersunt. Cæsar per Crassum de rebellione deditarum gentium certior factus, quamuis intelligeret quanta ineundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotij non negligendã ratus est, ne cæteris exemplo huiusmodi audendi licentia laxaretur. Itaque terrestri prælio persequi hostes frustrà adgressus, quippe cùm hostes per interfusa ex Oceano æstuaria, atque inaccessos recessus, tutis terrarum finibus munirentur: naues longas ædificari in Ligeri fluuio iubet, per quem in Oceanum mitterentur. Quæ mox vt hostibus visæ sunt, continuò ducentæ* X X. *naues eorum paratæ, atque omni genere armorum instructissimæ progressæ portu ex aduerso steterunt. Bruto circunspicienti imparem longè nauium esse conflictum, quia Barbarorum naues solido robore intextæ, saxorum modo adactos rostrorum ictus retundebant, hoc primùm auxilio fuit, quòd falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas parauerat, quibus quum opus esset, apprehensos eminùs rudentes subductis hastilibus per funem falcem retrahendo succideret. His celeriter expeditis, disrumpi hostilium antennarum armamenta præcepit. ita antennis ruentibus, complures illicò naues velut captas immobiles reddidit. Alij hoc periculo territi suspensis velis, quà ventus intenderet, fugere conati sunt. Cessante vento ludibrio fuêre Romanis. Itaque incensis omnibus*

nauibus

nauibus, & interfectis qui pugnauerant, Galli reliqui sese dediderunt. Sed Cæsar maximè ob iniuriam Legatorum, & vt genti ad omnia consilia mobili, terribilis exempli notam inureret, cunctis Principibus tormentis interfectis, reliquos sub corona vendidit.

HIS *diebus Titurius Sabinus Legatus Cæsaris, Aulercos, Eburonices, Lexouiosq; qui primates suos, cùm authores belli resuscitandi esse nollent, interfecerant, eruptione facta, incredibili cæde deleuit. P. verò Crassus, cùm in Aquitaniam peruenisset, bello exceptus est. Nanq; Sociates magno equitatu pedestribusq; copijs præualidis adorti, diù grauiter perturbauerunt. Pòst victi, atq; in oppidum Sociatum coacti, obsessiq;, cùm se expugnari viderent, armis traditis in deditionem recepti sunt. Aquitani clade permoti, vndiq; exercitum contrahunt: de citeriori quoq; Hispania auxilia accersunt. Duces bello maximè eos præficiunt, qui cum Sertorio militauerant: Hi omnes dum obsidionem Crasso parãt, in castris suis Crasso obruente deleti sunt. Nam ex Aquitanis & Cãtabris, quorum quinquaginta millia tunc in auxilium venerant, triginta & octo millia cæsa referuntur. Cæsar Germanos, qui Rhenum cum immensis copijs trãsierant, simul & totas Gallias subijcere sibi parabant, bello adortus, vsq; ad internecionem cecidit: quorum fuisse numerum ad quadringenta quadraginta millia ferunt. Tunc Cæsar in Germaniam facto ponte transgreditur, Sicambros & Vbios obsidione liberat: Sueuos maximam & ferocißimam gentem, quorum esse centum pagos & populos multi prodidêre, totamq; Germaniam aduentu suo terret. Mox in Galliam rescisso ponte se recepit. Domuit autem annis nouem omnem Galliam, quæ inter Alpes, flumenq; Rhodanum, Rhenumq; & Oceanum est, & circuitu patet ad bis tricies centena millia passuum. Inde ad Morinos venit, vnde ad Britanniam proximus & breuißimus transitus est. Nauibus circiter onerarijs atque actuarijs octoginta præparatis, in Britanniam transuehitur, Britannisq; bellum infert, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. Ibi acerba pugna primùm fatigatus, deinde aduersa tempestate correptus, plurimam claßis partem, & non paruum numerum militum, equitatum verò penè omnem disperdidit. Regressus in Galliam, legiones in hyberna dimisit, ac* DC. *naues vtriusque commodi fieri imperauit. Quibus iterum in Britanniam primo vere transuectis, dum ipse in hostem cum exercitu pergit, naues in ancoris stantes tempestate correptæ, vel collisæ inter se, vel harenis illisæ ac dissolutæ sunt, ex quibus* XL. *perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Intereà Scæua miles Cæsaris cum quatuor commilitonibus nauicula antè transuectus est ad scopulum Insulæ propinquum, atque intereà recessu oceani destitutus est. Complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen, qui per rari comites ipsius fuerant, nauigio redeunt: Scæua imperterritus manet, vndiq; telis obrutus: ac primo pilo restitit, postremò gladio rem gerit solus in plures. Cumq; fessus vulneratúsq; esset, & galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab Imperatore veniam pro temeritate: quem Cæsar centurionatus honore subuexit. Igitur Cæsaris equitatus primo congressu à Britannis victus, ibiq; Labienus Tribunus occisus est. Secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Britannos in fugam vertit.*

INDE *ad flumen Tamesim est profectus, quem vno tantùm loco transmeabilem ferunt. In vlteriore ripa fluminis cum Cassouelauno duce immensa hostium multitudo consederat, ripámq; fluminis, ac penè totum sub aqua vadum acutißimis sudibus præstruxerant. Quod vbi à Romanis deprehensum ac vitatum est, barbari legionum impetum non ferentes, syluis se abdidêre, vnde*

crebris eruptionibus Romanos grauiter ac sæpè lacerabant. Intereà Trinouantum firmissima ciuitas, cum Androgorio duce, datis quadraginta obsidibus Cæsari se dedidit. Quod exemplum sequutæ vrbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt, obsidibusq; datis stipendiariæ factæ sunt: ijsdémque demonstrantibus Cæsar oppidum Cassouelauni ducis, inter duas paludes situm, obtentu syluarum munitum, omnibusq; rebus confertissimum, graui tandem pugna cepit. Exin Cæsar à Britannis reuersus in Galliam postquàm legiones in hyberna misit, repentinis bellorum tumultibus vndique circumuentus & conflictatus est. Namq; Ambiorix cum Eburonatibus & Atuaticis conspirans, Treuirorum consilio, Titurium Sabinum & Arunculeium Cottam legatos apud Eburonas cum tota funditùs legione insidijs circumuentos interfecit. Ambiorix hac victoria elatus, Atuaticos & Neruios, plurimosq; alios raptim in arma contrahit, atq; ad Ciceronem legatum, qui similiter tunc legioni præerat, in hyberna contendit. Multitudo ex hoc hostiũ colligi potuit, quia cum obsidione castrorum vallum circundandum esse, à captiuis Romanis docerentur, & instrumenta ruralia non haberent, gladijs concidendo terram, & sagulis exportando, vix tribus horis vallum x. pedum, & fossam x v. pedum per millia passuum x v. in circuitu fecerunt. Præterea centum viginti turres miræ altitudinis extruxerant. Et cùm iam septem dies noctesq; succidui hostium cunei pugnarẽt, ac ventus subitò exortus esset plurimus, testas feruentes intorsère fundis, flammatáque focis tela, ac mox concepto igne rutilantia inter castra iecerunt. Quo facto, per culmea culmina raptim ventus insistens, sparsim animauit incendium. Sed nec sic quidem Romani, cùm vndiq; obruerentur vulneribus, laboribus, ieiunijs, vigilijs, incendijsq;, cesserunt. Tandem Cæsari nunciatum est, vnam legionem delatam esse, alteram iam penè confectam. Aduentante cum duabus legionibus Cæsare, deserunt hostes obsidionem, atq; in eum cunctis raptis copijs ruunt. Cæsar paruissimis se castris consultò condidit, equitibusq; præmissis, vt fugam fingerent, impetrauit, vt ad transitum vallis, quæ media erat, sibiq; periculosa videbatur, hostes contemptu sui inuitaret. Quibus aduentantibus, insuper obstrui portas præcepit. Quo viso Galli, quasi iam vicissent, ad obducendum extrinsecus vallum conuersi sunt. Cæsar totis repentè portis paratum effudit exercitum: acritérque cum eis dimicans, tandem vidit vnum ex militibus suis segniùs prælantem, scutúmq; eius rapuit, & in aduersos ruit. Quo facto, erubuit exercitus, versosq; in fugam Gallos, vastissima cæde confecit. Nam sexaginta millia tunc fuisse referuntur, è quibus pauci per paludes inuias euaserunt. Induciomarus Treuirorum princeps, magnas armatorum copias habens, postquàm de consensu totius Galliæ certior redditus est, Labieni castra, legionémq; cui præerat, quod facile factu arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonibus Neruijsq; coniunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus, quibus potest artibus, timorem simulat, atq; ita Induciomarum negligentiorem cum insultantibus copijs pro vallo oberrantem repentina eruptione prostrauit. Hac victoria Labieni, reliqui Gallorum conatus repressi sunt, & Cæsar paulò quietior reliqua parte hyemis fuit. Sed intelligens sibi maiora belli superesse negocia, maximè quia plurima exercitus parte amissa, aliísque grauiter sauciatis, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum videretur, à Cn. Pompeio Procos. conscribi legiones, sibique mitti in auxilium fecit. Itaque ante hyemem exactam, tres ad eum legiones in castra venerunt. Igitur Cæsar, priusquàm in vnum hostium copiæ coirent, ineunte Verno aggredi trepidos, & opprimere sparsos, in suis finibus parat. Primum itaque Neruiorum fines diripit:

prædam

prædam verò, quæ copiosissima erat, exercitui permittit. Deinde Menapios, qui sibi propter immensas paludes, atque impeditissimas syluas munitissimi videbantur, tribus agminibus inuadit, nimiaq; cæde vulgo agitata residuos supplices in deditionem accepit. Labienus sequenti prælio omnes Treuirorum copias interfecit, arte in bellum prouocatas, priusquàm Germanis aduentantibus iungerentur: & continuò ipsam ciuitatem cepit. Cæsar vlcisci mortem Sabini & Cottæ legatorum volens in Ambiorigem & Eburones deletæ legionis authores, postquàm in Arduennam syluam refugisse comperit, quæ sylua totius Galliæ maxima est, atque à ripis Rheni finibusq; Treuirorum ad Neruios vsque pertingit, & in longitudine plusquàm quinquaginta millibus passuũ patet, permetiens rem suis maximi periculi fore, si per obstructas spaciosas syluas ignoti diuiderentur, hostemq; loci narissimum quærerent, omnem Galliam per nuncios inuitat, vt quisq; secundum placitum suum reconditas in Arduenna sylua prædas quærant diripiantq;. Quo facto Gallis vtrinque morientibus, maximas Romanorum iniurias sine cuiusquam Romani discrimine vindicauit. Ita hoc tutissimo vincendi genere securus in Italiam rediit. Igitur Cæsare in Italiam reuersò, rursus Gallia in arma coniurat, multiq; simul populi coëunt. Dux his Vercingentorix fuit, cuius consilio statim omnes Galli ciuitates suas vltrò incenderunt, prima à suis incensa Biturico. Inde ad Cæsarem, qui magnis itineribus per Narbonensem Prouinciam clàm ad exercitum recurrerat, impetũ faciunt. Cæsar tunc oppidum, nomine Genabum, obsidione concluserat: quod diù oppugnatum, tandem post multas Romanorum clades pluuio die cum hostilium machinarum amenta neruiq; languerent, applicitis turribus captum atq; deletum est. Quadraginta millia hominum ibi fuisse referunt: è quibus vix LXXX. *homines per fugam elapsi, ad castra proxima Gallorum venerunt. Præterea Aruerni cæteriq; confines, solicitatis etiam ad se Heduis, multis aduersus Cæsarem præliis bellauerunt. Qui cùm se pugnando fatigati in quoddam oppidum recepissent, milites præda inhiantes, ad expugnationem oppidi animum intendunt, frustrà Cæsare de loci iniquitate causante. Itaque ibi Cæsar erumpentibus desuper hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita, victus aufugit. Dum hæc ad Alexiam geruntur, Vercingentorix, quem omnes consensu pari regem præoptauerant, suadet vti ex tota Gallia omnes, qui arma ferre possent, huic bello præstò sint: hoc enim esse vnum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna seruitus, aut mors omnium consequatur. Itaque absq; eo numero, quem infinitum antè contraxerat, equitum circiter octo millia, peditum ducenta quinquaginta millia contracta sunt. Dehinc duo colles sibi inuicem obuersos Romani Galliique ceperunt: vnde multis sæpè eruptionibus & variis euentibus præliantes, tandem Romani præcipua Germanorum equitum, quos sibi iamdudum amicos, nunc in auxilium adsciuerant, virtute vicerunt. Vercingentorix alia die congregatis omnibus qui fuga euaserant, dixit se authorem bona fide defendendæ libertatis, atq; rumpendi fœderis fuisse. Et nunc siue Romanis sese ad mortem offerant, siue se solum pro omnibus dandum, paratum animo fore. Itaque Galli voluntatem, quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, illicò sibi veniam precantes, eum solum velut authorem magni sceleris dediderunt. Bellouaci omnibus Gallorum gentibus ipsorum opinione fortiores habebantur. Hi Chorreo duce bellum instaurant, sibiq; in hanc suscepti belli societatem Ambianos, Aulercos, Caletos, Bellocasses, Atrebatasq; coniungunt, & locum quendã cinctum atq; impeditum vndiq; paludib. capiunt. Commissoq; prælio, magnam Rhemorum manum, quæ auxilio Romanis ierat, trucidant. Deinde cùm opportunum ipsi locum insidiis prouisum occupauissent, atque hoc*

comperto Romani ad insidiarum locum instructi ordinatiq; venissent, commisso prælio Romani Gallos fugientes ijsdem locorum munitionibus, quibus clausi fuerant, incluserunt, cunctosq; ad internicionem ceciderunt. Ibi Chorreus vel fugam vel deditionem detrectans, Romanos vt viuus caperetur, instantes occidendo, vt occideretur, coëgit. Igitur cùm pacatam Galliam vniuersam Cæsar, neque ausuram fore ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hyberna dimisit. Ipse autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitauerat, hominum horrenda strage vastauit. At verò C. Caninius legatus bellum apud Pictonas inuenit, vbi magna hostium multitudo impeditam itinere legionem circundedit, atque ad extremum discrimen adduxit. Porrò autem Fabius legatus acceptis Caninij literis, in Pictonas proficiscitur: ibiq; à captiuis de opportunitate locorum certior factus inopinantes hostes opprimit, magnisq; stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde quum Caninio signum aduentus sui dedisset, Caninius totis castris subitò insiluit, seseq; iniecit hosti. Ita Fabio ex vna parte, & Caninio ex altera insistente, maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ sunt. Inde Fabius in Carnutes profectus est. Sciebat enim Deonacum ducem antiquissimum totius rebellionis incentorem, ab hoc bello elapsum, si Armoricis gentibus adiunctus esset, maximos iterum tumultus esse in Galliam moturum. Sed eos adhuc ipsa nouitate trepidantes, mira virtute & celeritate perdomuit. Intereà Drapes vnaq; Lucterius cùm adesse Caninium & Legiones in finibus suis viderent, vndique collectis copijs, oppidum Vxellodunum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat: duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde descensu largissimo fonte securum, plurimaq; introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romano prouisione potuit, ambos duces cum parte copiarum plurima in campum euocatos, maximo prælio superauit. Nam vno è ducibus interfecto, alter cum paucissimis fugit. nullus in oppidum redijt. Sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus, Cæsar occurrit, circumspectisq; omnibus videt, si expugnare vi moliatur, ludo & spectaculo hostium delendum esse exercitum suum: vnum solum esse præsidij, si quoquomodo hostes aqua arceantur. Sed & hoc quoq; nisi Cæsar non potuisset. Siquidem fons, quò ad potum vtebantur, medio deuexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoueri vineas, turrimq; extrui iubet. Fit magnus illicò cōcursus ex oppido, quibus sine periculo prælíantibus, Romani quamuis pertinaciter obsisterent, crebriúsq; succederent, tamen complures trucidantur. Igitur extruitur agger, & turris pedum L x. cuius vertex adæquare ad fontis locum possit, vt vel ex æquo tela conijci queant, vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem vbi exanimari siti non solùm pecora, verùm etiam infirmiores hominū ætates vident, cupas pice, seuo & scandulis repletas, ac deinde immisso igne, in prona præcipitant, eásq; ipsi toto oppido fusi subsequuntur. Ardentibus machinis cùm graue prælium suis Cæsar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter per occultum imperat, atque vndiq; subitò vastum clamorem attollere. Quo facto, consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris, vel demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus, per multa diuidendo, tenuari in semetipsis consumiq; fecerunt. Oppidani fonte siccato vltima desperatione correpti, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerant, manus sustulit, & vitam reliquit,

liquit, quò testatior esset et iam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, quum ipsa miseri præsens forma viuentis, & ad recordationem admonet conscios, & ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis itaque atque edomitis Gallis securus Cæsar cum legionibus in Italiam rediit, nullos post se Gallorũ motus pertimescens, certò sciens, minimè aliquos, qui vel moueri audeant, vel si moueantur, timendi sint, reliquisse. Anno ab vrbe condita 697. M. Licinius Crassus collega Cn. Pompeij Magni in consulatu secundo prouinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hierosolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquit, in Palæstinam diuertit, Hierosolyma adijt, templum peruadit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit, socijs ciuitatibus auxilia indixit, precia exegit. Mox vt Euphratem transijt, illicò Bagesen ab Herode Rege Parthorum ad se missum obuiam habuit: à quo vehementer increpatus est, cur contra fœdus Luculli & Pompeij auaritia inductus Euphratem transierit: quamobrem sine mora futurum, vt pro auro Parthico Serico ferro oneraretur. Inde cùm prope Carras contra omina & auspicia ventum esset, Parthi subitò ingruentes cum Surena & Sylace præfectis, sagittis oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi Senatores, aliquot etiam consulares, & pratorij viri. Crassus quoque filius Crassi lectissimus iuuenis in acie occisus est. Præterea quatuor cohortes cum Vargunteio legato medijs deprehensæ campis & interfectæ sunt. Surenas rapto equitatu Crassum persequi intendit, eumq́ circumuentum, ac frustrà colloquium eius petentem cepit, & in castra perduxit, ac postremum auro in os eius infuso interfecit. Pauci noctis beneficio liberati, Carras confugere. Cognita clade Romanorum, multæ Orientis prouinciæ, à societate vel fide populi Ro. defecissent, nisi Caßius Quæstor collectis ex fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi virtute ac moderatione preßisset: Qui & Antiochũ copiasq́ eius ingentes prælio vicit, & interfecit. Parthos quoq́ ab Herode in Syriam missos, iamq́ ingressos Antiochiam, bello expulit, ducemq́ eorum Hosagen interfecit. Igitur Romani status agitur semper alterna mutatio, velut forma Oceani maris, quæ omni die dispar, nunc succiduis per septem dies tollitur incrementis; nunc insequentibus totidem diebus naturali damno & defectu interiore subducitur. Anno ab vrbe condita DCC. incertum vnde concretus, plurimam Vrbis partem ignis inuasit. Neque vnquam anteà tanto incendio correptam atque vastatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos cum vico lugario consumptos fuisse memoriæ proditum est. Hinc iam bellum Ciuile committitur, quod magnis iam dudum dissensionibus ac molitionibus parabatur. Nam Cæsar rediens victor ex Gallia decerni sibi absenti alterum consulatum poposcit. Contradictum est à Marcello consule, à Bibulo, à Catone, annitente Pompeio. Deinde decretum est à Senatu, vt in vrbem Cæsar non nisi dimisso exercitu veniret: & ex Marcelli cos. authoritate ad legiones quæ apud Luceriam erant, Cn. Pompeius cum imperio missus est. Cæsar Rauennam sese contulit. M. Antonius & P. Craßius Tribb. pl. pro Cæsare intercedentes, interdicente Lentulo cos. curia foroq́ prohibiti, ad Cæsarem profecti sunt, Curione simul Calioq́ comitantibus. Cæsar Rubicone flumine transmeato, mox vt Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, vt ait Liuius, orbem terrarum adortus est: quid facto opus esset edocuit. deplorans iniurias suas, causam belli ciuilis pro restituendis in patriam Tribunis esse testatus est. Inde per Antonium septem cohortes quæ apud Sulmonem morabantur, à Lucretio recepit. tres legiones quæ cum Domitio apud Corfinium morabantur,

ad suas partes transduxit. Consules cum Cn. Pompeio, Senatusq́, omnis, atque vniuersa nobilitas ex vrbe fugit, atque in Græciam transijt. Apud Dyrrachiũ Epirumq́, Macedoniam & Achaiam, Cn. Pompeio duce Senatus contra Cæsarem bellum parauit.

CÆSAR DICTATOR.

CAESAR *vacuam vrbem ingressus, Dictatorẽ se fecit, negatamq́, sibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuasit, protulitq́, ex eo auri pondo quatuor millia centum triginta & quinq́: argenti pondo propè nongenta millia. Inde digressus Ariminum ad legiones, mox alpes transuectus, Massiliam venit: ob quã oppugnandam, cùm receptus non esset, Treboniũ cum tribus legionibus reliquit. Quo bello miles duodecimæ legionis aduersus eos nauali certamine pro Cæsare dimicans, hostilem nauem dextra apprehendit: qua amputata, læuam iniecit, neque antè dimisit, quàm mergeretur. Cæsar deinde ad Hispanias contendit, quas L. Afranius, & M. Petreius, & M. Varro, Pompeiani duces cum legionibus obtinebant. ibi multis prælijs Petreium Afraniumq́, superatos, composita pactione dimisit. In vlteriore Hispania duas legiones à M. Varrone suscepit. Similiter & duces eius, Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem ab Africa Varus eiecit. Cæsar rediens Massiliã obsidione domitam, vita tantum & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. At verò Dolabella partium Cæsaris in Illyrico per Octauiũ & Libonem victus, copijsq́, exutus, ad Antoniũ fugit. Basilus & Salustius, ducentes singulas legiones, quibus præerant, similiter & Antonius, Hortensius quoq́, ab infero mari cum classe concurrens, omnes pariter aduersus Octauium & Libonẽ profecti, & victi sunt. Antonius cùm se Octauio cum* XV. *cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium à Libone deducti sunt. Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est: quem Iuba Rex continuò exceptum cum omnibus copijs trucidauit. Octauius Salonas oppugnare conatus, omnes copias, quas duxit, amisit. Celius à Cæsare desciuit, ac se Miloni exuli iunxit. Cumq́, ambo seruorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt. Bibulus apud Corcyram pudore victus, quòd custodiæ eius quam pelago & oppido prætendebat, hostis illuserat, inedia sese vigilijsq́, confecit. Appius Claudius Censorinus qui iussu Pompeij Græciam tuebatur, iam abolitam Pythici oraculi fidem voluit experiri. Quippe ab eo adacta vates descendere in specum, respondisse fertur de bello consulenti: Nihil ad te hoc Romane bellum pertinet: Euboico Cœla obtinebis. Cœla autem vocant Euboicum sinum. Ita Appius perplexa sorte incertus discessit. Intereà apud Dyrrachium multi orientis reges ad Cn. Pompeium cum auxilijs venerunt. Quò cùm Cæsar venisset, Cn. Pompeium obsidione frustrà cinxit, ipse terram quindecim millium passuum fossa præstruens, cùm illi paterent maria. Pompeius castellum quoddam propinquum mari, quod Marcellinus tuebatur, euertit: præsidiaq́, Cæsaris, quæ ibidem morabantur, occidit. Cæsar Torquatum legionemq́, vnam vt expugnaret aggressus est. Hoc periculo sociorum Pompeius cognito omnes copias eo traxit: & signa eo mouente, fulmina aduersa occurrerunt. Apes quoq́, obsedêre vexilla. Quo viso subitus mœror confudit exercitum. fugerunt hostiæ in templis. conuersa simulacra, alia fleuerunt, alia sudârunt. Tantus verò in aëre armorum strepitus fuit, vt Antiochiæ quasi aduentu hostium in muros concurrerent. Intereà Cæsar omissa obsidione ad Pompeium se conuertit. Torquatus autem è vestigio prorumpens, auersum insequutus est. Ita Cæsaris milites anci-*

ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustrà obsistente fugerunt. Euasit tamen Cæsar, quia nocte interueniente Pompeius sequi noluit. Dixitq́; Cæsar, nec Pompeium scire vincere, & illa tantum die potuisse superari. Cæsaq; sunt in eo prælio quatuor millia militum Cæsaris, centuriones viginti duo, equites Rom. complures. Cæsus est & Scæua Cæsaris miles fortissimus. Quem cùm milites Pompeij vt se traderet hortarentur, respondisse fertur, se esse fessum. Accurrit vnus, velut accepturus arma. Percutitur. plures simul sternuntur. Ipse autem vulnera accepit capite, humero, femore, oculumq́; amisit. Scutum eius satis constitit centum viginti ictibus petitum fuisse. Deinde Cæsar tacito agmine per Epirum in Thessaliam perrexit. Pompeius cum maximis copijs est sequutus. Bellumq́; commissum est. Itaque instruitur vtrinque acies. Pompeius octoginta & octo cohortes triplici ordine locauit. fuere autem peditum plusquàm quadraginta millia: equites in sinistro cornu sexcenti. in dextro quingenti. Præterea Reges multi: Senatores, Equitesq́; Romani plurimi, absque leuium armaturarum magna copia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit. cui fuere minùs quàm quadraginta millia peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat, contractas Romanorum vires in campis Pharsalicis ad occisionem mutuò constitisse, quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Prima congressione equitatus Pompeij pulsus, sinistra latera nudauit. Deinde cùm diu vtrinque dubia sorte cæderentur, atque ex alia parte Pompeius diceret, Parce ciuibus, nec tamen faceret: ex alia verò Cæsar hoc faceret quod vrgeret, dicens, Miles faciem feri: tandem vniuersus Pompeij fugit exercitus, castraq́; eius direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum quindecim millia, Centuriones triginta tres. Hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit. Pompeius fugiens in ostio Penei amnis onerariam nauim nactus in Asiam transijt. Inde per Cyprum Alexandriam petijt, vt à Rege Aegypti, cui tutor à Senatu datus fuerat propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiam secutus, occidit Pompeium, atque caput eius & anulum Cæsari misit. Quo conspecto Cæsar etiam lachrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam sui. Pompeij vxor filijq́; eius fugerunt, cateráque Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erant, crudelissimè trucidatis: ibiq́; & Pompeius Bithynicus occisus est. Lentulus verò vir consularis apud Pelusium interfectus est. Cæsar compositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam venit. Cumq́; se in regiam recepisset, eludebatur à tutoribus, quò minùs pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus, vt & regios thesauros vacuos esse ostenderent, & in inuidiam Cæsaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius imbutus semel Pompeij sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam iussus exercitum dimittere cui præerat, viginti millia armatorum, non modo spreuit imperium, verùm etiam aciem direxit. In ipso prælio regia classis ad terram subducta iubetur incendi. Ea flamma cùm partem quoque vrbis inuasisset, quadraginta millia librorum proximis fortè ædibus condita exussit: singulare profectò monumentum studij curæq́; maiorum, qui tot tantaq́; illustrium ingeniorũ opera congesserant. Vnde quamlibet hodiéque in templis exstant, quæ & nos vidimus armaria librorũ: quibus direptis exinanita ea à nostris hominibus nostris temporibus memorent, quod quidem verum est: tamen honestiùs creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorũ curas æmularentur, quàm aliã vllam tunc fuisse bibliothecam, quæ extra quadringenta millia librorũ fuisse, ac per hoc euasisse credatur. Posteà Cæsar Insulã vbi Pharus est, cepit. Eò Achillas cum Gabinianis militibus venit ingens pugna

com-

commissa est. Magna ibi Cæsarianorum multitudo cecidit. Omnes etiam interfectores Pompeij interfecti sunt. Cæsar quoque vi insistentium hostium pressus scapham ascendit, qua mox pondere subsequentium grauata ac mersa, per ducentos passus ad nauem vna manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine pulsatus, magna fœlicitate classem regiam aut depressit, aut cepit. Alexandrinis petentibus reddidit regem, monuitq; vt amicitiam Romanam quàm arma experiri studeret. Qui tamen illicò vt liber fuit, bellũ Cæsari intulit, sed continuò cum toto exercitu suo & ipse deletus est. Nam XX. *millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecim millia cum septuaginta longis nauibus dedita, quingenti ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus vt fugeret, multis insilientibus mersus necatúsque est, Corpus eius ad littus deuolutum, indicio lorica aurea cognitum fuit. Qua Cæsar præmissa Alexandriam, Alexandrinos omnes ad deditionem desperationemq; compulit, regnumq; Aegypti Cleopatra dedit Ptolemai sorori, cum qua stupri consuetudinem habuerat. Qua posteà regio comitatu vrbem ingressa est. Inde Syriam peruagatus, Pharnacem Mithridatis Magni filium, qui Pompeij auxilio apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas Populi Romani prouincias occupantem vicit acie, ac posteà in mortem coëgit. Inde Romam regressus, tertiò se Dictatorem & Consulem fecit, cum M. Aemylio Lepido, qui & magister equitum Dictatoris causa ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, vbi infinita nobilitas Romanorum cum Iuba Mauritaniæ Rege apud Tapsum bellum reparauerat. Duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquißimo Scipionis Africani: hic etiam socer Magni Pompeij fuerat: M. Petreius, Varro, M. Portius Cato, L. Cornelius Faustus, Syllæ Dictatoris filius. Contra hos commisso bello, post multas dimicationes maxima hominum multitudo cæsa, victor fuit Cæsar: castra vtrorumq; direpta sunt, sexaginta elephanti capti. Cato apud Vticam sese occidit, Iuba percussori iugulum præbuit, precio dato. Petreius eodem gladio se perfodit. Scipio in naui, qua ad Hispanias fugere contendens, vento coactus in Africam redierat, semetipsum iugulauit, in eadem naui T. Torquatus occisus est. Faustum Syllæ quondam Dictatoris filium, Pompeij generum, nepotes, filiamq; Pompeiam, & Afranium, & Petreium filium Cæsar præcepit occidi. Post annum inde Cæsar Romam cum quatuor triumphis ingressus. Quartò Dictatòr & Cos. creatus, disposito reparatoq; Reip. statu, continuò in Hispaniam contra Pompeios Pompeij filios profectus, septimodecimo quam egressus ab vrbe fuerat die Saguntum peruenit: statimq; aduersus Pompeios duos & Labienum atq; Accium Varum multa bella varia sorte geßit. Vltimum bellum apud Mundam gestum est: vbi tantis viribus dimicatum est, tantaq; cædes acta, vt Cæsar quoque veteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cùm cogi cædiq; aciem suam cerneret, se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentium natus annos sex & quinquaginta veniret. Denique reparatis suis, tum versus subitò in fugam Pompeianorum fugit exercitus. Equidem eo die hoc bellum gestum est, quo Pompeius pater ab vrbe bellum gesturus aufugerat. Quatuorq; annis hoc bellum ciuile toto orbe indesinenter intonuit. T. Labienus, & Accius Varus, in acie occisi sunt. Sextus Pompeius cum centum equitibus aufugit. Cn. Pompeius frater eius contracta celeriter non parua Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus, & victus fugiensq; interfectus est. Munda ciuitas cum immensa hominum cæde Cæsare oppugnante vix capta est. Inde Cæsar bellis ciuil. toto orbe compositis Romam redijt, agere insolentiùs cœpit, contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cùm ergo honores*

ex sua

ex ſua voluntate præſtaret, qui à populo anteà deferebantur, nec Senatui ad ſe venienti aſſurgeret, aliaq́ regia ac penè tyrannica faceret, coniuratum eſt in eum à ducentis ſexaginta vel ampliùs Senatoribus equitibusq́ Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ Cos. fuerat, & reges expulerat, & C. Caßius, & Seruilius Caſca. Ergo Cæſar quum inter cæteros Senatus quadam die veniſſet ad Curiam, viginti & tribus cultris ſenatorijs confectus, vulneribusq́ confoſſus interijt. Quo facto Senatores ſtrictis pugionibus in Capitolium ſeceſſerunt. Diu deliberatum eſt, vtrùm Capitolium cum authoribus cædis oporteret incendi. Corpus eius raptum, populus dolore ſtimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac ſubſelliorũ cremauit. Eadem nocte Calphurnia, vxor videlicet eius, vidit in ſomnis eum foſſum vulneribus in ſinu ſuo iacere. orauit Cæſarem ne eo mane abiret in Senatum. Sed ille auſpiciorum ſæpe negligens, contempſit ſomnium, ſed exitu probauit. Ante paucos dies quàm Cæſar occideretur, in Curia boue ex more mactato, cor in extis non eſt repertum. Quod cùm Spurina aruſpex pronunciaſſet ad vitæ periculum pertinere, ait Cæſar conſtantiæ memor, Miraris ſi bos non habeat cor? ſed mox ei finis vitæ fuit. Idem Spurina ante paucos dies eidem Cæſari dixerat, cauendum ei eſſe Idus M rtias. Quo die viſo Spurina ait Cæſar: Idus Martiæ venerunt: ille reſpondit: Sed nondum tranſierunt. Eodem die Cæſar confoſſus eſt, vir quo nunquam vllus homo magis bellis enituit. Eius ſiquidem ductu, vndecies centum nonaginta & duo millia hoſtium cæſa ſunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit, M. Marcellum ſolus ſupergreſſus, qui triginta nouem vicibus pari modo fuerat præliatus. Ad hoc nullus celerius ſcripſit, nemo velocius legit. quaternas etiam Epiſtolas ſimul dictauit. Tantæ fuit bonitatis, vt quos armis ſubegerat, magis clementia vicerit. Eodem tempore Romæ tres ſimul exorti Soles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta, quæ toto orbe facta ſunt, bos in ſuburbano Romæ ad arantem loquutus eſt, fruſtrà ſe vrgeri: non enim frumenta, ſed homines defuturos.

F I N I S.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER PRIMVS.

Primi Libri capita.

1 *Tripartita Galliæ diuisio. Clandestina Heluetiorum quorundam de Gallia occupanda coniuratio.*
2 *Heluetiorum in Galliã profectio. Cæsaris consilium de ijs aditu Galliæ prohibendis.*
3 *Alterum eiusdẽ consilium de re eadẽ: & leuia quædam cum Heluetijs prælia.*
4 *Dumnorigis perfidia detecta & cõdonata. Artificiosa Cæsaris i. i illũ lenitas.*
5 *Præclara rei gerendæ occasio Considij errore amissa. Cæsaris virtute bellum Heluetiorum vno prælio conficitur.*
6 *Heluetij deditionem faciunt, reuertiq́; in patriam iubentur.*
7 *Gallorum querimoniæ de Ariouisto Germanorum Rege, qui dominatum in Aeduos & Sequanos occupârat.*
8 *Legationes Cæsaris ad Ariouistum, & huius ad illas responsio.*
9 *Cæsaris expeditio in Ariouistum, & trepidatio in castris ipsius oratione sedata.*
10 *Cæsaris & Ariouisti apparatus ad colloquium, & variæ in eo colloquio disputationes.*
11 *Vtriusque ad pugnam apparatus & propensio.*
12 *Bellum Germanicum in Gallia vno prælio à Cæsare confectum.*

A 1 G ALLIA est omnis diuisa in parteis treis, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quòd à cultu atque humanitate Prouinciæ longissimè absunt, minimeque ad eos mercatores sæpè commeant, atq; ea quæ ad ef- *Galliæ diuisio.* *Belgæ.* *Aquitani.* *Celtæ, qui & Galli.* *Garumna fl.* *Matrona fl.* *Sequana fl.* *Belgæ fortissimi.*
B fœminandos animos pertinent, important: proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibúscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Heluetij quoq; reliquos Gallos virtute præcedũt, quòd ferè quotidianis prælijs cum Germanis contendunt, cùm aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum vna pars, quam *Germani Transrhenani.* *Heluetij.* *Celtarum termini.*

Gallos obtinere dictum est, initium capit à flumine Rhodano: contine- C
tur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam ab Sé-
Belgarum fines. quanis & Heluetijs flumen Rhenum: vergit ad Septentriones. Belgæ ab
extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem flu-
Aquitaniæ limites. minis Rheni: spectant in Septentriones, & Orientem solem. Aquitania
à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ
ad Hispaniam pertinet, spectat, inter Occasum Solis, & Septentriones. A-
Orgetorix Heluetiorum princeps. pud Heluetios longè nobilissimus fuit & ditissimus Orgetorix. Is M.
Messala, & M. Pisone consulibus regni cupiditate inductus, coniuratio-
nem nobilitatis fecit: & ciuitati persuasit, vt de finibus suis cum omnibus
copijs exirent. perfacilè esse, cùm virtute omnibus præstarent, totius D
Galliæ imperio potiri. Id hoc faciliùs eis persuasit, quòd vndique loci
Heluetiorum fines. natura tuti Heluetij continerentur, vna ex parte flumine Rheno latissi-
Rhenus fl. mo atque altissimo, qui agrum Heluetium à Germanis diuidit: altera ex
Iura mons. parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios: ter-
Rhodanus fl. tia, lacu Lemano, & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Hel-
uetijs diuidit. His rebus fiebat, vt & minùs latè vagarentur, & minùs fa-
cilè finitimis bellum inferre possent. Qua de causa homines bellandi cu-
pidi, magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum,
& pro gloria belli atque fortitudinis, angustos se fines habere arbitraban-
tur, qui in longitudinem millia passuum CCXL. in latitudinem CLXXX. E
patebant. His rebus adducti, & authoritate Orgetorigis permoti, con-
Heluetij profectionē in Galliam parant. stituerunt ea quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare. Iumen-
torum & carrorum quàm maximum numerum coëmere, semētes quàm-
maximas facere, vt in itinere copia frumenti suppeteret: cum proxi-
mis ciuitatibus pacem & amicitiam confirmare. Ad eas res conficien-
das biennium sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem
lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi le-
Casticus Sequanus Catamantaledis F. gationem ad ciuitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico Catamàn-
taledis filio Séquano (cuius pater regnum in Séquanis multos annos
obtinuerat, & à Senatu populoque Romano amicus appellatus erat) vt F
regnum in ciuitate sua occuparet, quod pater antè habuerat: itemque
Dumnorix & Diuitiacus fratres. Dumnorigi Heduo fratri Diuitiaci (qui eo tempore principatum in ciui-
tate sua obtinebat, ac maximè plebi acceptus erat) vt idem conaretur, per-
suadet: eique filiam suam in matrimonium dat. Perfacilè factu esse illis
probat conata perficere, propterea quòd ipse suę ciuitatis imperium obten
turus esset. Non esse dubium, quin totius Galliæ plurimum Heluetij pos-
sent. se suis copijs suoq; exercitu illis regna conciliaturum confirmat. Hac
oratione adducti, inter se fidem & iusiurandum dant: & regno occupato,
per tres potentissim[illegible]irmissimos populos totius Galliæ sese potiri pos-
Mos Heluetiorum in iudicijs. se sperant. Ea res, [illegible] Heluetijs per indicium enunciata, moribus suis G
Orgetorigem ex vinculis causam dicere coëgerunt. Damnatum pœnam
sequi oportebat, vt igni cremaretur. Die constituta causæ dictionis, Or-
getorix ad iudicium omnem suam familiam ad hominum millia decem
vndique coëgit: & omnes clientes, obæratosque suos, quorum magnum
numerum habebat, eòdem conduxit. per eos ne causam diceret, se eri-
puit. Cùm ciuitas ob eam rem incitata, armis ius suum exequi conaretur,
Orgetorigis mors. multitudinemque hominum ex agris Magistratus cogerent, Orgetorix
mortuus est: neque abest suspicio, vt Heluetij arbitrantur, quin ipse sibi
2 mortem consciuerit. † Post eius mortē nihilo minùs Heluetij id quod con-
stituerant,

A ſtituerant, facere conantur, vt è finibus ſuis exeant. Vbi iam ſe ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt, oppida ſua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua priuata ædificia incendunt: frumentum omne, præterquàm quod ſecum portaturi erant, comburunt: vt domum reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent. Trium menſium molita cibaria ſibi vnumquenque domo efferre iubet. Perſuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis finitimis, vti eodem vſi conſilio, oppidis ſuis vicíſque exuſtis, vnà cum his proficiſcantur. Boioſque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnàrant, receptos ad ſe ſocios ſibi
B adſciſcunt.

Heluetij ſua oppida incendunt.

Rauraci.
Tulingi.
Latobrigi.
Boij.
Noreia.

C



A. Prouincia Romanorum.
B. Pons.
C. Rhodanus Fluuius.
D. Germania.
E. Heluetij.
F. Rhenus Fluuius.
G. Sequani.
H. Iura mons.
I. Foſſa.
K. Foſſa & murus cõſtructus à Cæſarianis.

D.

Erant omninò itinera duo, quibus itineribus domo exire poſſent: Vnum per Séquanos, anguſtum & difficile, inter montem Iuram, & flumen Rhodanum, vix quà ſinguli carri ducerentur. mons autem altiſſimus impendebat, vt facilè perpauci prohibere poſſent. Alterum per prouinciam noſtram multò faciliùs atque expeditiùs, propterea quòd inter fines Heluetiorum, & Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus
E fluit, iſque nonnullis locis vado tranſitur. Extremum oppidum Allobrogum, proximumque Heluetiorum finibus, Geneua eſt: ex eo oppido pons ad Heluetios pertinet. Allobrogibus ſeſe vel perſuaſuros, quòd nondum bono animo in populum Romanum viderentur, exiſtimabant: vel vi coacturos, vt per ſuos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. Is dies erat ad v. Calendas Aprilis, L. Piſone, Aulo Gabinio conſulibus. Cæſari cùm id nunciatum eſſet, eos per prouinciam noſtram iter facere conari, maturat ab Vrbe proficiſci, & quàm maximis poteſt itineribus in Galliam vlteriorem contendit, & ad Geneuam peruenit. pro-

Heluetiorum itinera ad exeundum.

Allobroges.
Rhodanus vadabilis.

Geneua.

Cæſar in Galliam contendit.

uinciæ toti quàm maximum poteſt militum numerum imperat. Erat F
omninò in Gallia vlteriore legio vna. Pontem qui erat ad Geneuam, iu-
Legati Heluetiorum ad Cæſarē, Numeius & Verodoctius.
bet reſcindi. Vbi de eius aduentu Heluetij certiores facti ſunt, legatos ad
eum mittunt nobiliſſimos ciuitatis: cuius legationis Numeius & Vero-
doctius principem locum obtinebant: qui dicerent ſibi eſſe in animo, ſi-
ne vllo maleficio iter per prouinciam facere, propterea quòd nullum a-
liud iter haberent: rogarentque vt eius voluntate id ſibi facere liceat. Cæ-
L. Caſſius coſ. ab Heluetijs cæſus.
Cæſaris prudentia.
ſar, quòd memoria tenebat Lucium Caſſium conſulem occiſum, exerci-
tumq; eius ab Heluetijs pulſum, & ſub iugum miſſum, concedendum non
putabat: neq; homines inimico animo, data facultate per prouinciam iti-
neris faciundi, temperaturos ab iniuria & maleficio exiſtimabat. tamen G
vt ſpatium intercedere poſſet, dum milites quos imperauerat, conueni-
rent, legatis reſpondit, diem ſe ad deliberandum ſumpturum: ſi quid vel-
lent, ad Idus Aprilis reuerterentur. Intereà ea legione quam ſecum habe-
Lacus Lemanus.
bat, militibuſq; qui ex prouincia conuenerant, à Lacu Lemano, qui in
Iura mons.
flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab
Murus miræ longitudinis.
Heluetijs diuidit, millia paſſuum decem & nouem murum in altitudinem
pedum ſedecim, foſſamq; perducit. Eo opere perfecto, præſidia diſponit,
caſtella communit, quò faciliùs, ſi ſe inuito tranſire conarentur, prohi-
bere poſſet. Vbi ea dies, quam conſtituerat cum legatis, venit, & legati ad
eum reuerterunt: negat ſe more & exemplo populi Romani poſſe iter vl- H
li per prouinciam dare: & ſi vim facere conentur, prohibiturum oſtendit.
Heluetij ea ſpe deiecti, nauibus iunctis, ratibuſq; compluribus factis, a-
lijs vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam in-
terdiu, ſæpiùs noctu, ſi perrumpere poſſent conati, operis munitione, &
militum concurſu, & telis repulſi, hoc conatu deſtiterunt. Relinquebatur
vna per Séquanos via, qua Séquanis inuitis propter anguſtias ire non pote
rant. Iis cùm ſua ſponte perſuadere non poſſent, legatos ad Dumnorigem
Dumnorix Sequanis et Heluetijs amicus.
Heduum mittunt, vt eo deprecatore à Séquanis hoc impetrarent. Dumno
rix gratia & largitione apud Séquanos plurimum poterat, & Heluetijs erat
amicus, quòd ex ea ciuitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat: I
& cupiditate regni adductus nouis rebus ſtudebat: & quàmplurimas ciui-
tates ſuo ſibi beneficio habere obſtrictas volebat. Itaque rem ſuſcipit, &
à Séquanis impetrat, vt per fines ſuos Heluetios ire patiantur, obſideſque
vti inter ſeſe dent, perficit: Séquani, ne itinere Heluetios prohibeant:
Heluetij, vt ſine maleficio & iniuria tranſeant. Cæſari renunciatur,
Heluetijs eſſe in animo per agrum Sequanorum, & Heduorum iter in
Santones.
Santonum fines facere, qui non longè à Toloſanum finibus abſunt,
Toloſates.
quæ ciuitas eſt in prouincia. Id ſi fieret, intelligebat magno cum pro-
uinciæ periculo futurum, vt homines bellicoſos populi Romani inimi-
3 cos, locis patentibus maximeque frumentarijs finitimos haberet. † Ob K
eas cauſas ei munitioni quam fecerat, Titum Labienum legatum præ-
fecit: ipſe in Italiam magnis itineribus contendit, duaſque ibi legiones
conſcribit: & treis quæ circum Aquileiam hyemabant, ex hybernis e-
ducit, & quà proximum iter in vlteriorem Galliam per Alpeis erat,
Centrones.
cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi Centrones, & Garo-
Garoceli.
celi, & Caturiges locis ſuperioribus occupatis, itinere exercitum prohi-
Caturiges.
Ocelum.
bere conantur, compluribus his prælijs pulſis, ab Ocelo, quod eſt citerioris
Vocontij.
prouinciæ extremum, in fines Vocontiorum vlterioris prouinciæ, die
Allobroges.
Sebuſiani.
ſeptimo peruenit: inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Se-
buſia-

A busianos exercitum ducit. Hi sunt extra prouinciam trans Rhodanum pri-
mi. Heluetij iam per angustias & fines Sequanorum suas copias tradu-
xerant, & in Heduorum fines peruenerant, eorumque agros populaban-
tur. Hedui cùm se suaque ab his defendere non possent, legatos ad Cæsa-
rem mittunt, rogatum auxilium: ita se omni tempore de populo Roma-
no meritos esse, vt pene in conspectu exercitus nostri, agri vastari, libe-
ri eorum in seruitutem abduci, oppida expugnari, non debuerint. Eo-
dem tempore, quo Hedui, Ambarri quoque necessarij & consangui- *Ambarri.*
nei Heduorum, Cæsarem certiorem faciunt, sese depopulatis agris non
facilè ab oppidis vim hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans *Allobroges ad Cæsa-*
B Rhodanum vicos possessionesque habebant, fuga se ad Cæsarem reci- *rem confugiunt.*
piunt, & demonstrant sibi præter agri solum nihil esse reliqui. Quibus
rebus adductus Cæsar, non expectandum sibi statuit dum omnibus for-
tunis sociorum consumptis, in Santones Heluetij peruenirent. Flu-
men est Arar, quod per fines Heduorum & Sequanorum in Rhodanum *Arar fl.*
influit incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudica-
ri non possit. Id Heluetij ratibus ac lintribus iunctis transibant. Vbi
per exploratores Cæsar certior factus est, treis iam copiarum parteis Hel-
uetios id flumen traduxisse, quartam ferè partem citra flumen Ararim
reliquam esse: de tertia vigilia cum legionibus tribus è castris profe-
C ctus, ad eam partem peruenit, quæ nondum flumen transierat. Eos *Heluetiorum cædes.*
impeditos, & inopinanteis aggressus, magnam partem eorum conci-
dit: reliqui sese fugæ mandârunt, atque in proximas syluas abdiderunt.
Is pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis ciuitas Heluetia in qua- *Tigurinus pagus.*
tuor pagos diuisa est. Hic pagus vnus, quum domo exisset, patrûm no- *Heluetia omnis ciui-*
strorum memoria L. Cassium Consulem interfecerat, & eius exercitum *tas in 4. pagos diui-sa.*
sub iugum miserat. Ita siue casu, siue consilio deorum immortalium, *L. Cassij Cos. mors.*
quæ pars ciuitatis Heluetiæ insignem calamitatem populo Romano in-
tulerat, ea princeps pœnas persoluit. Qua in re Cæsar non solùm pu-
blicas, sed etiam priuatas iniurias vltus est, quòd eius soceri L. Pisonis
D auum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem prælio, quo Cassium, inter- *L. Pisonis legati*
fecerant. Hoc prælio facto, reliquas copias Heluetiorum vt consequi pos- *mors.*
set, pontem in Arare faciendum curat: atque ita exercitum traducit. Hel- *Pons in Arare.*
uetij repentino eius aduentu commoti, cùm id quod ipsi diebus x x.
ægerrimè confecerant, vt flumen transirent, Cæsarem vno die fecisse in-
telligerent, legatos ad eum mittunt: cuius legationis Diuico princeps *Diuico legatus Hel-*
fuit, qui bello Cassiano dux Heluetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare e- *uetiorum ad Cæsa-rem.*
git: si pacem populus Romanus cum Heluetijs faceret, in eam partem
ituros, atque ibi futuros Heluetios, vbi eos Cæsar constituisset, atque
esse voluisset. Sin bello persequi perseueraret, reminisceretur & vete-
E ris incommodi populi Romani, & pristinæ virtutis Heluetiorum. Quòd
improuisò vnum pagum adortus esset, cùm hi qui flumen transissent,
suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suæ magnoperè virtu-
ti tribueret, aut ipsos despiceret. Se ita à patribus maioribusque suis di-
dicisse, vt magis virtute, quàm dolo contenderent, aut insidijs niterentur.
Quare ne committeret, vt is locus vbi constitissent, ex calamitate popu-
li Romani, & internecione exercitus, nomen caperet, aut memoriam
proderet. His Cæsar ita respondit, Eò sibi minùs dubitationis dari, quòd *Cæsaris responsum.*
eas res, quas legati Heluetij commemorâssent, memoria teneret: atque
eò grauius ferre, quo minùs merito populi Romani accidissent: qui si


alicuius iniuriæ ſibi conſcius fuiſſet, non fuiſſe difficile cauere: ſed eò de- F
ceptum, quòd neque commiſſum à ſe intelligeret quare timeret, neque
ſine cauſa timendum putaret. Quòd ſi veteris contumeliæ obliuiſci vel-
let: num etiam recentium iniuriarum, quòd eo inuito, iter per prouin-
ciam per vim tentâſſent, quòd Heduos, quòd Ambarros, quòd Allobro-
ges vexâſſent, memoriam deponere poſſet? Quòd ſua victoria tam in-
ſolenter gloriarentur, quodque ſe tandiù impunè tuliſſe iniurias admi-
Secundis diu rebus impunè uti ſceleratos cur dij permittant.
rarentur, eòdem pertinere. Conſuêſſe enim deos immortales, quò gra- „
uiùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum „
vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunita- „
tem concedere. Cùm ea ita ſint: tamen ſi obſides ab his ſibi dentur, vti ea G
quæ polliceantur, facturos intelligat, & ſi Heduis de iniurijs, quas ipſis
ſocijſque eorum intulerint, item ſi Allobrogibus ſatisfaciant, ſeſe cum
Heluetij obſides accipere, non dare ſoliti.
his pacem eſſe facturum. Diuico reſpondit, ita Heluetios à maioribus ſuis
inſtitutos eſſe, vti obſides accipere, non dare conſueuerint: eius rei popu-
lum Romanum eſſe teſtem. Hoc reſponſo dato, diſceſſit. Poſtero die ca-
ſtra ex eo loco mouent. Idem Cæſar facit: equitatumque omnem ad nu-
merum quatuor millium, quem ex omni prouincia & Heduis, atque eo-
rum ſocijs coactum habebat, præmittit, qui videant, quas in parteis ho-
ſtes iter faciant. Qui cupidiùs nouiſſimum agmen inſecuti, alieno loco
cum equitatu Heluetiorum prælium committunt. & pauci de noſtris ca- H
dunt. Quo prælio ſublati Heluetij, quòd quingentis equitibus tantam
multitudinem equitum propulerant, audaciùs ſubſiſtere, nonnunquam
ex nouiſſimo agmine prælio noſtros laceſſere cœperunt. Cæſar ſuos à præ-
lio continebat, ac ſatis habebat, in præſentia hoſtem rapinis populatio-
nibuſque prohibere. Ita dies circiter x v. iter fecerunt, vti inter nouiſſi-
mum hoſtium agmen, & noſtrum primum, non ampliùs quinis aut ſe-
4 nis millibus paſſuum intereſſet.† Interim quotidiè Cæſar Heduos frumen
tum quod eſſent publicè polliciti, flagitare. Nam propter frigora, quòd
Gallia ſub Septentrionibus poſita.
Gallia ſub Septentrionibus, vt antè dictum eſt, poſita eſt, non modò fru-
menta in agris matura non erant, ſed ne pabuli quidem ſatis magna co- I
pia ſuppetebat. Eo autem frumento, quod flumine Arare nauibus ſubue-
xerat, propterea minùs vti poterat, quòd iter ab Arare Heluetij auerterant,
à quibus diſcedere nolebat. Diem ex die ducere Hedui: conferri, com-
portari, adeſſe, dicere. Vbi ſe diutiùs duci intellexit Cæſar, & diem inſta-
re, quo die frumentum militibus metiri oporteret: conuocatis eorum
principibus, quorum magnam copiam in caſtris habebat, in his Diuitia-
Vergobretus magiſtratus Heduorum.
co & Liſco, qui ſummo magiſtratui præerant (quem Vergobretum ap-
pellant Hedui, qui creatur annuus, & vitæ neciſque in ſuos habet pote-
ſtatem) grauiter eos accuſat, quòd cùm neque emi, neque ex agris ſu-
mi poſſet, tam neceſſario tempore, tam propinquis hoſtibus, ab his non K
ſubleuetur, præſertim cùm magna ex parte eorum precibus adductus, bel-
lum ſuſceperit. multò etiam grauiùs, quòd ſit deſtitutus, queritur. Tum
Liſci ad Cæſarem verba.
demùm Liſcus oratione Cæſaris adductus, quod anteà tacuerat, propo-
nit eſſe nonnullos, quorum authoritas apud plebem plurimùm valeat,
qui priuatim plus poſſint, quàm ipſi Magiſtratus. hos ſeditioſa atque im-
proba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod
præſtare debeant. Si iam principatum Galliæ obtinere non poſſent, Gal-
lorum quàm Romanorum imperia præferre: neque dubitare debeant,
quin ſi Heluetios ſuperauerint Romani, vnà cum reliqua Gallia Heduis
liber-

A libertatem ſint erepturi. Ab iiſdem noſtra conſilia, quæq; in caſtris gerantur, hoſtibus enunciari. Hos à ſe coerceri non poſſe: quinetiam quòd neceſſariam rem coactus Cæſari enunciârit, intelligere ſeſe quanto id cum periculo fecerit: & ob eam cauſam quandiu potuerit, tacuiſſe. Cæſar hac oratione Liſci Dumnorigem Diuitiaci fratrem deſignari ſentiebat: ſed quòd pluribus præſentibus eas res iactari nolebat, celeriter concilium dimittit: Liſcum retinet: quærit ex ſolo ea quæ in conuentu dixerat. dicit liberiùs, atque audaciùs. Eadem ſecretò ab aliis quærit: reperit eſſe vera: ipſum eſſe Dumnorigem ſumma audacia, magna apud plebem propter liberalitatem gratia: cupidum nouarum rerum, compluréis annos porto- *Dumnorigis audacia, & mores.*
B ria reliquáque omnia Heduorum vectigalia paruo precio redempta habere, propterea quòd illo licente contra liceri audeat nemo. his rebus & ſuam rem familiarem auxiſſe, & facultates ad largiendum magnas comparâſſe: magnum numerum equitatus ſuo ſumptu ſemper alere, & circum ſe habere: neque ſolùm domi, ſed etiam apud finitimas ciuitates largiter poſſe: atque huius potentiæ cauſa matrem in Biturigibus homini illic nobiliſſimo ac potentiſſimo collocâſſe: ipſum ex Heluetiis vxorem habere: ſororem ex matre, & propinquas ſuas nuptum in alias ciuitates collocâſſe: fauere & cupere Heluetiis, propter eam affinitatem: odiſſe etiam ſuo nomine Cæſarem & Romanos, quòd eorum aduentu po-
C tentia eius ſit imminuta, & Diuitiacus frater in antiquum locum gratiæ atque honoris ſit reſtitutus. Si quid accidat Romanis, ſummam in ſpem regni obtinendi per Heluetios venire: Imperio populi Roman. non modò de regno, ſed etiam de ea quam habeat gratia deſperare. Reperiebat etiam Cæſar inquirendo, initium fugæ prælii equeſtris aduerſi paucis antè diebus, à Dumnorige atque eius equitibus factum eſſe (nam equitatui quem auxilio Cæſari Hedui miſerant, Dumnorix præerat) eorumq; fuga reliquum eſſe equitatum perterritum. Quibus rebus cognitis, cùm ad has ſuſpiciones certiſſimæ res accederent, quòd per fines Sequanorum Heluetios traduxiſſet, quòd obſides inter eos dandos curâſſet, quòd ea
D omnia non modò iniuſſu ſuo, & ciuitatis, ſed etiam inſcientibus ipſis feciſſet, quòd à magiſtratu Heduorum accuſaretur: ſatis eſſe cauſæ arbitrabatur, quare in eum aut ipſe animaduerteret, aut ciuitatem animaduertere iuberet. His omnibus rebus vnum repugnabat, quòd Diuitiaci fratris ſummum in populum Romanum ſtudium, ſummam in ſe volunta- *Diuitiaci ſtudium erga Romanos.*
tem, egregiam fidem, iuſtitiam, temperantiam cognouerat. Nam ne eius ſupplicio, Diuitiaci animum offenderet, verebatur. Itaque priuſquàm quicquam conaretur, Diuitiacum ad ſe vocari iubet, & quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troacillum principem Galliæ prouinciæ, familiarem ſuum, cui ſummam rerum omnium fidem habebat, cum *C. Val. Troacillus.*
E eo colloquitur: ſimul commonefacit quæ ipſo præſente in cōcilio Gallorum de Dumnorige ſint dicta, & oſtendit quæ ſeparatim quiſq; de eo apud ſe dixerit. petit atq; hortatur, vt ſine eius offenſione animi, vel ipſe de eo cauſa cognita ſtatuat, vel ciuitatem ſtatuere iubeat. Diuitiacus multis cū lachrymis Cæſarem complexus, obſecrare cœpit ne quid grauius in fratrē *Diuitiaci apud Cæſarem pro fratre interceſſio.*
ſtatueret: ſcire ſe illa eſſe vera, nec quenquam ex eo plus quàm ſe doloris capere, propterea quòd cùm ipſe gratia plurimum domi, atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adoleſcentiam poſſet, per ſe creuiſſet, quibus opibus ac neruis non ſolùm ad minuendam gratiam, ſed penè ad perniciem ſuam vteretur: ſeſe tamen & amore fraterno, & exiſti-

matione vulgi commoueri, quòd si quid ei à Cæsare grauiùs accidisset, F
cùm ipse eum locum amicitiæ apud eum teneret, neminem existimatu-
rum non sua voluntate factum: qua ex re futurum, vti totius Galliæ ani-
mi à se auerterentur. Hæc cùm pluribus verbis flens à Cæsare peteret,
Cæsar eius dexteram prehendit: consolatus rogat finem orandi faciat. tan-
ti eius apud se gratiam esse ostendit, vti & Reipublicæ iniuriam, & suum
Dumnorigi Cæsar ignoscit. dolorem eius voluntati ac precibus condonet. Dumnorigem ad se vocat,
fratrem adhibet. quæ in eo reprehendat, ostendit: quæ ipse intelligat, quæ
ciuitas queratur, proponit: monet vt in reliquum tempus omneis suspi-
ciones vitet. præterita se Diuitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi
5 custodes ponit, vt quæ agat, quibus cum loquatur, scire possit. † Eodem G
die ab exploratoribus certior factus hostes sub monte consedisse millia
passuum ab ipsius castris octo: qualis esset natura montis, & qualis in cir-
cuitu ascensus, qui cognoscerent misit. Renunciatum est facilem esse. De
T. Labienus legatus. tertia vigilia T. Labienum legatum properè cum duabus legionibus, &
iisdem ducibus qui iter cognouerant, summum iugum montis ascen-
dere iubet. quid sui consilij sit, ostendit. Ipse de quarta vigilia eodem
itinere quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatúmque omnem ante
P. Considius. se mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, quíque
in exercitu L. Syllæ, & posteà in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus
præmittitur. Prima luce, cùm summus mons à T. Labieno teneretur, H
ipse ab hostium castris non longiùs mille & quingentis passibus abesset,
neque (vt posteà ex captiuis comperit) aut ipsius aduentus, aut Labieni
cognitus esset, Considius equo admisso ad eum accurrit: dicit montem
quem à Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri. id se à Gallicis
armis atque insignibus cognouisse. Cæsar suas copias in proximum col-
lem subducit, aciem instruit. Labienus, vt erat ei præceptum à Cæsare,
ne prælium committeret, nisi ipsius copiæ prope hostium castra visæ es-
sent, vt vndique vno tempore in hosteis impetus fieret, monte occupato
nostros expectabat, prælioq; abstinebat. Multo denique die per explo-
ratores Cæsar cognouit, & montem à suis teneri, & Heluetios castra mo- I
Explorator falsa renuncians. uisse, & Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso si-
bi renunciâsse. Eo die, quo consuêrat interuallo hosteis sequitur, & mil-
lia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Postridie eius diei, quòd
omnino biduum supererat cùm exercitui frumentum metiri oporteret, &
Bibracte oppid. Heduorum. quòd à Bibracte oppido Heduorum longè maximo ac copiosissimo, non
ampliùs millibus passuum XVIII. aberat, rei frumentariæ prospicien-
dum existimauit: & iter ab Heluetijs auertit, ac Bibracte ire contendit.
L. Aemylius decurio equitum Gallorum. Ea res per fugitiuos L. Aemylij decurionis equitum Gallorum, hostibus
nunciatur. Heluetij, seu quòd timore perterritos Romanos discedere à
se existimarent, eò magis, quòd pridie superioribus locis occupatis præ- K
lium non commisissent, siue eò quòd re frumentaria intercludi posse con-
fiderent, commutato consilio, atque itinere conuerso, nostros à nouis-
simo agmine insequi ac lacessere cœperunt. Postquàm id animaduertit,
copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatúmque, qui su-
stineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem
aciem instruxit legionum quatuor veteranorum, ita vti supra se in sum-
mo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proximè conscripserat, &
omnia auxilia collocârit, ac totum montem hominibus complerit. In-
terea sarcinas in vnum locum conferri, & eum ab his qui in superiore acie
consti-

A constiterant, muniri iussit. Heluetij cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in vnum locum contulerunt: ipsi confertissima acie reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt. Cæsar primum suo, deinde omnium, è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit. Milites è loco superiore pilis missis facilè hostium phalangem perfregerunt. ea disiecta, gladijs districtis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quòd pluribus eorum scutis vno ictu pilorum transfixis, & colligatis, cùm ferrum se inflexisset, neq; euellere, neq; sinistra impedita, satis cómodè pugnare poterant: mul- *Cæsaris cum Heluetijs prælium.*
B ti vt diu iactato brachio, præoptarent scutum manu emittere, & nudo corpore pugnare. tandem vulneribus defessi, & pedem referre, & quòd mons suberat circiter mille passuum, eò se recipere cœperũt. Capto monte, & succedentibus nostris, Boij & Tulingi, qui hominum millibus circiter xv. agmen hostium claudebant, & nouissimis præsidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi circunuenêre. Id conspicati Heluetij, qui in montem sese receperant, rursus instare, & prælium redintegrare cœperunt. Romani conuersa signa bipartitò intulerunt, prima ac *Boij. Tulingi.*

C



D

E

A. Boij & Tulingi qui exitine re Romanos latere aperto aggrediebantur.
B. Romani qui cõuersa signa bipartitò inferunt.
C. Prima acies.
D Secũda acies.
E. Carri & impedimenta Heluetiorum.
F. Collis in quo Cæsar acié instruxit.
G. Mons in quẽ Heluetij reiecti se receperunt.
H. Tertia acies.

secunda acies vt victis ac summotis resisteret, tertia vt venientes sustineret. ita ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est. diutiùs cùm sustinere nostrorum impetum non possent, alteri se (vt cœperant) in montem receperunt, alteri ad impedimenta & carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prælio cùm ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, auersum hostem videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quòd pro vallo carros obiecerant, & è loco superiore in nostros venientes tela conijciebant, & nonnulli inter carros rotasque, mazaras ac tragulas subijciebant, nostrósque *Heluetiorũ feritas.*

que vulnerabant. Diu cùm esset pugnatum, impedimentis castrísque F
nostri potiti sunt. ibi Origetorigis filia, atque vnus è filijs captus est.
Fuga per nox. Ex eo prælio circiter hominum millia c x x x. superfuerunt, eaque tota
nocte continenter ierunt, nullam partem noctis itinere intermisso. in
Lingones. fines Lingonum die quarto peruenerunt, cùm & propter vulnera mili-
tum, & propter sepulturam occisorum nostri triduum morati, eos se-
6 qui non potuissent. † Cæsar ad Lingones literas nunciosque misit, ne eos
frumento, néue alia re iuuarent: qui si iuuissent, se eodem loco illos,
quo Heluetios, habiturum. Ipse triduo intermisso, cum omnibus co-
Legati Heluetiorum ad Cæsarē de deditione. pijs eos sequi cœpit. Heluetij omnium rerum inopia adducti, legatos
de deditione ad eum miserunt. Qui cùm eum in itinere conuenissent, G
séque ad pedes proiecissent, suppliciterque locuti, flentes pacem petis-
sent, atque eos in eo loco quo tum essent, suum aduentum expectare
iussisset, paruerunt. Eò postquàm Cæsar peruenit, obsides, arma, ser-
uos qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur, & con-
feruntur, nocte intermissa, circiter hominum millia sex eius pagi qui
Verbigenus pagus. Verbigenus appellatur, siue timore perterriti, ne armis traditis supplicio
afficerentur: siue spe salutis inducti, quòd in tanta multitudine dediti-
tiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existima-
rent, prima nocte ex castris Heluetiorum egressi, ad Rhenum finesque
Germanorum contenderunt. Quod vbi Cæsar resciuit: quorum per H
fines ierant, his vti conquirerent, & reducerent, si sibi purgati esse vel-
lent, imperauit. Reductos in hostium numero habuit: reliquos omnes,
obsidibus, armis, pérfugis traditis, in deditionem accepit. Heluetios,
Tulingi. Latobrigi. Tulingos, Larobrigos, in fines suos vnde erant profecti, reuerti iussit:
& quòd omnibus frugibus amissis, domi nihil erat quo famem tolera-
rent, Allobrogibus imperauit vt his frumenti copiam facerent: ipsos
oppida vicosque quos incenderant, restituere iussit. Id ea maximè ra-
tione fecit, quòd noluit eum locum vnde Heluetij discesserant, vaca-
re: ne propter bonitatem agrorum, Germani qui trans Rhenum inco-
lunt, è suis finibus in Heluetiorum fines transirent, & finitimi Galliæ I
Boij Heduis attributi. prouinciæ Allobrogibusque essent. Boios petentibus Heduis, quòd
egregia virtute erant cogniti, vt in finibus suis collocarent, concessit:
quibus illi agros dederunt, eósque posteà in parem iuris libertatisque
Tabulæ Græcæ in Heluetiorum castris repertæ, eorundem numerum continentes. conditionem atque ipsi erant, receperunt. In castris Heluetiorum ta-
bulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ, & ad Cæsarem perlatæ, qui-
bus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset
eorum qui arma ferre possent, & item separatim pueri, senes, mulierés-
que: quarum omnium rerum summa erat, capitum Heluetiorum mil-
lia c c l x i i i. Tulingorum millia x x x v i. Latobrigorum x i i i i.
Rauracorum x x i i i. Boiorum x x x i i. Ex his qui arma ferre possent, K
ad millia x c i i. Summa omnium fuerunt ad millia c c c l x v i i i. Eo-
rum qui domum redierunt censu habito, vt Cæsar imperauerat, reper-
7 tus est numerus millium c. & x. † Bello Heluetiorum confecto, totius
Galliæ principes Cæsari gratulantur. ferè Galliæ legati principes ciuitatum ad Cæsarem gratulatum conue-
nerunt: intelligere sese, tametsi pro veteribus Heluetiorum iniurijs po-
pulus Romanus ab his pœnas bello repetisset, tamen eam rem non mi-
nùs ex vsu terræ Galliæ, quàm populi Romani accidisse, propterea quòd
eo consilio florentissimis rebus domos suas Heluetij reliquissent, vti to-
ti Galliæ bellum inferrent, imperioque potirentur, locumque domici-
lio

A lio ex magna copia deligerent quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum iudicâssent, reliquasq; ciuitates stipendiarias haberent.
Petiérunt vti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idque *Concilium Gallorũ.*
Cæsaris voluntate facere liceret. Sese habere quasdam res, quas è communi consensu ab eo petere vellent. Ea re permissa, diem concilio constituerunt, & iureiurando ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt. Eo concilio dimisso, ijdem principes ciuitatum qui antè fuerant, ad Cæsarem reuerterunt, petieruntq; vti sibi secretò & in occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret.
Ea re impetrata, sese omnes flentes Cæsari ad pedes proiecerunt: Non mi- *Principes Gallorum*
B nùs se id contendere & laborare, ne ea quæ dixissent, enũciarentur, quàm *ad pedes Cæsaris.*
vti ea quæ vellent, impetrarent: propterea quòd si enunciatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent. Locutus est pro his Diuitia- *Factiones Gallorum*
cus Heduus, Galliæ totius factiones esse duas. Harum alterius princi- *duæ.*
patum tenere Heduos, alterius Aruernos. Hi cùm tantopere de potenta- *Heduorum & Aruernorum cõtentiones.*
tu inter se multos annos contenderent, factum esse vti ab Aruernis Séquanisq; Germani mercede accerserentur. Horum primò circiter mil- *Germani mercede in*
lia quindecim Rhenum transisse. posteaquàm agros & cultum & copias *Galliam accersiti,*
Gallorum homines feri ac barbari adamâssent, traductos plures: nunc *bonam eius partem occupârunt.*
esse in Gallia ad c. & x x. millium numerum. Cum his Heduos * co- ** eorumq; ditionis*
C rumque clientes semel atque iterum armis contendisse, magnam calami- *homines semel, & c.*
tatem pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse. Quibus prælijs calamitatibusque fractos, qui & sua virtute, & populi Rom. hospitio atque amicitia plurimum antè in Gallia *Heduorum à Ger-*
potuissent, coactos esse Séquanis obsides dare nobilissimos ciuitatis, & *manis victorum mi-*
iureiurando ciuitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque *sera seruitus.*
auxilium à Populo Roma. imploraturos, neque recusaturos quo minùs perpetuò sub illorum ditione atque imperio essent. Vnum se esse ex omni ciuitate Heduorum, qui adduci non potuerit vt iuraret, aut suos liberos obsides daret. Ob eam rem se ex ciuitate profugisse, & Romam ad Sena-
D tum venisse auxilium postulatum, quòd solus neque iureiurando neque obsidibus teneretur. Sed peius victoribus Séquanis, quàm Heduis *Séquanorum miseria.*
victis accidisse: propterea quòd Ariouistus Rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiamq; partem agri Séquani, qui esset optimus to- *Ariouistus Rex Germanorum crudelissimus.*
tius Galliæ, occupâsset, & nunc de altera parte tertia Séquanos decedere iuberet, propterea quòd paucis mensibus antè, Harudum millia homi- *Séquanus ager optimus totius Galliæ.*
num vigintiquatuor ad eum venissent, quibus locus ac sedes pararentur. *Harudes pop.*
futurum esse paucis annis, vti omnes è Galliæ finibus pellerentur, atque *Gallicus ager autem*
omnes Germani Rhenum transirent. Neque enim conferendum esse *mos cum Germanorum non comparandus.*
Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus
E cum illa comparandam. Ariouistum autem, vt semel Gallorum copias prælio vicerit, quod prælium factum sit ad Magetobriæ, superbè & cru- *Magetobria oder.*
deliter imperare, obsides nobilissimi cuiusque liberos poscere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit. hominem esse barbarum, iracundum, temerarium. non posse eius imperia diutiùs sustineri. Nisi quid in Cæsare populoq; Ro. sit auxilij, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Heluetij fecerint, vt domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes remotas à Germanis petant, fortunamq;, quæcunq; accidat, experiãtur. Hæc si enunciata Ariouisto sint, non dubitare, quin de omnib. obsidib. qui apud eum sint, grauissimũ suppliciũ sumat.

ſumat. Cæſarem vel authoritate ſua atq; exercitus, vel recenti victoria, vel F
nomine populi Rom. deterrere poſſe, ne maior multitudo Germanorum
Rhenum traducatur: Galliamq; omnem ab Ariouiſti iniuria poſſe defen-
dere. Hac oratione à Diuitiaco habita, omnes qui aderant, magno fletu au
xilium à Cæſare petere cœperunt. Animaduertit Cæſar vnos ex omnibus
Séquanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent, ſed triſtes capite
Sequanorum demiſſus animus. demiſſo terram intueri. Eius rei quæ cauſa eſſet, miratus, ex ipſis quæſiuit.
Nihil Séquani reſpondere, ſed in eadem triſtitia taciti permanere. Cùm
ab his ſæpius quæreret, neque vllam omnino vocem exprimere poſſet: idē
Diuitiacus Heduus reſpondit, hoc eſſe miſeriorem & grauiorem fortu- G
nam Séquanorum, quam reliquorum, quòd ſoli ne in occulto quidem
queri, nec auxilium implorare auderent, abſentisq; Ariouiſti crudelita-
tem, velut ſi coràm adeſſet, horrerent, propterea quòd reliquis tantùm fu-
gæ facultas daretur: Sequanis verò, qui intra fines ſuos Ariouiſtum rece-
piſſent, quorumq; oppida omnia in poteſtate eius eſſent, omnes cruciatus
Cæſar Gallos conſolatur. eſſent perferendi. His rebus cognitis Cæſar Gallorum animos verbis con-
firmauit, pollicitusq; eſt eam rem curæ ſibi futuram. magnam ſe habere
ſpem, & beneficio ſuo & authoritate adductum Ariouiſtum, finem iniu-
rijs facturum. Hac oratione habita concilium dimiſit. Et ſecundum ea
multæ res eum hortabantur, quare ſibi eam rem cogitandam & ſuſcipien- H
Hedui fratres et conſanguinei ab Senatu appellati. dam putaret: in primis quòd Heduos fratres conſanguineosq; ſæpenu-
mero ab Senatu appellatos, in ſeruitute atque in ditione videbat Germa-
norum teneri, eorumque obſides eſſe apud Ariouiſtum ac Séquanos in-
telligebat: quod in tanto imperio populi Roma. turpiſſimum ſibi & Rei-
publicæ eſſe arbitrabatur. Paulatim autem Germanos conſueſcere Rhe-
num tranſire, & in Galliam magnam eorum multitudinem venire, popu-
lo Rom. periculoſum videbat: neque ſibi homines feros ac barbaros ob-
temperaturos exiſtimabat, quin cum omnem Galliam occupâſſent, vt an-
Cimbri. tè Cimbri Teutoniq; feciſſent, in prouinciam exirent, atque inde in Ita-
Teutoni. liam contenderent, præſertim cum Séquanos à prouincia noſtra Rhoda- I
nus diuideret. Quibus rebus quammaturrimè occurrendum putabat. Ipſe
autem Ariouiſtus tantos ſibi ſpiritus, tantam arrogantiam ſumpſerat, vt
8 ferēdus non videretur.† Quamobrem placuit ei vt ad Ariouiſtum legatos
Cæſaris legati ad Ariouiſtum. mitteret, qui ab eo poſtularent, vt aliquem locum medium vtriuſq; collo-
quio deligeret, velle ſeſe de Republica & ſummis vtriuſque rebus cum eo
Ariouiſti reſponſum ad Cæſarem. agere. Ei legationi Ariouiſtus reſpondit, ſi quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſe-
ſe ad eum venturum fuiſſe: ſi quid ille à ſe velit, illum ad ſe venire oporte-
re. Præterea ſe neque ſine exercitu in eas partes Galliæ venire audere, quas
Cæſar poſſideret: neque exercitum ſine magno commeatu atque emolu-
Emolumento .i. impēdio ſeu detrimento. mento in vnum locum contrahere poſſe. Sibi autem mirum videri, quid K
in ſua Gallia, quam bello viciſſet, aut Cæſari, aut omnino populo Roma.
negocij eſſet. His reſponſis ad Cæſarem relatis, iterum ad eum Cæſar lega-
tos cum his mandatis mittit: quoniam tanto ſuo populiq; Rom. benefi-
cio affectus, cum in conſulatu ſuo rex atque amicus à Senatu appellatus eſ-
ſet, hanc ſibi populoq; Rom. gratiam referret, vt in colloquium venire in-
uitatus grauaretur, neque de communi re dicendum ſibi & cognoſcen-
Cæſaris poſtulata ab Arioiuſto. dum putaret, hæc eſſe quæ ab eo poſtularet: Primùm, ne quam multitu-
dinem hominum ampliùs trans Rhenum in Galliam traduceret: deinde
obſides quos haberet ab Heduis, redderet, Séquaniſq; permitteret vt quos
illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret: néue Heduos iniuria la-
ceſſeret,

A cesseret, néue his socijsq; eorum bellum inferret. Si id ita fecisset, sibi populoq; Romano perpetuam gratiam atq; amicitiam cum eo futuram: si id nõ impetraret, sese (quoniam M. Messala, M. Pisone consulibus Senatus censuisset, vti quicunq; Galliam prouinciam obtineret, quod commodo Reipub. facere posset, Heduos, cæterosq; amicos populi Romani defenderet) Heduorum iniurias non neglecturum. Ad hæc Ariouistus respondit, ius esse belli, vt qui vicissent, ijs quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: item, populum Romanum victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse. Si ipse populo Rom. non præscriberet quemadmodum suo iure vteretur, non oportere se à populo Ro-

Ariouisti respõsum. Belli ius.

B mano in suo iure impediri. Heduos sibi, quoniam belli fortunam tentâssent, & armis congressi ac superati essent, stipendiarios esse factos. Magnam Cæsarem iniuriam facere, qui suo aduentu vectigalia sibi deteriora faceret. Heduis obsides se redditurum non esse: neque ijs neque eorum socijs iniuria bellum illaturum, si in eo manerent quod conuenisset, stipendiumque quotannis penderent. Si id non fecissent, longè ab his fraternum nomen populi Romani abfuturum. Quòd sibi Cæsar denunciaret, se Heduorum iniurias non neglecturum, neminem secum sine sua pernicie contendisse: cùm vellet, congrederetur. Intellecturum quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra annos XIIII. tectum

Hedui Ariouisto tributarÿ.

Germani 14. annos tecta non subeuntes.

C non subissent, virtute possent. Hæc eodem tempore Cæsari mandata referebantur, & legati ab Heduis & à Treuiris veniebant: Hedui questum, quòd Harudes (qui nuper in Galliam transportati essent) fines eorum popularentur: sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariouisti redimere potuisse. Treuiri autem, pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur: his præesse Nasuam & Cimberium fratres. Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimauit: ne si noua manus Sueuorum cum veteribus copijs Ariouisti sese coniunxisset, minùs facilè resisti posset. Itaque re frumentaria

Hedui de Harudibus conqueruntur apud Cæsarẽ, Treuiri de Sueuis.

Nasua & Cimberius Sueuorum imperatores.

D quàm celerrimè potuit comparata, magnis itineribus ad Ariouistum contendit. † Cùm tridui viam processisset, nunciatum est ei Ariouistum cum suis omnibus copijs ad occupandum Vesontionem (quod est oppidum maximum Sequanorum) contendere, triduique viam à suis finibus processisse. Id ne accideret, magnoperè sibi præcauendum Cæsar existimabat. Nanque omnium rerum quæ ad bellum vsui erant, summa erat in eo oppido facultas: idque natura loci sic muniebatur, vt magnam ad ducendum bellum daret facultatem, proptereà quòd flumen *Alduasdalis vt circino circunductum penè totum oppidum cingit: reliquum spacium, quod est non amplius pedum sexcentorum quà flumen inter-

9

Vesontio opp.

Alduasdalis fluuius

** aliàs, Alduabis, vel, Alduasdubis.*

E mittit, mons continet magna altitudine, ita vt radices eius montis ex vtraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circundatus arcem efficit, & cum oppido coniungit. Huc Cæsar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit: occupatóque oppido, ibi præsidium collocat. Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatusque causa moratur, ex percontatione nostrorum, vocibúsque Gallorum, ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicabant, & sæpenumero sese cum his congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse: tantus subitò timor omnem exercitum occupauit, vt non mediocriter omnium mentes animósque perturba-

Vesontionem oppid. Cæsar occupat.

Germanorum virtus.

Vesontionis oppidi Scenographia.



F G H

Romanorum militū trepidatio.

ret. Hic primum ortus est a Tribunis militum, ac Præfectis, reliquisq; qui ex Vrbe amicitiæ causa Cæsarem ſequuti, non magnum in re militari vſum habebant: quorum alius alia cauſa illata, quam ſibi ad proficiſcendum neceſſariam eſſe diceret, petebat vt eius voluntate diſcedere liceret. Nonnulli pudore adducti, vt timoris ſuſpicionem vitarent, remanebant. Hi neque vultum fingere, neque interdum lachrymas tenere poterant. Abditi in tabernaculis, aut ſuum fatum querebantur, aut cum familiaribus ſuis com-

Teſtamenta pauore condunt Cæſariani milites.

mune periculum miſerabantur. Vulgò totis caſtris teſtamenta obſignabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam hi qui magnum in I
caſtris vſum habebant, milites, centurionéſque, quique equitatui præerant, perturbabantur. Qui ſe ex his minùs timidos exiſtimari volebant, non ſe hoſtem vereri, ſed anguſtias itineris, & magnitudinem ſyluarum quæ inter eos atque Ariouiſtum intercederent, aut rem frumentariam, vt ſatis commodè ſupportari poſſet, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæſari renunciabant, cùm caſtra moueri, ac ſigna ferri iuſſiſſet, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem ſigna laturos. Hæc cùm animaduertiſſet Cæſar, conuocato concilio, omniúmque ordinum ad id concilium adhibitis centurionibus, vehementer eos incu-

Cæſar milites ſuos vehementer incuſat.

ſauit: Primùm, quòd aut quam in partem, aut quo conſilio ducerentur, ſibi quærendum aut cogitandum putarent. K
Ariouiſtum ſe Conſule cupidiſſimè populi Romani amicitiam appetiſſe: cur igitur hunc tàm temerè quiſquam ab officio diſceſſurum iudicaret? Sibi quidem perſuaderi, cognitis ſuis poſtulatis, atque æquitate conditionis perſpecta, eum neque ſuam, neque populi Romani gratiam repudiaturum. Quod ſi furore atque amentia impulſus, bellum intuliſſet, quid tandem vererentur? aut cur de ſua virtute, aut de ipſius diligentia deſperarent? Factum eius ho-

Cimbri & Teutoni à Mario pulſi.

ſtis periculum patrum noſtrorum memoria, quum Cimbris & Teutonis à C. Mario pulſis, non minorem laudem exercitus, quàm ipſe imperator

A perator meritus esse videbatur. Factum etiam nuper in Italia seruili tumul-
tu, quos tamen aliquis vsus, ac disciplina quam à nobis accepissent, suble-
uaret. Ex quo iudicari posse, quantum haberet in se boni constantia: *Constantia bonum.*
propterea quòd quos aliquandiu inermes sine causa timuissent, hos post-
eà armatos ac victores superâssent. ac denique Germanos hos, eosdem *Germani ab Heluetijs victi.*
esse scirent illos, quibus cum sæpenumerò Heluetij congressi, non solùm
in suis, sed etiam in illorum finibus plerunque superârint, qui tamen pares
esse nostro exercitui non potuerint. Si quos aduersum prælium & fuga *Gallos victos ab Ariouisto excusat.*
Gallorum commoueret, hos, si quærerent, reperire posse, diuturnitate bel-
li defatigatis Gallis, Ariouistum cùm multos menses castris se ac paludi-
B bus tenuisset, neque sui potestatem fecisset, desperantes iam de pugna &
dispersos subitò adortum, magis ratione & consilio quàm virtute vicisse.
Cui rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hac
ne ipsum quidem sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum timo-
rem in rei frumentariæ simulationem, angustiásque itineris conferrent,
facere arroganter, cùm aut de officio imperatoris desperare, aut ei præ-
scribere auderent. Hæc sibi esse curæ: frumentum Sequanos, Leucos,
Lingones subministrare, iámque esse in agris frumenta matura. De iti-
nere ipsos breui tempore iudicaturos. Quòd non fore dicto audientes,
neque signa laturi dicantur, nihil se ea re commoueri. scire enim, qui-
C buscunque exercitus dicto audiens non fuerit, aut malè re gesta fortu-
nam defuisse, aut aliquo facinore comperto, auaritiam esse conui-
ctam: suam innocentiam perpetua vitæ felicitate Heluetiorum bello esse
perspectam. Itaque se, quod in longiorem diem collaturus fuisset, repræ-
sentaturum esse, & proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, vt
quàmprimum intelligere posset, vtrùm apud eos pudor atque officium,
an timor plus valeret. Quòd si præterea nemo sequatur, tamen se cum
sola decima legione iturum, de qua non dubitaret: sibíq; eam prætoriam *Legionis decimæ virtus.*
cohortem futuram. Huic legioni Cæsar & indulserat præcipuè, & pro-
pter virtutem confidebat maximè. Hac oratione habita, mirum in mo-
D dum conuersæ sunt omnium mentes, summáque alacritas & cupiditas
belli gerendi innata est. Princepsq; decima legio per tribunos militum ei
gratias egit, quòd de se optimum iudicium fecisset: seq; esse ad bellum ge-
rendum paratissimam confirmauit. Deinde reliquæ legiones per tribunos
militum & primorum ordinum centuriones egerunt vti Cæsari satisface-
rent, se neque vnquàm dubitâsse, neque timuisse, neque de summa belli
suum iudicium, sed imperatoris esse existimauisse. † Eorum satisfactio- 10
ne accepta, & itinere exquisito per Diuitiacum, quòd ex alijs Gallis maxi- *Diuitiaci gratia apud Cæsarem.*
mam ei fidem habebat: vt millium ampliùs quinquaginta circuitu locis
apertis exercitum duceret, de quarta vigilia, vt dixerat, profectus est. Septi-
E mo die, cùm iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est,
Ariouisti copias à nostris millibus passuum quatuor & xx. abesse. Cogni-
to Cæsaris aduentu, Ariouistus legatos ad eum mittit, quod anteà de col-
loquio postulâsset, id per se fieri licere, quoniam propiùs accessisset, seq; id
sine periculo facere posse existimaret. Non respuit conditionem Cæsar:
iamq; cum ad sanitatem reuerti arbitrabatur, cùm id quod anteà petenti
denegâsset, vltrò polliceretur: magnamq; in spem veniebat, pro suis tan-
tis populiq; Romani in eum beneficijs, cognitis suis postulatis, fore vti
pertinacia desisteret. Dies colloquio dictus est ex eo die quintus. Inte-
rim cùm sæpe vltrò citróque legati inter eos mitterentur, Ariouistus po-

ſtulauit ne quem peditem ad colloquium Cæſar adduceret: vereri ſe ne per F
inſidias ab eo circunueniretur. vterque cum equitatu veniret. alia ratione ſe non eſſe venturum. Cæſar quòd neq; colloquium interpoſita cauſa tolli volebat. neq; ſalutem ſuam Gallorum equitatui cõmittere audebat: commodiſſimum eſſe ſtatuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, in eos legionarios milites legionis decimæ (cui quàmmaximè confidebat) imponere, vt præſidium quàm amiciſſimum, ſi quid opus facto eſſet, haberet. Quod cùm fieret, non irridiculè quidam ex militibus decimæ legionis dixit, plus quàm pollicitus eſſet, Cæſarem facere: pollicitum eſſe in cohortis ſe prætoriæ loco decimam legionem habiturum, & nunc ad equum reſcribere. Planicies erat magna, & in ea tumulus terreus ſatis grandis. Hic G

Militis in Cæſarem cauillum.

A. prima caſtra Ariouiſti.
B. Secunda caſtra Ariouiſti.
C. Tertia caſtra Ariouiſti.
D. Caſtra maiora Cæſaris.
E. Caſtra minora Cæſaris.
F. Locus colloquij inter Cæſarem & Ariouiſtum.
G. Locus pugnæ.
H. Rhenus fluuius.



H

I

locus æquo fere ſpacio à caſtris Arioiuiſti & Cæſaris aberat. eo, vt erat dictum, ad colloquium venerunt. Legionem Cæſar quam equis deuexerat, K
paſſibus ducentis ab eo tumulo conſtituit. Item equites Arioiuiſti pari interuallo conſtiterunt. Ariouiſtus, ex equis vt colloquerentur, & præter ſe denos vt ad colloquium adducerent, poſtulauit. Vbi eò ventum eſt, Cæſar initio orationis, ſua ſenatusq; in eum beneficia commemorauit, quòd rex appellatus eſſet à ſenatu, quòd amicus, quòd munera ampliſſimè miſſa.. Quam rem & paucis contigiſſe, & à Romanis pro maximis hominum officijs conſueſſe tribui docebat. Illum, cùm neque aditum, neq; cauſam poſtulandi iuſtã haberet, beneficio ac liberalitate ſua ac ſenatus ea præmia conſecutum. Docebat etiam quàm veteres, quamq; iuſtæ cauſæ neceſſitudinis

Cæſaris & Ariouiſti colloquium.

Cæſar Ariouiſto.

Regẽ à Romanis appellari et amicum, maximum beneficium.

A tudinis ipsis cum Heduis intercederent: quæ senatusconsulta, quoties, quamque honorifica in eos facta essent: vt omni tempore totius Galliæ principatum Hedui tenuissent, priùs etiam quàm nostram amicitiam appetissent. Populi Romani hanc esse consuetudinem, vt socios atque amicos non modò sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores velit esse. Quod verò ad amicitiam populi Romani attulissent, id his eripi, quis pati posset? Postulauit deinde eadem quæ legatis in mandatis dederat: ne aut Heduis, aut eorum socijs bellum inferret. obsides redderet. si nullam partem Germanorum domum remittere posset, at ne quos ampliùs Rhenum transire pateretur. Ariouistus ad postulata Cæsaris pau-

Romani sociorũ dignitatem non minuunt, sed augent.

Ariouisti responsum ad Cæsarem.

B ca respondit: de suis virtutibus multa prædicauit. Transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum & accersitum à Gallis. Non sine magna spe magnisq; præmijs domum propinquósque reliquisse. Sedes habere in Gallia ab ipsis concessas. Obsides ipsorum voluntate datos. Stipendium capere iure belli, quod victores victis imponere consuêrint. Non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse. Omnes Galliæ ciuitates ad se oppugnandum venisse, ac contra se castra habuisse. eas omneis copias vno ab se prælio fusas ac superatas esse. Si iterum experiri velint, se iterum paratum esse decertare. sin pace vti malint, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus dependerint. Amicitiam populi Ro-

C mani sibi ornamento & præsidio, non detrimento esse oportere, idq; se ea spe petisse. Si per populum Rom. stipendium remittatur, & dedititij subtrahantur, non minùs libenter sese recusaturum populi Roma. amicitiam, quàm appetiuerit. Quòd multitudinem Germanorum in Galliam traducat, id se sui muniendi, non Galliæ oppugnandæ causa facere. eius rei testimonium esse, quòd nisi rogatus non venerit, & quòd bellum non intulerit, sed defenderit. Se priùs in Galliam venisse, quàm populum Rom. Nunquàm ante hoc tempus exercitum populi Roma. Galliæ fines ingressum. Quid sibi vellet cur in suas possessiones veniret? Prouinciam suam esse hanc Galliam, sicut illam nostram. Vt sibi concedi non opor-

Roman. exercitus quãdo primùm Galliæ fines ingressus.

D teret si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, qui in suo iure se interpellaremus. Quòd fratres ex S. C. & amicos appellatos Heduos diceret: non se tàm barbarum, neque tàm imperitum esse rerum, vt non sciret, neque bello Allobrogum proximo Heduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus quas Hedui secum & cum Sequanis habuissent, auxilio populi Romani vsos esse. Debere se suspicari simulata Cæsarem amicitia, quòd exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. Qui nisi decedat, atque exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. Quòd si eum interfecerit, multis sese nobilibus principibusq; populi Rom. gratum

E esse facturum. Id se ab ipsis per eorum nuncios compertum habere, quorum omnium gratiam atque amicitiã eius morte redimere posset. Quòd si discessisset, ac liberam possessionem Galliæ sibi tradidisset, magno se illum præmio remuneraturum: & quæcunque bella geri vellet, sine vllo eius labore & periculo confecturum. Multa à Cæsare in eam sententiam dicta sunt, quare negocio desistere non posset, & neque suam, neq; populi Romani consuetudinem pati, vti optimè meritos socios desereret: neque se iudicare Galliam potiùs esse Ariouisti, quam populi Romani: bello superatos esse Aruernos & Rutenos à Q. Fabio Maximo: quibus populus Romanus ignouisset, neq; in prouinciam redegisset, neq; stipendium im-

Aruerni & Ruteni à Fabio Max. superati.

 posuis-

Gallia ditionis Romanorum.
posuisset. Quòd si antiquissimum quodq; tempus spectari oporteret, po- F
puli Rom. iustissimum esse in Gallia imperium. Si iudicium Senatus obser-
Gallia libera.
uari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victam, suis legi-
bus vti voluisset.

Dum hæc in colloquio geruntur, Cæsari nunciatum est equites Ario-
uisti propiùs tumulum accedere, & ad nostros adequitare, lapides telaq; in
II nostros conijcere. † Cæsar loquendi finem fecit: seq; ad suos recepit: su-
Cæsaris modestia.
isq; imperauit, ne quòd omninò telum in hostes reijcerent. Nam etsi sine
vllo periculo legionis delectæ, commissum cum equitatu prælium fore vi-
debat: tamen committendum non putabat, vt pulsis hostibus dici posset,
eos à se per fidem in colloquio circunuentos. Posteaquàm in vulgus mi- G
litum relatum est qua arrogantia in colloquio Ariouistus vsus, omni Gal-
lia Romanis interdixisset, impetumq; in nostros, eius equites fecissent, eá-
que res colloquium diremisset: multò maior alacritas, studiumq; pugnan-
di maius exercitui iniectum est. Biduo pòst Ariouistus legatos ad Cæsa-
rem mittit, velle se de his rebus quæ inter eos agi cœptæ, neque perfectæ
essent, agere cum eo, vti aut iterum colloquio diem constitueret: aut si id
Colloquium cum Ariouisto Cæsar detrectat.
minùs vellet, è suis legatis aliquem ad se mitteret. Colloquendi causa Cæ-
sari visa non est, & eò magis, quòd pridie eius diei Germani retineri non
potuerint, quin in nostros tela conijcerent. Legatum è suis sese magno
cum periculo ad eum missurum, & hominibus feris obiecturum existi- H
M. Valerius Procillus.
mabat. Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum C. Vale-
rij Cabunj filium, summa virtute & humanitate adolescentem, cuius pa-
ter à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat & propter fidem, & propter
linguæ Gallicæ scientiam, qua multa iam Ariouistus longinqua consuetu-
dine vtebatur, & quòd in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eũ mit-
M. Titius Ariouisti hospes.
tere: & vnà Marcum Titiũ, qui hospitio Ariouisti vtebatur. His mandauit,
vt quæ diceret Ariouistus, cognoscerent, & ad se referrent. Quos cùm apud
Ariouisti aduersus legatos Cæsaris perfidia.
se in castris Ariouistus conspexisset, exercitu suo præsente conclamauit,
quid ad se venirent? an speculandi causa? Conantes dicere prohibuit, & in
catenas coniecit. Eodem die castra promouit, & millibus passuũ sex à Cæ- I
saris castris sub monte cõsedit. Postridie eius diei præter castra Cæsaris suas
copias traduxit, & millibus passuum duobus vltra eum castra fecit, eo con-
silio, vt frumento commeatuq; qui ex Séquanis & Heduis supportaretur,
Cæsarem intercluderet. Ex eo die dies continuos quinq; Cæsar pro castris
suas copias produxit, & aciẽ instructã habuit, vt si vellet Ariouistus prælio
contendere, ei potestas non deesset. Ariouistus his omnibus diebus exerci-
tum castris continuit, equestri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat
Equestris pugnæ exercitatio apud Germanos, mira.
pugnæ, quo se Germani exercuerant: Equitum millia erant sex, totidem
numero pedites velocissimi, ac fortissimi, quos ex omni copia singuli sin-
gulos suę salutis causa delegerant. Cum his in prælijs versabantur, ad eos se K
equitès recipiebant. Hi, si quid erat durius, concurrebant. Si qui grauiore
vulnere accepto, equo deciderant, circunsistebant. Si quò erat lõgiùs pro-
deundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horũ exercitatione celeri-
tas, vt iubis equorum subleuati, cursum adæquarent. Vbi eum castris sese
tenere Cæsar intellexit, ne diutiùs commeatu prohiberetur, vltra eum lo-
cum, quo in loco Germani consederant, circiter passus sexcentos ab his ca-
stris idoneum locum delegit, acieq; triplici instructa, ad eum locum venit.
Primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit.
Hic locus ab hoste circiter passus sexcentos (vti dictum est) aberat.

eò cir-

A eò circiter hominum numero x v i. millia expedita cum omni equitatu Arioustus misit, quæ copiæ nostros perterrerent, & munitione prohiberent. Nihilo secius Cæsar, vt antè constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere iussit. Munitis castris, duas ibi legiones reliquit, & partem auxiliorum: quatuor reliquas legiones in castra maiora reduxit. Proximo die, instituto suo Cæsar è castris vtrisque copias suas eduxit: paululumque à maioribus castris progressus, aciem instruxit, hostibusque pugnandi potestatem fecit. Vbi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demùm Ariouistus partem suarum copiarum, quæ castra minora oppugnaret, mi-

B sit. Acriter vtrinque vsque ad vesperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariouistus multis & illatis & acceptis vulneribus, in castra reduxit. Cùm ex captiuis quæreret Cæsar, quamobrem Ariouistus prælio non decertaret, hanc reperiebat causam, quòd apud Germanos ea consuetudo esset, vt matresfamiliàs eorum sortibus & vaticinationibus declararent, vtrùm prælium committi ex vsu esset, nécne. Eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam prælio contendissent. † 12 *Germanorum superstitio in prælijs suscipiendis.*

Postridie eius diei Cæsar præsidium vtrisque castris quod satis esse visum est, reliquit. Omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit, quo minùs multitudine militum legionariorum pro ho-

C stium numero valebat, vt ad speciem alarijs vteretur. Ipse triplici instructa acie vsque ad castra hostium accessit. Tum demùm necessariò Germani suas copias è castris eduxerunt, generatimque constituerunt paribus interuallis, Harudes, Marcomanos, Triboces, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Sueuos: omnemque aciem suam rhedis & carris circundederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. Eò mulieres imposuerunt: quæ in prælium proficiscentes milites, passis manibus flentes implorabant, ne se in seruitutem Romanis traderent. Cæsar singulis legionibus singulos legatos & quæstorem præfecit, vti eos testes suæ quisque virtutis haberet. Ipse à dextro cornu, quòd eam partem minimè firmam *Germanorum copiæ aduersus Cæsarem.*

D hostium esse animaduerterat, prælium commisit. Ita nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt. Itaque hostes repentè celeriterque procurrerunt, vt spatium pila in hostes conijciendi non daretur. Reiectis pilis, comminus gladijs pugnatum est. At Germani celeriter ex consuetudine sua phalange facta, impetus gladiorum exceperunt. Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalangem insilirent, & scuta manibus reuellerent, & desuper vulnerarent. Cùm hostium acies à sinistro cornu pulsa, atque in fugam conuersa esset, à dextro cornu vehementer multitudine suorum nostram aciem premebant. Id cùm animaduertisset P. Crassus adolescens, qui equitatui præerat, quòd ex- *Phalanx Germanorum.*

E peditior erat, quàm hi qui inter aciem versabantur, tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit. Ita prælium restitutum est, atque omnes hostes terga verterunt: nec priùs fugere destiterunt, quàm ad flumen Rhenum millia passuum ex eo loco circiter quinque peruenerunt. Ibi perpauci aut viribus confisi tranare contenderunt, aut lyntribus inuentis sibi salutem repererunt. In his fuit Ariouistus, qui nauiculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit. Reliquos omneis equitatu consecuti nostri interfecerunt. Duæ fuerunt Ariouisti vxores, vna Sueua natione, quam domo secum adduxerat: altera Norica, regis Voccionis soror, quam in Gallia duxerat, à fratre missam. Vtraque in ea fuga perijt. Duæ fi- *Germanorum fuga. Ariouisti fuga. Vxores Ariouisti. Eiusdem filiæ.*

 liæ

M. Valerius Procillus è manibus hostiũ ereptus.

liæ harum, altera occisa, altera capta est. M. Valerius Procillus cùm à custo- F
dibus in fuga trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Cæsarem hostium equitatum persequentem incidit. Quæ quidem res Cæsari non minorem quàm ipsa victoria voluptatem attulit, quòd hominem honestissimum prouinciæ Galliæ, suum familiarem & hospitem, ereptum è manibus hostium, sibi restitutum videbat, neque eius calamitate de tanta voluptate & gratulatione quicquam Fortuna diminuerat. Is se præsente de se ter sortibus consultum dicebat, vtrùm igni statim necaretur, an in aliud tempus reseruaretur. Sortium beneficio se esse incolumem. Item Marcus Titius repertus, & ad eum reductus est. Hoc prælio trans Rhenum nunciato, Sueui, quia ad ripas Rheni venerant, domum reuerti cœperunt: quos vbi qui pro- G
ximi Rhenum incolunt, perterritos senserunt, insecuti, magnum ex his numerum occiderunt. Cæsar vna æstate duobus maximis bellis confectis, maturiùs paulò quàm tempus anni postulabat, in hyberna in Sequanos exercitum deduxit. Hybernis Labienum præposuit. Ipse in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est.

Sortium vsus.

M. Titius de hostib. ereptus.

Sueui domum reuertentes, ab accolis Rheni caeduntur.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER II. H

Libri secundi capita.

1 *Belgarum coniuratio & apparatus belli contra Romanos.*
2 *Belgarum profectio in Rhemorum fines: & Cæsaris eodem tempore aduentus, & Bibracis obsessi liberatio.*
3 *Belgarum apparatus ad pugnam, & rebus desperatis fuga & internecio.* I
4 *Suessionum, Bellouacorum, & Ambianorum deditio.*
5 *Neruiorum virtus, & eorundem ad pugnam apparatus.*
6 *Cæsaris in acie instruenda, cohortandis militibus, & varijs negotijs obeundis celeritas.*
7 *Prælij cum Neruijs commissi dubij euentus complures: & eorundem clades ac deditio.*
8 *Aduaticorum, qui ex Cimbris ac Teutonis prognati erant, deditio, eorundem rebellio & calamitas.*

Belgarum in Romanos coniuratio.

1 CVM ESSET Cæsar in citeriore Gallia in hybernis, ita vti suprà demonstrauimus, crebri ad eum rumores afferebantur, literisque item Labieni certior fiebat, omnes Belgas, quam tertiam esse Galliæ partem dixeramus, contra populum Romanum coniurare, obsidesque inter se dare. Coniurandi has esse causas: Primùm, quòd vererentur, ne omni pacata Gallia, ad eos exercitus noster adduceretur. Deinde, quòd à nonnullis Gallis solicitarentur, partim qui vt Germanos diutiùs in Gallia versari noluerant, ita populi Romani exercitum hyemare atque inueterascere in Gallia moleste fe-

A stè ferebant: partim qui mobilitate & leuitate animi nouis imperijs studebant. A nonnullis etiam, quòd in Gallia à potentioribus, atque ijs qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgò regna occupabantur: qui minùs facilè eam rem imperio nostro consequi poterant. His nuncijs literisque commotus Cæsar, duas legiones in citeriore Gallia nouas conscripsit: & inunte æstate in vlteriorem Galliam qui deduceret, Q. Pedium legatum misit. Ipse cùm primùm pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. Dat negocium Senonibus, reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, vt ea quæ apud eos gerantur, cognoscant: seque de his rebus certiorem faciant. Hi constanter omnes

Gallorum leuitas.

Q. Pedius legatus Cæsaris.

B nunciauerunt manus cogi, exercitusque in vnum locum conduci. Tum verò dubitandum non existimauit, quin ad eos * proficisceretur. Re frumentaria comparata, castra mouet, diebusque circiter x v. ad fines Belgarum peruenit. Eò cùm de improuiso, celeriusque omnium opinione venisset, Rhemi, qui proximi Galliæ ex Belgis sunt, ad eum legatos Iccium & Antebrogium primos ciuitatis suæ miserunt, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permittere: neque se cum reliquis Belgis consensisse, neque contra populum Romanum omninò coniurâsse, paratósque esse, & obsides dare, & imperata facere, & oppidis recipere, & frumento cæterisque rebus iuuare: Reli-

** xij. die prof.*

Rhemi.

Iccius & Antebrogius Rhemorum legati.

C quos omnes Belgas in armis esse: Germanósque * qui ripas Rheni incolunt, sese cum his coniunxisse: tantumque esse eorum omnium furorem, vt ne Suessiones quidem fratres consanguineósque suos, qui eodem iure, ijsdem legibus vtantur, & vnum imperium, vnumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent. Cùm ab his quæreret, quæ ciuitates, quantæque in armis essent, & quid in bello possent, sic reperiebat: plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitùs traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallósque qui ea loca incolerent, expulisse: solósque esse qui patrùm nostrorum memoria omni Gallia vexata, Teutonos Cimbrósque intra fines suos in-

** qui cis Rhenum inco.*

Germani Belgis coniuncti.

Suessiones Rhemorũ fratres.

Belgarum plerique à Germanis orti.

Eorum virtus.

D gredi prohibuissent. Qua ex re fieri, vti earum rerum memoria magnam sibi authoritatem, magnósque spiritus in re militari sumerent. De numero eorum omnia se habere explorata Rhemi dicebant: propterea quòd propinquitatibus affinitatibusque coniuncti, quantam quisque multitudinem in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitus esset, cognouerant. Plurimum inter eos Bellouacos & virtute & authoritate, & hominum numero valere. Hos posse conficere armata millia centum: pollicitos ex eo numero lecta millia L x: totiusque belli imperium sibi postulare. Suessiones suos esse finitimos: latissimos feracissimósque agros possidere. Apud eos fuisse regem nostra etiam memoria Diuitiacum, to-

Bellouacorum virtus.

Diuitiacus Suessionum rex.

E tius Galliæ potentissimum: qui cùm magnæ partis harum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit. nunc esse Regem Galbam. ad hunc propter iustitiam prudentiamque, summam totius belli, omnium voluntate deferri. oppida habere numero x i i. polliceri millia armata quinquaginta: totidem Neruios, qui maximè feri inter ipsos habeantur, longissimeque absint. x v. millia Atrebates, Ambianos x. millia, Morinos x v. millia, Menapios v i i. millia, Caletos x. millia, * Velocasses & Veromanduos totidem, Catuacos x i x. millia. Condrusos, Eburones, Cæresos, Pæmanos, qui vno nomine Germani appellantur, arbitrari ad quadraginta millia. Cæsar Rhemos cohortatus, liberaliterque

Galba Suessionum rex.

Neruij Gallorum ferocissimi.

** Verocasses.*

literque oratione prosecutus, omnem Senatum ad se conuenire, principumque liberos obsides adduci iussit. Quæ omnia ab his diligenter ad diem facta sunt. ipse Diuitiacum Heduum magnoperè cohortatus, docet quantoperè Reipublicæ communisque salutis intersit, manus hostium distineri, ne cum tanta multitudine vno tempore confligendum sit. Id fieri posse, si suas copias Hedui in fines Bellouacorum introduxerint, & eorum agros populari cœperint. His mandatis eum ab se dimittit. F

2 † Postquàm omnes Belgarum copias in vnum locum coactas ad se venire, neque iam longè abesse, ab his quos miserat exploratoribus & ab Rhemis cognouit: flumen Axonam, quod est in extremis Rhemorum finibus, exercitum traducere maturauit: atque ibi castra posuit. Quæ res & latus vnum castrorum ripis fluminis muniebat, & post eum quæ essent, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus ab Rhemis reliquisque ciuitatibus, vt sine periculo ad eum portari possit, efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi præsidium ponit: & in altera parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit. castra in altitudinem pedum duodecim, vallo fossaque duodeuiginti pedum munire iubet. Ab his castris oppidum Rhemorum nomine Bibrax aberat millia passuum octo. Id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. Aegrè eo die sustentatum est. Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est. Hi, vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cepti sunt, murusque defensoribus nudatus est: testudine facta portis succedunt, murumque subruunt. Quod tum facilè fiebat. Nam tanta multitudo lapides ac tela conijciebant, vt in muro consistendi potestas esset nulli. Cùm finem oppugnandi nox fecisset: Iccius Rhemus summa nobilitate & gratia inter suos, qui tum oppido præfuerat, vnus ex ijs qui legati de pace ad Cæsarem venerant, nuncios ad eum mittit, nisi subsidium sibi mittatur, sese diutiùs sustinere non posse. Eò de media nocte Cæsar ijsdem ducibus vsus, qui nuncij ab Iccio venerant, Numidas & Cretas sagittarios, & funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Quorum aduentu & Rhemis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, & hostibus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. Itaque paulisper apud oppidum morati, agrosque Rhemorum depopulati, omnibus vicis ædificijsque quò adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris cum omnibus copijs contenderunt: & à millibus passuum minùs duobus castra posuerunt. Quæ castra, vt fumo atque ignibus significabatur, ampliùs millibus passuum octo in latitudinem patebant. G H I


Axona fl. — *Q. Titurius Sabinus legatus Cæsaris.* — *Bibrax oppidum oppugnatur.* — *Iccij angustiæ.* — *Belgæ ad castra Cæsaris contendunt.*

3 † Cæsar primò & propter multitudinem hostium, & propter eximiam opinionem virtutis, prælio supersedere statuit: quotidie tamen equestribus prælijs, quid hostis virtute posset, & quid nostri auderent, * periclitabatur. Vbi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro castris ad aciem instruendam natura opportuno atque idoneo: quòd is collis, vbi castra posita erant, paululum ex planitie editus, tantum aduersus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat: atque ex vtraque parte lateris deiectus habebat, & in frontem leuiter fastigiatus, paulatim ad planitiem redibat: ab vtroque latere eius collis transuersam fossam obduxit circiter passuum quadringentorum: & ad extremas fossas castella constituit, ibique tormenta collocauit, ne cùm aciem instruxisset, hostes (qui tantum multitudine poterant) à lateribus pugnantes suos circumuenire possent. Hoc facto, duabus legionibus, quas proximè conscripserat, in K

** sollicitationibus exquirebat.*

castris

A



B

C

A. Castellû Præsidij.
B. Castra Cęsaris.
C. Ichnographia primi Cógressus aduersus omnes Belgas.
D. Castellum, cui præerat Q. Titurius.
E. Castellum.
F. Fossa.
G. Locus pro castris ad aciem instruendam.
H. Palus inter exercitum Cæsaris atq; Belgarum.
I. Castra Belgarum.

castris relictis, vt si quo opus esset, subsidio duci possent, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. Hostes item suas copias è castris eductas instruxerunt. Palus erat non magna inter nostrum atque hostium exercitum. Hanc si nostri transirent, hostes expectabant. Nostri autem, si ab illis initium transeundi fieret, vt impeditos aggrederentur, parati in armis erant. Interim prælio equestri inter duas acies contendebatur. Vbi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum nostrorum prælio Cæsar suos in castra reduxit. Hostes protinùs ex eo loco ad flumen Axo-
D nam contenderunt, quod esse post nostra castra demonstratum est. Ibi vadis repertis, partem suarum copiarum traducere conati sunt, eo consilio, vt si possent, castellum cui præerat Q. Titurius legatus, expugnarent, pontemque interscinderent: sin minùs possent, agros Rhemorum popularentur, qui magno nobis vsui ad bellum gerendum erant, commeatuque nostros * sustinebant. Cæsar certior factus à Titurio, omnem equitatum, & leuis armaturæ Numidas, funditores sagittariosque pontem traducit, atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissimè transire conantes, multitudi-
E ne telorum repulerunt: primos qui transierant, equitatu circunuentos interfecerunt. Hostes vbi & de expugnando oppido, & de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt, neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi causa viderunt, atque ipsos res frumentaria deficere cœpit: concilio conuocato, constituerunt optimum esse, domum suam quenque reuerti: & quorum in fines, primùm Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos vndique conuenirent, vt potiùs in suis quàm in alienis finibus decertarent, & domesticis copijs rei frumentariæ vterentur. Ad eam sententiam cum reliquis causis hæc quoque ratio eos deduxit, quòd Diuitiacum quoque atque Heduos finibus Bellouaco-

Palus inter duo castra.

Axona fl.

** prohiberent.*

uacorum appropinquare cognouerant. his persuaderi vt diutiùs moraren- F
Belgæ domos suas repetunt.
tur, neque suis auxilium ferrent, non poterat. Ea re constituta, secunda
vigilia magna cum strepitu ac tumultu castris egressi, nullo certo ordine
neque imperio, cùm sibi quisque primùm itineris locum peteret, & domum
peruenire properaret, fecerunt vt consimilis fugæ profectio videretur.
Hac re statim Cæsar per speculatores cognita, insidias veritus, quòd
qua de causa discederent, nondum perspexerat: exercitum equitatumque
castris continuit. Prima luce, confirmata re ab exploratoribus, omnem
equitatum, qui nouissimum agmen moraretur, præmisit: eiq; Q. Pedium
& L. Aurunculeium Cottam legatos præfecit. T. Labienum legatum cum
legionibus tribus subsequi iussit. Hi nouissimos adorti, & multa millia G
passuum prosecuti, magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt.
Cùm ab extremo agmine, hi ad quos ventum erat, consisterent, fortiterque
impetum nostrorum militum sustinerent: priores, quòd abesse
à periculo viderentur, neque vlla necessitate: neque imperio continerentur,
exaudito clamore, perturbatis ordinibus omnes in fuga sibi præ-
Belgarum fuga & cædes.
sidium posuerunt. Ita sine vllo periculo tantam eorum multitudinem
nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium: sub occasum Solis se-
4 qui destiterunt: seque in castra, vt erat imperatum, receperunt. † Postridiè
eius diei Cæsar priùs quàm se hostes ex pauore ac fuga reciperent, in
fines Suessionum, qui proximi Rhemis erant, exercitum duxit: & ma- H
Nouiodunum oppugnat Cæsar.
gno itinere confecto, ad oppidum Nouiodunum contendit. Id ex itinere
oppugnare conatus, quòd vacuum à defensoribus esse audiebat, propter
latitudinem fossæ, murique altitudinem paucis defendentibus, expugnare
non potuit. Castris munitis vineas agere, quæq; ad oppugnandum
vsui erant, comparare cœpit. Interim omnis ex fuga Suessionum multitudo
in oppidum proxima nocte conuênit. Celeriter vineis ad oppidum
actis, aggere iacto, turribusq; constitutis, magnitudine operum, quæ neque
viderant antè Galli, neque audierant, & celeritate Romanorum permoti,
legatos ad Cæsarem de deditione mittunt: & petentibus Rhemis
vt conseruarentur, impetrant. Cæsar obsidibus acceptis primis ciuitatis, I
Galbæ regis filij deduntur.
Suessiones Cæsari deduntur.
Bratuspantium oppid. Bellouacorum.
atque ipsius Galbæ regis duobus filijs, armisque omnibus ex oppido traditis,
in deditionem Suessiones accipit, exercitumque in Bellouacos ducit:
qui cùm se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque
ab eo oppido Cæsar cum exercitu circiter millia passuum quinque
abesset: omnes maiores natu ex oppido egressi, manus ad Cæsarem tendere,
& voce significare cœperunt, sese in eius fidem ac potestatem venire,
neque contra populum Romanum armis contendere. Item cùm ad
oppidum accessisset, castraque ibi poneret, pueri mulieresque ex muro
passis manibus suo more pacem ab Romanis petierunt. Pro his Diuitiacus
(nam post discessum Belgarum dimissis Heduorum copijs ad eum re- K
Bellouaci in fide Heduorum.
uerterat) facit verba, Bellouacos omni tempore in fide atque amicitia ciuitatis
Heduæ fuisse. Impulsos à suis principibus, qui dicerent Heduos à
Cæsare in seruitutem redactos, omnes indignitates contumeliasque perferre,
& ab Heduis defecisse, & populo Romano bellum intulisse. Qui eius
consilij principes fuissent, quòd intelligerent, quantam calamitatem ciuitati
intulissent, in Britanniam profugisse. Petere non solùm Bellouacos,
sed etiam pro his Heduos, vt sua clementia ac mansuetudine in eos vtatur.
Quod si fecerit, Heduorum authoritatem apud omnes Belgas amplificaturum,
quorum auxilijs atque opibus, si qua bella inciderint, sustentare

tare

A tare consueuerint. Cæsar honoris Diuitiaci atque Heduorum causa, sese
eos in fidem recepturum, & conseruaturum dixit. Sed quòd erat ciuitas ma
gna, & inter Belgas authoritate atque hominum multitudine præstabat,
sexcentos obsides poposcit. His traditis, omnibusque armis ex oppido col- *Obsides cccccc.*
latis, ab eo loco in fines Ambianorum peruenit: qui se suaque omnia sine *Ambianorum deditio.*
mora dediderunt. † Eorum fines Neruij attingebant: quorum de natu- 5
ra moribusque Cæsar cùm quæreret, sic reperiebat, Nullum aditum esse *Neruiorum mores.*
ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam
pertinentium, inferri, quòd his rebus relanguescere animos, eorumq; re-
mitti virtutem existimarent. Esse homines feros, magnæque virtutis. In-
B crepitare atque incusare reliquos Belgas, qui se populo Romano dedidis-
sent, patriamque virtutem proiecissent: confirmare sese neque legatos
missuros, neque vllam conditionem pacis accepturos. Cùm per eorum fi-
nes triduum iter fecisset, inueniebat ex captiuis, Sabin flumen à castris suis *Sabis fl.*
non ampliùs millia passuum decem abesse: trans id flumen omnes Ner-
uios consedisse, aduenrumque ibi Romanorum expectare vnà cum Atre- *Atrebates.*
batibus & Veromanduis finitimis suis. Nam his vtrisque persuaserant, vt *Veromandui.*
eandem belli fortunam experirentur. Expectari etiam ab his Aduatico- *Aduatici.*
rum copias, atque esse in itinere. Mulieres, quique per ætatem ad pugnam
inutiles viderenrur, in eum locum coniecisse, quò propter paludes exer-
C citui aditus non esset. Cæsar his rebus cognitis, exploratores centurio-
nesque præmittit, qui locum castris idoneum deligant. Cumque ex dedi-
titijs Belgis, reliquisque Gallis complures Cæsarem secuti, vnà iter face-
rent: quidam ex his (vt posteà ex captiuis cognitum est) eorum dierum
consuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Neruios perue-
nerunt: atque his demonstrârunt, inter singulas legiones impedimento-
rum magnum numerum intercedere: neque esse quicquam negocij, cùm
prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spatium ab-
essent, hanc sub sarcinis adoriri: qua pulsa, impedimentisque direptis, fu-
turum vt reliquæ contrà consistere non auderent. Adiuuabat etiam eo-
D rum consilium, qui rem deferebant, quòd Neruij antiquitùs, cum equita- *Neruij equitatu ni-*
tu nihil possent (neque enim ad hoc tempus ei rei student, sed quicquid *hil valebant.*
possunt, pedestribus valent copijs) quò faciliùs finitimorum equitatum,
si prædandi causa ad eos venisset, impedirent, teneris arboribus incisis, at- *Arborum inciden-*
que inflexis, crebrisque in latitudinem ramis enatis, & rubis sentibusq; in- *darum astus in remo*
teriectis, effecerant vt instar muri hæ sepes munimenta præberent, quò *randis hostibus.*
non modò non intrari, sed ne perspici quidem posset. His rebus cùm iter
agminis nostri impediretur, non omittendum sibi consilium Neruij exi-
stimauerunt. Loci natura erat hæc, quem castris nostri delegerant: Collis
à summo æqualiter decliuis, ad flumen Sabin, quod suprà nominauimus,
E vergebat. Ab eo flumine pari accliuitate collis nascebatur, aduersus huic
& contrarius, passus circiter ducentos, infimus apertus, à superiore par-
te syluestris, vt non facilè introrsus perspici posset. Intra eas syluas ho-
stes in occulto sese continebant. In aperto loco secundum flumen pau-
cæ stationes equitum videbantur. Fluminis erat altitudo pedum circi-
ter trium. Cæsar equitatu præmisso, subsequebatur omnibus copijs. Sed
ratio ordoque agminis aliter se habebat, ac Belgæ ad Neruios detulerant. *Cæsaris copia contra Neruios.*
Nam quòd hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar VI. legio-
nes expeditas ducebat. Post eas totius exercitus impedimenta collocarat.
Inde duæ legiones, quæ proximè conscriptæ erant, totum agmen clau-

 debant,

F.

Scenographia pugnę aduersus Neruios.



G

H

debant, prætidioque impedimentis erant. Equites nostri cum fundi-
Prælium cum Neruijs equestre. toribus sagittarijsque flumen transgressi, cum hostium equitatu præ- I
lium commiserunt. Cùm se illi identidem in syluas ad suos reciperent, ac rursus è sylua in nostros impetum facerent, neque nostri longiùs quàm quem ad finem porrecta, ac loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent: interim legiones sex, quæ primæ venerant, opere dimenso castra
6 munire cœperunt, † Vbi prima impedimenta nostri exercitus ab ijs qui in syluis abditi latebant, visa sunt, quod tempus inter eos committendi prælij conuenerat, ita vt intra syluas aciem ordinesque constituerant, atque ipsi sese confirmauerant, subitò omnibus copijs prouolârunt, impetumque in nostros equites fecerunt. His facilè pulsis ac perturbatis, incredibi-
li celeritate ad flumen decurrerunt, vt penè vno tempore & ad syluas & in K
flumine & iam in manibus nostris hostes viderentur. Eadem autem celeritate aduerso colle ad nostra castra, atque eos qui in opere occupati erant,
Cæsar quàm multa simul vno tempore obiret. contenderunt. Cæsari omnia vno tempore erant agenda. Vexillum proponendum, quod erat insigne, cùm ad arma concurri oportebat: Signum tuba dandum: Ab opere reuocandi milites: Qui paulò longiùs aggeris petendi causa processerant, accersendi: Acies instruenda: Milites cohortandi: Signum dandum, quarum rerum magnam partem, temporis breuitas & incursus hostium impediebat. His difficultatibus duæ res erant subsidio:
Cæsarianorum militum dexteritas. scientia atque vsus militum, quòd superioribus prælijs exercitati, quid fieri oporteret, non minùs commodè ipsi sibi præscribere, quàm ab alijs doceri

A ceri poterant: & quòd ab opere ſinguliſq; legionibus ſingulos legatos Cæ-
ſar diſcedere, niſi munitis caſtris vetuerat. Hi propter celeritatem & propin
quitatem hoſtium nihil iam Cęſaris imperium expectabant, ſed per ſe, quę
videbantur, adminiſtrabant. Cæſar neceſſarijs rebus imperatis, ad cohor-
tandos milites, quam in partem fors obtulit, decurrit: & ad legionem de-
cimam deuenit. Milites non longiore oratione eſt hortatus, quàm vti ſuæ
Cæſaris exhortatio militum.
priſtinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo, ho-
ſtiumque impetum fortiter ſuſtinerent. Et quia non longiùs hoſtes abe-
rant, quàm quò telum adijci poſſet, prælij committendi ſignum dedit: at-
que item in alteram partem eſt cohortandi cauſa profectus. Pugnantibus
Cæſarianorum difficultates.
B tanta fuit temporis exiguitas, hoſtiumque tam paratus ad dimicandum
animus, vt non modò ad inſignia accommodanda, ſed etiam ad galeas in-
duendas, ſcutiſque tegmenta detrahenda, tempus defuerit. Quam quiſq;
in partem ab opere caſu deuênit, quæque prima ſigna conſpexit, ad hæc
conſtitit, ne in quærendis ſuis pugnandi tempus dimitteret. Inſtructo
exercitu magis vt loci natura, deiectuſque collis, & neceſſitas temporis,
quàm vt rei militaris rati o atque ordo poſtulabat, cum diuerſis locis le-
giones aliæ alia in parte hoſtibus reſiſterent: ſepibuſque denſiſſimis, vt
antè demonſtrauimus, interiectis, proſpectis impediretur: neque certa
ſubſidia collocari, neque quid in quaque parte opus eſſet, prouideri, ne-
C que ab vno omnia imperia adminiſtrari poterant. † Itaque in tanta rerum 7
iniquitate, fortunæ quoque euentus varij ſequebantur. Legionis nonæ &
decimæ milites, vt in ſiniſtra parte aciei conſtiterant, pilis emiſſis, curſu ac
laſſitudine exanimatos, vulneribuſque confectos Atrebates (nam his ea
Atrebatium cædes ac fuga.
pars obuenerat) celeriter ex loco ſuperiore in flumen compulerunt. Et
tranſire conantes inſecuti, gladijs magnam partem eorum impeditam in-
terfecerunt. Ipſi tranſire flumen non dubitauerunt: & in locum iniquum
progreſſi, rurſus regreſſos ac reſiſtentes hoſtes, redintegrato prælio, in
fugam coniecerunt. Item alia in parte diuerſæ duæ legiones vndecima &
octaua, profligatis Veromanduis, quibúscum erant congreſſi, ex loco ſu-
Veromandui profligati.
D periore in ipſis fluminis ripis præliabantur. Ac totis ferè caſtris à fronte &
à ſiniſtra parte nudatis, quum in dextro cornu legio duodecima, & non
magno ab ea interuallo ſeptima conſtitiſſet, omnes Neruij confertiſ-
ſimo agmine, duce Boduognato, qui ſummam imperij tenebat, ad eum
Boduognatus dux Neruiorum.
locum contenderunt. Quorum pars aperto latere legiones circumueni-
re, pars ſummum caſtrorum locum petere cœpit. Eodem tempore equi-
tes noſtri, leuiſque armaturæ pedites qui cum his vnà fuerant, quos pri-
mo hoſtium impetu pulſos dixeram, cùm ſe in caſtra reciperent, aduerſis
hoſtibus occurrebant, ac rurſus aliam in partem fugam petebant. Et calo-
Cæſarianorum labor ac fuga.
nes, qui ab decumana porta ac ſummo iugo collis noſtros victores flumen
E tranſiſſe conſpexerant, prædandi cauſa egreſſi, cùm reſpexiſſent, & hoſtes
in noſtris caſtris verſari vidiſſent: præcipites ſeſe fugæ mandabant. Simul
eorum qui cum impedimentis veniebant, clamor fremituſque exaudie-
batur: alijque aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus re-
bus permoti equites Treuiri, quorum inter Gallos virtutis opinio eſt ſingu
Treuiri equites Cæſaris rebus deſperatis domum contendunt.
laris, qui auxilij cauſa à ciuitate miſſi ad Cæſarem venerant, cum multitu-
dine hoſtium caſtra noſtra compleri, legiones premi, & penè circumuen-
tas teneri, calones, equites, funditores Numidas, diuerſos diſſipatoſque in
omneis partes fugere vidiſſent: deſperatis noſtris rebus, domum conten-
derunt. Romanos pulſos, ſuperatoſq;, caſtris impedimẽtiſq; eorum hoſtes

** Cæsar decimæ legionis coborte ad.*
potitos ciuitati renunciauerunt. Cæsar* ab decimæ legionis cohortatio- F
ne ad dextrum cornu profectus, vbi suos vrgeri, signisque in vnum locum
collatis, duodecimæ legionis milites confertos sibi ipsos ad pugnam esse
Centurionum cædes.
impedimento: quartæ cohortis omnibus centurionibus occisis, signife-
roque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere cen-
P. Sextius Baculus primipilus.
turionibus aut vulneratis aut occisis, in his primipilo P. Sextio Baculo for-
tissimo viro multis grauibusq; vulneribus cōfecto, vt iam se sustinere non
posset, reliquos esse tardiores, & nonnullos à nouissimis desertos prælio ex-
cedere, ac tela vitare: hostes neque à fronte ex inferiore loco subeuntes in-
termittere, & ab vtroque latere instare, & rem esse in angusto vidit, neque
Cæsar scutum vni militi detrahit, & in primam aciē prouolat.
vllum esse subsidium, quod summitti posset: scuto à nouissimis vni mili- G
tum detracto, quòd ipse eò sine scuto venerat, in primam aciem processit:
centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, si-
Animus militibus ex præsentia ducis restituitur.
gna inferre, & manipulos laxare iussit, quò faciliùs gladijs vti possent. Hu-
ius aduentu spe illata militibus, ac redintegrato animo, cùm pro se quisq;
in conspectu Imperatoris etiam extremis suis rebus suam operam nauare
cuperet: paulùm hostium impetus retardatus est. Cæsar cùm septimam le-
gionem, quæ iuxtà constiterat, item vrgeri ab hoste vidisset: tribunos mi-
litum monuit, vt paulatim sese legiones coniungerent, & conuersa signa
in hostes inferrent. Quo facto, cum alijs alij subsidium ferrent, neq; time-
rent, ne auersi ab hoste circumuenirentur: audaciùs resistere, ac fortiùs pu- H
gnare cœperunt. Interim milites legionum duarum, quæ in nouissimo ag-
mine præsidio impedimentis fuerant, prælio nunciato, cursu incitato, in
T. Labieni virtus.
summo colle ab hostibus conspiciebantur. Et Titus Labienus castris ho-
stium potitus, & ex loco superiore, quæ res in nostris castris gererentur con
spicatus, decimam legionem subsidio nostris misit. Qui cùm ex equitum
& calonum fuga, quo in loco res esset, quantoque in periculo & castra & le
giones, & Imperator versaretur, cognouissent: nihil ad celeritatem sibi reli
qui fecerunt. Horum aduentu tanta rerum commutatio est facta, vt nostri
Vulneribus procumbentes milites, prælium redintegrant.
etiam, qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi prælium redin-
tegrarent. Tum calones, perterritos conspicati hostes, etiam inermes arma I
Calones inermes armatis occurrunt.
tis occurrerunt. Equites verò, vt turpitudinem fugæ virtute delerent, om-
nibus in locis pugnabant, quò se legionarijs militibus præferrent. At hostes
etiam in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, vt cùm primi
eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent, atque ex eorum corpo-
Neruiorum peruicacia in re perdita.
ribus pugnarent. his deiectis, & coaceruatis cadaueribus, qui superessent,
vt ex tumulo tela in nostros conijcerent, pilaque intercepta remitterent: vt
non nequicquam tantæ virtutis homines iudicari deberet ausos esse trāsi-
re latissimum flumen, ascendere altissimas ripas, ac subire iniquissimum lo
Animi magnitudo facilia ex difficillimis facit.
cum: quæ facilia ex difficillimis, animi magnitudo redegerat. Hoc prælio
facto, & propè ad internecionem gente ac nomine Neruiorum redacto, K
maiores natu, quos vnà cum pueris, mulieribusque in æstuaria ac paludes
collectos dixeramus, hac pugna nunciata, cùm victoribus nihil impedi-
tum, victis nihil tutum arbitrarentur: omnium qui supererant consensu
Neruij victi Cæsari se dedunt.
legatos ad Cæsarem miserunt, seque ei dediderunt, & in commemoranda
Senatores tres ex sexcentis relicti. quingenti milites reliqui ex 60. millib.
ciuitatis calamitate, ex sexcentis, ad treis Senatores: ex hominum millibus
sexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixe-
runt. Quos Cæsar, vt in miseros ac supplices vsus misericordia videre-
Cæsaris clementia.
tur, diligentissimè conseruauit, suisque finibus atque oppidis vti iussit:
& finitimis imperauit, vt ab iniuria & maleficio se suosque prohiberent.

t Adua-

A † Aduaciti (de quibus suprà scripsimus) cum omnibus copijs auxilio Ner- 8
uijs venirent: hac pugna nunciata, ex itinere domum reuerterunt: cunctis
oppidis castellisque desertis, sua omnia in vnum oppidum egregiè natura
munitum contulerunt. quod cùm ex omnibus in circuitu partibus altissi-
mas rupes despectusque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus, in la-
titudinem non ampliùs ducentorum pedum relinquebatur. Quem lo-
cum duplici altissimo muro munierant: tum magni ponderis saxa, & præa-
cutas trabes in muro collocârant. Ipsi erant ex Cimbris Teutonisque pro- *Aduatici ex Cimbris & Teutonis prognati.*
gnati: qui cùm iter per Prouinciam nostram atque Italiam facerent, his im-
pedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhe-
B num depositis, custodiæ ex suis ac præsidio sex millia hominum vnà reli-
querunt. Hi post eorum obitum multos annos à finitimis exagitati, cùm
aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, consensu eorum om-
nium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt. Ac primo aduen-
tu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant, paruulisque
prælijs cum nostris contendebant. Posteà vallo pedum XII. in circuitu
XV. millium, crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant.
vbi vineis actis, aggere extructo, turrim procul constitui viderunt, pri-
mùm irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quòd tanta machina-
tio à tanto spatio instrueretur. Quibúsnam manibus, aut quibus viribus,
C præsertim homines tantulæ staturæ (nam plerunque omnibus Gallis præ *Romani statura breui, Gallis contemptui erant.*
magnitudine corporum suorum breuitas nostra contemptui est) tanti o-
neris turrim in muros sese collocare confiderent? Vbi verò moueri, & ap-
propinquare mœnibus viderunt, noua atque inusitata specie commoti,
legatos ad Cæsarem de pace miserunt. Qui ad hunc modum locuti, Non se *Aduaticorum legatio ad Romanos.*
existimare Romanos sine ope Deorum bellum gerere, qui tantæ altitudi- *Opera bellica Romanorum Aduaticis admirationi sunt.*
nis machinationes tanta celeritate promouere, & ex propinquitate pugna-
re possent: se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt. Vnum
petere ac deprecari: si fortè pro sua clementia ac mansuetudine, quam ipsi
ab alijs audissent, statuisset Aduaticos esse conseruandos: ne se armis de-
D spoliaret. Sibi omnes ferè finitimos esse inimicos, ac suæ virtuti inuidere, *Armis despoliari timent Aduatici.*
à quibus se defendere traditis armis non possent. Sibi præstare, si in eum ca-
sum deducerentur, quamuis fortunam à populo Romano pati, quàm ab
his per cruciatum interfici, inter quos dominari consuêssent. Ad hæc Cæ-
sar respondit, se magis consuetudine sua, quàm merito eorum ciuitatem
conseruaturum, si priùs quàm aries murum attigisset, se dedidissent: sed
deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis. Se id quod in Ner-
uios fecisset, facturum, finitimisq; imperaturum, ne quam deditijs po- *Aduaticorum deditio.*
puli Romani iniuriam inferrent. Re nunciata ad suos, illi se, quæ imperaren
tur, facere dixerunt. Armorum magna multitudine de muro in fossam,
E quæ erat ante oppidum, iacta, sic vt propè summam muri aggerisque alti-
tudinem acerui armorum adæquarent: & tamen circiter parte tertia (vt
posteà compertum est) celata, atque in oppido retenta, portis patefactis,
ea die pace sunt vsi. Sub vesperum Cæsar portas claudi, militesque ex oppi- *Pax vnius diei.*
do iussit exire, ne quam noctu oppidani à militibus iniuriam acciperent.
Illi antè inito (vt intellectum est) consilio, quòd deditione facta nostros
præsidia * deducturos, aut denique indiligentiùs seruaturos crediderant: ** non inducturos.*
partim cum ijs quæ retinuerant & celauerant armis, partim scutis ex cor-
tice factis, aut viminibus intextis, quæ subitò (vt temporis exiguitas po-
stulabat) pellibus induxerant: tertia vigilia, quà minimè arduus ad no-

Rebellio ac eruptio Aduaticorum. stras munitiones ascensus videbatur, omnibus copijs repentè ex oppido F eruptionem fecerunt. Celeriter (vt antè Cæsar imperauerat) ignibus significatione facta, ex proximis castellis eò concursum est: pugnatumque ab hostibus ita acriter, vt à viris fortibus in extrema spe salutis iniquo loco contra eos qui ex vallo turribusque tela iacerent, pugnari debuit, cùm Aduaticorum excidium. in vna virtute omnis spes salutis consisteret. Occisis ad hominum millibus quatuor, reliqui in oppidum reiecti sunt. Postridie eius diei refractis portis, cùm iam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem eius oppidi vniuersam Cæsar vendidit. Ab his qui emerant, capitum numerus ad eum relatus est millium quinquaginta P. Crasso ciuitates maritimæ se dedunt. trium. Eodem tempore à P. Crasso, quem cum legione vnà miserat ad G Venetos, Vnellos, Osismos, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhedones, quæ sunt maritimæ ciuitates, Oceanumque attingunt, certior factus est, omnes eas ciuitates in deditionem potestatemque populi Ro. esse redaTransrhenanorum legati ad Cæsarem. ctas. His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, vti ab his nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur. Quas legationes Cæsar, quòd in Italiam Illyricumque properabat, inita proxima æstate ad se reuerti iussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, vbi bellum gesserat, legionibus in hyberna deductis, in Italiam profectus est. H Supplicatio XV. dierum Cæsari decreta. Ob easque res ex literis Cæsaris dies xv. supplicatio decreta est: quod ante id tempus acciderat nulli.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER III. I

Libri tertij capita.

1 *Bellum à Ser. Galba Cæsaris legato cum Antuatibus, Sedunis, & Veragris magno cum periculo confectum.*
2 *Venetorum Gallorum rebellio, & noui belli aduersus Romanos comparatio.* K
3 *Oræ Veneticæ & nauticarum rerum descriptio, simulq́ bellum Veneticum vno naualí prælio confectum.*
4 *Bellum cum Vnellis à Q. Titurio Sabino eodem quo Veneticum, tempore confectum.*
5 *Bellum in Aquitania cum Sontiatibus à P. Crasso eodem ferè tempore confectum.*
6 *Bellum in eadem Aquitania cum Docontijs, ab eodem Crasso confectum: & maximæ partis Aquitaniæ deditio.*
7 *Vastatio à Cæsare facta in agris Morinorum & Menapiorum, qui se in syluas abdiderant.*

Cvm

A CVM in Italiam proficifceretur Cæfar, Seruium Gal- I
bam cum legione duodecima & parte equitatus in *Seruium Galba.*
Antuates, Veragros, Sedunofq; mifit: qui à finibus *Antuates.*
Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano *Veragri.*
ad fummas Alpes pertinēt. Caufa mittēdi fuit, quòd *Seduni.*
iter per Alpes, quo magno cum periculo magnifque *Alpium difficultas.*
portorijs mercatores ire confueuerant, patefieri vo-
lebat. Huic permifit, fi opus effe arbitraretur, vt in his
locis legionem hyemandi caufa collocaret. Galba fe-

B



C


D

cundis aliquot prælijs factis, caftellifq; compluribus eorū expugnatis, mif-
fis ad eum vndiq; legatis, obfidibufq; datis, & pace facta, conftituit cohor-
tes duas in Antuatibus collocare, & ipfe cum reliquis legionis eius cohor-
tibus in vico Veragrorum, qui appellatur Octodorus, hyemare. Qui vicus *Octodorus vicus.*
pofitus in valle, non magna adiecta planicie, altiffimis montibus vndique
continetur. Cùm hic in duas partes flumine diuideretur, alterā partē eius
vici Gallis ad hyemandum conceffit, alteram vacuam ab his relictā cohor-
tibus attribuit. Eum locum vallo foffaq; muniuit. Cùm dies hybernorum
complures tranfiffent, frumentumq; eò comportari iuffiffet: fubitò per ex-
E ploratores certior factus eft, ex ea parte vici quā Gallis concefferat, omnes
noctu difceffiffe, montefq; qui impenderent, à maxima multitudine Sedu- *Sedunorū & Vera-*
norum & Veragrorum teneri. Id aliquot de caufis acciderat, vt fubitò Galli *grorum rebellio.*
belli renouandi, legionifq; opprimendæ confiliū caperent. Primùm, quòd
legionē, neq; eam pleniffimā, detractis cohortibus duabus, & complurib9
fingulatim, qui commeatus petendi caufa miffi erant, abfentibus, propter
paucitatem defpiciebant. Tum etiā, quòd propter iniquitatē loci, cùm ipfi
ex montibus in vallē decurrerent, & tela conijcerent, ne primū quidē poffe
impetum fuum fuftineri exiftimabant. Accedebat, quòd fuos ab fe liberos
abftractos obfidū nomine dolebant, & Romanos nō folùm itineris caufa,

 fed

F

A. Octodori pars cohortibus attributa.
B. Altera Octodori pars Gallis ad hyemandũ concessa.



G

H

ſed etiam perpetuæ poſſeſſionis, culmina Alpium occupare conari, & ea loca finitimæ prouinciæ adiungere, ſibi perſuaſum habebant. His nuncijs acceptis Galba, cùm neq; opus hybernorum munitionéſq; plenè eſſent perfectæ, neq; de frumento reliquoq; commeatu ſatis eſſet prouiſum, quòd deditione facta, obſidibuſq; acceptis, nihil de bello timendum exiſtimauerat: cõcilio celeriter conuocato, ſententias exquirere cœpit. Quo in concilio cùm tantum repentini periculi præter opinionem accidiſſet, ac iam omnia ferè ſuperiora loca multitudine armatorũ completa conſpiceren- I
tur, neq; ſubſidio veniri, neq; cõmeatus ſupportari, intercluſis itineribus, poſſet: propè iam deſperata ſalute, nõnullæ huiuſmodi ſententiæ dicebantur, vt impedimentis relictis, eruptione facta, iiſdem itineribus quibus eò perueniſſent, ad ſalutem contenderent. Maiori tamen parti placuit, hoc reſeruato ad extremum conſilio, interim rei euentũ experiri, & caſtra defendere. Breui ſpacio interiecto, vix vt his rebus quas cõſtituiſſent, colloquendis atq; adminiſtrandis tempus daretur, hoſtes ex omnibus partibus ſigno

Gallorum cũ Roma. prælium.

dato decurrere, lapides, geſſaq; in vallum conijcere. Noſtri primò integris viribus fortiter repugnare: neq; vllum fruſtrà telum ex loco ſuperiore mittere: vt quæq; pars caſtrorum nudata defenſoribus premi videbatur, eò oc- K
currere, & auxilium ferre. Sed hoc ſuperari, quòd diuturnitate pugnæ hoſtes defeſſi, cum prælio excedebant, alij integris viribus ſuccedebant: quarũ rerum à noſtris propter paucitatem fieri nihil poterat: ac non modò defeſſo ex pugna excedendi, ſed ne ſaucio quidem, eius loci vbi conſtiterat, re-

Sex horarũ pugna.

linquendi, ac ſui recipiendi facultas dabatur. Cùm iam ampliùs horis ſex continenter pugnaretur, ac non ſolùm vires, ſed etiam tela noſtris deficerent, atq; hoſtes acriùs inſtarent, languidioribuſq; noſtris vallum ſcindere,

P. Sextij Baculi, & C. Voluſeni virtus.

& foſſas complere cœpiſſent, reſque eſſet iam ad extremum perducta caſum: P. Sextius Baculus primipili centurio (quem Neruico prælio com-

A compluribus confectum vulneribus diximus) & item C. Volusenus tribunus militum, vir & consilij magni, & virtutis, ad Galbã accurrunt, atq; vnã esse spem salutis docent, si eruptione facta extremum auxilium experirentur. Itaq; conuocatis Centurionibus, celeriter milites certiores facit, paulisper intermitterent prælium, ac tantummodò tela missa exciperent, seq; ex labore reficerent: post signo dato è castris erumperent, atq; omnem spem salutis in virtute ponerent. Quod iussi sunt, faciũt: ac subitò omnibus portis eruptione facta, neq; cognoscendi quid fieret, neq; sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Ita commutata fortuna, eos qui in spem potiendorum castrorum venerant, vndiq; circunuentos interficiunt: & ex hominum millibus ampliùs triginta, quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat, plus tertia parte interfecta, reliquos perterritos in fugã conijciunt: ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus hostium copijs fusis, armisq; exutis, se in castra munitionesq; suas recipiunt. Quo prælio facto, quòd sæpiùs fortunam tentare Galba nolebat, atq; alio sese in hyberna consilio venisse meminerat, alijs occurrisse rebus viderat, maximè frumenti cõmeatusq; inopia permotus, postero die omnibus eius vici ædificijs incensis, in prouinciam reuerti contendit: ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante, incolumem legionem in Antuates, inde in Allobrogas perduxit: ibiq; hyemauit. † His rebus gestis, cùm 2 omnibus de causis Cæsar pacatam Galliam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis, atq; ita inita hyeme in Illyricũ profectus esset, quòd eas quoq; nationes adire, & regiones cognoscere volebat: subitum bellum in Gallia coortũ est. Eius belli hæc fuit causa. P. Crassus adolescens cum legione septima proximus mari Oceano in Andibus hyemabat. Is, quòd in his locis inopia frumenti erat, præfectos tribunosq; militum complures in finitimas ciuitates frumenti commeatusq; petendi causa dimisit: quo in numero erat T. Terrasidius missus in * Vnellos, M. Trebius Gallus in Curiosolitas, Q. Velanius cum T. Silio in Venetos. Huius ciuitatis est longè amplissima authoritas omnis oræ maritimæ regionum earum: quòd & naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consueuerunt: & scientia atq; vsu nauticarum rerum cæteros antecedunt: & in magno impetu maris atq; aperto paucis portubus interiectis, quos tenent ipsi, omnes ferè qui eodẽ mari vti consueuerunt, habent vectigales. Ab his fit initium retinendi Silij, atq; Velanij: quòd per eos suos se obsides, quos Crasso dedissent, recuperaturos existimabant. Horum authoritate finitimi adducti (vt sunt Gallorum subita & repentina consilia) eadem de causa Trebium Terrasidiumq; retinent: & celeriter missis legatis per suos principes inter se coniurant, nihil nisi communi consilio acturos, eundemq; omnis fortunæ exitum esse laturos. reliquasq; ciuitates sollicitant, vt in ea libertate quam à maioribus acceperant, permanere, quàm Romanorum seruitutem perferre, malint. Omni ora maritima celeriter ad suam sententiam perducta, communem legationem ad P. Crassum mittunt: Si velit suos recipere, obsides sibi remittat. Quibus de rebus Cæsar à Crasso certior factus, quòd ille aberat longiùs, naues interim longas ædificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex prouincia institui, nautas gubernatoresque comparari iubet. His rebus celeriter administratis, ipse cùm primùm per anni tempus potuit ad exercitum contendit. Veneti, reliquæque ciuitates cognito Cæsaris aduentu, simul quòd quantum in se facinus admisissent, intelligebant, legatos (quod

Romanorũ eruptio. *Gallorum strages.* *Noui belli in Gallia, causa.* * *Sesuuios.* *Veneti Galli.* *Legatos Cæsaris Galli violant.* *Gallorũ subita consilia.*

B C D E

Legati iure gentium sacrosancti.

(quod nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatumq; semper fuis- F
set) retentos ab se, & in vincula coniectos: pro magnitudine periculi bel-
lum parare, & maximè ea quæ ad vsum nauium pertinerent, prouidere in-
stituunt, hoc maiore spe, quòd multum natura loci confidebant: pedestria
esse itinera concisa æstuarijs, nauigationem impeditam propter inscitiam
locorum, paucitatemq; portuum, sciebant. Neque nostros exercitus pro-
pter frumenti inopiam diutiùs apud se morari posse confidebant. Ac iam
vt omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum nauibus pos-
se: Romanos neque vllam facultatem habere nauium, neque eorum loco-
rum vbi bellum gesturi essent, vada, portus, insulasq; nouisse: ac longè aliã
esse nauigationem in cõcluso mari, atq; in vastissimo ac apertissimo Ocea- G
no perspiciebant. His initis consilijs oppida muniunt, frumenta ex agris in
oppida comportant. Naues in Venetiam, vbi Cæsarem primum bellum es-
se gesturum constabat, quàm plurimas possunt, cogunt. Socios sibi ad id
bellum Osismos, Lexobios, Nannetes, Ambiliates, Morinos, Diablintres,
Menapios adsciscunt. Auxilia ex Britannia, quæ contra eas regiones posita
est, accersunt. Erant hæ difficultates belli gerendi, quas suprà ostendimus:
sed multa tamen Cæsarem ad id bellum incitabant: iniuriæ retentorum
equitum Romanorum, rebellio facta post deditionem, defectio datis ob-
sidibus, tot ciuitatum coniuratio: in primis, ne hac parte neglecta, reliquæ
nationes idem sibi licere arbitrarentur. Itaq; cùm intelligeret omnes ferè H
" Gallos nouis rebus studere, & ad bellum mobiliter celeritérque excitari;
" omneis autem homines natura libertati studere, & conditionem seruitu-
tis odisse: priusquàm plures ciuitates conspirarent, partiendum sibi ac la-

T. Labienus in Treuiros missus.

tiùs distribuendum exercitum putauit. Itaq; T. Labienum legatum in Tre-
uiros, qui proximi flumini Rheno sunt, cum equitatu mittit. Huic man-
dat, Rhemos reliquosq; Belgas adeat, atque in officio contineat: Germa-
nosq; qui auxilio à Belgis accersiti dicebantur, si per vim nauibus flumen

P. Crassus in Aquitaniam.

transire conentur, prohibeat. P. Crassum cum cohortibus legionarijs XII.
& magno numero equitatus in Aquitaniam proficisci iubet, ne ex his na-
tionibus auxilia in Galliam mittantur, ac tantæ nationes coniungantur. I

Q. Titurius. D. Brutus.

Q. Titurium Sabinum legatum cum legionibus tribus in Vnellos, Curio-
solitas, Lexobiosq; mittit, qui eam manum distinendam curet. Decium
Brutum adolescentem classi, Gallicisque nauibus, quas ex Pictonibus &
Santonis reliquisq; pacatis regionibus conuenire iusserat, præficit: & cùm
primùm posset, in Venetos proficisci iubet. Ipse eò pedestribus copijs con-
3 tendit. † Erant eiusmodi ferè situs oppidorum, vt posita in extremis lin-
guis, promontorijsq;, neque pedibus aditum haberent, cùm ex alto se

Aestus maris bis incitatus XII. horarũ spacio.

æstus incitauisset, quod bis semper accidit horarum duodecim spacio: ne-
que nauibus, quòd rursus minuente æstu, naues in vadis afflictarentur.
Ita vtraq; re oppidorum oppugnatio impediebatur. Ac si quando magni- K
tudine operis fortè superati, extruso mari aggere ac molibus, atq; his oppi-
di mœnibus adæquatis, suis fortunis desperare cœperant, magno numero
nauiũ appulso, cuius rei summã facultatẽ habebãt, sua omnia deportabãt,
seq; in ꝓxima oppida recipiebant. ibi se rursus ijsdẽ opportunitatibus loci
defendebãt. Hæc eò faciliùs magna parte æstatis faciebãt, quòd nostræ na-
ues tẽpestatibus detinebãtur: summaq; erat vasto atq; aperto mari magnis
æstibus, raris ac propè nullis portubus, difficultas nauigandi. Nanq; ipsorũ

Gallorum naues.

naues ad hunc modum factæ, armatæq; erant: Carinæ aliquãto planiores,
quàm nostrarũ nauiũ, quò faciliùs vada ac decessum æstꝰ excipere possent.

A Proræ admodum erectæ, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum
tempestatumq; accommodatæ.*Naues totæ factæ ex robore, ad quamuis *Naues maximo ro
vim & contumeliam perferendam. Transtra ex pedalibus in altitudinem bore ad.
trabibus, confixa clauis ferreis digiti pollicis crassitudine. Ancoræ pro fu-
nibus ferreis catenis reuinctæ. Pelles pro velis, alutæq; tenuiter confectæ, Pelles pro velis.
siue propter lini inopiam, atq; eius vsus inscitiam, siue (quod est magis ve-
risimile) quòd tantas tempestates Oceani, tantósque impetus ventorum
sustineri, ac tanta onera nauium regi velis, non satis commodè posse arbi-
trabantur. Cum his nauibus nostræ classi eiusmodi congressus erat, vt vna
celeritate, & pulsu remorum præstaret: reliqua pro loci natura, pro vi tem-
B pestatum, illis essent aptiora & accommodatiora. Neque enim his nostræ
rostro nocere poterant, tanta in his erat firmitudo: neque propter altitu-
dinem facilè telum adijciebatur: & eadem de causa minùs commodè sco-
pulis continebantur. Accedebat, vt cùm sæuire ventus cœpisset, & se vento
dedissent, & tempestatem ferrent faciliùs, & in vadis consisterent tutiùs: &
ab æstu derelictæ, nihil saxa & cautes timerent. Quarum rerum omnium
nostris nauibus casus erat extimescendus. Compluribus expugnatis oppi-
dis, Cæsar vbi intellexit frustrà tantum laborem sumi, neque hostium fu-
gam captis oppidis reprimi, neque his noceri posse, statuit expectare clas- Classis Gallica.
sem. Quæ vbi conuenit, ac primùm ab hostibus visa est: circiter CCXX. CCXX. Venetorũ
C naues eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ è naues Romanis oc-
portu profectæ, nostris aduersæ constiterunt. Neque satis Bruto, qui currunt.
classi præerat, vel tribunis militum, centurionibúsque, quibus singulæ
naues erant attributæ, constabat quid agerent, aut quam rationem pu-
gnæ insisterent. Rostro enim nocere non posse cognouerant: turribus
autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex Barbaris nauibus supe-
rabat: vt neque ex inferiore loco satis commodè tela adijci possent, &
missa à Gallis grauiùs acciderent. Vna erat magno vsui res præparata à no- Falcium in nauibus
stris, falces præacutæ insertæ affixæq; longurijs, non absimili forma mura- bellicis vsus.
lium falcium. His cùm funes qui antennas ad malos distinebant, compre-
D hensi adductiq; erant, nauigio remis incitato prærumpebantur: quibus
abscissis antennæ necessariò concidebant: vt cùm omnis Gallicis nauibus
spes in velis armamentisq; cõsisteret, his ereptis, vno tempore omnis vsus
nauium eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute, qua no-
stri milites facilè superabant: atq; eò magis, quòd in conspectu Cæsaris at-
que omnis exercitus res gerebatur, vt nullum paulò fortiùs factum latêre
posset. Omnes enim colles, & loca superiora, vnde erat propinquus despe-
ctus in mare, ab exercitu tenebantur. Disiectis (vt diximus) antennis, cùm Nauale prælium.
singulas binæ aut ternæ naues circunsisterent, milites summa vi transcen-
dere in hostium naues contendebant. Quod postquàm Barbari fieri ani- Fuga nauium Gal-
E maduerterunt, expugnatis compluribus nauibus, cùm ei rei nullum repe- licarum.
riretur auxilium, fuga salutem petere contenderunt. Ac iam conuersis in
eam partem nauibus quò ventus ferebat, tanta subitò malacia ac tranquil- Malacia.
litas extitit, vt se loco mouere non possent. Quæ quidem res ad negocium
conficiendum maximè fuit opportuna. Nam singulas nostri consectati ita
expugnauerunt, vt perpaucæ ex omni numero noctis interuentu ad ter-
ram peruenerint, cùm ab hora ferè quarta vsque ad Solis occasum pugna-
retur. Quo prælio bellum Venetorum, totiúsque oræ maritimæ confe- Venetorum bellũ con-
ctum est. Nam cùm omnis iuuentus, omnes etiam grauioris ætatis, in fectum.
quibus aliquid consilij aut dignitatis fuit, eò conuenerant: tum nauium

quod

quod vbiq; fuerat, vnum in locum coëgerant: quibus amissis, reliqui ne- F
que quò se reciperent, neque quemadmodum oppida defenderent, habe-
Legatorum violatorum vltio.
bant. Itaque se suaq; omnia Cæsari dediderunt. In quos eò grauiùs Cæsar
vindicandum statuit, quò diligentiùs in reliquum tempus à Barbaris ius
legatorum conseruaretur. Itaque omni senatu necato, reliquos sub coro-
4 na vendidit. † Dum hæc in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus cum
Q. Titurij apud Vnellos gesta.
his copijs quas à Cæsare acceperat, in fines Vnellorum peruenit. His præ-
Viridouix Vnellorũ Rex.
erat Viridouix, ac summam imperij tenebat earum omnium ciuitatũ quæ
defecerant, ex quibus exercitum magnasq; copias coëgerat. Atque his pau-
Senatus à popularibus suis interfectus.
cis diebus Aulerci, Eburonices, Lexouijq; senatu suo interfecto, quòd au-
thores belli esse nolebant, portas clauserunt, seq; cum Viridouice coniun- G
xerunt. Magnaq; prætereà multitudo vndiq; ex Gallia perditorum homi-
num latronumq; conuenerat: quos spes prædandi, studiumq; bellandi,
ab agricultura & quotidiano labore reuocabat. Sabinus idoneo omnibus
rebus loco castris sese tenebat: cùm Viridouix contra eum duûm millium
spacio consedisset, quotidieq; productis copijs pugnandi potestatem face-
ret: vt iam non solùm hostibus in contemptum Sabinus veniret, sed etiã
nostrorum militum vocibus nonnihil carperetur. Tantamq; opinionem
Sabini legati cunctatio.
timoris præbuit, vt iam ad vallum castrorum hostes accedere auderent. Id
ea de causa faciebat, quòd cum tanta multitudine hostium, præsertim eo
absente qui summam imperij teneret, nisi æquo loco, aut opportunitate H
aliqua data, legato dimicandum non existimabat. Hac confirmata opi-
Gallus astutus perfuga ad Gallos adornatur.
nione timoris, idoneum quendam hominem & callidum delegit, Gallũ,
ex ijs quos auxilij causa secum habebat. Huic magnis præmijs pollicitatio-
nibusq; persuadet vti ad hostes transeat: & quid fieri velit, edocet. Qui vbi
pro perfuga ad eos venit, timorem Romanorum proponit. Quibus angu-
stijs ipse Cæsar à Venetis prematur, docet: neq; longiùs abesse, quin proxi-
ma nocte Sabinus clàm ex castris exercitum educat, & ad Cæsarem auxilij
ferendi causa proficiscatur. Quod vbi auditum est, conclamant omnes oc-
casionem negocij bene gerendi amittendam non esse. ad castra iri oporte-
re. Multæ res ad hoc consilium Gallos hortabantur. superiorum dierum I
Sabini cunctatio, perfugæ confirmatio, inopia cibariorum, cui rei parùm
diligenter ab his erat prouisum, spes Venetici belli, & quòd ferè libenter
homines id quod volunt, credunt. His rebus adducti, non priùs Viridoui-
cem reliquosq; duces ex concilio dimitrunt, quàm ab his sit concessum
arma vti capiant, & ad castra contendant. Qua re concessa læti, velut explo-
rata victoria, sarmentis virgultisq; collectis, quibus fossas Romanorum
compleant, ad castra pergunt. Locus erat castrorum editus, & paulatim ab
imo accliuis circiter passus mille. Huc magno cursu contenderũt, vt quàm-
minimum spacij ad se colligendos armandosq; Romanis daretur: exani-
matiq; peruenerunt. Sabinus suos hortatus, cupientibus signum dat. Im- K
peditis hostibus propterea quæ ferebant onera, subitò duabus portis eru-
ptionem fieri iubet. Factum est opportunitate loci, hostiũ inscitia ac defa-
tigatione, virtute militum, ac superiorum pugnarum exercitatione, vt ne
Vnellorum fuga.
vnum quidem nostrorum impetũ ferrent, ac statim terga verterent. Quos
impeditos, integris viribus milites nostri consecuti, magnum numerum
eorum occiderunt: reliquos equites consectati, paucos qui ex fuga euase-
Vnelli Sabino se dedunt.
rant, reliquerunt. Sic vno tempore & de nauali pugna Sabinus, & de Sabi-
ni victoria Cæsar certior factus est: ciuitatesq; omnes se statim Titurio
dediderunt. Nam vt ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est
ani-

A animus, sic mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas mens *Galli ad bella suscipienda alacres.*
corum est. † Eodem ferè tempore P. Crassus cùm in Aquitaniam peruenisset, quæ pars (vt antè dictum est) & regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda: cùm intelligeret in ijs locis sibi bellum gerendum, vbi paucis antè annis L. Valerius Præconius legatus exercitu pulso interfectus esset, atque vnde L. Manlius proconsul impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. Itaque re frumentaria prouisa, auxilijs, equitatuq́; comparato, multis præterea viris fortibus Tolosa & Narbone, quæ sunt ciuitates Galliæ prouinciæ finitimæ, ex his regionibus nominatim euoca-

5 *P. Crassi in Aquitania gesta.* *Aquitania.* *Tolosa.* *Narbo.*

B tis, in Sontiatium fines exercitum introduxit. Cuius aduentu cognito, Sontiates magnis copijs coactis, equitatúque, quo plurimum valebant, in itinere agmen nostrum adorti, primùm equestre prælium commiserunt: deinde equitatu suo pulso, atque insequentibus nostris, subitò pedestres copias, quas in conualle in insidijs collocauerant, ostenderunt. Hi nostros disiectos adorti, prælium renouarunt. Pugnatum est diu, atque acriter: cùm Sontiates superioribus victorijs freti, in sua virtute totius Aquitaniæ salutem positam putarent: Nostri autem, quid sine imperatore, & sine reliquis legionibus adolescentulo duce efficere possent, perspici cuperent. Tandem confecti vulneribus hostes, terga vertêre. Quorum ma-

Sontiates Romanos eq. prælio aggrediuntur. *Sontiatium fuga.*

C gno numero interfecto, Crassus ex itinere oppidum Sontiatium oppugnare cœpit. Quibus fortiter resistentibus, vineas turresq́; egit. Illi aliàs eruptione tentata, aliàs cuniculis ad aggerem vineasque actis (cuius rei sunt longè peritissimi Aquitani, propterea quòd multis locis apud eos ærariæ secturæ sunt) vbi diligentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, legatos ad Crassum mittunt, seq́; in deditionem vt recipiat petunt. Qua re impetrata, arma tradere iussi, faciunt. Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis, alia ex parte oppidi * Adcantuannus, qui summam imperij tenebat, cum sexcentis deuotis, quos illi Soldurios appellant: (quorum hæc est conditio, vt omnibus in vita commodis vnà

Aeraria sectura. *Sontiatium deditio.* *al. Adiatonnus. al. Alatuunus.* *Soldurij qui.*

D cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint. si quid ijs per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant, aut sibi mortem consciscant. neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret) Cum his Adcantuannus eruptionem facere conatus, clamore ab ea parte munitionis sublato, cùm ad arma milites concurrissent, vehementerq́; ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum est. vti tamen eadem deditionis conditione vteretur, à Crasso impetrauit. † Armis obsidibusq́; acceptis, Crassus in fines Vocontiorum & Tarusatium profectus est. Tum verò Barbari commoti, quòd oppidum & natura loci & manu munitum, paucis diebus quibus eò ventum erat,

Adcantuanni deditio. 6 *Vocontij.* *Tarusates.*

E expugnatum cognouerant, legatos quoquouersum dimittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt. Mittuntur etiam ad eas ciuitates legati, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ. inde auxilia ducesque accersuntur. Quorum aduentu, magna cum authoritate, & magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur. Duces verò hi deliguntur, qui vnà cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summamq́; scientiam rei militaris habere existimabantur. Hi consuetudine populi Romani loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt. Quod vbi Crassus animaduertit, suas copias propter exiguitatem non facilè diduci, hostem & vagari, & vias obsidere, & castris satis præ-

Hispanorū auxilia. *Q. Sertorius.*

ſidij relinquere, ob eamque cauſam minùs commodè frumentum com- F
meatumq́; ſibi ſupportari, in dieſq́; hoſtium numerum augeri: non cun-
ctandum exiſtimauit quin pugna decertaret. Hac re ad concilium delata,
vbi omneis idem ſentire intellexit, poſterum diem pugnę conſtituit. Prima
luce productis omnibus copijs, duplici acie inſtructa, auxilijs in mediam
aciem collocatis, quid hoſtes conſilij caperent, expectabat. Illi etſi propter
multitudinem, & veterem belli gloriam, paucitatemq́; noſtrorum, ſe tutò
dimicaturos exiſtimabant: tamen tutiùs eſſe arbitrabantur, obſeſſis vijs,
commeatuq́; intercluſo, ſine vllo vulnere victoria potiri: & ſi propter ino-
piam rei frumentariæ Romani ſeſe recipere cœpiſſent, impeditos in agmi-
ne, & ſub ſarcinis infirmiore animo, adoriri cogitabant. Hoc conſilio G
probato à ducibus, productis Romanorum copijs, ſeſe caſtris tenebant.
Hac re perſpecta, Craſſus quum ſua cunctatione atque opinione timidio-
res hoſteis, noſtros milites alacriores ad pugnandum effeciſſet, atque om-
nium voces audirentur expectari diutiùs non oportere quin ad caſtra ire-
tur: cohortatus ſuos, omnibus cupientibus ad hoſtium caſtra conten-
dit. Ibi cùm alij foſſas complerent, alij multis telis coniectis, defenſo-
Auxiliaribus copijs parùm fidit Craſſus. res vallo munitionibúſque depellerent: auxiliaréſque quibus Craſſus ad
pugnam non multum confidebat, lapidibúſque reliſq́; ſubminiſtrandis,
& ad aggerem ceſpitibus comportandis, ſpeciem atque opinionem pu-
gnantium præberent: cùm item ab hoſtibus conſtanter ac non timidè H
pugnaretur, telaq́; ex loco ſuperiore miſſa non fruſtrà acciderent: equi-
tes circuitis hoſtium caſtris, Craſſo renunciârunt non eadem eſſe diligen-
tia ab decumana porta caſtra munita, facilémque aditum habere. Craſ-
ſus equitum præfectos cohortatus, vt magnis præmijs pollicitationi-
buſq́; ſuos excitarent: quid fieri velit, oſtendit. Illi (vt erat imperatum)
eductis quatuor cohortibus, quæ præſidio caſtris relictæ, integræ ab la-
bore erant, & longiore itinere circunductis, ne ex hoſtium caſtris conſpi-
ci poſſent: omnium oculis mentibuſq́; ad pugnam intentis, celeriter ad
eas quas diximus munitiones peruenerunt. Atque his proturis, priùs in
hoſtium caſtris conſtiterunt, quàm planè ab his videri, aut quid rei gere- I
retur, cognoſci poſſet. Tum verò clamore ab ea parte audito, noſtri redin-
Victoriæ ſpei ſtimulus. tegratis viribus, quod plerunque in ſpe victoriæ accidere conſueuit, acriùs
impugnare cœperunt. Hoſtes vndique circumuenti, deſperatis omnibus
rebus ſeſe per munitiones deijcere, & fuga ſalutē petere intenderūt. Quos
equitatus apertiſſimis campis conſectatus, ex millium quinquaginta nu-
mero quæ ex Aquitania Cantabriſq́; conueniſſe cōſtabat, vix quarta parte
relicta, multa nocte ſe in caſtra recepit. Hac audita pugna, maxima pars
Aquitaniæ pars maxima ſeſe Craſſo dedit. Aquitaniæ ſeſe Craſſo dedidit, obſideſque vltrò miſit: quo in numero
fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Taruſates, Fluſtates, Ga-
rites, Auſci, Garumni, Siburzates, Cocoſatéſque. Paucæ vltimæ nationes K
** ciuitates.* ★ anni tempore confiſæ, quòd hyems ſuberat, id facere neglexerunt.

7 † Eodem ferè tempore Cæſar, etſi propè exacta iam æſtas erat, tamen
quòd omni Gallia pacata, Morini Menapijque ſupererant qui in armis
eſſent, neque ad eum vnquam legatos de pace miſiſſent: arbitratus id bel-
lum celeriter confici poſſe, eò exercitum adduxit. Qui longè alia ratione ac
reliqui Galli bellum gerere cœperunt. Nam quòd intelligebant maximas
nationes quæ prælio contendiſſent, pulſas ſuperatáſque eſſe, continen-
téſque ſyluas ac paludes habebant, eò ſe ſuaq́; omnia contulerunt. Ad qua-
rum initium ſyluarum cùm perueniſſet Cęſar, caſtraq́; munire inſtituiſſet,
neque

A neque hostis interim visus esset: dispersis in opere nostris, subitò ex omnibus partibus syluæ euolauerunt, & in nostros impetum fecerunt. Nostri celeriter arma ceperunt, eósque in syluas repulerunt: & compluribus interfectis, longiùs impeditioribus locis secuti, paucos ex suis deperdiderunt. Reliquis deinceps diebus Cæsar syluas cædere instituit: & ne quis

Morini & Menapij repelluntur.
Syluas Cæsar cadit.



B

C

D

Syluæ in quas Morini & Menapij se suaq; omnia contulerunt.

A. & B. Materia cæsa, quæ conuersa ad hostem pro vallo ad latus extructa.

inermibus imprudentibúsque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam quæ erat cæsa, conuersam ad hostem collocabat, & pro vallo ad vtrunque latus extruebat. Incredibili celeritate magno spacio paucis diebus confecto, cùm iam pecus atque extrema impedimenta à nostris tenerentur, ipsi densiores syluas peterent: eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vti opus necessariò intermitteretur, & continuatione imbrium, diutiùs sub pellibus milites contineri non possent. Itaque vastatis omnibus eorum agris, vicis ædificijsque incensis, Cæsar exercitum reduxit, & in Aulercis Lexobijsq;, reliquis item ciuitatibus quæ proximè bellum fecerant, in hybernis collocauit.

Tempestatibus opera intermissa.

E

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER IIII.

Libri quarti capita.

1 *Vsipetum & Tenchtherorum transitus in Galliam per flumen Rhenum: & Sueuorum descriptio.*
2 *Vsipetum cum Cæsare colloquia de nouis eorum sedibus vel retinendis, vel relinquendis.*
3 *Vsipetum perfidia & simulatio à Cæsare vindicata, & simul bellum cum ijs confectum.*
4 *Cæsar exercitu per pontem in Rheno factum, traducto, terroreq; Germanis ad paucos dies iniecto, in Galliam reuertitur.*
5 *Cæsaris traiectio in Britanniam, & Insulanorum, post aliquantum pugnæ deditio.*
6 *Britanni pace petita, posteà comperto naues Cæsaris afflictas rebellant.*
7 *Altera Britannorum & Morinorum rebellio, à Cæsare compressa.*

Vsipetes. Tenchtheri.

EA quæ sequuta est hyeme, qui fuit annus Cn. Pompeio M. Crasso consulibus, Vsipetes Germani, & item Tenchtheri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longè à mari quo Rhenus influit. Causa transeundi fuit, quòd ab Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur, & agricultura prohibebantur. Sueuorum gens est longè maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno pòst in armis sunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio atque vsus belli intermittitur. Sed priuati ac separati agri apud eos nihil est. Neq; lōgiùs anno remanere vno in loco incolendi causa licet. Neq; multum frumento, sed maximam partem lacte atq; pecore viuunt: multúmq; sunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant, & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Atq; in eam se consuetudinem adduxerunt, vt locis frigidissimis neq; vestitus præter pelles habeant (quarum propter exiguitatem magna est pars corporis aperta) & lauentur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus magis eò, vt quæ bello ceperint, quibus vendant habeant, quàm quò vllam rem ad se importari desiderent. Quinetiam iumentis, quibus Galli maximè delectantur, quæq; impenso parant precio, Germani importatis non vtuntur: sed quæ sunt apud eos nata * parua atq; deformia, hæc quotidiana exercitatione, summi vt sint laboris, efficiunt. Equestribus prælijs sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur, equósq; eodem remanere vestigio assuefaciunt, ad quos se celeriter, cùm vsus est, recipiunt. Neque eorum moribus turpiùs quicquam aut inertius habetur, quàm ephippijs vti. Itaque ad quem-

Sueuorum mores & virtus.

A pueris officij omnis & disciplina contemptus, vires et magnitudinem corporis addit.

Frigoris tolerantes Sueui.

Iumentis delectantur Galli.

** praua.*

Equorum mira docilitas.

H I K

A quemuis numerum ephippiatorum equitũ quamuis pauci adire audent. *Ephippiorum vsu*
Vinum ad se omninò importari non sinunt, quòd ea re ad laborem feren- *apud Sueuos inde-*
dum remollescere homines atq; effœminari arbitrantur. Publicè maxi- *corum.* *Vino non vtuntur*
mam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros. Hac re *Sueui.*
significari magnum numerum ciuitatum suam vim sustinere non posse.
Itaq; vna ex parte à Sueuis circiter millia passuum sexcenta agri vacare di-
cuntur. Ad alteram partem succedunt Vbij, quorum fuit ciuitas ampla at- *Vbiorum descriptio.*
que florens, vt est captus Germanorum: qui paulò sunt eiusdem gentis &
cæteris humaniores, propterea quòd Rhenũ attingunt, multumq; ad eos
mercatores ventitant: & ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt mori-
B bus assuefacti. Hos cùm Sueui, multis sæpe bellis experti, propter ampli- *Vbij Sueuis vectiga-*
tudinem grauitatemq; ciuitatis, finibus expellere non potuissent, tamen *les.*
vectigales sibi fecerunt, ac multò humiliores infirmioresque redegerunt.
In eadem causa fuerunt Vsipetes, & Tenchtheri, quos suprà diximus: qui
cùm plures annos Sueuorum vim sustinuerint, ad extremum tamen agris
expulsi, & multis Germaniæ locis triennium vagati, ad Rhenum perue-
nerunt, * qua regione Menapij incolebant. Hi ad vtranque ripam flumi- ** quas regiones.*
nis agros, ædificia, vicósque habebant: sed tantæ multitudinis aduentu *Menapij ad vtranq;*
perterriti, ex ijs ædificijs quæ trans flumen habebant, demigrauerunt, & *Rheni ripam.*
cis Rhenum dispositis præsidijs, Germanos transire prohibebant. Illi om-
C nia experti, cùm neque vi contendere propter inopiam nauium, neque
clàm transire propter custodias Menapiorum possent: reuerti se in suas se-
des regionesq; simulauerunt: & tridui viam progressi, rursus reuerterunt, *Germanorum dolus.*
atque omni hoc itinere equitatu vna nocte confecto, inscios inopinan- *Vsipetes & Tench-*
tesq; Menapios oppresserunt: qui de Germanorum discessu per explorato- *theri Menapios op-*
res certiores facti, sine metu trans Rhenum in suos vicos remigrauerant. *primunt.*
His interfectis, nauibusq; eorum occupatis, priusquàm ea pars Menapio-
rum quæ citra Rhenum erat, certior fieret, flumen transierunt: atque
omnibus eorum ædificijs occupatis, reliquam partem hyemis se eorum
copijs aluerunt. His de rebus Cæsar certior factus, & infirmitatem Gal- *Gallorum mobilitas*
D lorum veritus, quòd sunt in consilijs capiendis mobiles, & nouis plerun- *in consilijs capien-*
que rebus student: nihil his committendum existimauit. Est autem hoc *dis.*
Gallicæ consuetudinis, vt & viatores etiam inuitos consistere cogant: &
quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognouerit, quærant: &
mercatores in oppidis vulgus circunsistat, quibusq; ex regionibus veniãt,
quásque ibi res cognouerint, pronunciare cogant: & his rumoribus atque
auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt: quorum
eos è vestigio pœnitere necesse est: cùm incertis rumoribus seruiant, &
& plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. Qua consuetudine
cognita Cæsar, * vt grauiori bello occurreret, maturiùs quàm consueue- ** ne*
E rat, ad exercitum proficiscitur. Eò cùm venisset, ea quæ fore suspicatus
erat, facta cognouit: missas legationes à nonnullis ciuitatibus ad Germa-
nos, inuitatosq; eos vti ab Rheno discederent, omniáque quæ postulâssent
ab se, fore parata. Qua spe adducti Germani, latiùs iam vagabantur, & in
fines Eburonum & Condrusonum, qui sunt Treuirorum clientes, perue- *Eburones.*
nerant. Principibus Galliæ euocatis, Cæsar ea quæ cognouerat, dissimu- *Condrusones.*
landa sibi existimauit: eorumq; animis permulsis & confirmatis, equita-
tuq; imperato, bellum cum Germanis gerere constituit. Re frumentaria
comparata, equitibúsque delectis, iter in ea loca facere cœpit, quibus in *Germanorum legati ad Cæsarem.*
locis esse Germanos audiebat. † A quibus cùm paucorum dierum iter 2

abeſſet, legati ad eum venerunt, quorum hæc fuit oratio: Germanos ne- F
que priores populo Rom. bellum inferre, neque tamen recuſare, ſi laceſſan-
tur, quin armis contendant: quòd Germanorum conſuetudo hæc ſit à
maioribus tradita, qui eis bellum inferant, reſiſtere, neque deprecari. Hoc
Germani bella non deprecantur. tamen dicere, veniſſe inuitos, eiectos domo. Si ſuam gratiam Romani
velint, poſſe eis vtiles eſſe amicos. vel ſibi agros attribuant, vel patiantur
Sueuis ne dij quidē pares. eos tenere, quos armis poſſiderent. Seſe vnis Sueuis concedere, quibus
ne Dij quidem immortales pares eſſe poſſint. Reliquum quidem in terris
Cæſaris reſponſum ad Germanos. eſſe neminem, quem non ſuperare poſſint. Ad hæc Cæſar quod viſum eſt,
reſpondit: ſed exitus fuit orationis, ſibi nullam cum his amicitiam eſſe
poſſe, ſi in Gallia remanerenr. Neque verum eſſe, qui ſuos fines tueri G
non potuerint, alienos occupare: neque vllos in Gallia vacare agros, qui
dari tantæ præſertim multitudini ſine iniuria poſſint. Sed licere, ſi ve-
lint, in Vbiorum finibus conſidere, quorum ſint legati apud ſe, & de Sue-
uorum iniurijs querantur, & à ſe auxilium petant. Hoc ſe ab Vbijs im-
petraturum. Legati hæc ſe ad ſuos relaturos dixerunt, & re deliberata,
poſt diem tertium ad Cæſarem reuerſuros. Intereà ne propiùs ſe caſtra
Cæſaris prouidētia. moueret, petierunt. Ne id quidem Cæſar ab ſe impetrari poſſe dixit. Co-
gnouerat enim magnam partem equitatus ab his aliquot diebus antè
Ambiuariti. prædandi frumentandiq́ue cauſa ad Ambiuaritos trans Moſam miſſam.
Hos expectari equites, atque eius rei cauſa moram interponi arbitrabatur. H
Moſa flu. Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum: & parte
Vogeſus mons. ** aliàs Vualu.* quadam Rheno recepta, quæ appellatur * Vacalos, inſulam efficit Ba-
Batauorum inſula. tauorum: neque longiùs ab eo millibus paſſuum LXXX. in oceanum in-
Rheni origo, fluxus et inſulæ. fluit. Rhenus autem oritur ex Lepontijs, qui Alpes incolunt: & longo
** Aetuatium.* ſpacio per fines * Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Medio-
matricum, Tribocorum, Treuirorumq; citatus fertur: & vbi Oceano ap-
propinquat, in plureis diffluit partes, multis ingentibúſque inſulis effe-
ctis: quarum pars magna à feris barbariſque nationibus incolitur: ex qui-
Piſcibus et ouis auiū victitantes. bus ſunt qui piſcibus, atque ouis auium viuere exiſtimantur: multiſque
capitibus in Oceanum influit. Cæſar cùm ab hoſte non ampliùs paſſuum I
XII. millibus abeſſet, vt erat conſtitutum, ad eum legati reuertuntur.
Qui in itinere congreſſi, magnoperè ne longiùs progrederetur orabant.
Cùm id non impetrâſſent, petebant vti ad eos equites qui agmen ante-
ceſſiſſent, præmitteret, eóſque pugna prohiberet: ſibiq; vti poteſtatem
faceret in Vbios legatos mittendi: quorum ſi principes ac Senatus ſibi iu-
reiurando fidem feciſſent, ea conditione quæ à Cæſare ferretur, ſe vſuros
oſtendebant. Ad has res conficiendas ſibi tridui ſpacium daret. Hæc om-
Cæſaris prouidētia. nia Cæſar eodem illo pertinere arbitrabatur, vt tridui mora interpoſita,
equites eorum qui abeſſent, reuerterentur. Tamen ſeſe non longiùs mil-
libus paſſuū quatuor aquationis cauſſa proceſſurum eo die, dixit. huc po- K
ſtero die quàm frequentiſſimi conuenirent, vt de eorum poſtulatis cogno-
ſceret. Interim ad præfectos qui cum omni equitatu anteceſſerant, mittit
qui nunciarent ne hoſtes prælio laceſſerent: & ſi ipſi laceſſerentur, ſuſtine-
rent quoad ipſe cum exercitu propiùs acceſſiſſet. At hoſtes vbi primùm no-
ſtros equites conſpexerunt, quorum erat quinq; millium numerus, cùm
ipſi non ampliùs octingentos equites haberent, quòd hi qui frumentandi
cauſa ierant trans Moſam, nondum redierant: nihil timentibus noſtris,
quòd legati eorum paulò antè à Cæſare diſceſſerant, atque is dies inducijs
dictus erat, ab his petitus: impetu facto celeriter noſtros perturbauerunt.

Rurſus

A Rursus resistentibus nostris, consuetudine sua ad pedes desiluerunt, suffos-
sisque equis, compluribusque nostris deiectis, reliquos in fugam coniece-
runt: atque ita perterritos egerunt, vt non priùs fuga desisterent, quàm in
conspectũ agminis nostri venissent. In eo prælio ex equitibus nostris inter-
ficiuntur quatuor & LXX. in his vir fortissimus Piso Aquitanus, amplissimo
genere natus, cuius auus in ciuitate sua regnũ obtinuerat, amicus ab Sena-
tu nostro appellatus. Hic cùm fratri intercluso ab hostibus, auxiliũ ferret,
illum ex periculo eripuit: ipse equo vulnerato deiectus, quoad potuit, for-
tissimè restitit. Cùm circumuentus multis vulneribus acceptis cecidisset,
atque id frater, qui iam prælio excesserat, procul animaduertisset: incitato
B equo sese hostibus obtulit, atque interfectus est. † Hoc facto prælio, Cæ- 3
sar neque iam legatos sibi audiendos, neque conditiones accipiendas ar-
bitrabatur ab his, qui per dolum atque insidias petita pace, vltro bellum
intulissent. Expectare verò dum hostium copiæ augerentur, equitatus-
que reuerteretur, summæ dementiæ esse iudicabat: & cognita Gallorum
infirmitate, quantum iam apud eos, hostes vno prælio authoritatis es-
sent consecuti, sentiebat: quibus ad consilia capienda nihil spatij dan-
dum existimabant. His constitutis rebus, & consilio cum legatis & quæ-
store communicato, ne quem diem pugnæ * intermitteret, opportunis-
simè res accidit, quòd postridie eius diei mane eadem & perfidia & simu-
C latione vsi Germani, frequentes omnibus principibus maioribusque na-
tu adhibitis ad eum in castra venerunt: simul (vt dicebatur) sui purgan-
di causa, quòd contrà atque esset dictum, & ipsi petissent, prælium pridie
commisissent: simul vt si quid possent, de inducijs fallendo impetrarent.
Quos sibi Cæsar oblatos, * gauisus, retineri iussit. Ipse omnes copias ca-
stris eduxit, equitatumque, quòd recenti prælio perterritum esse existima-
bat, agmen subsequi iussit. Acie triplici instructa, & celeriter octo mil-
lium itinere confecto, priùs ad hostium castra peruenit, quàm quid age-
retur, Germani sentire possent. Qui omnibus rebus subitò perterriti, &
celeritate aduentus nostri, & discessu suorum, neque consilij habendi, ne-
D que arma capiendi spatio dato, perturbabantur, copiásne aduersus hostem
ducere, an castra defendere, an fuga salutem petere præstaret. Quorum
timor quum fremitu & concursu significaretur: milites nostri pristini diei
perfidia incitati, in castra irruperunt. Quo in loco qui celeriter arma ca-
pere potuerunt, paulisper nostris restiterunt, atque inter carros impedi-
mentaque prælium commiserunt. At reliqua multitudo puerorum mu-
lierumque (nam cum omnibus suis domo excesserant, Rhenumq; trans-
ierant) passim fugere cœpit. Ad quos consectandos Cæsar equitatum mi-
sit. Germani post tergum clamore audito, cùm suos interfici viderent, ar-
mis abiectis, signisque militaribus relictis, se ex castris eiecerunt: & cùm ad
E confluentem Mosæ & Rheni peruenissent, reliqua fuga desperata, magno
numero interfecto, reliqui se in flumen præcipitauerunt, atque ibi timore,
lassitudine, & vi fluminis oppressi perierunt. Nostri ad vnum omnes inco-
lumes, perpaucis vulneratis, ex tanti belli timore, cùm hostium numerus
capitum CCCCXXX. millium fuisset, se in castra receperunt. Cæsar ijs,
quos in castris retinuerat, discedendi potestatem fecit. Illi supplicia crucia-
tusque Gallorum veriti, quorum agros vexauerant, remanere se apud eum
velle dixerunt. his Cæsar libertatem concessit. † Germanico bello confe- 4
cto, multis de causis Cæsar statuit sibi Rhenum esse transeundum: qua-
rum illa fuit iustissima, quòd cùm videret Germanos tam facilè impelli,

Cæsariani equites à Germanis fugantur

Piso Aquitanus cum fratre occiditur.

** prætermitteret.*

Germanorum legatorum perfidia et simulatio.

** grauiuteret.*

Germanorum trepidatio.

Confluens Mosæ & Rheni.

Germanorum clades.

Rhenum transire statuit Cæsar.

vt in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, cùm intel- F
ligerenr & posse & audere populi Romani exercirum Rhenum transire. Accessit etiam, quòd illa pars equitatus, Vsipetum & Tenchrherorum, quam suprà commemoraui, prædandi frumentandique causa Mosam transisse, neque prælio interfuisse, post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sicambrorum receperat, séque cum his coniunxerat. Ad quos cùm Cæsar nuncios misisset, qui postularent, eos qui sibi Galliæque bellum intulissent, vti sibi dederent, responderunt, populi Romani imperium Rhenum finire. Si se inuito Germanos in Galliam transire, non æquum existimaret: cur sui quicquam esse imperij aut potestatis trans Rhenum postularet? Vbij autem, qui vni ex transrhenanis ad Cæsarem legatos mi- G
serant, amicitiam fecerant, obsides dederant, magnoperè orabant, vt sibi auxilium ferret, quòd grauirer ab Sueuis premerentur: vel si id facere occupationibus populi Romani prohiberetur, exercitum modò Rhenum transportaret. id sibi ad auxilium, spemque reliqui temporis satis futurum. Tantum esse nomen atque opinionem exercitus Romani Arionisto pulso, & hoc nouissimo prælio facto, vt etiam ad vltimas Germanorum nationes opinione & amicitia populi Romani tuti esse possint. Nauium magnam copiam ad transportandum exercitum pollicebantur. Cæsar his de causis quas commemoraui, Rhenum transire decreuerat. Sed nauibus transire, neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ, neque H
populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis: tamen id sibi contendendum, aut aliter non traducendum exercitum existimabat. Rationem igitur pontis hanc instituit: Tigna bina sesquipedalia paulùm ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis, inrervallo pedum duorum inter se iungebat. Hæc cum machinationibus immissa in flumen defixerat, fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, vt secundum naruram fluminis procumberenr: his item contraria duo ad eundem modum iuncta, interuallo pedum quadragenûm ab inferiore parte, contra I
vim atque impetum fluminis conuersa statuebat. Hæc vtraque insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis vtrinq; fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disclusis, aquæ in contrariam partem reuinctis, ranta erat operis firmirudo, atq; ea rerum natura, vt quo maior vis aquæ se incitauisset, hoc arctiùs illigata tenerentur. Hæc directa materia iniecta contexebantur, ac longurijs cratibusque consternebantur. Ac nihilo seciùs sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ pro ariete subiectæ, & cum omni opere cõiunctæ, vim fluminis exciperent: & aliæ item supra pontem mediocri spatio: vt si arborem trunci, siue naues deijciendi operis cau- K
sa essent à Barbaris missæ, his defensoribus earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent. Diebus decem, quibus materia cœpta erat comportari, omni opére effecto, exercitus traducitur. Cæsar ad vtranque partem pontis firmo præsidio relicto, in fines Sicambrorum contendit. Interim à compluribus ciuitatibus ad eum legati veniunt: quibus pacem atque amicitiam petentibus, liberaliter respondet, obsidesq; ad se adduci iubet. Sicambri ex eo tempore, quo pons institui cœptus est, fuga comparata, hortantibus ijs, quos ex Tenchtheris atque Vsipetibus apud se habebant, finibus suis excesserant, suaq; omnia exportauerant, séque in solitudinem

Rhenus, pop. Rom. imperij terminus.

Vbij.

Populi Romani terror.

Nauibus Rhenum transmittere indignatur Cæsar.

Pontis in Rheno à Cæsare facti ratio & forma.

Sicambri.

Sicambrorum legati ad Cæsarem.

A dinem ac syluas abdiderant. Cæsar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis ædificijsque incensis, frumentisque succensis, se in fines Vbiorum recepit: atque his auxilium suum pollicitus, si à Sueuis premerentur, hæc ab ijs cognouit, Sueuos postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo concilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, vti de oppidis demigrarent: liberos, vxores, suaque omnia in syluis deponerent: atque omnes qui arma ferre possent, vnum in locum conuenirent: hunc esse delectum medium ferè regionum earum, quas Sueui obtinerent: hic Romanorum aduentum expectare, atque ibi decertare constituisse. Quod vbi Cæsar comperit, omnibus his rebus con- *Sueuorum mos.*

B fectis, quarum rerum causa exercitũ traducere constituerat, vt Germanis metum iniceret, vt Sicambros vlcisceretur, vt Vbios obsidione liberaret, diebus omninò XVIII. trans Rhenum consumptis, satis & ad laudem & ad vtilitatem profectum arbitratus, se in Galliam recepit, pontemque rescidit. † Exigua parte æstatis reliqua, Cæsar, etsi in his locis (quòd omnis Gallia ad Septentrionem vergit) maturæ sunt hyemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quòd omnibus ferè Gallicis bellis, hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat. Etsi tempus anni ad bellum gerendum deficeret: tamen magno sibi vsui fore arbitrabatur, si modò Insulam adisset, & genus hominum perspexisset: loca, portus, adi- 5 *Hyemes in Gallia matura.* *Britannia adeunda Cæsari causa.*

C tus cognouisset: quæ omnia ferè Gallis erant incognita. Neque enim temerè præter mercatores adit ad illos quisquam: neque ijs ipsis quicquam præter oram maritimam, atque eas regiones, quæ sunt contra Galliam, notum est. Itaque conuocatis ad se vndique mercatoribus, neque quanta esset Insulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, neque quem vsum belli haberent, aut quibus institutis vterentur, neque qui essent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus, reperire poterat. Ad hæc cognoscenda, priùs quàm periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusenum cum naui longa præmittit. Huic mandat, vt exploratis omnibus rebus, ad se quamprimum reuertatur. Ipse cum om- *Britanniam ferè nõ nisi mercatores adeunt.* *C. Volusenus.*

D nibus copijs in Morinos proficiscitur, quòd inde erat breuissimus in Britanniam traiectus. Huc naues vndique ex finitimis regionibus, & quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat classem, iubet conuenire. Interim consilio eius cognito, & per mercatores perlato ad Britannos, à compluribus eius Insulæ ciuitatibus ad eum legati veniunt: qui polliceantur obsides dare, atque imperio populi Rom. obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus, hortatusque, vt in ea sententia permanerent, eos domum remittit: & cum his vnà Comium, quem ipse Atrebatibus superatis, regem ibi constituerat, cuius & virtutem & consilium probabat, & quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiusq; authoritas in his regionibus *à Morinis traiectus in Britanniam breuißimus.* *Britannorum legati ad Cæsarem.* *Comius Atrebatensium rex.*

E magna habebatur, mittit. Huic imperat, quas possit, adeat ciuitates, horteturque, vt populi Ro. fidem sequantur: seque celeriter eò venturum nunciet. Volusenus perspectis regionibus omnibus, quantum ei facultas dari potuit, qui naui egredi, & se Barbaris committere non auderet, quinto die ad Cæsarem reuertitur: quæq; ibi perspexisset, renunciat. Dum in his locis Cæsar parandarum nauium causa moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati venerunt: qui se de superioris temporis consilio excusarent, quòd homines Barbari, & nostræ consuetudinis imperiti, bellum populo Rom. fecissent. Seque ea quæ imperàsset, facturos pollicentur. Hæc sibi satis opportunè Cæsar accidisse arbitratus, quòd neque post tergum ho- *Morinorum ad Cæsarem legati.*

stem

ſtem relinquere volebat, neque belli gerendi propter anni tempus facul- F
tatem habebat, neque has tantarum rerum occupationes Britanniæ an-
teponendas iudicabat, magnum his numerum obſidum imperat. Qui-
Naues Cæſaris in Britanniam proficiſcentis.
bus adductis, eos in fidem recipit. Nauibus circiter LXXX. onerarijs
coactis, contractiſque, quot ſatis eſſe ad duas legiones tranſportandas ex-
iſtimabat, quicquid prætereà nauium longarum habebat, quæſtori, lega-
tis, præfectiſque diſtribuit. Huc accedebant XVIII. onerariæ naues, quæ
ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur, quò minùs in eun-
dem portum peruenire poſſent. Has equitibus diſtribuit. Reliquum ex-
ercitum Q. Titurio Sabino, & L. Aurunculeio Cottæ legatis, in Menapios,
atque in eos pagos Morinorum, à quibus ad eum legati non venerant, G
P. Sulpitius Rufus legatus.
ducendum dedit. P. Sulpitium Rufum legatum cum eo præſidio, quod
ſatis eſſe arbitrabatur, portum tenere iuſſit. His conſtitutis rebus, na-
Cæſar in Britanniã traijcit.
ctus idoneam ad nauigandum tempeſtatem, tertia ferè vigilia ſoluit: e-
quiteſque in vlteriorem portum progredi, & naues conſcendere, ac ſe ſe-
qui iuſſit: à quibus cùm id paulò tardiùs eſſet adminiſtratum, ipſe hora
Britanni Cæſari in armis occurrunt.
circiter diei quarta cum primis nauibus Britanniam attigit: atque ibi in
omnibus collibus expoſitas hoſtium copias armatas conſpexit. Cuius lo-
ci hæc erat natura, atque ita montibus anguſtis mare continebatur, vt
ex locis ſuperioribus in littus telum adijci poſſet. Hunc ad egredien-
dum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naues eò con- H
uenirent, ad horam nonam in anchoris expectauit. Interim legatis tri-
buniſque militum conuocatis, & quæ ex Voluſeno cognouiſſet, & quæ
fieri vellet, oſtendit: monuitque (vt rei militaris ratio, maximeque vt res
maritimæ poſtularent) vt quàm celerem atque inſtabilem motum ha-
berent, ad nutum & ad tempus omnes res ab his adminiſtrarentur. His
dimiſſis, & ventum & æſtum vno tempore nactus ſecundum, dato ſigno,
& ſublatis anchoris, circiter millia paſſuum octo ab eo loco progreſſus,
aperto ac plano littore naues conſtituit. At Barbari conſilio Romanorum
Eſſedariorum vſus in prælijs apud Britannos.
cognito, præmiſſo equitatu, & eſſedarijs (quo plerunque genere in præ-
lijs vti conſueuerunt) reliquis copijs ſubſecuti, noſtros nauibus egredi I
Cæſarianorum apud Britannos difficultates.
prohibebant. Erat ob has cauſas ſumma difficultas, quòd naues pro-
pter magnitudinem niſi in alto conſtitui non poterant. Militibus autem
ignotis locis, impeditis manibus, magno & graui onere armorum preſ-
ſis, ſimul & de nauibus deſiliendum, & in fluctibus conſiſtendum, &
cum hoſtibus erat pugnandum: cùm illi aut ex arido, aut paululum in a-
quam progreſſi, omnibus membris expediti, notiſſimis locis, audacter te-
la conijcerent, & equos aſſuefactos incitarent. Quibus rebus noſtri per-
territi, atque huius omninò generis pugnæ imperiti, non eadem alacritate
ac ſtudio, quo in pedeſtribus vti prælijs conſueuerant, vtebantur. Quod
Cæſaris prudentia.
vbi Cæſar animaduertit, naues longas (quarum & ſpecies Barbaris inuſi- K
tatior, & motus ad vſum expeditior erat) paulùm remoueri ab onerarijs
nauibus, & remis incitari, & ad latus apertum hoſtium conſtitui, atque
inde fundis, tormentis, ſagittis, hoſtes propelli ac ſummoueri iuſſit: quæ
res magno vſui noſtris fuit. Nam & nauium figura, & remorum motu, &
inuſitato genere tormentorum permoti Barbari, conſtiterunt, ac paulùm
Britanni pedem referunt.
modò pedem retulerunt. Atque noſtris militibus cunctantibus, maximè
Decimæ legionis aquiliferi virtus.
propter altitudinem nauis: qui decimæ legionis aquilam ferebat, conteſta-
tus deos, vt ea res legioni feliciter eueniret, Deſilite, inquit, commilitones,
niſi vultis aquilam hoſtibus prodere: ego certè meum Reipublicæ atque
Impe-

A Imperatori officium præstitero. Hoc cùm magna voce dixiſſet, ſe ex naui proiecit, atque in hoſteis aquilam ferre cœpit. Tum noſtri cohortati inter ſe, ne tantum dedecus admitteretur, vniuerſi ex naui deſilierunt. Hos item alij ex proximis primis nauibus cùm conſpexiſſent, ſubſecuti, hoſtibus appropinquârunt. Pugnatum eſt ab vtriſque acriter. *Cæſarianorum cum Britannis pugna.* Noſtri tamen, quòd neque ordines ſeruare, neque firmiter inſiſtere, neque ſigna ſubſequi poterant, atque alius alia ex naui quibuſcunque ſignis occurrerat, ſe aggregabat, magnoperè perturbabantur. Hoſtes verò, notis omnibus vadis, vbi ex littore aliquos ſingulares ex naui egredientes conſpexerant: incitatis equis, impeditos adoriebantur. Plu-

B res paucos circunſiſtebant. Alij ab latere aperto in vniuerſos tela conijciebant. Quod cùm animaduertiſſet Cæſar, ſcaphas longarum nauium, *Scapha.* item ſpeculatoria nauigia militibus compleri iuſſit: & quos laborantes conſpexerat, ijs ſubſidia ſummittebat. *Speculatoria nauigia.* Noſtri ſimul in arido conſtiterunt, ſuis omnibus conſecutis, in hoſtes impetum fecerunt, atque eos in fugam dederunt: neque longiùs proſequi potuerunt, quòd *Britannorum fuga.* equites curſum tenere, atque Inſulam capere non potuerunt. hoc vnum ad priſtinam fortunam Cæſari defuit. † Hoſtes prælio ſuperati, ſimul at- 6
que ſe ex fuga receperunt, ſtatim ad Cæſarem legatos de pace miſerunt: *Cæſaris fortuna.* obſides daturos, quæque imperâſſet, ſeſe facturos polliciti ſunt. Vnà *Britannorum deditio.*

C cum his legatis Comius Atrebas venit, quem ſuprà demonſtrauimus, *Comius Atrebas.* à Cæſare in Britanniam præmiſſum. Hunc illi è naui egreſſum, cùm ad eos oratoris modo Cæſaris mandata deferret, comprehenderant, atque in vincula coniecerant. Tunc prælio facto remiſerunt, & in petenda pace eius rei culpam in multitudinem coniecerunt, & propter imprudentiam vt ignoſceretur, petiuerunt. Cæſar queſtus quòd cùm vltro incontinentem legatis miſſis pacem à ſe petiſſent, bellum ſine cauſa intuliſſent, ignoſcere imprudentiæ dixit, obſideſque imperauit: *Cæſaris clementia.* quorum illi partem ſtatim dederunt: partem ex longinquioribus locis accerſitam, paucis diebus ſeſe daturos dixerunt. Intereà ſuos remigrare in agros iuſ-

D ſerunt: principeſque vndique conuenerunt, & ſe ciuitateſque ſuas Cæſari commendârunt. His rebus pace firmata, poſt diem quartum quàm eſt in Britanniam ventum, naues XVIII. de quibus ſuprà demonſtratum eſt, quæ equites ſuſtulerant, ex ſuperiore portu leni vento ſoluerunt. Quæ cùm appropinquarent Britanniæ, & ex caſtris viderentur: *Tempeſtas maris Cæſaris naues exagitat.* tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt, vt nulla earum curſum tenere poſſet, ſed aliæ eôdem vnde erant profectæ, referrentur: aliæ ad inferiorem partem Inſulæ, quæ eſt propius Solis occaſum, magno ſui cum periculo deijcerentur. Quæ tamen anchoris iactis, cùm fluctibus complerentur, neceſſariò aduerſa nocte in altum prouectæ, continentem petiuerunt. Ea-

E dem nocte accidit, vt eſſet Luna plena: * quæ maritimos æſtus maximos *Luna plena vis in æſtibus maritimis.* in Oceano efficere conſueuit. Noſtriſq; id erat incognitum. Ita vno tempore & longas naues, ** qui dies maritimos.* quibus Cæſar exercitum tranſportandum curauerat, quaſq; in aridum ſubduxerat, æſtus complebat: & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempeſtas afflictabat. Neq; vlla noſtris facultas aut adminiſtrandi aut auxiliandi dabatur. Compluribus nauibus fractis, reliquæ *Nauium Romanarum afflictatio.* cùm eſſent funibus anchoris reliquiſque armamentis amiſſis ad nauigandum inutiles, magna (id quod neceſſe erat accidere) totius exercitus perturbatio facta eſt. Neque enim naues erant aliæ, quibus reportari poſſent, & omnia deerant, quæ ad reficiendas naues erant vſui: & quod omnibus

bus conſtabat hyemare in Gallia oportere, frumentum his in locis in hye- F
mem prouiſum non erat. Quibus rebus cognitis, principes Britanniæ
qui poſt prælium ad Cæſarem conuenerant, inter ſe colloquuti, quum
& equites & naues & frumentum Romanis deeſſe intelligerent, & pau-
citatem militum ex caſtrorum exiguitate cognoſcerent: quæ hoc erant
Rebellio Britannorum. etiam anguſtiora, quòd ſine impedimentis Cæſar legiones tranſporta-
uerat: optimum factu eſſe duxerunt, rebellione facta, frumento commea-
tuque noſtros prohibere, & rem in hyemem producere: quòd his ſupe-
ratis, aut reditu interclufis, neminem poſteà belli inferendi cauſa in Bri-
tanniam tranſiturum confidebant. Itaque rurſus coniuratione facta,
paulatim ex caſtris diſcedere, ac ſuos clàm ex agris deducere cœperunt. G
At Cæſar, etſi nondum eorum conſilia cognouerat, tamen & ex euentu
Intermittere. nauium ſuarum, & ex eo quòd obſides dare intermiſerant, fore id quod
Cæſaris prouidentia accidit, ſuſpicabatur. Itaque ad omneis caſus ſubſidia comparabat. Nam
& frumentum ex agris in caſtra quotidie conferebat, & quæ grauiſſimè
afflictæ erant naues, earum materia atque ære ad reliquas reficiendas v-
tebatur: & quæ ad eas res erant vſui, ex continenti comportari iubebat.
Itaque cùm id ſummo ſtudio à militibus adminiſtraretur, duodecim na-
uibus amiſſis, reliquis vt nauigari commodè poſſet, effecit. Dum ea ge-
runtur, legione ex conſuetudine vna frumentatum miſſa, quæ appella-
Legio ſeptima. batur ſeptima, neque vlla ad id tempus belli ſuſpicione interpoſita, cùm H
pars hominum in agris remaneret, pars etiam in caſtra ventitaret: hi qui
Pulueris excitati iudicium. pro portis caſtrorum in ſtatione erant, Cæſari renunciárunt, puluerem
maiorem quàm conſuetudo ferret, in ea parte videri, quam in partem
legio iter feciſſet. Cæſar id quod erat, ſuſpicatus, aliquid noui à Barba-
ris initum conſilij: cohortes quæ in ſtationibus erant, ſecum in eam
partem proficiſci, ex reliquis duas in ſtationem ſuccedere, reliquas arma-
ri, & confeſtim ſe ſubſequi iuſſit. Cùm paulò longiùs à caſtris proceſſiſ-
ſet: & ſuos ab hoſtibus premi, atque ægrè ſuſtinere, & conferta legione ex
omnibus partibus tela conijci animaduertit. Nam quòd omni ex reli-
quis partibus demeſſo frumento, vna pars erat reliqua, ſuſpicati hoſtes I
huc noſtros eſſe venturos, noctu in ſyluis delituerant. Tum diſperſos de-
poſitis armis in metendo occupatos, ſubitò adorti, paucis interfectis,
reliquos incertis ordinibus perturbauerant, ſimul equitatu atque eſſedis
Pugnæ genus ex eſſedis. circundederant. Genus hoc eſt ex eſſedis pugnæ: primò per omneis partes
perequitant, & tela conijciunt: atque ipſo terrore equorum, & ſtrepitu
rotarum ordines plerunque perturbant: & cùm ſe inter equitum turmas
Aurigæ milites. inſinuauerint, ex eſſedis deſiliunt, & pedites præliantur. Aurigæ interim
paulatim è prælio excedunt, atque ita currus collocant, vt ſi illi à multi-
tudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita
mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in prælijs præſtant: ac tan- K
tum vſu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipi-
ti loco incitatos equos ſuſtinere, & breui moderari ac flectere, & per te-
monem percurrere, & in iugo inſiſtere, & inde ſe in currus citiſſimè re-
cipere conſueuerint. Quibus rebus perturbatis, noſtris nouitate pugnæ,
Cæſar ſuis laborantibus ſuccurrit. tempore opportuniſſimo Cæſar auxilium tulit. Nanque eius aduentu ho-
ſtes conſtiterunt, noſtri ex timore ſe receperunt. Quo facto, ad laceſſen-
dum hoſtem, & committendum prælium, alienum eſſe tempus arbitra-
tus, ſuo ſe loco continuit, & breui tempore intermiſſo, legiones in ca-
ſtra reduxit. Dum hæc geruntur, noſtris omnibus occupatis, qui erant
in agris

A in agris reliqui, discesserunt. Secutæ sunt continuos complures dies tem-
pestates, quæ & nostros in castris continerent, & hostem à pugna prohibe- *Tempestatum vis.*
rent. † Interim Barbari nuncios in omneis partes dimiserunt, paucitatem- 7
que nostrorum militum suis prædicauerunt: & quanta prædæ faciendæ, *Romanorum opprimendorum consiliū.*
atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expu
lissent, demonstrauerunt. His rebus celeriter magna multitudine pedita-
tus equitatusque coacta, ad castra venerunt. Cæsar etsi idem quod supe-
rioribus diebus acciderat, fore videbat, vt si essent hostes pulsi, celeritate
periculum effugerent: tamen nactus equites circiter x x x. quos Comius
Atrebas (de quo antè dictum est) secum transportauerat, legiones in acie
B pro castris constituit. Commisso prælio, diutius nostrorum militum im-
petum hostes ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto spatio *Fuga Britannorum.*
secuti, quantum cursu & viribus efficere potuerunt, complures ex his oc-
ciderunt: deinde omnibus longè lateque ædificijs incensis, se in castra re-
ceperunt. Eodem die legati ab hostibus missi ad Cæsarem, de pace vene- *Britannorum legati ad Cæsarem.*
runt. His Cæsar numerum obsidum quem antè imperauerat, duplicauit,
eosque in continentem adduci iussit. Quòd propinqua die æquinoctij, in- *Hyemis nauigatio periculosa.*
firmis nauibus hyemis nauigationem subeundam non existimabat, ipse
idoneam tempestatem nactus, paulò post mediam noctem naues soluit.
Quæ omnes incolumes ad continentem peruenerunt: sed ex his onerariæ *Cæsaris felicitas.*
C duæ eosdem quos reliquæ portus capere non potuerunt, & paulò infra de-
latæ sunt. Quibus ex nauibus cùm essent expositi milites circiter c c c. at-
que in castra contenderent, Morini quos Cęsar in Britanniam proficiscens *Morini Cæsarianos ex Britannia reduces inuadunt.*
pacatos reliquerat, spe prædæ adducti, primo non ita magno suorum nu-
mero circunsteterunt, ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt.
cùm illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad clamorem, hominum
circiter millia sex conuenerunt. Qua re nunciata, Cæsar omnem è ca-
stris equitatum suis auxilio misit. Interim nostri milites impetum hostium
sustinuerunt, atque ampliùs horis quatuor fortissimè pugnauerunt, & pau *Quatuor horarum pugna.*
cis vulneribus acceptis, complures ex his occiderunt. Posteà verò quam
D equitatus noster in conspectum venit, hostes abiectis armis terga verte-
runt: magnusque eorum numerus est occisus. Cæsar postero die T. La-
bienum legatum cum ijs legionibus, quas ex Britannia reduxerat, in Mo-
rinos, qui rebellionem fecerant, misit. Qui cùm propter paludum sicci- *Paludes Morinorum.*
tatem, quò se reciperent, non haberent (quo perfugio superiore anno fue-
rant vsi) omnes ferè in potestatem Labieni venerunt. At Q. Titurius, & L. *Morini in potestatem Ro. rediguntur.*
Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eo- *Menapiorum agri vastati.*
rum agris vastatis, frumentis succisis, ædificijsque incensis, quòd Mena-
pij se omnes in densissimas syluas abdiderant, ad Cæsarem se receperunt.
Cæsar in Belgis omnium legionum hyberna constituit. Eò duæ om-
E ninò ciuitates ex Britannia obsides miserunt: reliquæ ne-
glexerunt. His rebus gestis, ex literis Cæsaris die- *Supplicatio Cæsari decreta.*
rum x x. supplicatio à Senatu
decreta est.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER V.

Libri quinti capita.

1 *Cæsar naues parari iubet, Pirustas in Illyrico compescit.*

2 *Induciomari & Cingentorigis, qui de Treuirorum principatu inter se contendebant, deditio.* G

3 *Dumnorix AEduus ob rebellionem, Cæsaris imperio, fortiter tamen pugnans, necatur.*

4 *Cæsaris in Britanniam transitus, primaq́; ipsius cum Britannis pugna.*

5 *Insulæ Britanniæ natura, & simul Insulanorum mores describuntur.*

6 *Britannorum ex prælio fuga & calamitas.*

7 *Cassiuellauni ducis oppidum media in sylua capitur: Britanniaq́; in deditionem recipitur.*

8 *Galliæ totius defectio & tumultus vnum in diem collatus, & ab Ambiorige indicatus.*

9 *Duorum Cæsaris legatorum difficilis consultatio super Ambiorigis indicio.* H

10 *Eorundem legatorum, & totius exercitus Rom. internecio.*

11 *Q. Ciceronis castra grauiter à Neruijs oppugnata, inibiq́; de duorum inimicorum virtute, & defensione mutua.*

12 *Cæsar de Ciceronis periculo certior factus ad eum cum subsidio venit, fusosq́; hostes profligat.*

13 *Gallorum de rebellando consilia Cæsaris prudentia oppressa: & Labieni de Induciomaro Treuirorum principe victoria.*

1 *Cæsar quotannis in Italiam ibat.* *Nauium Cæsarianarum forma.* ** subductiores, paulòq; sa.* ** magis magnos.*

Lvcio Domitio, Appio Claudio consulibus, discedens ab hybernis Cæsar in Italiam, vt quotannis facere consueuerat, legatis imperat, quos legionibus præfecerat, vti quamplurimas possent hyeme naues ædificandas, veteresque reficiendas curarent. Earum modum formamque demonstrat: ad celeritatem onerandi, * subductionesque, paulò facit humiliores, quàm quibus in nostro mari vti consueuimus: atque ideò magis, quod propter crebras commutationes æstuum * minùs magnos ibi fluctus fieri cognouerat. ad onera, & ad multitudinem iumentorum transportandam, paulò latiores, quàm K quibus in reliquis vtimur maribus. *Actuaria naues.* Has omnes actuarias imperat fieri: *Humilitatis nauium vsus.* quam ad rem humilitas multùm adiuuat. Ea quæ sunt vsui ad armandas naueis, ex Hispania apportari iubet. Ipse conuentibus Galliæ citerioris peractis, in Illyricum proficiscitur, quòd à Pirustis finitimam partem *Pirustæ.* prouinciæ incursionibus vastari audiebat. Eò cùm venisset, ciuitatibus milites imperat, certumque in locum conuenire iubet. Qua re nunciata, Pirustæ legatos ad eum mittunt: *Pirustarum ad Cæsarem legatio.* qui doceant, nihil earum rerum publico factum consilio, seseque paratos esse demonstrant omnibus rationibus de iniurijs satisfacere. Accepta oratione eorum, Cæsar obsides imperat, eosque ad certam diem adduci iubet. Nisi ita fecerint, sese bello ciui-

A ciuitatem persecuturum demonstrat. His ad diem adductis, vt imperauerat, arbitros inter ciuitates dat, qui litem æstiment, pœnamq; constituant. His confectis rebus, conuentibusque peractis, in citeriorem Galliam reuertitur, atque inde ad exercitum proficiscitur. Eò cùm venisset, circuitis omnibus hybernis, singulari militum studio, in summa rerum omnium inopia, circiter sexcentas eius generis, cuius suprà demonstrauimus, naueis, & longas duodetriginta inuenit constructas: neque multùm abesse ab eo, quin paucis diebus deduci possent. Collaudatis militibus, atque ijs, qui negocio præfuerant, quid fieri, ostendit: atque omneis ad portum Itium conuenire iubet: quo ex portu commodissimum in Britanniam tra- B iectum esse cognouerat, circiter millium passuum x x x. transmissum à continenti. Huic rei quod satis esse visum est militum, relinquit: ipse cum legionibus expeditis quatuor, & equitibus octingentis in fines Treuirorum proficiscitur: quòd hi neque ad concilia veniebant, neque imperio parebant, Germanosque transrhenanos solicitare dicebantur. Hæc ciuitas longè plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnasque habet copias peditum, Rhenumque (vt suprà demonstrauimus) tangit. † In ea ciuitate duo de principatu inter se contendebant, Induciomarus, & Cingentorix: 2 è quibus alter simul atque de Cæsaris legionumque aduentu cognitum est, ad eum venit: se, suosque omneis in officio futuros, neque ab amici- C tia populi Romani defecturos confirmauit: quæque in Treuiris gererentur, ostendit. At Induciomarus equitatum peditatumque cogere, ijsque qui per ætatem in armis esse non poterant, in syluam Arduennam abditis (quæ ingenti magnitudine per medios fines Treuirorum à flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet) bellum parare instituit. Sed posteaquàm nonnulli principes ex ea ciuitate, & familiaritate Cingentorigis adducti, & aduentu nostri exercitus perterriti, ad Cæsarem venerunt, & de suis priuatim rebus ab eo petere cœperunt, quoniam ciuitati consulere non possent: veritus ne ab omnibus desereretur Induciomarus, legatos ad Cæsarem mittit: sese idcirco à suis discedere, atque ad eum ve- D nire noluisse, quò faciliùs ciuitatem in officio contineret, ne omnis nobilitatis discessu, plebs propter imprudentiam laberetur. Itaque esse ciuitatem in sua potestate, seseque, si Cæsar permitteret, ad eum in castra venturum, & suas ciuitatisque fortunas eius fidei permissurum. Cæsar etsi intelligebat, qua de causa ea dicerentur, quæque eum res ab instituto consilio deterreret: tamen ne æstatem in Treuiris consumere cogeretur, omnibus ad Britannicum bellum rebus comparatis, Induciomarum ad se cum c c. obsidibus venire iussit. His adductis, & in his filio, propinquisque eius omnibus, quos nominatim euocauerat, consolatus Induciomarum, hortatusq; est vti in officio permaneret. Nihilo tamen secius princi- E pibus Treuirorum ad se conuocatis, eos sigillatim Cingentorigi conciliauit. Quod cùm merito eius à se fieri intelligebat: tum magni interesse arbitrabatur, eius authoritatem inter suos quàm plurimum valere, cuius tam egregiam in se voluntatem perspexisset. Id factum grauiter tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui: & qui iam antè inimico in nos animo fuisset, multò grauiùs hoc dolore exarsit. His rebus cõstitutis, Cæsar ad portum Itium cum legionibus peruenit. ibi cognoscit, * x l. naueis, quæ in * Meldis factæ fuerant, tẽpestate reiectas, cursum tenere non potuisse, atq; eòdem vnde erant profectæ, reuertisse: reliquas paratas ad nauigandũ, atq; omnib. rebus instructas inuẽnit. Eòdem equitatus totius Galliæ cõuẽnit,

Cæsarianorum militum industria.

Portus Itius, abi tũdo seu eundo, qui nunc Caletum, seu Calitium.

Treuirorum ciuitas

Induciomarus. Cingentorix.

Arduenna sylua.

Induciomarũ Cæsar consolatur.

* LX.

* Belgis.

numero millium quatuor, principesque ex omnibus ciuitatibus: ex quibus perpaucos (quorum in se fidem perspexerat) relinquere in Gallia, reliquos obsidum loco secum ducere decreuerat, quòd cùm ipse abesset, motum Galliæ verebatur. E

Galliæ motum Cæsar veretur.

3 motum Galliæ verebatur. † Erat vnà cum cæteris Dumnorix Heduus, de quo à nobis antè dictum est. Hunc secum habere in primis constituerat, quòd eum cupidum rerum nouarum, cupidum imperij, magni animi, magnæque inter Gallos authoritatis cognouerat. Accedebat huc, quòd in concilio Heduorum Dumnorix dixerat, sibi à Cæsare regnum ciuitatis deferri. quod dictum Hedui grauiter ferebant, neque recusandi aut deprecandi causa legatos ad Cæsarem mittere audebant. Id factum ex suis hospitibus Cæsar cognouerat. Ille omnibus primò precibus petere contendit, vt in Gallia relinqueretur, partim quòd insuetus nauigandi mare timeret, partim quòd religionibus sese diceret impediri. Posteaquàm id obstinate sibi negari vidit: omni spe impetrandi adempta, principes Galliæ solicitare, reuocare singulos, hortarique cœpit, vt in continenti remanerent: metu territare, non sine causa fieri, vt Gallia omni nobilitate spoliaretur. Id esse consilium Cæsaris, vt quos in conspectu Galliæ interficere vereretur, hos omnes in Britanniam traductos necaret. Fidem reliquis interponere, iusiurandum poscere, vt quod esse ex vsu Galliæ intellexissent, communi consilio administrarent. Hæc à compluribus ad Cæsarem deferebantur. Qua re cognita, Cæsar, quòd tantùm ciuitati Heduæ dignitatis tribuebat, coërcendum atque deterrendum quibuscunque rebus posset Dumnorigem statuebat: quod longiùs eius amentiam progredi videbat, prospiciendum nequid sibi ac Reipublicæ nocere posset. Itaque dies circiter XXV. in eo loco commoratus, quòd Corus ventus nauigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consueuit: dabat operã, vt in officio Dumnorigẽ contineret, nihilo tamen secius omnia eius consilia cognosceret. Tandem idoneam tempestatem nactus, milites equitesque conscendere naues iubet. At impeditis omnium animis, Dumnorix cum equitibus Heduorum à castris insciente Cæsare domum discedere cœpit. Qua re nunciata, Cæsar intermissa profectione, atque omnibus rebus postpositis, magnam partem equitatus ad eum insequendum mittit, retrahique imperat: si vim faciat, neque pareat, interfici iubet, nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus, qui præsentis imperium neglexisset. Ille autem reuocatus, resistere, ac se manu defendere, suorumque fidem implorare cœpit, sæpè clamitans liberum se, liberæq; ciuitatis esse. Illi, vt erat imperatum, circunsistunt hominem, atq; interficiunt. Atque equites Hedui ad Cæsarem omnes reuertuntur.

Dumnorix Cæsari suspectus. G *Dumnorix Galliæ principes à Cæsare abalienare molitur.* H *Corus ventus.* I *Facere pro sano.* *Dumnorigis cædes.*

4 † His rebus gestis, Labieno in continente cum tribus legionibus & equitum millibus duobus relicto vt portus tueretur, & * rei frumentariæ prouideret, quæq; in Gallia gererentur, cognosceret, consiliumque pro tempore & pro re capere: ipse cum legionibus quinque, & pari numero equitum, quem in continente reliquerat, ad Solis occasum naues soluit, & leni Africo prouectus, media circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit: & longiùs delatus æstu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum rursus æstus commutationem secutus, remis contendit, vt eam partem Insulę caperet, qua optimum esse egressum, superiore æstate cognouerat. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui victorijs grauibusq; nauigijs, non intermisso remigandi labore, longarum nauium cursum adæquârunt. Accessum est ad Britaniam omnibus nauibus meridiano ferè tempore: ne- K

** rem frumentariã.* *Cæsar in Britãniam nauigat.* *Militum Cæsarianorum virtus.*

A re: neque in eo loco hostis est visus: sed, vt posteà Cæsar ex captiuis comperit, cùm magnæ manus eò conuenissent, multitudo nauium perterritæ (quæ cum * annotinis, priuatisque, quas sui quisque commodi causa fecerat, ampliùs octingentæ vno erant viso tempore) à littore discesserant, ac se in superiora loca abdiderant. Cæsar exposito exercitu, ac loco castris idoneo capto, vbi ex captiuis cognouit, quo in loco hostium copiæ consedissent: cohortibus decem ad mare relictis, & equitibus trecentis, qui præsidio nauibus essent, de tertia vigilia ad hostes contendit, eò minus * veritus nauibus, quòd in littore molli atque aperto deligatas ad anchoras relinquebat: & præsidio nauibus Q. Atrium præfecit. Ipse noctu

**publicis priuatis. Sunt autem annotinæ, naues quibus annona vehitur.*

**Veteris nauibus.*

Q. Atrius nauibus præfectus.

B progressus millia passuum circiter XII. hostium copias conspicatus est. Illi equitatu atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore nostros prohibere, & prælium committere cœperunt. Repulsi ab equitatu, se in syluas abdiderunt, locum nacti egregiè & natura & opere munitum; quem domestici belli (vt videbatur) causa iam antè præparauerant. Nam crebris arboribus succisis, omnes introitus erant præclusi. Ipsi ex syluis rari propugnabant, nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis septimæ testudine facta, & aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt, eosque ex syluis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longiùs Cæsar persequi vetuit, & quòd loci

Prælium et fuga Britannorum.

Syluarum refugiũ.

C naturam ignorabat, & quòd magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat. Postridiè eius diei manè tripartitò milites equitesq; in expeditionem misit, vt eos qui fugerant, persequerentur. His aliquantùm itineris progressis, cùm iam extremi essent in conspectu, equites à Q. Atrio ad Cæsarem venerunt, qui nunciarent superiori nocte maxima coorta tempestate propè omnes naues afflictas, atque in littus eiectas esse, quòd neque anchoræ funesque subsisterent, neque nautæ gubernatoresque vim tempestatis pati possent. Itaque ex eo concursu nauium, magnum esse incommodum acceptum. His rebus cognitis, Cæsar legiones equitatumque reuocari, atque itinere desistere

Naues Cæsaris afflictæ.

D re iubet. Ipse ad naues reuertitur. Eadem ferè quæ ex nuncijs literisque cognouerat, coràm perspicit, sic vt amissis circiter * XL. nauibus, reliquæ tamen refici posse magno negocio viderentur. Itaque ex legionibus fabros deligit, & ex continente alios accersiri iubet. Labieno scribit, vt quàm plurimas posset, his legionibus, quæ sunt apud eum, naues instituat. Ipse, etsi res erat multi operis ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omneis naues subduci, & cum castris vna munitione coniungi. In his rebus circiter dies X. consumit, nec nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. Subductis nauibus, castrisque egregiè munitis, easdem copias, quæ anteà præsidio nauibus fuerant,

XL. naues amissæ.

**quadringentis.*

Naues subductæ.

E relinquit: ipse eodem vnde redierat, proficiscitur. Eò cùm venisset, maiores iam vndiq; in eum locum copiæ Britannorum conuenerant. Summa imperij, belliq; administrandi, communi consilio permissa est Cassiuellauno: cuius fines à maritimis ciuitatibus flumen diuidit, quod appellatur Thamesis, à mari circiter millia passuum LXXX. Huic superiore tempore cum reliquis ciuitatibus continentia bella intercesserant: sed nostro aduentu permoti Britanni, hunc toti bello imperioq; præfecerant. † Britanniæ pars 5
interior ab ijs incolitur, quos natos in Insula ipsi memoria proditũ dicunt: maritima pars ab ijs, qui prædæ ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt: qui omnes ferè his nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex

Cassiuellaunus dux Britannorum.

Thamesis flu.

Britanniæ incolæ diuersi.

ciuitatibus eò peruenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros F
Britannorum infinita multitudo. colere cœperunt. Hominum est infinita multitudo, creberrimaque ædificia ferè Gallicis consimilia. Pecoris magnus numerus. Vtuntur autem
Aereo nummo, & annulis ferreis pro nummo. numo æreo, aut anulis ferreis ad certum pondus examinatis pro numo.
Nascitur ibi plumbum album in Mediterraneis regionibus: in maritimis
Plumbum album in Britannia. ferrum, sed eius exigua est copia. ære vtuntur importato. Materia cuiusque generis, vt in Gallia est, præter fagum, atque abietem. Leporem, &
Britanni quibus cibis abstineant. gallinam, & anserem gustare fas non putant. Hæc tamen alunt animi vo-
Britannia temperatior Gallia, minúsque frigida. luptatisque causa. Loca sunt temporatiora quàm in Gallia, remissioribus frigoribus. Insula natura triquetra, cuius vnum latus est contra Galliam.
Cantium. huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quò ferè omnes ex Gal- G
lia naues appelluntur, ad orientem Solem, inferior ad Meridiem spe-
** Hoc pertinet circiter.* ctat. Hoc * latus tenet circiter millia passuum quingenta. Alterum ver-
Ibernia Insula. git ad Hispaniam, atque occidentem Solem, qua ex parte est Ibernia, dimidio minor (vt existimatur) quàm Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam. In hoc medio cursu est Insula, quæ
Mona Insula. appellatur Mona. Complures præterea minores subiectæ Insulæ existi-
Nox triginta dierũ. mantur: de quibus Insulis nonnulli scripserunt dies continuos triginta sub bruma esse noctem. Nos nihil de eo percontationibus reperiebamus,
Noctes in Britannia quàm in continente breuiores. nisi quòd certis ex aqua mensuris breuiores esse quàm in continente noctes videbamus. Huius est longitudo lateris, vt fert illorum opinio, se- H
ptingentorum millium passuum. Tertium est contra Septentrionem: cui parti nulla est obiecta terra, sed eius angulus lateris maximè ad Germa-
Britanniæ ambitus. niam spectat. Hoc millia passuum octingenta in longitudinem esse arbitrantur. Ita omnis Insula est in circuitu vicies centena millia passuum.
Britannorum mores. Ex his omnibus longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt: quæ regio est maritima omnis, neque multum à Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte & carne viuunt,
Glasto se Britanni inficiunt. pellibusque sunt vestiti. Omnes verò se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc horridiore sunt in pugna aspectu:
capilloque sunt promisso, atque omni parte corporis rasa, præter caput, I
Vxores communes apud Britannos. & labrum superius. Vxores habent deni duodenique inter se communes, & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Sed si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primum virgines
Prælium. quæque ductæ sunt. Equites hostium, essedarijque, acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt, ita tamen, vt nostri omnibus partibus superiores fuerint, atque eos in syluas collesque compulerint: sed compluribus interfectis, cupidius insecuti, nonnullos è suis amiserunt. At illi intermisso spatio, imprudentibus nostris, atque occupatis in munitione castrorum, subitò se ex syluis eiecerunt: impetuque in eos fa-
cto, qui erant in statione pro castris collocati, acriter pugnauerunt: dua- K
busque missis subsidio cohortibus à Cæsare, atque his primis legionum duarum, cùm hæ perexiguo intermisso loci spatio inter se constitissent, nouo genere pugnæ perterritis nostris, per medios audacissimè perrupe-
Q. Laberij Duri mors. runt, seque inde incolumes receperunt. Eo die Q. Laberius Durus Tribunus militum interficitur: illi pluribus submissis cohortibus repelluntur. Toto hoc in genere pugnæ, cùm sub oculis omnium, ac pro ca-
Romani armis graues. stris dimicaretur, intellectum est nostros propter grauitatem armorum, quòd neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere auderent, minùs aptos esse ad huius generis hostem: equites autẽ magno cum periculo dimi-

A dimicare, proptereà quòd illi etiam consultò plerunque cederent, & cùm paululum ab legionibus nostros remouissent, ex essedis desilirent, & pedibus dispari prælio contenderent. Equestris autem prælij ratio, & cedentibus & insequentibus par atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, vt nunquam conferti, sed rari, magnisque interuallis præliarentur, stationésque dispositas haberent, atque alios alij deinceps exciperent, integriq; & recentes defatigatis succederent. Postero die procul à castris hostes in collibus constiterũt, rariq; se ostendere, & lentiùs quàm pridiè nostros equites prælio lacessere cœperunt. Sed meridie, cùm Cæsar pabulandi causa tres legiones atque omnem equitatum cum C. Tre-
B bonio legato misisset, repentè ex omnibus partibus ad pabulatores aduolauerunt. Sicvti à signis legionibusque non absisterent, nostri acriter in eos impetu facto repulerunt: neque finem insequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites (cùm post se legiones viderent) præcipites hostes egerunt: magnoque eorum numero interfecto, neque sui colligendi, neq; consistendi, aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt. Ex hac fuga protinùs quæ vndiq; conuenerant auxilia, discesserunt: neq; post id tempus vnquam summis nobiscum copijs hostes contenderunt. Cæsar cognito consilio eorum, ad flumen Thamesim in fines Cassiuellauni exercitum duxit: quod flumen vno omnino loco pedibus, atque
C hoc ægrè, transiri potest. Eò cùm venisset, animaduertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. Ripa autem erat acutis sudibus præfixis munita. Eiusdémque generis sub aqua defixæ sudes flumine tegebantur. His rebus cognitis à captiuis perfugisque, Cæsar præmisso equitatu confestim legiones subsequi iussit. Sed ea celeritate atque eo impetu milites ierunt, cùm capite solo ex aqua extarent, vt hostes impetum legionum atque equitum sustinere non possent, ripasq; dimitterent, ac se fugæ mandarent. Cassiuellaunus (vt suprà demonstrauimus) omni deposita spe contentionis, dimissis amplioribus copijs, millibus circiter quatuor essedariorum retentis, itinera nostra seruabat, paululumq;
D ex via excedebat, locisque impeditis ac syluestribus sese occultabat, atque ijs regionibus quibus nos iter facturos cognouerat, pecora atq; homines ex agris in syluas compellebat. Et cùm equitatus noster liberiùs prædandi vastandiq; causa se in agros * effunderet, omnibus vijs semitisq; essedarios ex syluis emittebat, & magno cum periculo nostrorum equitum cum his confligebat: atque hoc metu latiùs vagari prohibebat. Relinquebatur, vt neque longiùs ab agmine legionum discedi Cæsar pateretur: & tantùm in agris vastandis, incendijsque faciendis hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarij milites efficere poterant. † Interim 7 Trinobantes, propè firmissima earum regionum ciuitas (ex qua Man-
E dubratius adolescens Cæsaris fidem secutus, ad eum in continentem Galliam venerat, cuius pater Imanuentius in ea ciuitate regnum obtinuerat, interfectúsque erat à Cassiuellauno, ipse fuga mortem vitauerat) legatos ad Cæsarem mittunt, pollicenturq; sese ei dedituros, & imperata facturos: perunt, vt Mandubratium ab iniuria Cassiuellauni defendat, atq; in ciuitatem mittat, qui præsit, imperiumque obtineat. His Cæsar imperat obsides quadraginta, frumentúmque exercitui: Mandubratiumque ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt: obsides ad numerum, frumentumq; miserunt. Trinobantibus defensis, atque ab omni militum iniuria prohibitis, Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Cassi, legatio-

Britannorum pugnandi ratio.

C. Trebonius legatus.

Thamesis fl.

* discurrerent.

Trinobantes ciuitas.

Mandubratius.

Imanuentius.

Britannia populi in Cæsaris potestatẽ se dedentes. *Oppidum.*

nibus missis sese Cæsari dedunt. Ab his cognoscit non longè ex eo loco op- F
pidum Cassiuellauni abesse, syluis paludibúsque munitum: quo satis ma-
gnus hominum pecorúmque numerus conuenerit. Oppidum autem
Britanni vocant, cùm syluas impeditas vallo fossaque munierunt, quò in-
cursionis hostium vitandæ causa conuenire consueuerunt. Eò proficisci-
tur cum legionibus. Locum reperit egregiè natura atque opere munitum.
Tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit. Hostes paulisper
morati, militum nostrorum impetum non tulerunt, seseq; ex alia parte
oppidi eiecerunt. Magnus ibi numerus pecorum repertus, multique in
fuga sunt comprehensi, atque interfecti. Dum hæc in his locis gerun-

Cantium. *Reges Britannicĩ quatuor.*

tur, Cassiuellaunus ad Cantium (quod esse ad mare suprà demonstra- G
uimus, quibus regionibus quatuor Reges præerant, Cingentorix, Car-
uilius, Taximagulus, Segonax) nuncios mittit, atque his imperat vt
coactis omnibus copijs castra naualia de improuiso adoriantur, atque
oppugnent. Hi cùm ad castra venissent: nostri eruptione facta, mul-

Cingentorix captus. *Cassiuellauni deditio.*

tis eorum interfectis, capto etiam nobili duce Cingentorige, suos in-
columes reduxerunt. Cassiuellanus hoc prælio nunciato, tot detrimen-
tis acceptis, vastatis finibus, maximè etiam permotus defectione ciui-
tatum, legatos per Atrebatem Comium de deditione ad Cæsarem mit-
tit. Cæsar cùm statuisset hyemare in continente propter repentinos
Galliæ motus, neque multum æstatis superesset, atque id facile extrahi H
posse intelligeret: obsides imperat, & quid in annos singulos vectiga-

Britannia vectigalis fit Romanis.

lis populo Romano Britannia penderet, constituit. Interdicit atque im-
perat Cassiuellauno, ne Mandubratio, neu Trinobantibus noceat. Ob-
sidibus acceptis, exercitum reducit ad mare. naues inuenit refectas. His
deductis, quòd & captiuorum magnum numerum habebat, & nonnul-

Commeatibus duobus reportatus ex Britannia Ro. exercitus.

læ tempestate deperierant naues: duobus commeatibus exercitum re-
portare constituit. Ac sic accidit, vt ex tanto nauium numero, tot na-
uigationibus, neque hoc neque superiore anno vlla omnino nauis quæ
milites portaret, desideraretur: at ex ijs quæ inanes ex continente ad
eum remitterentur, & prioris commeatus expositis militibus, & quas I
posteà Labienus faciendas curauerat, numero LX. perpaucæ locum ca-
perent, reliquæ ferè omnes reijcerentur. Quas cùm aliquandiu Cæsar fru-

Aequinoctium.

strà expectâsset: ne anni tempore nauigatione excluderetur, quòd æqui-
noctium suberat, necessariò angustius milites collocauit. Ac summa tran-
quillitate consecuta, secunda inita cùm soluisset vigilia, prima luce terram
8 attigit, omnesque incolumes naues perduxit. † Subductis nauibus, con-

Samarobrina.

cilióque Gallorum Samarobrinæ peracto, quòd eo anno frumentum
in Gallia propter siccitates angustius prouenerat, coactus est aliter ac supe-
rioribus annis exercitum in hybernis collocare, legionésque in plures ci-

Legionum in hyberna distributio. *Q. Cicero.*

uitates distribuere: ex quibus vnam in Morinos ducendam, C. Fabio le- K
gato dedit: Alteram in Neruios, Q. Ciceroni: Tertiam in Essuos, L. Ro-
scio: Quartam in Rhemis cum T. Labieno in confinio Treuirorum hye-
mare iussit. Tres in Belgio collocauit. his M. Crassum quæstorem, & L.
Munatium Plancum, & C. Trebonium legatos præfecit. Vnam legionem,

Eburones. *Ambrorix & Catiuulcus Eburonum principes.*

quā proximè trans Padum conscripserat, & cohortes v. in Eburones: quo-
rum pars maxima est inter Mosam & Rhenum, qui sub imperio Ambio-
rigis & Catiuulci erant, misit. His militibus Q. Titurium Sabinum, &
L. Aurunculeium Cottam legatos præesse iussit. Ad hunc modum di-
stributis legionibus, facillimè inopiæ frumentariæ sese mederi posse exi-
stimauit.

Aſtimauit. Atque harum tamen omnium legionum hyberna (præter eam quam L. Roſcio in pacatiſſimam & quietiſſimam partem ducendam dederat) millibus paſſuum centum continebantur. Ipſe intereà quoad legiones collocatas, munitaque hyberna cognouiſſet, in Gallia morari conſtituit. Erat in Carnutibus ſummo loco natus Taſgetius, cuius maiores in ſua ciuitate regnum obtinuerant. Huic Cæſar pro eius virtute, atque in ſe beneuolentia, quòd in omnibus bellis ſingulari eius opera fuerat vſus, maiorum locum reſtituerat. Tertium hunc iam annum regnantem, inimici palàm, multis etiam ex ciuitate authoribus, interfecerunt. Defertur ea res ad Cæſarem. Ille veritus (quod ad plures res pertine-

Taſgetius Carnutẽſis à ciuibus ſuis cæditur.

B bat) ne ciuitas eorum impulſu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficiſci iubet, ibique hyemare: quorumque opera cognouerit Taſgetium interfectum, hos comprehenſos ad ſe mittere. Interim ab omnibus legatis quæſtoribuſque, quibus legiones tradiderat, certior factus eſt in hyberna peruentum, locumque hybernis eſſe munitum. Diebus circiter XV. quibus in hyberna ventum eſt, initium repentini tumultus ac defectionis ortum eſt ab Ambiorige & Catiuulco: qui cùm ad fines regni ſui Sabino Cottæque præſtò fuiſſent, frumentumque in hyberna comportaſſent: Induciomari * Treuiri nuncijs impulſi, ſuos concitauerunt, ſubitoque oppreſſis lignatoribus, magna

Eburonum defectio.

Induciomarus Treuir.

** & Treuirorum.*

C manu ad caſtra oppugnanda venerunt. Cùm celeriter noſtri arma cepiſſent, vallumque aſcendiſſent, atque vna ex parte Hiſpanis equitibus emiſſis, equeſtri prælio ſuperiores fuiſſent: deſperata re hoſtes ſuos ab oppugnatione reduxerunt. Tum ſuo more conclamauerunt, vti aliqui ex noſtris ad colloquium prodirent: habere ſeſe, quæ de re communi dicere vellent, quibus controuerſias minui poſſe ſperarent. Mittitur ad eos colloquendi cauſa C. Carpineius eques Romanus familiaris Q. Titurij, & Q. Iunius ex Hiſpania quidam, qui iam antè miſſu Cæſaris ad Ambiorigem ventitare conſueuerat. Apud quos Ambiorix ad hunc modum locutus eſt: Seſe pro Cæſaris in ſe beneficijs, plurimum ei confiteri de-

C. Carpineius eques Rom.

Ambiorix Cæſaris beneficiarius.

D bere, quòd eius opera ſtipendio liberatus eſſet, quod Atuaticis finitimis ſuis pendere conſueſſet: quodque ei & filius, & fratris filius ab Cæſare remiſſi eſſent, quos Aduatici obſidum numero miſſos, apud ſe in ſeruitute & catenis tenuiſſent: neque id quod fecerit de oppugnatione caſtrorum, aut iudicio, aut voluntate ſua feciſſe, ſed coactu ciuitatis: ſuaque eſſe eiuſmodi imperia, vt non minùs haberet iuris in ſe multitudo, quàm ipſe in multitudinem. ciuitati porrò hanc fuiſſe belli cauſam, quòd repentinæ Gallorum coniurationi reſiſtere non potuerit. Id ſe facilè ex humilitate ſua probare poſſe, quòd non adeò ſit imperitus rerum, vt ſuis copijs populum Rom. ſuperari poſſe confidat: ſed eſſe Galliæ commune

Gallorum conſilium de oppugnandis hybernis Cæſaris.

E conſilium, omnibus hybernis Cæſaris oppugnandis hunc eſſe dictum diem, ne qua legio alteri legioni ſubſidio venire poſſet. Non facilè Gallos Gallis negare potuiſſe, præſertim cùm de recuperanda communi libertate conſilium initum videretur. quibus quoniam pro pietate ſatisfecerit, habere ſe nunc rationem officij. pro beneficijs Cæſaris monere, orare Titurium pro hoſpitio, vt ſuæ ac militum ſaluti conſulat. magnam manum Germanorum conductam Rhenum tranſiſſe, hanc affore biduo: ipſorum eſſe conſilium, velint ne priùs quàm finitimi ſentiant, eductos ex hybernis milites aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere: quorum alter millia paſſuum circiter quinquaginta, alter paulò ampliùs ab his abſit.

absit. Illud se polliceri, & iureiurando confirmare, tutum se iter per fines F suos daturum. quod cùm faciat, & ciuitati sese consulere, quòd hybernis leuetur: & Cæsari pro eius meritis gratiam referre. Hac oratione habita, discedit Ambiorix. Carpineius & Iunius quæ audierant ad legatos deferunt. illi repentina re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant. Maximeq; hac re permouebantur, quòd ciuitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte populo Rom. bellum facere ausam vix erat credendum. † Itaque ad concilium rem deferunt, magnaq; inter eos existit controuersia. L. Aurunculeius, compluresque Tribuni militum, & primorum ordinum Centuriones, nihil temerè agendum, neque ex hybernis iniussu Cæsaris discedendum existimabant. G quantasuis magnas copias etiam Germanorum sustineri posse munitis hybernis docebant: rem esse testimonio, quòd primum hostium impetum multis vltrò vulneribus illatis, fortissimè sustinuerint. Re frumentaria non premi. Intereà & ex proximis hybernis, & à Cæsare conuentura subsidia. Postremò quid esse leuius aut turpius, quàm authore hoste de summis rebus capere consilium? Contra ea Titurius serò facturos clamitabat, cùm maiores manus hostiū adiunctis Germanis conuenissent, aut cùm aliquid calamitatis in proximis hybernis esset acceptum. Breuem consulendi esse occasionem. Cæsarem arbitrari profectum in Italiam: neque aliter Carnutes interficiendi Tasgetij consilium fluisse capturos: ne- H que Eburones, si ille adesset, tanta * cum contemptione nostri ad castra ventutos esse. Non hostem authorem, sed rem spectare. Subesse Rhenum. Magno esse Germanis dolori Ariouisti mortem, & superiores nostras victorias. Ardere Galliam tot contumelijs acceptis sub populi Romani imperium redactam, superiore gloria rei militaris extincta. Postremò quis hoc sibi persuaderet, sine certa re Ambiorigem ad eiusmodi consilium descendisse? Suam sententiam in vtranque partem esse tutam. Si nil sit durius, nullo cum periculo ad proximam legionem peruenturos. Si Gallia omnis cum Germanis consentiat, vnam esse in celeritate positam salutem. Cottæ quidem, atque eorum qui dissentirent, consilium, quem I habetet exitum? in quo si non præsens periculum sit, at certè longinqua obsidione fames esset timenda. Hac in vtranque partem habita disputatione, cùm à Cotta primisq; ordinibus acriter resisteretur, Vincite, inquit, si ita vultis, Sabinus. & id clariore voce, vt magna pars militum exaudiret. Neque is sum, inquit, qui grauissimè ex vobis mortis periculo terrear. Hi * sapient: & si grauius quid acciderit, abs te rationem reposcent: qui, si per te liceat, perendino die cum proximis hybernis coniuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant, ne reiecti, & relegati longè ab cæteris, aut ferro aut fame intereant. Consurgitur ex concilio: comprehendunt vtrunque, & orant ne sua dissensione & pertinacia rem in sum- K mum periculum deducant: facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur, si modò vnum omnes sentiant, ac probent: contrà in dissensione nullam se salutem perspicere. Res disputatione ad mediam noctem perducitur. tandem dat Cotta manus, permotus superiore sententia Sabini: pronunciatur prima luce ituros. Consumitur vigilijs reliqua pars noctis, cùm sua quisque miles circunspiceret, quid secum portare posset, quid ex instrumento hybernorum relinquere cogeretur. Omnia excogitantur quare nec sine periculo maneatur, & languore militum & vigilijs periculum augeatur. Prima luce sic ex castris profi-

Eburones humiles & ignobiles.

9

Consultatio Romanorum militum absente Cæsare.

* *tanta contentione nostra ad.*

Gallorum in Romanos odia.

* *sapienter si gr.*

Dissensionis malum.

A proficiſcuntur, vt quibus eſſet perſuaſum, non ab hoſte, ſed ab homine
amiciſſimo Ambiorige conſilium datum. Longiſſimo agmine, maximiſq;
impedimentis incedunt. † At hoſtes poſteaquam ex nocturno fremitu 10
vigilijſque de profectione eorū ſenſerunt, collocatis inſidijs bipartitò, in
ſyluis opportuno atque occulto loco à millibus paſſuum circiter duobus *Ambiorigis inſidiæ.*
Romanorum aduentum exſpectabant. Et cùm ſe maior pars agminis in
magnam conuallem demiſiſſet, ex vtraque parte eius vallis ſubitò ſeſe o-
ſtenderunt, nouiſſimóſque premere, & primos prohibere aſcenſu, atque
iniquiſſimo noſtris loco prælium committere cœperunt. Tum demum *Titurij trepidatio.*
Titurius, vt qui nihil ante prouidiſſet, trepidare, & concurſare, cohortéſ-
B que diſponere: hæc tamen ipſa timidè, atque vt eum omnia deficere vi-
derentur: quod plerunque ijs accidere conſueuit, qui in ipſo negocio con-
ſilium capere coguntur. At Cotta, qui cogitâſſet hæc poſſe in itinere ac- *Cottæ virtus ac pru-*
cidere, atque ob eam cauſam profectionis author non fuiſſet, nulla in re *dentia.*
communi ſaluti deerat: & in appellandis cohortandiſque militibus, Im-
peratoris: & in pugna, militis officia præſtabat. Cumq; propter longitu-
dinem agminis minùs facilè per ſe omnia obire, & quid quoque loco faci-
endum eſſet, prouidere poſſent: iuſſerunt pronunciari, vt impedimenta
relinquerent, atque in orbem conſiſterent. quod conſilium etſi in eiuſmo- *Romani in orbem ſe*
di caſu reprehendendum non eſt, tamen incommodè accidit. nam & no- *colligunt aduerſus*
C ſtris militibus ſpem minuit, & hoſtes ad pugnandum alacriores effecit, *hoſtes.*
quod non ſine ſummo timore & deſperatione id factum videbatur. Præ-
tereà accidit, (quod fieri neceſſe erat) vt vulgò milites ab ſignis diſcede-
rent, quæq; quiſque eorum chariſſima haberet, ab impedimentis petere
atque arripere properaret, & clamore ac fletu omnia complerentur. At bar-
baris conſilium non defuit. nam duces eorum tota acie pronunciari iuſ-
ſerunt, ne quis ab loco diſcederet: illorum eſſe prædam, atque illis reſer-
uari quæcunque Romani reliquiſſent: proinde omnia in victoria poſita
exiſtimarent. Erant & virtute & * numero pugnandi pares noſtri. tametſi ** animo.*
à duce & à fortuna deſerebantur, tamen omnem ſpem ſalutis in virtute *Romanorum militū*
D ponebant: & quoties quæq; cohors procurrerat, ab ea parte magnus ho- *virtus.*
ſtium numerus cadebat. Qua re animaduerſa, Ambiorix pronunciari iu- *Ambiorigis ſtrata-*
bet, vt procul tela conijciant, neu propiùs accedant: & quam in partem *gema.*
Romani impetum fecerint, cedant: (leuitate armorum, & quotidiana ex-
ercitatione nihil his noceri poſſe) rurſus ſe ad ſigna recipientes inſequan-
tur. Quo præcepto ab his diligentiſſimè obſeruato, cùm quæpiam cohors *Pugnæ ratio aſtuta.*
ex orbe exceſſerat, atque impetum fecerat, hoſtes velociſſimè refugie-
bant. Interim eam partem nudari neceſſe erat, & ab latere aperto tela
recipi. Rurſus cùm in eum locum vnde erant egreſſi, reuerti cœperant:
& ab ijs qui ceſſerant, & ab ijs qui proximi ſteterant, circunueniebAN-
E tur. Sin autem locum tenere vellent, neque virtuti locus relinqueba-
tur, neque à tanta multitudine coniecta tela conferti vitare poterant.
Tamen tot incommodis conflictati, multis vulneribus acceptis, reſi-
ſtebant: & magna parte diei conſumpta, cùm à prima luce ad horam *Romanorū magna-*
octauam pugnaretur, nihil quod ipſis eſſet indignum, committebant. *nimitas.*
Tum T. Baluentio, qui ſuperiore anno primumpilum duxerat, viro *T. Baluētij & Q. Lu-*
forti, & magnæ authoritatis, vtrunque femur tragula traijcitur. Q. *canij mors.*
Lucanius eiuſdem ordinis fortiſſimè pugnans, dum circunuento filio
ſubuenit, interficitur. L. Cotta legatus omnes cohortes ordinéſque
adhortans, in aduerſum os funda vulneratur. His rebus permotus

Q. Ti-

Cn. Pompeius Q. Titurij interpres.

Q. Titurius, cùm procul Ambiorigem ſuos cohortantem conſpexiſſet, in- F
terpretem ſuum Cn. Pompeium ad eum mittit rogatum, vt ſibi militibúſ-



G

H

I

que parcat. Ille appellatus reſpondit, ſi velit ſecum colloqui, licere: ſperare
à multitudine impetrari poſſe quod ad militum ſalutem pertineat, ipſi ve- K
rò nihil nocitum iri: inq; eam rem ſe ſuam fidem interponere. Ille cum
Cotta ſaucio communicat, ſi videatur, pugna vt excedant, & cum Ambio-
rige vnà colloquantur: ſperare ſe ab eo de ſua ac militum ſalute impetrari
poſſe. Cotta ſe ad armatum hoſtem iturum negat: atque in eo perſeue-
rat. Sabinus, quos in præſentia tribunos militum circum ſe habebat, & pri-
morum ordinum centuriones, ſe ſequi iubet. Et cùm propius Ambiori-
gem acceſſiſſet, iuſſus arma abijcere, imperatum facit, ſuiſq; vt idem faci-
ant imperat. Interim dum de conditionibus inter ſe agunt, longiorq; con-
ſultò ab Ambiorige inſtituitur ſermo, paulatim circunuentus interficitur.

Ambiorigis fraus. Sabini mors.

Tum

A Tum verò suo more victoriam conclamant, atque vlulatum tollunt: impetúque in nostros facto, ordines perturbant. ibi L. Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum: reliqui se in castra recipiunt, vnde erant egressi: ex quibus L. Petrosidius aquilifer, cùm magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum proiecit, ipse pro castris fortissimè pugnans occiditur. Alij ægrè ad noctem oppugnationem sustinent: noctu ad vnum omnes desperata salute se ipsi interficiunt. Pauci ex prælio elapsi, incertis itineribus per syluas ad T. Labienum legatum in hyberna perueniunt, atque eum de rebus gestis certiorem faciunt. † Hac victoria sublatus Ambiorix, statim cum equitatu in Aduaticos, qui erant

L. Cotta mori.

L. Petrosidij mors.

Romani milites desperata salute se ipsos interficientes.

11

B eius regno finitimi, proficiscitur: neque noctem neque diem intermittit, peditatumque se subsequi iubet. Re demonstrata, Aduaticisque concitatis, postero die in Neruios peruenit, hortatúrque ne sui in perpetuum liberandi, atque vlciscendi Romanos pro his quas acceperint iniurijs, occasionem dimittant. Interfectos esse legatos duos, magnamque partem exercitus interisse demonstrat: nihil esse negocij subitò oppressam legionem quæ cum Cicerone hyemet, interfici: se ad eam rem profitetur adiutorem. Facilè hac oratione Neruijs persuadet. Itaque confestim dimissis nuncijs ad Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunnos, qui omnes sub eorum imperio sunt, quammaximas manus possunt,

Aduatici.

Neruiorum rebellio.

C cogunt: & de improuiso ad Ciceronis hyberna aduolant, nondum ad eum fama de Titurij morte perlata. Huic quoque accidit (quod fuit necesse) vt nonnulli milites qui lignationis munitionisque causa in syluas discessissent, repentino equitum aduentu interciperentur. His circumuentis, magna manu Eburones, Aduatici, Neruij, atque horum omniū socij & clientes legionem oppugnare incipiunt. nostri celeriter ad arma concurrunt, vallum conscendunt. ægrè is dies sustentatur, quòd omnem spem hostes in celeritate ponebant: atque hanc adepti victoriam, in perpetuum se fore victores confidebant. Mittuntur ad Cæsarem confestim à Cicerone literæ, magnis propositis præmijs, si pertulissent. obsessis om-

Q. Ciceronis castra oppugnantur à Neruijs.

D nibus vijs missi intercipiuntur. Noctu ex ea materia quam munitionis causa comportauerant, turres admodum cxx. excitantur incredibili celeritate. quæ deesse operi videbantur, perficiuntur. Hostes postero die multò maioribus copijs coactis castra oppugnant, fossam complent. à nostris eadem ratione, qua pridie, resistitur. Hoc idem reliquis deinceps fit diebus. nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur. non ægris, non vulneratis facultas quietis datur. Quæcunque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur. Multæ præustæ sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur: turres contabulantur: pinnæ loricæq; ex cratibus attexuntur. Ipse Cicero, cùm tenuissima va-

Turres cxx. celerrimè à Romanis excitatæ.

Romanorum militū industria.

E letudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat, vt vltrò militum concursu ac vocibus sibi parcere cogeretur. Tunc duces principésque Neruiorum, qui aliquem sermonis aditum causamq; amicitiæ cum Cicerone habebant, colloqui se velle dicunt. Facta potestate, eadem quæ Ambiorix cum Titurio egerat, commemorant: omnem esse in armis Galliam, Germanos Rhenum transisse, Cæsaris reliquorúmque hyberna oppugnari. Addunt etiam de Sabini morte. Ambiorigem ostentant fidei faciundæ causa. rum errare eos dicunt, si quicquam ab his præsidij sperent, qui suis rebus diffidant. sese tamen scire hoc esse in Ciceronem populúmque Romanum animo, vt nihil nisi hyberna recusent,

Q. Ciceronis valetudo tenuissima.

F atque

atque hanc inueterascere consuetudinem nolint. licere illis incolumibus F
per se ex hybernis discedere, & in quascunque parres velint sine metu pro-
Romani ab hoste armato conditionem non accipiunt. ficisci. Cicero ad hæc vnum modò respondit, non esse consuetudinem
populi Romani, vllam accipere ab hoste armaro conditionem. si ab armis
discedere velint, se adiutore vtantur, legatosq́; ad Cæsarem mittant: spera-
re pro eius iustitia, quæ petierinr, impetraturos. Ab hac spe repulsi Neruij,
Neruij à Romanis docti. vallo pedum XI. & fossa pedum XV. hyberna cingunt. Hæc & superiorum
annorum consuetudine à nobis cognoueranr, & quosdam de exercitu na-
ćti capriuos, ab his docebantur. Sed nulla feramentorum copia, quæ esset
**ferculisq́; ter. exhauriebantur.* ad hunc vsum idonea, gladijs cespites circuncidere, manibus * sagulisq́ue
terram exhaurire cogebanrur. Qua quidem ex re hominum multitudo co- G
** vallum milliū pedum XV. in circ. muniunt.* gnosci potuit. nam minùs horis rribus * decem millium passuum in cir-
cuitu munitionem perfecerunt: reliquisque diebus turres ad altitudinem
valli, falces, testudinésque, quas ijdem captiui docuerant, parareac fa-
cere cœperunt. Septimo oppugnationis die, maximo coorto vento, fer-
uentes fusili ex argilla glandes, fundis, & feruefacta iacula in casas quæ
Casæ Romanorum incenduntur. more Gallico stramenris erant tectæ, iacere cœperunt. Hæ celeriter
ignem comprehenderunt, & venti magnitudine in omnem castrorum
locum distulerunt. Hostes maximo clamore insecuti, quasi parta iam &
explorata victoria, turres testudinésque agere, & scalis vallum ascende-
Cæsarianorum militum mira seu constantia seu pertinacia. re cœperunt. Attanta militum virtus, atque ea præsentia animi fuit, vt H
cùm vndique flamma torrerentur, maximaq́; telorum multirudine pre-
merentur, suaque omnia impedimenta, atque omneis fortunas confla-
grare intelligerent: non modò demigrandi causa de vallo decederet ne-
mo, sed pene ne respiceret quidem quisquam, ac tum omnes acerrimè
fortissimeq́ue pugnarent. Hic dies nostris longè grauissimus fuir: sed ta-
men hunc habuit euentum, vr eo die maximus hostium numerus vul-
neraretur, atque interficeretur, vt se sub ipso vallo constipauerant, re-
cessumq́ue primis vltimi non dabant. Paulùm quidem intermissa flam-
ma, & quodam loco turri adacta, & contingente vallum, tertiæ cohor-
tis centuriones ex eo quo stabant loco, recesserunt, suosq́; omneis remo- I
uerunt: nuru vocibusq́; hostes, si inrroire vellent, vocare cœperunt: quo-
rum progredi ausus est nemo. tum ex omni parte lapidibus coniectis de-
turbati, turrisq́; succensa est. Erant in ea legione fortissimi viri centuriones,
T. Pulfio. L. Varenus. qui iam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus. Hi per-
petuas inter se controuersias habebant, vter alteri anteferretur: omnibusq́;
** aliàs armis. aliàs animo.* * annis de loco summis simultaribus contendebant. Ex ijs Pulfio, cùm
acerrimè ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas, inquit, Varene? aut
quem locum probandæ virtutis ruæ expectas? Hic dies de nostris con-
trouersijs iudicabit. Hæc cùm dixisset, procedit extra munitiones: &
quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus K
quidem tum vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem,
subsequitur. Tum mediocri spacio relicto, Pulfio pilum in hosteis immit-
tit, atque vnum ex multitudine procurrentem traijcit. quo percusso, &
exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum vniuersi tela conij-
ciunt, neq́; dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulfioni, &
verutum in balteo defigitur. Auertit hic casus vaginam, & gladium educe-
re conantis dextram moratur manum, impeditumq́; hostes circunsistunt.
Inimicus inimico suppetias it. Succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti subuenit. ad hunc se cōfestim
à Pulfione omnis multitudo conuertit. * Illum veruto transfixū arbitran-
tur.

A tur. Varenus gladio comminùs rem gerit, atque vno interfecto, reliquos *illic verò occursat
paulùm propellit. Dum cupidius instat, in locum inferiorem deiectus ocyus gladio, cōminusq; rem gerit Varenus.
concidit. Huic rursus circunuento fert subsidium Pulfio: atque ambo
incolumes compluribus interfectis summa cum laude sese intra munitio-
nes recipiunt. Sic fortuna in contentione & certamine vtrunque* serua- *versauit.
uit, vt alter alteri inimicus, auxilio salutiq; esset, neque dijudicari posset,
vter vtri virtute anteferendus videretur. Quantò erat in dies grauior atque
asperior oppugnatio, & maximè quòd magna parte militum confecta
vulneribus, res ad paucitatem defensorum peruenerat: tantò crebriores
literæ nuncijque ad Cæsarem mittebantur, quorum pars deprehensa in
B conspectu nostrorum militum cum cruciatu necabatur. Erat vnus in-
ter Neruios nomine Vertico, loco natus honesto, qui à prima obsidione Vertico Neruius.
ad Ciceronem perfugerat, suamq; ei fidem præstiterat. hic seruo spe li-
bertatis, magnisque persuadet præmijs, vt literas ad Cæsarem deferat.
Has ille in iaculo illigatas effert, & Gallus inter Gallos sine vlla suspicio- Gallus Gallos prodens.
ne versatus, ad Cæsarem peruenit. ab eo de periculo Ciceronis legionis-
que cognoscitur. Cæsar acceptis literis hora circiter XI. diei, statim nun- Cæsar de Ciceronis periculo docetur.
cium in Bellouacos ad M. † Crassum quæstorem mittit, cuius hyberna
aberant ab eo millia passuum XXV. Iubet media nocte legionem profi- 12
cisci, celeritérque ad se venire. Exit cum nuncio Crassus, alterum ad C.
C Fabium legatum mittit, vt in Attrebatium fines legionem adducat, quà
sibi sit iter faciendum. Scribit Labieno, si Reipublicæ commodo face-
re posset, cum legione ad fines Neruiorum veniat. Reliquam partem ex-
ercitus, quòd paulò aberat longiùs, non putat expectandam: equites cir-
citer quadringentos ex proximis hybernis colligit. Hora circiter tertia ab
antecursoribus de Crassi aduentu certior factus, eo die millia passuum
XX. procedit. Crassum Samarobrinæ præficit, legionémque ei attribuit:
quòd ibi impedimenta exercitus, obsides ciuitatum, literas publicas,
frumentumque omne quod eò tolerandæ hyemis causa deuexerat, relin-
quebat. Fabius, vt imperatum erat, non ita multum moratus, in itinere
D cum legione occurrit. Labienus interitu Sabini & cæde cohortium co-
gnita, cùm omnes ad eum Treuirorum copiæ venissent: veritus, si ex hy-
bernis fugæ similem profectionem fecisset, vt hostium impetum sustine-
re non posset, præsertim quos recenti victoria efferri sciret: literas Cæsa-
ri dimittit, quanto cum periculo legionem ex hybernis educturus esset.
rem gestam in Eburonibus perscribit. docet omnes peditatus equitatus-
que copias Treuirorum tria millia passuum longè à suis castris consedis-
se. Cæsar consilio eius probato, etsi opinione trium legionum deiectus,
ad duas redierat: tamen vnum communis salutis auxilium in celeritate Celeritas Cæsaris.
ponebat. venit magnis itineribus in Neruiorum fines. ibi ex captiuis co-
E gnoscit quæ apud Ciceronem gerantur, quantóque in periculo res sit.
tum cuidam ex equitibus Gallis magnis præmijs persuadet, vti ad Cice-
ronem epistolam deferat. Hanc Græcis conscriptam literis mittit, ne in- Epistola Græcis literis conscripta.
tercepta epistola, nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Si adire non Epistolæ mittendæ ratio.
possit, monet vt tragulam cum epistola ad amentum deligata, intra mu-
nitionem castrorum adijciat. In literis scribit, se cum legionibus profe-
ctum, celeriter affore. hortatur vt pristinam virtutem retineat. Gallus
periculum veritus, vt erat præceptum, tragulam mittit. hæc casu ad tur-
rim adhæsit, neque à nostris biduo animaduersa, tertio die à quodam
milite conspicitur. dempta, ad Ciceronem defertur. ille perlectam in con-

uentu militum recitat, maximaq; omnes lætitia afficit. Tum fumi incen- F
diorum procul videbantur: quæ res omnem dubitationem aduentus le-
gionum expulit. Galli re cognita per exploratores, obsidionem relin-
quunt. ad Cæsarem omnibus copijs contendunt. Hæ erant armatorum
circiter millia L X. Cicero data facultate Gallum ab eodem Verticone
quem suprà demonstrauimus, repetit, qui literas ad Cæsarem deferat.
hunc admonet, iter cautè diligenterq; faciat. perscribit in literis, hostes
ab se discessisse, omnemq; ad eum multitudinē conuertisse. Quibus literis
circiter media nocte Cæsar allatis, suos facit certiores, eosque ad dimi-
candum animo confirmat. Postero die prima luce mouet castra: & cir-
citer millia passuum quatuor progressus, trans vallem & riuum hostium G
(tantulis copijs.)* multitudinem conspicatur. Erat magni periculi res, * cum tantis co-
pijs iniquo loco dimicare. Tamen quoniam liberatum obsidione Cice-
ronem sciebat, æquo animo remittendū de celeritate existimabat. Con-
sedit: & quàm æquissimo potest loco castra communit: atque hæc, etsi
erant exigua per se, vix hominum millium septem, præsertim nullis cum
(Cæsaris astutia.) impedimentis: tamen angustijs viarum quàmmaximè potest contrahit,
eo consilio, vt in summam contemptionem hostibus veniat. Interim
speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat quò commodissimè
itinere vallem transire possit. Eo die paruulis equestribus prælijs ad aquam
factis, vtrique sese suo loco continent: Galli, quòd ampliores copias, H
quæ nondum conuenerant, expectabant: Cæsar, si fortè timoris simu-
latione hostes in suum locum elicere posset, vt citra vallem pro castris
prælio contenderet. si id efficere non posset, vt exploratis itineribus, mi-
nore cum periculo vallem riuumque transiret. Prima luce hostium equi-
tatus ad castra accedit, præliumq; cum nostris equitibus committit. Cæ-
sar consultò equites cedere, seq; in castra recipere iubet: simul omnibus
ex partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in his
administrandis rebus quàmmaximè concursari, & cum simulatione agi
(Neruij Cæsaris castra oppugnant.) timoris iubet. Quibus omnibus rebus hostes inuitati, copias traducunt,
aciemque iniquo loco constituunt: nostris verò etiam de vallo deductis I
propiùs accedunt, & tela intra munitionem ex omnibus partibus con-
(Neruiorum astus.) ijciunt: præconibusque circummissis, pronunciari iubent, seu quis Gal-
lus, seu quis Romanus velit ante horam tertiam ad se transire, sine peri-
culo licere: post id tempus non fore potestatem. ac sic nostros contem-
pserunt, vt obstructis in speciem portis singulis ordinibus cespitum, quòd
(vi conscendere, alij.)* eà non posse introrumpere videbantur, alij vallum * manu scindere, alij
(Cæsaris eruptio, ac Neruiorum fuga.) fossas complere inciperent. Tum Cæsar omnibus portis eruptione facta,
equitatuque emisso, celeriter hostes in fugam dat, sic vt omnino pugnan-
di causa resisteret nemo: magnumq; ex his numerum occidit, atq; omnes
armis exuit. Longiùs prosequi veritus, quòd syluæ paludesq; intercede- K
bant, neque etiam paruulo detrimento illum locum relinqui videbat, om-
nibus suis incolumibus copijs eodem die ad Ciceronem péruenit. Insti-
tutas turres, testudines, munitionesq; hostium admiratur. Legione produ-
cta, cognoscit non decimum quenq; esse reliquum militem sine vulnere.
Ex his omnibus iudicat rebus quanto cum periculo, & quanta cum virtu-
(Cæsaris humanitas erga suos.) te res sint administratæ. Ciceronem pro eius merito, legionemque col-
laudat: centuriones singillatim tribunosque militum appellat, quorum
egregiam fuisse virtutem testimonio Ciceronis cognouerat. De casu
Sabini & Cottæ certiùs ex captiuis cognoscit. Postero die concione
habita

A habita rem gestam proponit, militesque consolatur, & confirmat. Quod
detrimentum culpa & temeritate legati sit acceptum, hoc æquiore animo
ferendum docet, quòd beneficio Deorum immortalium & virtute eorum
expiato incommodo, neque hostibus diutina lætitia, neque ipsis longior
dolor relinquatur. Interim ad Labienum per Rhemos incredibili celeri-
tate de victoria Cæsaris fama perfertur, vt cùm ab hybernis Ciceronis mil-
lia passuum abesset circiter LX. eoq; post horam nonam diei Cæsar perue- *Cæsaris celeritas.*
nisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur, quo cla-
more significatio victoriæ, gratulatioq; à Rhemis Labieno fieret. † Hac 13
fama ad Treuiros perlata, Induciomarus, qui postero die castra Labieni *Induciomari fuga.*
B oppugnare decreuerat, noctu profugit, copiasque omnes in Treuiros re-
ducit. Cæsar Fabium cum sua legione remittit in hyberna: ipse cum tri-
bus legionibus circum Samarobrinam trinis hybernis hyemare consti-
tuit: & quòd tanti motus Galliæ extiterant, totam hyemem ipse ad exer-
citum manere decreuit. Nam illo incommodo de Sabini morte perlato, *Ad exercitum ma-*
omnes ferè Galliæ ciuitates de bello consultabant: nuncios legationesq; *nere.*
in omnes partes dimittebant, & quid reliqui consilij caperent, atque vn-
de initium belli fieret, explorabant: nocturnaq; locis in desertis concilia *Nocturna concilia*
habebant: neque vllum ferè totius hyemis tempus sine solicitudine Cæ- *Gallorum.*
saris intercessit, quin aliquem de concilijs & motu Gallorum nuncium
C acciperet. In his à L. Roscio quæstore, quem legioni tertiædecimæ præ- *L. Roscius quæstor:*
fecerat, certior est factus magnas Gallorum copias earum ciuitatum quæ
Armoricæ appellantur, oppugnandi sui causa conuenisse, neque longiùs *Armoricæ ciuitates.*
millibus passuum octo ab hybernis suis constitisse: sed nuncio allato de
victoria Cæsaris, discessisse, adeò vt fugæ similis discessus videretur. At
Cæsar principibus cuiusque ciuitatis ad se vocatis, alios territando, cùm *Cæsaris prudentia.*
se scire quæ fierent denunciaret, alios cohortando, magnam partem
Galliæ in officio tenuit. Tamen Senones (quæ est ciuitas in primis fir- *Senonum motus.*
ma, & magnæ inter Gallos authoritatis) Cauarinum, quem Cæsar apud *Cauarinus Senonũ rex.*
eos regem constituerat, cuius frater Moritasgus aduentu in Galliam Cæ- *Moritasgus Cauarini frater.*
D saris, cuiusque maiores regnum obtinuerant, interficere publico consi-
lio conati, cùm ille præsensisset, ac profugisset, vsque ad fines insecuti, re-
gno domoq; expulerunt: & missis ad Cæsarem satisfaciendi causa lega-
tis, cùm is omnem ad se Senatum venire iussisset, dicto audientes non
fuerunt: tantumque apud homines barbaros valuit esse repertos aliquos
principes belli inferendi, tantamque omnibus voluntatum commuta-
tionem attulit, vt præter Heduos & Rhemos (quos præcipuo semper ho- *Hedui & Rhemi Romanis fideles.*
nore Cæsar habuit, alteros pro vetere ac perpetua erga populum Roma-
num fide, alteros pro recentibus Gallici belli officijs) nulla ferè fuerit ci-
uitas non suspecta nobis. Idq; adeò haud scio mirandúmne sit cum com- *Gallorum odij aduersus Romanos, causa.*
E pluribus alijs de causis, tum maximè quòd ij qui virtute belli omnibus
gentibus præferebantur, tantum eius se opinionis deperdidisse, vt populi
Romani imperia perferrent, grauissimè dolerent. Treuiri verò atque In- *Treuiri Germanos*
duciomarus totius hyemis nullum tempus intermiserunt, quin trans Rhe- *in Cæsarem nequicquam solicitant.*
num legatos mitterent, ciuitates solicitarent, pecunias pollicerentur:
magna parte exercitus nostri interfecta, multò minorem superesse dice-
rent partem: neque tamen vlli ciuitati Germanorum persuaderi potuit vt *Germani fortunam*
Rhenũ transirent, cùm se bis expertos dicerent, Ariouisti bello, & Tench- *tertiò contra Romanos tentare nolunt.*
therorum transitu: non esse fortunam ampliùs tentaturos. Hac spe lapsus *Induciomari belli-*
Induciomarus, nihilominùs copias cogere, exercere, à finitimis equos *cus apparatus.*

 parare,

parare, exules damnatosque tota Gallia magnis præmijs ad se allicere cœ- F
pit: ac tantam sibi iam his rebus authoritatem in Gallia comparauerat, vt
vndique ad eum legationes concurrerent, gratiamque atque amicitiam
publicè priuatimq; peterent. Vbi intellexit vltrò ad se veniri, altera ex par-

Gallorum in Romanos conspiratio.

te Senones Carnutesque conscientia facinoris instigari, altera Neruios
Aduaticosque bellum Romanis parare, neque sibi voluntariorum copias

Armatum conciliũ apud Gallos.

defore, si ex finibus suis progredi cœpisset: armatum concilium indicit.
Hoc more Gallorum est initium bellorum, quo lege communi omnes

** coguntur.*

puberes armati conuenire * consueuerunt: & qui ex his nouissimus ve-
nit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. In

Gener à socero proscribitur. Cingentorix proscribitur.

eo concilio Cingentorigem alterius principem factionis, generum suum, G
quem suprà demonstrauimus Cæsaris secutum fidem ab eo non discessis-
se, hostem iudicat, bonaque eius publicat. His rebus confectis, in conci-
lio pronunciat accersitum se à Senonibus & Carnutibus, alijsque com-
pluribus Galliæ ciuitatibus. Huc iturum per fines Rhemorum, eorumq;
agros populaturum: ac priùs quàm id faciat, castra Labieni oppugnatu-
rum. quæq; fieri velit, præcipit. Labienus cùm & loci natura & manu
munitissimis castris sese teneret, de suo ac legionis periculo nihil timebat.
Sed ne quam occasionem rei bene gerendæ dimitteret, cogitabat. Itaque
à Cingentorige atque eius propinquis oratione Induciomari cognita,
quam in concilio habuerat, nuncios mittit ad finitimas ciuitates, equi- H
tesq; vndique euocat. His certum diem conueniendi dicit. Interim pro-
pè quotidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris eius vagabatur,
aliàs vt situm castrorum cognosceret, aliàs colloquendi aut territandi

Labieni stratagema.

causa. equites plerunque omnes tela intra vallum conijciebant. Labie-
nus suos intra munitionem continebat, timorisque opinionem quibus-
cunque poterat rebus augebat. Cùm maiore in dies contemptione In-
duciomarus ad castra accederet: nocte vna intromissis equitibus omnium
finitimarum ciuitatum quos accersendos curauerat, tanta diligentia om-
nes suos custodijs intra castra continuit, vt nulla ratione ea res enunciari
aut ad Treuiros perferri posset. Interim ex consuetudine quotidiana In- I
duciomarus ad castra accedit, atque ibi magnam partem diei consumit.
equites tela conijciunt, & magna contumelia verborum nostros ad pu-
gnam euocant. nullo à nostris dato responso, vbi visum est, sub vesperum
dispersi ac dissipati discedunt. Subitò Labienus duabus portis omnem
equitatum emittit. præcipit, atque interdicit, perterritis hostibus, atque
in fugam coniectis (quod fore, sicut accidit, videbat) omnes vnum pe-
terent Induciomarum: neu quis quenquam priùs vulneret, quàm illum
interfectum viderit, quòd mora reliquorum illum spacium nactum effu-
gere nolebat. Magna proponit ijs qui occiderint, præmia: summittit co-
hortes equitibus subsidio. Comprobat hominis consilium fortuna: & K

Induciomari mors.

cùm vnum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Inducio-
marus interficitur, caputque eius refertur in castra. Redeuntes equi-
tes, quos possunt consectantur, atque occidunt. Hac re cogni-
ta omnes Eburonum & Neruiorum quæ conuenerant
copiæ, discedunt: pauloque habuit post id

Gallia quietior facta.

factum Cæsar quietiorem
Galliam.

A C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER VI.

Libri ſexti capita.

1 *Cæſar Neruios, Senones, Carnutes, & Menapios armis ipſius territos in deditionem accipit.*

B 2 *Labienus Treuiros prælio vicit, eorumq́ ciuitatem ex defectione recipit.*

3 *Cæſaris in Germaniam tranſitus.*

4 *De factionibus, religione, moribus, & inſtitutis Gallorum.*

5 *Germanorum mores, & aliquot Herciniæ ſyluæ feræ deſcribuntur.*

6 *Cæſar in Galliam reuerſus, Baſilium aduerſus Ambiorigem mittit, qui ſuæ ſaluti fuga conſulere cogitur.*

7 *Sicambri Rheno traiecto, Eburones diripiunt, & Q. Ciceronis caſtra oppugnant.*

8 *Sicambri domum redeunt. Cæſar Eburonibus vaſtatis, de Accone ſupplicium ſumit.*

C MVLTIS DE cauſis Cæſar maiorem Galliæ motum 1
expectans, per M. Syllanũ, C. Antiſtium Rhegynum, *Cæſaris prudentia.*
T. Sextium legatos, delectum habere inſtituit. Simul
à Cn. Pompeio proconſule petit, quoniam ipſe ad *Cn. Pompeius Proconſul.*
Vrbem cum imperio Reip. cauſa maneret, quos ex
Ciſalpina Gallia conſulis ſacramento rogauiſſet, ad
ſigna conuenire, & ad ſe proficiſci iuberet: magni
intereſſe etiam in reliquum tempus ad opinionem
Galliæ exiſtimans, tantas videri Italiæ facultates, *Italiæ facultates.*
vt ſi quid eſſet in bello detrimenti acceptum, non modò id breui tem-
D pore ſarciri, ſed etiam maioribus augeri copijs poſſet. Quod cùm Pom- *Pompeij & Cæſaris amicitia.*
peius & Reip. & amicitiæ tribuiſſet: celeriter confecto per ſuos delectu,
tribus ante exactam hyemem & conſtitutis & adductis legionibus, du-
plicatoque earum cohortium numero, quas cum Q. Titurio amiſerat:
& celeritate & copijs docuit, quid populi Romani diſciplina atque opes *Rom. populi diſciplina & opes.*
poſſent. Interfecto Induciomaro, vt docuimus, ad eius propinquos à Tre- *Treuiri Germanos*
uiris imperium defertur. Illi finitimos Germanos ſolicitare, & pecuniam *ad bellum ſolicitant*
polliceri non deſiſtunt. Cùm à proximis impetrare non poſſent, vlte-
riores tentant. Inuentis nonnullis, ciuitates inter ſe iureiurando confir-
mant, obſidibuſq́ue & pecunia cauent. Ambiorigem ſibi ſocietate & fœ- *Ambiorix Treuiris adiungitur.*
E dere adiungunt. Quibus rebus cognitis Cæſar, cùm vndique bellum pa- *Galli rebellantes.*
rari videret, Neruios, Aduaticos, ac Menapios, adiunctis ciſrhenanis om-
nibus Germanis, eſſe in armis: Senones ad imperatum non venire, &
cum Carnutibus finitimiſque ciuitatibus conſilia communicare, à Tre-
uiris Germanos crebris legationibus ſolicitari: maturius ſibi de bello co-
gitandum putauit. Itaq; nondum hyeme confecta, proximis quatuor le-
gionibus coactis, de improuiſo in fines Neruiorum contendit: & priùs *Cæſar Neruios ſubiugat.*
quàm illi aut cõuenire aut profugere poſſent, magno pecoris atq; hominũ
numero capto, atq; ea præda militibus cõceſſa, vaſtatiſq; agris, in deditionẽ
venire, atq; obſides ſibi dare coëgit. Eo celeriter cõfecto negotio, rurſus le-

 giones

Concilium Galliæ. giones in hybetna reduxit. Concilio Galliæ primo vere (vt instituerat) in- F
dicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Treuirosque, venissent: ini-
tium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, vt omnia postponere vide-
Lutetia Parisiorum. retur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Seno-
nibus, ciuitatemque patrum memoria coniunxerant, sed ab hoc concilio
** concilio eximebātur.* * absuisse existimabantur. Hac re pro suggestu pronunciata, eodem die
cum legionibus in Senones proficiscitur, magnisq; itineribus eò peruenit.
Acco Senonum princeps. cognito eius aduentu, Acco, qui princeps eius consilij fuerat, iubet in op-
pida multitudinem conuenire. Conantibus, priùs quàm id effici posset,
adesse Romanos nunciatur. necessariò sententia desistunt, legatosque de-
Senonum deditio. precandi causa ad Cæsarem mittunt. Adeunt per Heduos, quorum anti- G
quitùs erat in fide ciuitas. Libenter Cæsar petentibus Heduis dat veniam,
excusationemq; accipit, quòd æstiuum tempus instantis belli, non quæ-
stionis esse arbitrabatur. Obsidibus imperatis centum, hos Heduis cu-
Carnutum deditio. stodiendos tradit. Eòdem Carnutes legatos obsidesque mittunt, vsi de-
precatoribus Rhemis, quorum erant in clientela. eadem ferunt responsa.
Peragit concilium Cæsar, equitesque imperat ciuitatibus. Hac parte Gal-
liæ pacata, totus & mente & animo in bellum Treuirorum & Ambiorigis
Cauarinus. insistit. Cauarinum cum equitatu Senonum secum proficisci iubet, ne
quis aut ex huius iracundia, aut ex eo quod meruerat odio, ciuitatis mo-
tus existat. His rebus constitutis, quòd pro explorato habebat Ambio- H
rigem prælio non esse concertaturum, reliqua eius consilia animo circun-
Menapij. spiciebat. Erant Menapij propinqui Eburonum finibus, perpetuis palu-
dibus syluisque muniti: qui vni ex Gallia de pace ad Cæsarem legatos
nunquam miserant. cum ijs esse hospitium Ambiorigi sciebat. Item per
Treuiros venisse Germanis in amicitiam cognouerat. Hæc priùs illi detra-
henda auxilia existimabat, quàm ipsum bello lacesseret: ne desperata sa-
lute aut se in Menapios abderet, aut cum transrhenanis congredi cogere-
tur. Hoc inito consilio, totius exercitus impedimenta ad Labienum in Tre
uiros mittit, duasque legiones ad eum proficisci iubet. Ipse cum legioni-
bus expeditis quinq; in Menapios proficiscitur. Illi nulla coacta manu, lo- I
ci præsidio freti, in syluas paludesque confugiunt, suaq; eòdem conferunt.
Cæsar partitis copijs cum C. Fabio legato, & M. Crasso quæstore, celeriter-
que effectis pontibus, adit tripartitò: ædificia vicosque incendit: magno
Menapiorum deditio. pecoris atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapij,
legatos ad eum pacis petendæ causa mittunt. Ille obsidibus acceptis, ho-
stium se habiturum numero confirmat, si aut Ambiorigem, aut eius lega-
Comius Atrebas Menapiorum custos relinquitur. tos finibus suis recepissent. His confirmatis rebus, Comium Atrebatem
cum equitatu custodis loco in Menapijs relinquit, ipse in Treuiros profi-
2 ciscitur. † Dum hæc à Cæsare geruntur, Treuiri magnis coactis peditatus e-
Treuirorum motus. quitatusque copijs, Labienum cum vna legione, quæ in eorum finibus hye K
mauerat, adoriri parabant. Iamque ab eo non longiùs bidui via aberant,
cùm duas venisse legiones missu Cæsaris cognoscunt. Positis castris ab eis
millibus passuum XV. auxilia Germanorum expectare constituunt. Labie-
nus hostium cognito consilio, sperans temeritate eorum fore aliquā dimi-
candi facultatem, quinq; cohortium præsidio impedimentis relicto, cum
vigintiquinq; cohortibus magnoq; equitatu contra hostē proficiscitur, &
mille passuum intermisso spatio castra communit Erat inter Labienū atq;
hostem difficili transitu flumen, ripisq; præruptis. Hoc neque ipse transire
habebat in animo. neque hostes transituros existimabat. Augebatur auxi-
liorum

A liorum quotidie spes. Loquitur in concilio palàm, quoniam Germani ap-
propinquare dicantur, sese suas exercitusque fortunas in dubium non de-
uocarurum, & postero die prima luce castra moturum. Celeriter hæc ad
hostes deferuntur, vt ex magno Gallorum equitum numero nonnullos
Gallos Gallicis rebus fauere natura cogebat. Labienus noctu tribunis mi-
litum primisque ordinibus conuocatis, quid sui consilij sit, proponit: &
quò faciliùs hostibus timoris det suspicionem, maiore strepitu & rumultu *Labieni stratagema*
quàm populi Romani fert consuetudo, castra moueri iuber. His rebus fu-
gæ similem profectionem efficit. Hæc quoq; per exploratores ante lucem
in tanta propinquitate castrorum ad hostes deferuntur. Vix agmen nouissi-
B mum extra munitiones processerat, cùm Galli cohortati inter se, ne spera-
tam prædam ex manibus dimitterent: longum esse, perterritis Romanis
Germanorum auxilia expectare: neq; suam pati dignitatem, vt rantis co-
pijs tam exiguam manum, præsertim fugientem atque impeditam, adori-
ri non audeant: flumen transire, & iniquo loco prælium committere non
dubitant. Quæ fore suspicatus Labienus, vt omnes citra flumen eliceret,
eadem vsus simularione itineris, placidè progrediebarur. Tum præmissis
paulùm impedimentis, atque in tumulo quodam collocaris. Habetis, in-
quit, milires quam petistis facultatem: hostem impedito atque iniquo lo-
co tenetis: præstare eandem nobis ducibus virtutem, quam sæpenumerò
C Imperatori præstitistis: atque illum adesse, & hæc coràm cernere existima-
te. Simul signa ad hostem conuerri, aciemque dirigi iuber: & paucis tur- *Labieni cum Treui-*
mis præsidio ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad larera disponit. *ris prælium.*
Celeriter nostri clamore sublato, pila in hostes immittunt. Illi vbi prærer
spem, quos fugere credebanr, infestis signis ad se ire viderunt, impetū mo-
dò ferre non potuerunt: ac primo concursu in fugam coniecti, proximas *Treuirorum fuga.*
syluas petiuerunt: quos Labienus equiratu consectatus, magno numero
interfecto, compluribus capris, paucis pòst diebus ciuitatem recepit. Nam *Treuirorum ciuitas*
Germani, qui auxilio veniebant, percepta Treuirorum fuga, sese domū re- *recipitur.*
ceperunt. Cum his propinqui Induciomari, qui defectionis authores fue-
D rant, comitati eos, ex ciuitate excesserunt: Cingentorigi, quē ab initio per- *Cingētorigi Treuiro*
mansisse in officio demonstrauimus, principatus atq; imperium est tradi- *rum imperium tra-*
tum. Cæsar postquàm ex Menapijs in Treuiros venit, duabus de causis Rhe *ditur.* *Cæsar Rhenū transi*
num transire constituit: Quarum vna erat, quòd auxilia contra se Treuiris *re constituit.*
miserant. Altera, ne ad eos Ambiorix receptum haberet. His constitutis re-
bus, paulùm supra eum locum, quò antè exercirum traduxerat, facere pon- *Pontem Cæsar ex-*
tem instituit. Nota atq; instituta ratione, magno militū studio, paucis die- *truit in Rheno.*
bus opus efficitur. Firmo in Treuiris præsidio ad pontem relicto, ne quis
ab his subitò motus oriretur, reliquas copias equitatumq; traducit. Vbij, *Vbiorum legatio ad*
qui antè obsides dederant, atq; in deditionem venerant, purgandi sui cau- *Cæsarem.*
E sa ad eum legatos mittunt, qui doceant neq; auxilia ex sua ciuitate in Tre-
uiros missa, neq; ab se fidem læsam: petunt atq; orāt, vt sibi parcat, ne com-
muni odio Germanorum, innocentes pro nocentibus pœnas pendant. si
ampliùs obsidum vellet, dare pollicentur. Cognita Cæsar causa, reperit à
Sueuis auxlia missa esse. * Vbi horum satisfactionem accepit, aditus viaf- **Vbiorum sat.*
que in Sueuos perquirit. Interim paucis pòst diebus fit ab Vbijs certior, Sue *Sueuorum motus.*
uos omnes in vnum locum copias cogere, atque his rationibus, quæ sub
eorum sunt imperio, denunciare, vt auxilia peditatus equitatusq; mittāt.
His cognitis rebus, rem frumentariam prouidet, castris idoneum locum
deligit. Vbijs imperat, pecora deducant, suaque omnia ex agris in oppida
confe-

conferant, sperans barbaros atque imperitos homines inopia cibariorum F
adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse deduci. Mandat, vt
crebros exploratores in Sueuos mittant, quæque apud eos gerantur, cognoscant. Illi imperata faciunt, & paucis diebus intermissis referunt Sue-

Sueui ad extremos fines suos se recipiunt.

uos omnes, posteaquàm certiores nuncij de exercitu Romanorum venerint, cum omnibus suis sociorumque copijs quas coëgissent, penitùs ad
extremos fines sese recepisse. Syluam esse ibi infinita magnitudine, quæ

Bacenis sylua.

Cherusci.

appellatur Bacenis: hanc longè introrsus pertinere: & pro natiuo muro
obiectam, Cheruscos à Sueuis, Sueuosque à Cheruscis iniurijs incursionibusque prohibere. ad eius initium Syluæ Sueuos aduentum Romano-

4 rum expectare constituisse. † Quoniam ad hunc locum peruentum est, G

De Galliæ et Germaniæ moribus.

non alienum esse videtur de Galliæ Germaniæq; moribus, & quò differant
hæ nationes inter se, proponere. In Gallia non solùm in omnibus ciuitatibus, atque in omnibus pagis partibusque, sed penè etiam in singulis do-

Gallorum factiones.

mibus factiones sunt: earumque factionum principes sunt, qui summam
authoritatem eorum iudicio habere existimantur: quorum ad arbitrium
iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. Idque eius

Plebis tutamen aduersus potentiores.

rei causa antiquitùs institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilij egeret. Suos enim quisque opprimi & circunueniri non patitur: neque, aliter si faciat, vllam inter suos habet authoritatem. Hæc ea-

Gallia ciuitates in duas partes diuisa. Heduorum & Sequanorum factiones.

dem ratio est in summa totius Galliæ. nanque omnes ciuitates in partes H
diuisæ sunt duas. Cùm Cæsar in Galliam venit, alterius factionis principes erãt Hedui, alterius Sequani. Hi cùm per se minùs valerẽt, quòd summa authoritas antiquitùs erat in Heduis, magnæq; eorum erant clientelę:

Sequani Germanos in Galliam induxerunt.

Germanos atq; Ariouistum sibi adiunxerant, eosque ad se magnis iacturis
pollicitationibusq; perduxerant. Prælijs verò compluribus factis secundis,
atque omni nobilitate Heduorum interfecta, tantum potentia antecesserant, vt magnam partẽ clientium ab Heduis ad se traducerent, obsidesq; ab
his principum filios acciperent, & publicè iurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilij inituros: & partem finitimi agri per vim occupatam
possiderent, Galliæque totius principatum obtinerent. Qua necessitate I

Diuitiacus.

adductus Diuitiacus, auxilij petendi causa Romam ad Senatum profe-

Cæsaris authoritas.

ctus, infecta re redierat. Aduentu Cæsaris facta commutatione rerum, obsidibus Heduis redditis, veteribus clientelis restitutis, nouis per Cæsarem
comparatis, quòd ij qui se ad eorum amicitiam aggregauerant, meliore
conditione, atque æquiore imperio se vti videbant: reliquis rebus eorum
gratia dignitateque amplificata, Sequani principatum dimiserant. In eo-

Rhemorum apud Cæsarem gratia.

rum locum Rhemi successerant: quos quòd adæquare apud Cæsarem gratia intelligebant ij, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Heduis coniungi poterant, se Rhemis in clientelam dederant. Hos illi diligenter tuebantur. Ita & nouam & repentè collectam authoritatem tene- K
bant. Eo tum statu res erat, vt longè principes haberentur Hedui: secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent. In omni Gallia, eorum ho-

Plebs Gallorum seruorum loco habetur

minum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam
plebs penè seruorum habetur loco, quæ nihil audet per se, nulli adhibetur consilio. Plerique cùm aut ære alieno, aut magnitudine tributorum,
aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicant nobili-

Gallorum hominum genera duo, Druides & Equites.

bus. In hos eadem omnia sunt iura, quæ dominis in seruos. Sed de his
duobus generibus alterum est Druidum, alterum est equitum. Illi rebus
diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones inter-

pretan-

A pretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut priuatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificijs interdicunt. Hęc pœna apud eos est grauissima. *Sacrificiorum interdictio grauissima pœna.* Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum ac sceleratorum habentur: ijs omnes decedunt: aditum sermonemq́; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus

B præest vnus, qui summam inter eos habet authoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: aut si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur. nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. *Carnutes in medio Gallia.* huc omnes vndiq; qui controuersias habent, conueniunt, eorumque decretis iudicijsque parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. *Disciplina Druidum è Britannia in Galliam tralata.* Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerunque illò discendi causa proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt. militiæ vacationem, o-

C mniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmijs, & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. *Ediscendi studium.* Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent: neque fas esse existimant ea literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus, publicis priuatisque rationibus, Græcis literis vtantur. *Græcis literis vsi Galli.* Id mihi duabus de causis instituisse videntur: quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint: neque eos qui discunt, literis confisos, minùs memoriæ studere: quod ferè plerisque accidit, vt præsidio literarum diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. *Disciplina memoria constans, non literis.* In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab a-

D lijs post mortem transire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. *Animarum immortalitas.* Multa prætereà de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt. Alterum genus est equitum. *Equites Galli.* Hi, cum est vsus, atque aliquod bellum incidit (quod ante Cæsaris aduentum ferè quotannis accidere solebat, vt aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent) omnes in bello versantur, atq; eorum, vt quisq; est genere copijsq; amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesq́; habet. *Ambacti equitum, hoc est, serui.* Hanc vnam gratiam potentiamque nouerunt. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atq; *Galli religionibus dediti.*

E ob eam causam, qui sunt affecti grauioribus morbis, quiq; in prælijs periculisque versantur, aut pro victimis hómines immolant, aut se immolaturos vouent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus vtuntur: *Homines à Gallis pro victimis immolantur.* quòd pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, nō posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur. *Religio Gallorum impia.* publiceq; eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent, quibus succēsis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio, aut in aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Dijs immortalibus esse arbitrantur, sed cùm eius generis copia deficit, etiā ad innocentiū supplicia *Innocentes etiam supplicijs afficiunt Galli.* descen-

Deum Gallorum præcipuum Mercurium.

descendunt. Deum maximè Mercurium colunt. huius sunt plurima simu- F
lacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc viarum atque iti-
nerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim ma-

Dij Gallorum. Apollo. Minerua. Iupiter. Mars.

ximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Miner-
uam. De his eandem ferè quam reliquæ gentes habent opinionem: Apol-
linem morbos depellere: Mineruam operum atque artificiorum initia tra
dere: Iouem imperium cœlestium tenere: Martem bella gerere. Huic, cum
prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello cœperint, plerunque deuo-
uent: quæ superauerint animalia capta, immolant, reliquasq; res in vnum
locũ conferunt. Multis in ciuitatibus harũ rerũ extructos cumulos locis
consecratis conspicari licet. nanque sæpè accidit, vt neglecta quispiam re- G
ligione aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: grauissimũ-

Galli à Dite patre prognati.

que ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est. Galli se omnes à Dite
patre prognatos prædicant: idque à Druidibus proditum dicunt. Ob eam

Noctiũ numero spatia temporum metiuntur Galli.

causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium defi-
niunt: & dies natales, & mensium, & annorum initia sic obseruant, vt no-

Gallorum erga liberos consuetudo.

ctem dies subsequatur. In reliquis vitæ institutis hoc ferè à reliquis diffe-
runt, quòd suos liberos, nisi cùm adoleuerint, vt munus militiæ sustinere
possint, palàm ad se adire non patiuntur: filiumque puerili ætate in publi-

Gallorum coniugia.

co in conspectu patris assistere turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab vxo
ribus dotis nomine acceperũt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum H
dotibus communicant. huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur,
fructusque seruantur. vter eorum vita superàrit, ad eum pars vtriusq; cum
fructibus superiorum temporum peruenit. Viri in vxores, sicuti in liberos,
vitæ necisque habent potestatem. Et cùm paterfamiliàs illustriore loco na
tus decessit, eius propinqui conueniunt, & de morte, si res in suspicionem
venit, de vxoribus in seruilem modum quæstionem habent. & si comper-

Funera Gallorum magnifica.

tum est, igni, atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera
sunt pro cultu Gallorum magnifica, & sumptuosa: omniaq; quæ viuis cor-
di fuisse arbitrantur, in ignem inferũt, etiam animalia: ac paulò supra hanc
memoriam serui & clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis fu- I
neribus confectis vnà cremabantur. Quæ ciuitates commodiùs suam
Rempublicam administrare existimantur, habẽt legibus sancitum, si quis

Rumorum coërcendorum ratio. Optimum institutum.

quid de Republica à finitimis rumore aut fama acceperit, vti ad magistra-
tum deferat, néue cum quo alio communicet: quòd sæpè homines teme
rarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, &
de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ visa
sunt occultant: quæque esse ex vsu iudicauerint, multitudini produnt.
5 De Republica nisi per concilium loqui non conceditur. † Germani mul-

Germanorum mores. Germanorum theologia.

tum ab hac consuetudine differunt. nam neque Druidas habent, qui re-
bus diuinis præsint: neque sacrificijs student. Deorum numero eos so- K
los ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè iuuantur, Solem, &
Vulcanum, & Lunam. reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis
in venationibus, atque in studijs rei militaris consistit. A paruulis labo-

Continentia Germanorum.

ri ac duritiæ student. Qui diutissimè impuberes permanserunt, maxi-
mam inter suos ferunt laudem. Hoc ali staturam, ali vires, neruosque
confirmari putant. Intra annum verò vigesimum fœminæ notitiam ha-
buisse, in turpissimis habent rebus: cuius rei nulla est occultatio, quòd &
promiscuè in fluminibus perluuntur, & pellibus aut paruis rhenonum te-
gumentis vtuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non student:

A maiorque pars victus eorum in lacte caseo carne consistit. Neq; quisquam *Germanorum victus.*
agri modum certum, aut fines habet proprios: sed magistratus ac princi- *Germani vagi.*
pes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui vnà co-
ierunt, quantum eis & quo loco visum est, attribuunt agri, atq; anno pòst *Agricultura cur nō*
aliò transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetu- *studeant Germani.*
dine capti, studium belli gerendi agricultura commutent: ne latos fines
parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant:
ne accuratiùs ad frigora atque æstus vitandos ædificent: nequa oriatur
pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur: vt a-
nimi æquitate plebem contineant, cùm suas quisque opes æquari cum
B potentissimis posse videat. Ciuitatibus maxima laus est, quàm latissimas *Ciuitatum Germanarum laus.*
circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existi-
mant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam propè audere
consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis
timore sublato. Cùm bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, ma- *Magistratus bellici.*
gistratus, qui ei bello præsint, vt vitæ necisque habeant potestatem, deli-
guntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum
atque pagorum inter suos ius dicunt, controuersiasque minuunt. Latro- *Latrocinia apud*
cinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt: *Germanos infamia non sunt.*
atque ea iuuentutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædi-
C cant. Atque vbi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, qui se-
qui velint, profiteantur: consurgunt ij, qui & causam & hominem probāt,
suumque auxilium pollicentur, atque à multitudine collaudantur. Qui
ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur: o-
mniumque his rerum posteà fides derogatur. Hospitem violare fas non *Hospitalitas Germanorum.*
putant. Qui quacunque de causa ad eos venerunt, iniuria prohibent, san-
ctosque habent: hisque omnium domus patent, victusque communica-
tur. Ac fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent, & vl- *Galli Germanis fortiores.*
tro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agriq; inopiam,
trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea quæ fertilissima sunt Ger-
D maniæ loca circum Herciniam syluam (quam Eratostheni & quibusdam *Hercinia sylua.*
Græcis fama notam esse video, quam illi Orciniam appellant) Volcæ Te- *Orcinia.*
ctosages occupàrunt, atque ibi consederunt. Quæ gens ad hoc tempus his *Tectosages.*
sedibus sese continet, summamque habet iustitiæ & bellicæ laudis opinio-
nem: nuncque in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani perma-
nent: eodem victu & cultu corporis vtuntur. Gallis autem prouinciæ pro-
pinquitas, & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atq; vsum
largitur. Paulatim assuefacti superari, multisq; victi prælijs, ne se quidem
ipsi cum illis virtute comparant. Huius Herciniæ syluæ, quæ suprà demon- *Hercinia sylua latitudo.*
strata est, latitudo nouem dierum iter expedito patet. non enim aliter fini-
E ri potest: neque mensuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum &
Nemetum & Rauracorum finibus, rectaq; fluminis Danubij regione perti-
net ad fines Dacorum & Anartium: hinc se flectit sinistrorsum diuersis à
flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudi-
nem attingit. Neque quisquam est huius Germaniæ, qui se aut audisse
aut adisse initium eius syluæ dicat, cùm dierum iter L X. processerit: aut *Hercinia sylua magnitudo.*
quo ex loco oriatur, acceperit. Multa in ea genera ferarum nasci con-
stat, quæ reliquis in locis visa non sint. ex quibus quæ maximè differant
à cæteris, & memoriæ prodenda videantur, hæc sunt. Est bos cerui fi-
gura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit, excelsius *Bos cerui figura.*

magisque directum ijs quæ nobis nota sunt cornibus. ab eius summo F
sicut palmæ ramique latè diffunduntur. Eadem est fœminæ marisque natura, eadem forma magnitudoq; cornuum. Sunt item quæ appellantur
Alces fera. Alces. Harum est consimilis capris figura, & varietas pellium, sed magnitudine paulò antecedunt, mutilæque sunt cornibus, & crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procumbunt, neque si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paulùm modò acclinatæ quietem capiunt: quarum ex vestigijs cùm est animaduersum à venatoribus, quò se recipere consueuerint, omnes eo loco aut à radicibus subruunt, aut accidunt arbores, tantùm vt summa species earum stantium G
relinquatur. huc cùm se consuetudine acclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atque vnà ipsæ concidunt. Tertium est genus eorum
Vri fera. qui Vri appellantur. hi sunt magnitudine paulò infra Elephantos, specie & colore & figura tauri. Magna vis est eorum, & magna velocitas. neque homini, neque feræ, quam conspexerint, parcunt. hos studiosè foueis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interficiunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines & mansuefieri ne paruuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum & figura & species multum à nostrorum boum corni- H
bus differt. Hæc studiosè conquisita à labris argento circuncludunt, at-
6 que in amplissimis epulis pro poculis vtuntur. † Cæsar postquàm per Vbios exploratores comperit Sueuos sese in syluas recepisse, inopiam frumenti veritus, (quòd, vt suprà demonstrauimus, minimè omnes Germani agriculturæ student) constituit non progredi longiùs: sed ne omninò metum reditus sui barbaris tolleret, atque vt eorum auxilia tardaret, reducto exercitu, partem vltimam pontis, quæ ripam Vbiorum contingebat in longitudinem pedum ducentorum, rescindit, atque in extremo ponte turrim quatuor tabulatorum constituit, præsidiumq; cohortium duodecim pontis tuendi causa ponit, magnisq; eum locum munitionibus firmat. Ei I
C. Volcatius Tullus. loco præsidioq; C. Volcatium Tullum adolescentem præficit: ipse cùm
Ambiorigis bellum. maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus per
Arduenna sylua. Arduennam syluam (quæ est totius Galliæ maxima, atque à ripis Rheni finibusq; Treuirorum ad Neruios pertinet, millibusque amplius quingen-
L. Minutius Basilius tis in longitudinem patet) L. Minutium Basilium cum omni equitatu præmittit. si quid celeritate itineris, atque opportunitate temporis proficere possit, monet vt in castris ignes fieri prohibeat, ne qua eius aduentus procul significatio fiat. sese confestim subsequi dicit. Basilius vt imperatum est facit: celeriter, contraque omnium opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit. eorum indicio ad ipsum Am- K
biorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus esse dicebatur.
Fortuna multum in re militari valet. Multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari Fortuna potest. Nam sicut magno accidit casu, vt in ipsum incautum atq; etiam imparatum incideret, priusque eius aduentus ab omnibus videretur, quàm fama ac nuncijs afferretur: sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, rhedis equisque comprehensis, ipsum effugere mortem. Sed hoc eò factum est, quòd ædificio circundato sylua (vt sunt
Gallorum domicilia ferè domicilia Gallorum, qui vitandi æstus causa plerunque syluarum ac fluminum petunt propinquitates) comites familiaresq; eius angusto loco pau-

A paulisper equitum nostrorum vim sustinuerunt. his pugnantibus, illum
in equum quidam ex suis intulit. fugientem syluæ texerunt. Sic & ad sub- *Ambiorigis fuga.*
eundum periculum, & ad vitandum, multum Fortuna valuit. Ambiorix
an copias suas iudicio non conduxerit, quòd prælio dimicandum non
existimauerit, an tempore exclusus, & repentino equitum aduentu pro-
hibitus fuerit, cùm reliquum exercitum subsequi crederet, dubium est:
sed certè dimissis per agros nuncijs, sibi quenque consulere iussit: quo-
rum pars in Arduennam syluam, pars in continentes paludes profugit. Qui
proximi oceano fuerunt, ij in Insulis sese occultauerunt, quas æstus effi-
cere consuêrunt. Multi ex suis finibus egressi, se suaque omnia alienissimis
B crediderunt. Catiuulcus rex dimidiæ partis Eburonum, qui vnà cum Am- *Catiuulci mors.*
biorige consilium inierat, ætate iam confectus, cùm laborem belli aut
fugæ ferre non posset, omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui *Precibus detestari.*
eius consilij author fuisset, taxo, cuius magna in Gallia Germaniaque *Taxi venenum.*
copia est, se exanimauit. Segni Condrusique ex gente & numero Germa- *Segni, al. Legni Condrusi.*
norum, qui sunt inter Eburones Treuirosque, legatos ad Cæsarem misé-
runt, oratum ne se in hostium numero duceret, néue omnium Germa-
norum, qui essent citra Rhenum, vnam esse causam iudicaret. nihil se de
bello cogitâsse, nulla Ambiorigi auxilia misisse. Cæsar explorata re quæ-
stione captiuorum, si qui ad eos Eburones ex fuga conuenissent, ad se vt
C reducerent imperauit. Si ita fecissent, fines eorum se violaturum nega-
uit. Tum copijs in tres partes distributis, impedimenta omnium legio-
num ad Vatucam contulit. Id castelli nomen est. hoc ferè est in medijs *Vatuca seu Ratuca castellum.*
Eburonum finibus, vbi Tyturius atque Aurunculeius hyemandi causa con
sederant. Hunc cum reliquis rebus locum probaret Cæsar, tum quòd su-
perioris anni munitiones integræ manebant, vt militum laborem sub-
leuaret. Præsidio impedimentis legionem quartamdecimam reliquit, v-
nam ex ijs tribus, quas proximè conscriptas ex Italia traduxerat. Ei le-
gioni castrisque Quintum Tullium Ciceronem præfecit, ducentosque e- *Q. Tullius Cicero.*
quites attribuit. Partito exercitu, T. Labienum cum legionibus tribus *T. Labienus.*
D ad Oceanum versus, in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci
iubet. C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ
Aduaticis adiacet, depopulandam mittit. Ipse cum reliquis tribus ad flu-
men Scaldem, quod influit in Mosam, extremasque Arduennæ partes *Scaldis flu.*
ire constituit, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audie-
bat. Discedens, post diem septimum sese reuersurum confirmat: quam
ad diem ei legioni, quæ præsidio relinquebatur, deberi frumentum scie-
bat. Labienum Treboniumque hortatur, si Reipublicæ commodo fa-
cere possint, ad eam diem reuertantur, vt rursus communicato consi-
lio, exploratisque hostium rationibus, aliud initium belli capere possint.
E Erat, vt suprà demonstrauimus, manus certa nulla, non præsidium, non
oppidum, quod se armis defenderet: sed in omnes partes dispersa mul-
titudo, vbicunque aut vallis abdita, aut locus syluestris, aut palus im-
pedita, spem præsidij aut salutis aliquam offerebat, consederat. Hæc lo-
ca vicinitatibus erant nota: magnamq; res diligentiam requirebat, non
in summa exercitus tuenda (nullum enim poterat vniuersis perterritis
ac dispersis periculum accidere) sed in singulis militibus conseruandis:
quæ tamen ex parte res ad salutem exercitus pertinebat. nam & prædæ
cupiditas multos longiùs euocabat, & syluæ incertis occultisque itine-
ribus confertos adire prohibebant. Si negocium confici, stirpemq; ho-

minum ſceleratorum interfici vellent, dimittendæ plures manus, didu- F
cendique erant milites. Si continere ad ſigna manipulos vellent (vt inſtituta ratio & conſuetudo exercitus Romani poſtulabant) locus ipſe erat præſidio Barbaris: neque ex occulto inſidiandi, & diſperſos circumueniendi ſingulis deerat audacia: & in eiuſmodi difficultatibus quantum diligentia prouideri poterat, prouidebatur, vt potiùs in nocendo aliquid prætermitteretur (etſi omnium animi ad vleiſcendum ardebant) quàm cum aliquo detrimento militum noceretur. Cæſar ad finitimas ciuitates nuncios dimittit: omnes euocat ſpe prædæ ad diripiendos Eburones: vt potiùs in ſyluis Gallorum vita, quàm legionarius miles periclitetur: ſimul vt magna multitudine circunfuſa pro tali facinore ſtirps ac nomen ciuita- G
tis tollatur. Magnus vndique numerus celeriter conuenit. Hæc in omnibus Eburonum partibus gerebantur, dieſq; appetebat ſeptimus, quem ad
7 diem Cæſar ad impedimenta legionemq; reuerti conſtituerat. † Hic quantum in bello Fortuna poſſit, & quantos afferat caſus, cognoſci potuit. Diſſipatis ac perterritis hoſtibus (vt demonſtrauimus) manus erat nulla, quæ paruam modò timoris cauſam afferret. Trans Rhenum ad Germanos peruenit fama diripi Eburones, atque vltrò omnes ad prædam euocari. Cogunt equitum duo millia Sicambri, qui ſunt proximi Rheno, à quibus receptos ex fuga Tenchrheros atque Vſipetes ſuprà docuimus. Tranſeunt Rhenum nauibus ratibuſque, triginta millibus paſſuum infra eum locum H
vbi pons erat imperfectus, præſidiumque à Cæſare relictum. Primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga diſperſos excipiunt. magno pecoris numero, cuius ſunt cupidiſſimi Barbari, potiuntur. Inuitati præda longiùs procedunt. Non hos palus, in bello latrociniiſque natos, non ſyluæ morantur. Quibus in locis ſit Cæſar, ex captiuis quærunt. profectum longiùs reperiunt, omnemque exercitum diſceſſiſſe cognoſcunt. atque vnus ex captiuis, Quid vos, inquit, hanc miſeram ac tenuem ſectamini prædam, quibus iam licet eſſe fortunatiſſimis? Tribus horis ad Vatucam venire poteſtis, huc omnes ſuas fortunas exercitus Romanorum contulit. præſidij tantum eſt, vt ne murus quidem cingi poſſit, neq; quiſquam egredi ex- I
tra munitiones audeat. Oblata ſpe, Germani quam nacti erant prædam, in occulto relinquunt: ipſi ad Vatucam contendunt, vſi eodem duce, cuius hæc indicio cognouerant. Cicero, qui per omnes ſuperiores dies præceptis Cæſaris ſumma diligentia milites in caſtris continuiſſet, ac ne calonem quidem quenquam extra munitionem egredi paſſus eſſet: ſeptimo die diffidens Cæſarem de numero dierum fidem ſeruaturum, quòd longiùs progreſſum audiebat, neque vlla de eius reditu fama afferebatur, ſimul eorum permotus vocibus, qui illius patientiam penè obſeſſionem appellabant, ſi quidem ex caſtris egredi non liceret: nullum eiuſmodi caſum expectans, quo, nouem oppoſitis legionibus, maximoque equitatu, diſperſis ac penè K
deletis hoſtibus, in millibus paſſuum tribus offendi poſſet: quinq; cohortes frumentatum in proximas ſegetes mittit, quas inter & caſtra vnus omninò collis intererat. Complures erant in caſtris ex legionibus ægri relicti: ex quibus qui hoc ſpatio dierum conualuerant, circiter CCC. ſub vexillo vnà mittuntur. magna præterea multitudo calonum, magna vis iumentorum, quæ in caſtris ſubſederant, facta poteſtate ſequitur. hoc ipſo tempore & caſu Germani equites interueniunt, protinuſque eodem illo quo venerant, curſu à decumana porta in caſtra irrumpere conantur: nec priùs ſunt viſi, obiectis ab ea parte ſyluis, quàm caſtris appropinquarent, vſque eò, vt qui

Militum furor contra Cæſari.

Fortuna vis.

Sicambri traiiciunt Rhenum, vt Eburones prædentur.

Sicambri aduerſus Romanos incitãtur.

Vatuca.

Sicambri caſtra Ciceronis aggrediuntur.

A qui ſub valle tenderent mercatores, recipiendi ſui faculratem non habe-
rent. Inopinantes noſtri re noua perturbantur, ac vix primum impetum
cohors in ſtatione ſuſtinet. circunfunduntur ex reliquis hoſtes partibus,
ſi quem aditum reperire poſſent. ægrè noſtri portas ruenrur: reliquos ad-
itus, locus ipſe per ſe munitioque defendit. totis trepidarur caſtris, at-
que alius ex alio cauſam tumultus quærit: neque quò ſigna ferantur,
neque quam in partem quiſque conueniat, prouident. Alius iam ca-
pta caſtra pronunciat: alius deleto exercitu atq; imperatore victores bar-
baros veniſſe contendit: pleriq; nouas ſibi ex loco religiones fingunt, Cot-
tæq; & Tirurij calamitatem, qui in eodem occiderint caſtello, ante oculos
B ponunt. Tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris,
vt ex captiuo audierant, nullum eſſe intus præſidium. perrumpere ni-
tuntur, ſeque ipſi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimit-
tant. Erat æger in præſidio relictus P. Sextius Baculus, qui primum pi- *P. Sextius Baculus.*
lum apud Cæſarem duxerat, cuius mentionem ſuperioribus prælijs feci-
mus: ac diem iam quintum cibo caruerat. Hic diffiſus ſuæ atque om- *Carere cibo.*
nium ſaluti, inermis ex tabernaculo prodit. videt imminere hoſtes, at-
que in ſummo eſſe rem diſcrimine. capit arma à proximis, atque in por-
ta conſiſtit. * Sequuntur hunc Centuriones eius cohortis, quæ in ſtatio- **Conſequitur hunc Centurio.*
ne erat. Pauliſper vnà prælium ſuſtinent: relinquit animus Sextium, gra-
C uibus acceptis vulneribus. deficiens, ægrè per manus tractus ſeruatur.
Hoc ſpatio interpoſito, reliqui ſeſe confirmant, tanrùm vt in munitioni-
bus conſiſtere audeant, ſpeciemque defenſorum præbeant. Interim con-
fecta frumentatione, milites noſtri clamorem exaudiunt. præcurrunt e-
quites. quanto res ſit in periculo, cognoſcunt. Hic verò nulla munitio
eſt, quæ perterritos recipiat. Modò conſcripti, atque vſus militaris im-
periti, ad tribunum militum, Centurioneſque ora conuertunt. quid ab
his præcipiatur, expectant. Nemo eſt tam fortis, qui non rei nouitate
perturbetur. Barbari ſigna procul conſpicati, oppugnatione deſiſtunt.
Rediſſe primò legiones credunt, quas longiùs diſceſſiſſe ex captiuis co-
D gnouerant. Poſteà deſpecta paucitate, ex omnibus partibus impetum fa-
ciunt. Calones in proximum tumulum procurrunt. hinc celeriter de-
iecti, ſe in ſigna manipulóſque conijciunt. eo magis timidos perterrent
milites. Alij cuneo facto, vt celeriter perrumpant, cenſent, quoniam
tam propinqua ſint caſtra: & ſi pars aliqua circunuenta ceciderit, at re-
liquos ſeruari poſſe confidunt. Alij vt in iugo conſiſtant, atque eundem
omnes ferant caſum. Hoc veteres non probant milites, quos ſub vexil-
lo vnà profectos docuimus. Itaque inter ſe cohortati duce C. Trebonio
equite Romano, qui eis erat præpoſitus, per medios hoſtes perrumpunt,
incolumeſque ad vnum omnes in caſtra perueniunt. hos ſubſecuti Ca-
E lones equiteſque eodem impetu, militum virtute ſeruantur. At ij, qui
in iugo conſtiterant, nullo etiamnunc vſu rei militaris percepto, neque
in eo quod probauerant, conſilio permanere, vt ſe loco ſuperiore de-
fenderent, neque eam quam protuiſſe alijs vim celeriratemque vide-
rant, imitari potuerunt: ſed ſe in caſtra recipere conati iniquum in lo-
cum demiſerunt. Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordi-
nibus reliquarum legionum cauſa virtutis in ſuperiores erant ordines hu-
ius legionis traducti, ne antè partam rei militaris laudem amitterent,
fortiſſimè pugnantes conciderunt. militum pars horum virtute ſummo-
tis hoſtibus, præter ſpem incolumis in caſtra peruenit: pars à Barbaris

8 circunuenta perijt. † Germani desperata expugnatione castrorum, quòd F
nostros iam constitisse in munitionibus videbant, cum ea præda, quam
in syluis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt: ac tantus fuit etiam
post discessum hostium terror, vt ea nocte, cùm C. Volusenus missus
cum equitatu ad castra venisset, fidem non faceret adesse cum incolumi Cæsarem exercitu. Sic omnium animos timor præoccupauerat, vt
penè alienata mente, deletis omnibus copijs, equitatum se ex fuga recepisse dicerent, neque incolumi exercitu Germanos castra oppugnaturos
fuisse contenderent: quem timorem Cæsaris aduentus sustulit. Reuersus
ille, euentus belli non ignarus, vnum, quòd cohortes ex statione & præsidio essent emissæ questus, ne minimo quidem casu locum relinqui debuisse, multum Fortunam in repentino hostium aduentu potuisse iudicauit: multò etiam ampliùs, quòd penè ab ipso vallo portisque castrorum barbaros auertisset. Quarum omnium rerum maximè admirandum videbatur, quòd Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, vt
Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt. Cæsar ad vexandos rursus hostes profectus, magno coacto numero ex finitimis ciuitatibus in
omnes partes dimittit. Omnes vici, atque omnia ædificia, quæ quisque conspexerat, incendebantur. præda ex omnibus locis agebatur. frumenta non solùm tanta multitudine iumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore atque imbribus procubuerant: vt
si qui etiam in præsentia se occultâssent, tamen ijs deducto exercitu rerum omnium inopia pereundum videretur. Ac sæpè in eum locum ventum est, tanto in omnes partes diuiso equitatu, vt non modò visum ab
se Ambiorigem in fuga captiui, sed nec planè etiam abisse ex conspectu
contenderent: vt spe consequendi illata, atque infinito labore suscepto,
qui se summam à Cæsare gratiam inituros putarent, penè naturam studio vincerent, semperque paulùm ad summam felicitatem defuisse videretur: atque ille latebris aut saltibus se eriperet, & noctu occultatus,
alias regiones partesque peteret, non maiore equitum præsidio, quàm I
quatuor, quibus solis vitam suam committere audebat. Tali modo vastatis regionibus exercitum Cæsar duarum cohortium damno Durocortum Rhemorum reducit: concilioque in eum locum Galliæ indicto, de
coniuratione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit: &
de Accone, qui princeps eius consilij fuerat, grauiore sententia pronunciata, more maiorum supplicium sumpsit. Nonnulli iudicium veriti
profugerunt: quibus cùm aqua & igni interdixisset, duas legiones
ad Treuirorum fines, duas in Lingonibus, * sex reliquas in
Senonum finibus Agendici in hybernis collocauit: frumentoque exercitui prouiso, vt instituerat, in K
Italiam ad conuentus agendos
profectus est.

Fortunæ vis.

Eburonum vastatio.

Durocortum opp.

Concilium Galliæ totius.

Acconis supplicium.

** & rel.*

Agendicum opp.

C. IVLII

A C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER VII.

Libri septimi capita.

1 *Nouus Galliæ motus & rebellio aduersus Ro. Vercingentorige duce facta.*
2 *Cæsar Galliæ subsidio accurrit, multosq; qui defecerant in deditionem accipit.*
B 3 *Vrbes Biturigum omnes Vercingetorigis consilio præter Auaricum incenduntur, quod à Cæsare oppugnatur.*
4 *Cæsar ad hostium castra profectus, iniquitate loci à pugnando deterretur. Vercingentorix proditionis insimulatus se purgat.*
5 *Auarici expugnatio, & in eo cædes hominum circiter quadraginta millium.*
6 *Vercingentorix copias redintegrat. Cæsar exortam in Æduis dissensionem extinguit.*
7 *Cæsar Gergouiam propè à Vercingentorigis castris obsidet. Æduorum consilium de Cæsare relinquendo, & Aruernis adiuuandis.*
C 8 *Cæsar Æduorum partem sibi conciliat: trinisq; hostium castris in cliuo Gergouiæ positis potitur.*
9 *Aliquot Ro. temeritas in oppugnanda iniussu Cæsaris Gergouia, & huius ad illos reprehensio.*
10 *Nouo Galliæ motu Nouiodunum ad Ligerim à Gallis diripitur: Cæsar Ligerim, qui iam ex niuibus creuerat, vado transit.*
11 *Labieni cum Parisijs, eorumq; duce Camulogeno prælium, eiusdemq; victoria.*
12 *Defectione ab Æduis facta, summa imperij ad Vercingetorigem defertur: isq; commisso cum Cæsare prælio superatur.*
D 13 *Pugna Cæsaris ad oppidum Alexiam, & mira eiusdem castrorum munitio.*
14 *Auxilia vndique ex Gallia mittuntur ad Alexiam obsessam: vnde ciues inedia coacti excedunt.*
15 *Duo Cæsaris prælia secunda, vnum cum quatuor ducibus externis, alterum cum ijs qui oppido excesserant.*
16 *Gallis magno prælio à Cæsare deuictis, oppidum ei Alexia, vnaq; Vercingentorix deditur.*

E QVIETA Gallia, Cæsar, vt constituerat, in Italiam ad conuentus agendos proficiscitur: vbi cognoscit de Clodij cæde: Senatusque consulto certior factus vt omnes Italiæ iuniores coniurarent, delectum tota prouincia habere instituit. Hæ res in Galliam transalpinam celeriter perferuntur. Addunt ipsi & affingunt rumoribus Galli (quod res poscere videbatur) retineri vrbano motu Cæsarem, neque in tantis dissensionibus ad exercitum venire posse. Hac impulsi occasione, qui iam antè se populi Romani imperio subiectos dolerent, liberiùs atque audaciùs de bello consilia inire incipiunt. Indictis inter se principes Galliæ concilijs, syluestribus ac remotis locis, queruntur de Acconis morte. hunc casum ad ipsos recidere posse demonstrant. Miserantur commu-

Clodij cædes.

Gallorum concilia contra Romanos.

nem Galliæ fortunam. Omnibus pollicitationibus ac præmijs deposcunt F
qui belli initium faciant, & sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent. Eius in primis rationem esse habendam dicunt, priusquàm eorum clandestina consilia efferantur, vt Cæsar ab exercitu intercludatur. Id esse facile, quòd neq; legiones audeant absente imperatore ex hybernis egredi, neque imperator sine præsidio ad legiones peruenire possit. Postremò in acie præstare interfici, quàm non veterem belli gloriam, libertatemq; quam à maioribus acceperant, recuperare. His rebus agitatis, profitentur Carnutes se nullum periculum communis salutis causa recusare: principesq; se ex omnibus bellum facturos pollicentur: & quoniam in præsentia obsidibus cauere inter se non possent ne res efferatur: vt iureiurando G
ac fide sanciatur, petunt, collatis militaribus signis (quod more eorum grauissima cerimonia continetur) ne facto initio belli, à reliquis deserantur. Tum collaudatis Carnutibus, dato iureiurando ab omnibus qui aderant, tempore eius rei constituto, à cōcilio disceditur. Vbi ea dies venit: Carnutes Cotuato & Conetoduno ducibus, desperatis hominibus, Genabum dato signo concurrunt: ciuesq; Romanos qui negociandi causa ibi constiterant, (in his C. Fusium Cottam honestissimum equitem Romanum, qui rei frumentariæ iussu Cæsaris præerat) interficiunt, bonaque eorum diripiunt. Celeriter ad omnes Galliæ ciuitates fama perfertur. Nam vbi maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesq; H
significant: hanc alij deinceps excipiunt, & proximis tradunt, vt tum accidit. nam quæ Genabi oriente Sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus Aruernorum audita sunt: quod spacium est millium passuum circiter CLX. Simili ratione ibi Vercingentorix Celtilli filius Aruernus, summæ potentiæ adolescens, (cuius pater principatum Galliæ totius obtinuerat, & ob eam causam quòd regnum appetebat, à ciuitate erat interfectus) conuocatis suis clientibus, facilè eos incendit. Cognito eius consilio ad arma concurrunt. Prohibetur ab Gobanitione patruo suo, reliquisque principibus qui hanc tentandam fortunam non existimabant, expelliturque ex oppido Gergobia Vercingentorix: non desistit I
tamen, atque in agris habet delectum egentium ac perditorum. Hac coacta manu quoscunque adit ex ciuitate, in suam sententiam perducit. Hortatur vt communis libertatis causa arma capiant: magnisque coactis copijs aduersarios suos à quibus paulò ante erat eiectus, expellit de ciuitate. Rex à suis appellatur: dimittit quoquouersus legationes: obtestatur vt in fide maneant. Celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemouices, Andes, reliquosque omnes qui Oceanum attingunt, adiungit. Omnium consensu ad eum defertur imperium. qua oblata potestate, omnibus his ciuitatibus obsides imperat: certum numerum militum celeriter ad se adduci iubet. Armorum quantum K
quæque ciuitas domi, quodq; ante tempus efficiat, constituit. In primis equitatui studet. Summæ diligentiæ summam imperij seueritatem addit. Magnitudine supplicij dubitantes cogit. Nam maiore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leuiore de causa, auribus desectis, aut singulis effossis oculis domum remittit: vt sint reliquis documento, & magnitudine pœnæ perterreant alios. His supplicijs celeriter coacto exercitu, Lucterium Cadurcum summæ hominem audaciæ cum parte copiarum in Ruthenos mittit: ipse in Bituriges proficiscitur. Eius aduentu Bituriges ad Heduos, quorum erant in fide, legatos mittunt subsidium

Militarium signorũ conferendorum cerimonia apud Gallos in fœderibus sanciendis.

Cotuatus & Conetodunus duces Gallorum.

C. Fusius Cotta occiditur.

Mira famæ celeritas.

Vercingentorix.

Gergobia oppidum.

Vercingentorix rex appellatur.

Seueritas mira.

Lucterius Cadurcus.

A sidium rogatum, quò faciliùs hostium copias sustinere possint. Hedui de
consilio legatorũ quos Cęsar ad exercitũ reliquerat, copias equitatus pedi-
tatusq; subsidio Biturigibus mittunt. qui cùm ad flumẽ Ligerim venissent, *Ligeris fluuius.*
quod Bituriges ab Heduis diuidit, paucos dies ibi morati, neq; flumẽ tran-
sire ausi, domum reuertuntur: legatisq; nostris renunciant se Biturigum
perfidiam veritos reuertisse: quibus id consilij fuisse cognouerint, vt si flu.
men transissent, vna ex parte ipsi, altera Aruerni se circunsisterent. Id eá ne
de causa quam legatis pronunciàrunt, an perfidia adducti fecerint, quòd
nihil nobis cõstat, non videtur pro certo esse ponendum. Bituriges eorum
discessu statim se cum Aruernis coniungunt. † His rebus in Italiam Cæsari 2
B nunciatis, cùm iam ille virtute Cn. Pompeij vrbanas res commodiorem in *Cn. Pompeij virtus.*
statum peruenisse intelligeret, in Transalpinam Galliam profectus est. Eò
cùm venisset, magna difficultate afficiebatur, qua ratione ad exercitũ per-
uenire posset. Nam si legiones in prouinciam accerseret, se absente in itine-
re prælio dimicaturas intelligebat. si ipse ad exercitum contenderet, ne ijs
quidem qui eo tempore pacati viderentur, suam salutem rectè committi
videbat. Interim Lucterius Cadurcus in Ruthenos missus, eam ciuitatem *Ruteni.*
Aruernis conciliat. Progressus in Nitiobriges & Gabalos, ab vtrisq; obsides *Nitiobriges & Gabali.*
accipit: & magna coacta manu in prouinciam Narbonem versus, eruptio-
nem facere contendit. Qua re nunciata, Cæsar omnibus consilijs anteuer-
C tendum existimauit vt Narbonem proficisceretur. Eò cùm venisset, timen-
tes cõfirmat, præsidia in Ruthenis prouincialibus, Volcis Arecomicis, To-
losatibus, circumq; Narbonem, quæ loca hostibus erant finitima, consti-
tuit: partem copiarum ex prouincia, supplementumq; quod ex Italia ad-
duxerat, in Heluios, qui fines Aruernorum contingunt, conuenire iubet. *Heluij.*
His rebus comparatis, represso iam Lucterio, & remoto, quòd intrare
intra præsidia periculosum putabat, in Heluios proficiscitur. Etsi mons
Gebenna, qui Aruernos ab Heluijs discludit, * durissimo tempore anni, *Gebenna mons.*
altissima niue iter impediebat: tamen discussa niue sex in altitudinem pe- **diuersissimo.*
dum, atq; ita vijs patefactis, summo militum labore ad fines Aruernorum *Cesar Aruernos opprimit.*
D peruenit: quibus oppressis inopinantibus, quòd se sic Gebenna vt muro
munitos existimabant, ac ne singulari quidem vnquã homini eo tempore *Militum tolerantia.*
anni semitæ patuerant, equitibus imperat, vt quàm latissimè possint, va-
gentur, & quammaximum hostibus terrorem inferant. Celeriter hæc fa-
ma ac nuncij ad Vercingentorigem perferũtur: quem perterriti omnes Ar-
uerni circunsistunt, atq; obsecrant vt suis fortunis consulat, neu se ab ho-
stibus diripi patiatur, præsertim cùm videat omne ad se bellum transla-
tum. Quorum ille precibus permotus, castra ex Biturigibus mouet in Ar-
uernos versus. At Cæsar biduum in his locis moratus, quòd hæc de Vercin-
gentorige vsu ventura opinione præceperat, per causam supplementi equi-
E tatusq; cogendi ab exercitu discedit: Brutum adolescentem his copijs præ- *Brutus adolescens.*
ficit. Hunc monet, vt in omnes partes equites quàm latissimè peruagen-
tur: daturum se operam, ne longiùs triduo à castris absit. His constitutis re-
bus, omnibus suis inopinantibus, quàm maximis potest itineribus Viennã *Vienna.*
peruenit. ibi nactus recentem equitatũ, quem multis antè diebus eò præ- *Insitata diligẽtia.*
miserat, neq; diurno neq; nocturno itinere intermisso per fines Heduorũ
in Lingones contendit, vbi duæ legiones hyemabant, vt si quid etiam de
sua salute ab Heduis iniretur consilij, celeritate præcurreret. Eò cùm per-
uenisset, ad reliquas legiones mittit: priusq; in vnum locum omnes cogit,
quàm de eius aduentu Aruernis nunciari posset. Hac re cognita, Vercin-

gentorix

Gergobina Boiorum oppidum. ** quòd ibi Heluetios pro.* gentorix rursus in Bituriges exercitum reducit, atque inde profectus, Gergobinam Boiorum oppidum (* quos ibi Heluetico prælio victos Cæsar collocauerat, Heduisque attribuerat) oppugnare instituit. Magnam hæc res Cæsari difficultatem ad consilium capiendum afferebat: si reliquam partem hyemis vno in loco legiones contineret, ne stipendiarijs Heduorum expugnatis cuncta Gallia deficeret, quòd nullum amicis in eo præsidium videretur positum esse. sin maturius ex hybernis educeret, ne ab re frumentaria duris subuectionibus laboraret. Præstare visum est tamen, omnes difficultates perpeti, quàm tanta contumelia accepta, omnium suorum voluntates alienare. Itaque cohortatus Heduos de supportando commeatu, præmittit ad Boios, qui de suo aduentu doceant, hortenturque vt in fide maneant, atque hostium impetum magno animo sustineant. Duabus Agendici legionibus, atque impedimentis totius exercitus relictis, ad Boios proficiscitur. Altero die cùm ad oppidum Senonum Vellaunodunum venisset, ne quem post se hostem relinqueret, quò expeditiore re frumentaria vteretur, oppugnare instituit. Idque biduo circunuallauit: tertio die missis ex oppido legatis de deditione, arma conferri, iumenta produci, sexcentos obsides dari iubet. ea qui conficeret, C. Trebonium legatum relinquit. Ipse vt quàmprimùm iter faceret, Genabum Carnutum proficiscitur: qui tum primùm allato nuncio de oppugnatione Velaunoduni, cùm longiùs eam rem ductum iri existimarent, præsidium Genabi tuendi causa, quod eò mitterent, comparabant. Huc biduo Cæsar peruenit: & castris ante oppidum positis, diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt: quæque ad eam rem vsui sint, militibus imperat: & quòd oppidum Genabum pons fluminis Ligeris continebat, veritus ne noctu ex oppido profugerent, duas legiones in armis excubare iubet. Genabenses paulò ante mediam noctem silentio ex oppido egressi, flumen transire cœperunt. qua re per exploratores nunciata, Cæsar legiones quas expeditas esse iusserat, portis incensis intromittit, atque oppido potitur. Perpaucis ex hostium numero desideratis quin cuncti caperentur, quòd pontis atque itinerum angustiæ multitudini fugam intercluserant, oppidum diruit, atque incendit: prædam militibus donat: exercitum Ligerim traducit, atque in Biturigum fines peruenit. Vercingentorix vbi de Cæsaris aduentu cognouit, oppugnatione desistit, atque obuiam Cæsari proficiscitur. Ille oppidum Biturigum positum in via Nouiodunum oppugnare instituerat. Quo ex oppido cùm legati ad eum venissent oratum vt sibi ignosceret, suæq; vitæ consuleret: vt celeritate reliquas res conficeret, qua pleraque erat consecutus, arma conferri, equos produci, obsides dari iubet. Parte iam obsidum tradita, cùm reliqua administrarentur, centurionibus & paucis militibus intromissis qui arma iumentaque conquirerent, equitatus hostium procul visus est, qui agmen Vercingentorigis antecesserat: quem simul atque oppidani conspexerunt, atque in spem auxilij venerunt, clamore sublato arma capere, portas claudere, murum complere cœperunt. Centuriones in oppido, cùm ex significatione Gallorum noui aliquid ab his initi consilij intellexissent, gladijs districtis portas occupauerunt, suosq; omnes incolumes receperunt. Cæsar ex castris equitatum educi iubet, præliumque equestre committi. Laborantibus iam suis, Germanos equites circiter CCCC. submittit, quos ab initio secum habere instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non potuerunt: atque in fugam coniecti, multis

Margin notes: *Vellaunodunum oppidum.* — *Genabum obsidetur.* — *Genabum capitur.* — *Nouiodunum.* — *Celeritas Cæsaris.* — *Prælium equestre.* — *Germani quadringenti in cohorte prætoria Cæsaris.*

Margin letters: F, G, H, I, K

A multis amiſſis ſe ad agmen receperunt. Quibus profligatis, rurſus oppidani perterriti, comprehenſos eos quorum opera plebem concitatam exiſtimabant, ad Cæſarem perduxerunt, ſeſeq; ei dediderunt. Quibus rebus confectis, Cæſar ad oppidum Auaricum (quod erat maximum munitiſſimumq; in finibus Biturigum, atque agri fertiliſſima regione) profectus eſt: quòd eo oppido recepto, ciuitatem Biturigum ſe in poteſtatem redacturū confidebat. † Vercingentorix tot continuis incommodis, Vellaunoduni, Genabi, Nouioduni acceptis, ſuos ad conciliū conuocat: docet longè alia ratione eſſe bellum gerendum, atque anteà geſtum ſit: omnibus modis huic rei ſtudendum, vt pabulatione & commeatu Romani prohi-
Auaricum oppidū. 3 *Vercingentorigis conſilia.*

B beantur. Id eſſe facilè, quòd equitatu ipſi abundent, & quòd anni tempore ſubleuentur. pabulum ſecari non poſſe. neceſſariò diſperſos hoſtes ex ædificijs petere. hos omnes quotidie ab equitibus diripi poſſe. Prætereà ſalutis cauſa, rei familiaris commoda negligenda: vicos atque ædificia incendi oportere hoc ſpacio à Boia quoquo verſus quò pabulandi cauſa adire poſſe videantur. Harum ipſis rerum copiam ſuppetere, quòd quorum in finibus bellum geratur, eorum opibus ſubleuentur. Romanos aut inopiam non laturos, aut magno periculo longiùs à caſtris proceſſuros: neq; intereſſe, ipſóſne interficiant, impedimentíſue exuant, quibus amiſſis bellum geri non poſſit. Prætereà oppida incendi oportere quæ non mu-

C nitione & loci natura ab omni ſint periculo tuta, neu ſuis ſint ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis propoſita ad copiam commeatus prædamque tollendam. Hæc ſi grauia aut acerba videantur, multò illa grauiora exiſtimari debere, liberos coniuges in ſeruitutem abſtrahi, ipſos interfici, quæ ſit neceſſe accidere victis. Omnium conſenſu hac ſententia probata, vno die ampliùs xx. vrbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reliquis ciuitatibus. In omnibus partibus incendia conſpiciuntur: quæ etſi magno cum dolore omnes ferebant, tamen hoc ſibi ſolatij proponebant, quòd explorata victoria celeriter amiſſa recuperaturos confidebant. Deliberatur de Auarico in communi conci-
Galli vrbes ſuas incendunt.

D lio, incendi placeret, an defendi. Procumbunt omnibus Gallis ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam propè totius Galliæ vrbem, quæ & præſidio & ornamento ſit * ciuitati, ſuis manibus ſuccendere cogerentur. facilè ſe loci natura defenſuros dicunt, quòd propè ex omnibus partibus flumine & palude circundata, vnum habeat & peranguſtum aditum. Datur petentibus venia, diſſuadente primò Vercingentorige, pòſt concedente & precibus ipſorum, & miſericordia vulgi. Defenſores oppido idonei deliguntur. Vercingentorix minoribus Cæſarem itineribus ſubſequitur, & locum caſtris deligit paludibus ſyluiſque munitum, ab Auarico longè millia paſſuum xv. ibi per certos exploratores in ſingula
Auaricum oppidum pulcherrimum. ** eis omnibus.*

E dierum tempora quæ ad Auaricum agerentur, cognoſcebat: & quid fieri vellet imperabat. Omnes noſtras pabulationes frumentationeſq; obſeruabat: diſperſoſq;, cùm longiùs neceſſariò procederent, adoriebatur, magnoque incommodo afficiebat: etſi quantum ratione prouideri poterat, à noſtris occurrebatur, vt incertis temporibus diuerſiſq; itineribus iretur. Caſtris ad eam partem oppidi poſitis, Cæſar, quæ intermiſſa à flumine & à paludibus, aditum (vt ſuprà diximus) anguſtum habebat, aggerem apparare, vineas agere, turres duas conſtituere cœpit: nam circunuallare loci natura prohibebat. De re frumentaria Boios atque Heduos adhortari non deſtitit. quorum alteri, quòd nullo ſtudio agebant, non mul-
Auarici obſeſſio.

Boiorũ ciuitas exigua.

multum adiuuabant: alteri non magnis facultatibus, quòd ciuitas erat F exigua & infirma, celeriter quod habuerunt consumpserunt. Summa

A. Castra Vercingentorigis Gallorũ Ducis.
B. Collis quo se Galli castris munitis fiducia loci continebant.
C. Auaricum oppidum.

G



H

Auarici oppidi expugnatio.

difficultate rei frumentariæ affecto exercitu, tenuitate Boiorum, indili- I gentia Heduorum, incendijs ædificiorum, vsque eò vt complures dies milites frumento caruerint, & pecore ex longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentarent: nulla tamen vox est ab his audita populi Romani maiestate & superioribus victorijs indigna. Quinetiam Cæsar cùm in opere * singulas legiones appellaret, &, si acerbiùs inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret: vniuersi ab eo, ne id faceret, petebant. sic se complures annos illo imperante meruisse, vt nullam ignominiam acciperent, nusquam infecta re discederent. hoc se ignominiæ laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. præstare omnes perferre acerbitates, quàm non ciuibus Romanis qui Genabi perfidia Gallo- K rum interissent, parentarent. Hæc eadem centurionibus tribunisq́; militum mandabant, vt per eos ad Cæsarem deferrentur. Cùm iam muro turres appropinquâssent, ex captiuis Cæsar cognouit Vercingentorigem consumpto pabulo castra mouisse propius Auaricum, atque ipsum cum equitatu, expeditisq́; qui inter equites præliari consuêssent, insidiarum causa eò profectum, quò nostros postero die pabulatum venturos arbitraretur.


Fames Cæsarianorum & tolerantia.

** singulos appel.*

Cæsarianorum militum animus indomabilis.

4 † Quibus rebus cognitis media nocte silentio profectus, ad hostium castra manè peruenit. Illi celeriter per exploratores aduentu Cæsaris cognito, carros impedimentaq́; sua in arctiores syluas abdiderunt: copias

A pias omnes in loco edito atque aperto instruxerunt. Qua re nũnciata, Cæsar celeriter sarcinas conferri, arma expediri iussit. Collis erat leniter ab infimo accliuis. hunc ex omnibus ferè partibus palus difficilis atque impedi- *A. Cæsaris castra maiora.*



D ta cingebat, non latior pedibus quinquaginta. Hoc se colle interruptis pontibus Galli fiducia loci continebant: generatimq; distributi in ciuitates, omnia vada ac saltus eius paludis certis custodijs obtinebant: sic animo parati, vt si eam paludem Romani perrumpere conarentur, hæsitantes premerent ex loco superiore: vt qui propinquitatem loci videret, paratos propè æquo marte ad dimicandum existimaret: qui iniquitatem conditionis perspiceret, inani simulatione sese ostentare cognosceret. Indignantes milites Cęsar, quòd conspectum suum hostes ferre possent tantulo spacio interiecto, & signum prælij exposcentes, edocet quanto detrimento, & quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam: quos E cùm sic animo paratos videret, vt nullum pro sua laude periculum recusarent, summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat chariorem. Sic milites consolatus, eodem die reducit in castra: reliquaq; quæ ad oppugnationem oppidi pertinebant, administrare instituit. Vercingentorix cùm ad suos redisset, proditionis insimulatur, quòd castra propius Romanos mouisset, quòd cum omni equitatu discessisset; quòd sine imperio tantas copias reliquisset, quòd eius discessu Romani tanta opportunitate & celeritate venissent: non hæc omnia fortuitu aũt sine consilio accidere potuisse: regnum illum Galliæ malle Cæsaris concessu, quàm ipsorum habere beneficio. Tali modo accusatus, ad hæc

B. E. Collis à maioribus castris ad minora.

Militum Ro. ardor.

Vercingẽtorix proditionis accusatur.

respondit, Quòd castra mouisset, factum inopia pabuli, etiam ipsis hor- F
tantibus. Quòd propius Romanos accessisset, persuasum loci opportuni-
tate, qui seipsum munitione defenderet: Equitum verò operam neque in
loco palustri desiderari debuisse, & illic fuisse vtilem, quò sint profecti.
Summam imperij se consultò nulli discedentem tradidisse, ne is multitu-
dinis studio ad dimicandum impelleretur: cui rei propter animi mollitiē
studere omnes videret, quòd diutiùs laborem ferre non possent. Roma-
ni si casu interuenissent, fortunæ: si alicuius indicio vocati, huic haben-
dam gratiam: quòd & paucitatem eorum ex loco superiore cognoscere,
& virtutem despicere potuerint: qui dimicare non ausi, turpiter se in ca-
stra receperint. Imperium se à Cæsare per proditionem nullum desidera- G
re, quod habere victoria posset, quæ iam esset sibi atq; omnibus Gallis ex-
plorata. Quin etiam ipsis remittere si sibi magis honorem tribuere, quàm
à se salutem accipere videantur. Hæc vt intelligatis, inquit, à me syncerè
Vercingentorigis astutia. pronunciari, audite Romanos milites. producitq; seruos quos in pabula-
tione paucis ante diebus exceperat, & fame vinculisq; excruciauerat. hi
iam antè edocti quæ interrogati pronunciarent, milites se esse legiona-
rios dicunt, fame & inopia adductos clàm ex castris exisse, si quid frumen-
ti aut pecoris in agris reperire possent. simili omnem exercitum inopia
premi, nec iam vires sufficere cuiusquam, nec ferre operis laborem pos-
se. Itaque statuisse imperatorem, si nihil in oppugnatione oppidi pro- H
fecisset, triduo exercitum deducere. Hæc, inquit, à me Vercingento-
rix beneficia habetis, quem proditionis insimulatis, cuius opera sine ve-
stro sanguine tantum exercitum victorem famè penè consumptum vide-
tis, quem turpiter se ex fuga recipientem, ne qua ciuitas suis finibus re-
Armis concrepandi mos apud Gallos. cipiat, à me prouisum est. Cōclamat omnis multitudo, & suo more armis
concrepat (quod facere in eo consueuerunt, cuius orationem approbant)
summum esse Vercingentorigem ducem, nec de eius fide dubitandū, nec
maiori ratione bellum administrari posse. Statuunt vt decem millia ho-
minum delecta ex omnibus copijs in oppidum summittantur: nec solis
** pene in eo s.* Biturigibus communem salutem committendam censent, quòd * pe- I
nes eos, si id oppidum retinuissent, summam victoriæ constare intellige-
5 bant. † Singulari militum nostrorum virtuti consilia cuiusq; modi Gal-
Gallorum solertia, Cæsaris elogio testata. lorum occurrebant: vt est summæ genus solertiæ, atque ad omnia imi-
tanda & efficienda quæ à quoque tradantur, aptissimum. Nam & la-
queis falces auertebant, quas cùm distinuerant, tormentis introrsùs re-
Ferraria Biturigū. ducebant: & aggerem cuniculis subtrahebant, eò scientiùs, quòd apud eos
Cuniculorum agendorum periti Galli. magnæ sunt ferrariæ, atq; omne genus cuniculorum notum atque vsita-
tum est. Totum autem murum ex omni parte turribus contabulauerant,
atque has corijs intexerant: tum crebris diurnis nocturnisque eruptio-
nibus aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere ado- K
riebantur: & nostrarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus
agger expresserat, commissis suarum turrium malis adæquabant: & aper-
tos cuniculos præusta & præacuta materia, & pice feruefacta, & maximi
ponderis saxis morabantur, mœnibusque appropinquare prohibebant.
Muri Gallici. Muri autem omnes Gallici hac ferè forma sunt, trabes directæ perpe-
tuæ in longitudinem, paribus interuallis distantes inter se, binos pedes
in solo collocantur. hæ reuinciuntur introrsùs: & multo aggere vestiun-
tur. ea autem quæ diximus interualla, grandibus in fronte saxis effarci-
untur. his collatis & coagmentatis, alius insuper ordo adijcitur, vt idem
illud

A illud interuallum seruetur, neq; inter se contingant trabes, sed paribus intermissæ spatijs, singulæ singulis saxis interiectis arctè contineantur. sic deinceps omne opus contexitur, dum iusta muri altitudo expleatur. Hoc cùm in speciem varietatemque opus deforme non est alternis trabibus ac saxis, quæ rectis lineis suos ordines seruant, tum ad vtilitatem & defensionem vrbium summam habet opportunitatem, quòd & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerunq; introrsus reuincta, neque perrumpi neq; distrahi potest. His tot rebus impedita oppugnatione, milites cùm toto tempore frigore & assiduis imbribus turbarentur, tamen continenti labore omnia hæc superaB uerunt: & diebus xxv. aggerem latum pedes cccxxx. altum pedes lxxx. *Agger Romanorum.* extruxerunt. Cùm is murum hostium penè contingeret, & Cæsar ad opus consuetudine excubaret, militesque hortaretur, ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur: paulò ante tertiam vigiliam est animaduersum fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. Eodemq; tempore toto muro clamore sublato, duabus portis ab vtroq; latere turrium eruptio fiebat. Alij faces atque aridam materiam de muro in aggerem eminùs iaciebant: picem, reliquasq; res quibus ignis excitari potest, fundebant: *Agger Roma. incenditur.* vt quò primùm curreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset: tamen, quòd instituto Cæsaris duæ semper legiones pro castris excuC babant, * duæq; partitis temporibus in opere erant: celeriter factum est *plures'q;* vt alij eruptionibus resisterent, alij turres reducerent, aggeremque interscinderent: omnis verò ex castris multitudo ad restinguendum concurreret. Cùm in omnibus locis consumpta iam reliqua parte noctis pugnaretur, semperq; hostibus spes victoriæ redintegraretur, eò magis, quòd deustos pluteos turrium videbant, nec facilè adire apertos ad auxiliandum animaduertebant, semperq; ipsi recentes defessis succederent, omnemq; Galliæ salutem in illo vestigio temporis positam arbitrarentur: accidit inspectantibus nobis, quod dignum memoria visum, prætermittendũ non existimauimus. Quidam ante portam oppidi Gallus per manus seui ac piD cis traditas glebas in ignem è regione turris proijciebat. scorpione à latere *Facinus Gallorum memorabile.* dextro traiectus exanimatusque concidit. hunc ex proximis vnus iacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur. eadem ratione ictu scorpionis exanimato alteri successit tertius, & tertio quartus: nec ille prius est à propugnatoribus vacuus relictus locus, quàm restincto aggere, atque omni ea parte summotis hostibus finis est pugnandi factus. Omnia experti Galli, quòd res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere, hortante & iubente Vercingentorige. Id silentio noctis conati, non magna iactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quòd neque longè ab oppido castra Vercingentorigis aberant: & palus E quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. Iamq; hoc facere noctu apparabant, cùm matresfamiliæ repentè in publicum procurrerunt, flentesq; proiectæ ad pedes suorum omnibus precibus petierunt, ne se & communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quas ad capiendam fugam * naturæ & virium infirmitas impediret. Vbi eos *natura.* perstare in sententia viderunt, quòd plerunq; in summo periculo timor *In summo periculo timor misericordiã non recipit.* misericordiam non recipit: conclamare, & significare de fuga Romanis cœperunt. quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viæ præoccuparentur, consilio destiterunt. Postero die Cæsar promota turri, perfectisque operibus quæ facere instituerat, magno coorto imbre, non

inutilem hanc ad capiendum consiliũ tempestatem arbitratus est. Quòd F
paulò incautiùs custodias in muro dispositas videbat, suos quoque lan-
guidiùs in opere versari iussit, & quid fieri vellet, ostendit. Legiones
intra vineas in occulto expeditas cohortatus, vt aliquando pro tantis
laboribus fructum victoriæ perciperent: ijs qui primi murum ascendis-
Auarici oppugnatio. sent, præmia proposuit, militibusque signum dedit. Illi subitò ex om-
nibus partibus euolauerunt, murumque celeriter compleuerunt. hostes
re noua perterriti, muro turribusq; deiecti, in foro ac locis patentioribus
cuneatim constiterunt, hoc animo, vt si qua ex parte obuiam contraue-
niretur, acie instructa depugnarent. Vbi neminem in æquum locum se-
se dimittere, sed toto vndiq; muro circunfundi viderunt, veriti ne omni- G
no spes fugæ tolleretur, abiectis armis vltimas oppidi partes continenti
impetu petiuerunt. parsq; ibi, cum angusto exitu portarum se ipsi pre-
merent, à militibus, pars iam egressa portis ab equitibus est interfecta:
Genabensis cadis vltio. nec fuit quisquam qui prædæ studeret. Sic & Genabensi cæde, & labo-
re operis incitati, non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus
pepercerunt. Denique ex omni eo numero qui fuit circiter quadragin-
ta millium, vix octingenti, qui primo clamore audito se ex oppido eie-
cerant, incolumes ad Vercingentorigem peruenerunt: quos ille multa
iam nocte silentio ex fuga excepit, veritus ne qua in castris ex eorum con-
cursu & misericordia vulgi seditio oriretur: vt procul in via dispositis fa- H
miliaribus suis principibusq; ciuitatum, disparandos deducendosque ad
suos curaret, quæ cuique ciuitati pars castrorum ab initio obuenerat.

6 † Postero die concilio conuocato, consolatus, cohortatusque est, ne se
Vercingentorigis oratio in re perdita. admodum animo demitterent, néue perturbarentur incommodo: non
virtute neq; acie vicisse Romanos, sed artificio quodam & scientia oppu-
gnationis, cuius rei fuerint ipsi imperiti. errare, si qui in bello omnes secun-
dos rerum euentus expectent. sibi nunquam placuisse Auaricum defendi,
cuius rei testes ipsos haberet: sed factum imprudentia Biturigum, & nimia
obsequentia reliquorum, vti hoc incommodum acciperetur. id tamen se
celeriter maioribus commodis sanaturum. Nam quæ à reliquis Gallis ci- I
uitates dissentirent, has sua diligentia adiuncturum, atq; vnum consilium
totius Galliæ effecturum: cuius consensui ne orbis quidem terrarum pos-
sit obsistere. Idq; se propè iam effectum habere: intereà æquum esse ab his
communis salutis causa impetrari, vt castra munire instituerent, quò fa-
ciliùs repentinos hostium impetus sustinere possent. Fuit hæc oratio non
ingrata Gallis, & maximè quòd ipse animo non defecerat tanto acce-
pto incommodo, neque se in occultum abdiderat, & conspectum mul-
titudinis fugerat: plusque animo prouidere & præsentire existimabatur,
Aduersis rebus imperatorum autoritas minuitur. quòd re integra primò incendendum Auaricum, pòst deserendum cen-
suerat. Itaq; vt reliquorum imperatorum res aduersæ authoritatem mi- K
nuunt, sic huius ex contrario dignitas incommodo accepto in dies auge-
batur: simul in spem veniebant eius affirmatione de reliquis adiungendis
Castra primùm Galli muniunt. ciuitatibus. Primumq; eo tempore Galli castra munire instituerunt, &
sic sunt animo consternati, homines insueti laboris, vt omnia quæ im-
perarentur, sibi patienda & perferenda existimarent. Nec minùs quàm est
pollicitus, Vercingentorix animo laborabat, vt reliquas ciuitates adiun-
geret: atque earum principes donis pollicitationibusque alliciebat. Huic
rei idoneos homines deligebat: quorum quisque aut oratione subdola
aut amicitia facillimè capi posset. Qui Auarico expugnato refugerant,
arman-

A armandos vestiendosque curat. Simul vt deminutæ copiæ redintegraren-
tur, imperat certum militum numerum ciuitatibus, quem, & quam an-
te diem in castra adduci velit. sagittariosque omnes, quorum erat perma-
gnus numerus in Gallia, conquiri, & ad se mitti iubet. His rebus celeri-
ter id quod Auarici deperierat, expletur. Interim Teutomatus Ollouil- *Teutomatus rex Nitiobrigum.*
conis filius Rex Nitiobrigum, cuius pater à Senatu nostro amicus erat
appellatus, cum magno equitum suorum numero, quos ex Aquitania
conduxerat, ad eum peruenit. Cæsar Auarici complures dies commo-
ratus, summamque ibi copiam frumenti commeatusque reliqui nactus,
exercitum ex labore atque inopia refecit. Iam propè hyeme confecta,
B cùm ipso anni tempore ad gerendum bellum vocaretur, & ad hostem
proficisci constituisset, siue eum ex paludibus syluisque elicere, siue ob-
sidione premere posset: legati ad eum principes Heduorum veniunt ora-
tum, vt maximè necessario tempore ciuitati subueniat: summo esse in *Heduorum ad Cæsarem legati.*
periculo rem, quòd cùm singuli magistratus antiquitùs creari, atque re-
giam potestatem annum obtinere consuêssent, duo magistratum ge-
rant, & se vterque eorum legibus creatum esse dicat: horum esse alte-
rum Conuictolitanem, florentem & illustrem adolescentem: alterum
Cotum, antiquissima familia natum, atque ipsum hominem summæ
potentiæ, & magnæ cognationis; cuius frater * Vedeliacus proximo **Valetiacus.*
C anno eundem magistratum gesserit. ciuitatem omnem esse in armis: di- *Heduorum seditio ac diuisio.*
uisum Senatum, diuisum populum, suas cuiusque eorum clientelas. quòd
si diutiùs alatur controuersia, fore vti pars cum parte ciuitatis confligat.
id ne accidat, positum in eius diligentia, atque authoritate. Cæsar etsi à
bello atque ab hoste discedere detrimentosum esse existimabat, tamen
non ignorans quanta ex dissensionibus incommoda oriri consuêssent,
ne tanta & tam coniuncta populo Romano ciuitas, quam ipse semper *Hedui Romanis coniuncti.*
aluisset, omnibusque rebus ornâsset, ad vim atque arma descenderet; at-
que ea pars quæ minùs sibi confideret, auxilia à Vercingentorige accer-
seret: huic rei præuertendum existimauit: & quòd legibus Heduorum,
D ijs qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non lice-
ret, ne quid de iure aut legibus eorum diminuisse videretur, ipse in He-
duos proficisci statuit: Senatumque omnem, & quos inter controuersia
esset, ad se euocauit. Cùm propè omnis ciuitas eò conuenisset, doce-
turq; paucis clàm conuocatis, alio loco alio tempore atq; oportuerit, fra-
trem à fratre renunciatum, cùm leges duos ex vna familia, viuo vtroque *Lex Heduorum de magistratu.*
non solùm magistratus creari vetarent, sed etiam in Senatu esse prohibe-
rent: Cotum imperium deponere coëgit: Conuictolitanem, qui per Sacer-
dotes more ciuitatis intermissis magistratibus esset creatus, potestatem
obtinere iussit. Hoc decreto interposito, cohortatus Heduos vt controuer-
E siarum ac dissensionum obliuiscerentur, atque omnibus omissis his rebus
huic bello seruirent, eaq; quæ meruissent præmia, ab se deuicta Gallia ex-
pectarent: equitatumq; omnem, & peditũ millia decem sibi celeriter mit-
terent, quæ in præsidijs rei frumentariæ causa disponeret: exercitũ in duas
partes diuisit: quatuor legiones in Senones Parisiosq; Labieno ducendas
dedit: sex ipse in Aruernos ad oppidum Gergouiam secundum flumen
Elauer duxit: equitatus partem illi attribuit, partem sibi reliquit. Quare *Elauer flu.*
cognita, Vercingentorix omnibus interruptis eius fluminis pontibus, ab
altera Elaueris parte iter facere cœpit. Cùm vterque vtriq; esset exercitui
in conspectu, fereq; è regione castris castra poneret, dispositis explorato-

ribus, necubi effecto ponte Romani copias traducerent: erat in magnis F
Cæsaris difficultatibus res, ne maiorem æstatis partem flumine impedi-
retur, quòd non ferè ante autumnum Elauer vado transiri solet. Itaque
** vnum pontiū eorum q. Verc. resc. cur. erigere statuit.*
ne id accideret, syluestri loco positis castris, * è regione vnius eorum
pontium quos Vercingentorix rescindendos curauerat, postridie cum
Postero die cum &c.
duabus legionibus in occulto restitit: reliquas copias cum omnibus im-
** quartis quibusq; coh.*
pedimentis, vt consueuerat, misit, demptis * quibusdam cohortibus,
Pontem Cæsar reficit.
vti numerus legionum constare videretur. His quàm longissimè possent
progredi iussis, cùm iam ex diei tempore coniecturam caperet in castra
peruentum: iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat,
pontem reficere cœpit. Celeriter effecto opere, legionibusque tradu- G
ctis, & loco castris idoneo delecto, reliquas copias reuocauit. Vercin-
gentorix re cognita, ne contra suam voluntatem dimicare cogeretur, ma-
7 gnis itineribus antecessit. † Cæsar ex eo loco quintis castris Gergouiam
Scenographia oppugnationis Gergouiæ.
peruenit: equestrique prælio eo die leui facto, perspecto vrbis situ, quæ



posita in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat, de expugnatio-
ne desperauit: de obsessione nō priùs agendū constituit, quàm rem frumen
Gergouia obsidio.
tariam expedisset. At Vercingentorix castris pro oppido in monte positis,
mediocribus circum se interuallis separatim singularum ciuitatum copias
a. [illegible]
collocauerat: atq; omnibus eius iugi collibus occupatis, quà despici pote-
rat, horribilem speciem præbebat: principesq; earum ciuitatum quos sibi
Vercingětorigis castra.
ad consiliū capiendum delegerat, prima luce ad se quotidie conuenire iū-
bebat,

A bebat, seu quid communicandum, seu quid administrandum videretur: neq; vllum ferè diem intermittebat, quin equestri prælio interiectis sagittarijs, quid in quoq; esset animi ac virtutis suorum, periclitaretur. Erat è regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregiè munitus, atq; ex omni parte circuncisus: quem si tenerent nostri, & aquæ magna parte, & pabulatione libera prohibituri hostes videbantur. Sed is locus ab his præsidio non nimis firmo tenebatur: tamen silentio noctis Cæsar ex castris egressus, priùs quàm subsidium ex oppido venire posset, deiecto præsidio potitus loco, duas ibi legiones collocauit: fossamq; duplicem duodenûm pedum à maioribus castris ad minora perduxit, vt tutò à repetino hostium

B incursu etiam singuli commeare possent. Dum hæc ad Gergouiam geruntur, Conuictolitanis Heduus, cui magistrarum adiudicatum à Cæsare demonstrauimus, solicitatus ab Aruernis pecunia, cum quibusdã adolescentibus colloquitur: quorum erat princeps Litauicus, atque eius fratres, amplissima familia nati adolescentes. Cum his primùm communicat, hortaturque eos, vt se liberos, & imperio natos meminerint: vnam esse Heduorum ciuitatem, quæ certissimam Galliæ victoriam distineat: eius authoritate reliquas contineri: qua traducta, locum consistendi Romanis in Gallia non fore. esse nonnullo se Cæsaris beneficio affectum, sic tamen, vt iustissimam apud eum causam obtinuerit: sed plus communi libertati tribue-

C re. cur enim potiùs Hedui de suo iure & de legibus ad Cæsarem *disceptaturi, quàm Romani ad Heduos veniant? Celeriter adolescentibus & oratione magistratus & præmio deductis, cùm se vel principes eius consilij fore profiterentur, ratio perficiendi quærebatur. Quòd ciuitatem temerè ad suscipiendum bellum adduci posse non confidebant, placuit, vt Litauicus decem illis millibus, quæ Cæsari ad bellum mitterentur, præficeretur, atq; ea ducenda curaret, fratresq; eius ad Cæsarem præcurrerent. Reliqua, qua ratione agi placeat, constituunt. Litauicus accepto exercitu, cùm millia passuum circiter x x x. ab Gergouia abesset, conuocatis subitò militibus, lachrymans, Quo proficiscimur, inquit, milites? omnis noster equitatus,

D omnis nostra nobilitas interijt: principes ciuitatis Eporedorix & Viridomarus insimulati proditionis à Romanis indicta causa interfecti sunt. Hęc ab ijs cognoscite, qui ex ipsa cæde fugerunt. nam ego fratribus atq; omnibus propinquis meis interfectis, dolore prohibeor, quę gesta sunt pronunciare. Producuntur ij, quos ille edocuerat, quæ dici vellet: atq; eadem quæ Litauicus pronunciauerat, multitudini exponunt, omnes equites Heduorum interfectos, quòd collocuti cum Aruernis dicerentur: ipsos se inter multitudinem militum occultâsse, atque ex media cæde profugisse. Conclamant Hedui, & Litauicum obsecrant, vt sibi consulat. Quasi verò, inquit ille, consilij sit res, ac non necesse sit nobis Gergouiam contendere, & cum

E Aruernis nosmet coniungere? An dubitamus quin nefario facinore admisso, Romani iam ad nos interficiendos concurrãt? Proinde si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissimè interierunt: atque hos latrones interficiamus. ostendit ciues Romanos, qui eius præsidij fiducia vnà erant. Continuò magnum numerum frumenti commeatusq; diripit: ipsos crudeliter excruciatos interficit: nuncios tota ciuitate Heduorum dimittit: eodem mendacio de cæde equitum & principum permouet: hortatur vt simili ratione atq; ipse fecerit, suas iniurias persequantur. Eporedorix Heduus summo loco natus adolesces, & summæ domi potentiæ;

Conuictolitanis ab Aruernis pecunia sollicitatur.

Litauicus.

Heduorum potentia.

** disceptaturum.*

Litauici lachrymæ fictæ.

Hedui à Cæsare deficiunt.

Romani præsidiarij ab Heduis interfecti.

Eporedorix.

Viridomarus. tentiæ, & vnà Viridomarus pari ætate & gratia, sed genere dispari, quem E
Cæsar à Diuitiaco sibi traditum, ex humili loco ad summam dignitatem
** & in equ. nu. loca uerat, nom.* perduxerat, * in equitum numero conuenerant, nominatim ab eo euo-
cati. his erat inter se de principatu contentio: & in illa magistratuum con-
trouersia, alter pro Conuictolitane, alter pro Coto summis opibus pu-
gnauerat. Ex his Eporedorix cognito Litauici consilio, media ferè nocte
rem ad Cæsarem defert: orat ne patiatur ciuitatem prauis adolescentium
consilijs ab amicitia populi Romani deficere, quod futurum prouideat,
si se tot hominum millia cum hostibus coniunxerint, quorum salutem
neque propinqui negligere, neque ciuitas leui momento æstimare pos-
8 sit. Magna affectus solicitudine hoc nuncio Cæsar, quòd semper He- G
duorum ciuitati præcipuè indulserat, nulla interposita dubitatione le-
giones expeditas quatuor, equitatumque omnem ex castris educit: nec
Celeritas Cæsaris. fuit spatium tali tempore ad contrahenda castra, quòd res in celeritate
posita esse videbatur. C. Fabium legatum cum legionibus duabus ca-
stris præsidio relinquit: fratres Litauici cùm comprehendi iussisset, pau-
lò antè reperit ad hostes profugisse. Adhortatus milites, ne necessario
tempore itineris labore permoueantur, cupidissimis omnibus progres-
sus millia passuum XXV, agmen Heduorum conspicatus, immisso equi-
tatu iter eorum moratur atque impedit: interdicitque omnibus, ne quen-
quam interficiant. Eporedorigē & Viridomarum, quos illi interfectos exi- H
stimabant, inter equites versari, suosque appellare iubet. His cognitis,
Heduorum deditio. & Litauici fraude perspecta, Hedui manus tendere, deditionem signifi-
Litauici fuga. care, & proiectis armis mortem deprecari incipiunt. Litauicus cum suis
Clientes Gallorum. clientibus (quibus more Gallorum nefas est etiam in extrema fortu-
na deserere patronos) Gergouiam profugit. Cæsar nuncijs ad ciuitatem
Heduorum missis, qui suo beneficio conseruatos docerent, quos iure belli
interficere potuisset, tribusq; horis noctis exercitui ad quietem datis, castra
ad Gergouiam mouit. Medio ferè itinere equites à Fabio missi, quanto res
Castra Cæsaris oppugnata. in periculo fuerit, exponūt. Summis copijs castra oppugnata demonstrāt,
cùm crebrò integri defessis succederent, nostrosq; assiduo labore defatiga- I
rent, quibus propter magnitudinē castrorum perpetuò esset iisdem eodem
in vallo permanendum: multitudine sagittarum, atque omnis generis
telorum multos vulneratos; ad hæc sustinenda magno vsui fuisse tormen-
ta: Fabium discessu eorum duabus relictis portis, obstruere cæteras, plu-
teosq; vallo addere, & se in posterum diem similem ad casum parare. His
rebus cognitis Cæsar summo studio militum ante ortum Solis in castra
Hedui in Romanos peruenit. Dùm hæc ad Gergouiam geruntur, Hedui primis nuncijs à Li-
grassantur. tauico acceptis, nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt. Im-
Temeritas Gallorū. pellit alios auaritia, alios iracundia & temeritas (quæ maximè illi homi-
num generi est innata) vt leuem auditionem habeant pro re comperta. bo- K
na ciuium Romanorum diripiunt, cædes faciunt, in seruitutem abstra-
hunt. Adiuuat rem proclinatam Conuictolitanis, plebemq; ad furorem
M. Aristius trib. mil. impellit, vt facinore admisso ad sanitatem reuerti pudeat. M. Aristium Tri-
Cauillonum oppidum. bunum militum iter ad legionem facientem, fide data ex oppido Cauillo-
no educunt; idem facere cogunt eos, qui negociandi causa ibi constiterāt,
hos continuo in itinere adorti, omnibus impedimentis exuunt: repu-
gnantes diem noctemq; obsident: multis vtrinq; interfectis, maiorē mul-
titudinem ad arma concitant. Interim nuncio allato omnes eorū milites
in potestate Cæsaris teneri, concurrunt ad Aristium. nihil publico factum
consi-

A consilio demonstrant. quæstionem de bonis direptis decernunt. Litauici fratrumque bona publicant. legatos ad Cæsarem sui purgandi gratia mittunt. Hæc faciunt recuperandorum suorum causa. Sed contaminati facinore, & capti compendio ex direptis bonis, quòd ea res ad multos pertinebat, & timore pœnæ exterriti, consilia clàm de bello inire incipiunt, ciuitatesque reliquas legationibus solicitant: quæ tametsi Cæsar intelligebat, tamen quàm mitissimè potest, legatos appellat, nihil se propter inscientiam leuitatemque vulgi grauiùs de ciuitate iudicare, neque de sua in Heduos beneuolentia diminuere. Ipse maiorem Galliæ motum expectans, ne ab omnibus ciuitatibus circunsisteretur, consilia iniB bat, quemadmodum à Gergouia discederet, ac rursus omnem exercitum contraheret, ne profectio nata à timore defectionis, similis fugæ videretur. Hæc cogitanti, accidere visa est facultas benè rei gerendæ. nam cùm minora in castra operis perspiciendi causa venisset, animaduertit collem, qui ab hostibus tenebatur, nudatum hominibus, qui superioribus diebus vix præ multitudine cerni poterat. admiratus quærit ex perfugis causam, quorum magnus ad eum quotidie numerus confluebat. Constabat inter omnes (quod iam ipse Cæsar per exploratores cognouerat) dorsum esse eius iugi propè æquum, sed syluestre & angustum quà esset aditus ad alteram partem oppidi. vehementer huic illos loco timere, nec iam aliter senC tire, vno colle à Romanis occupato, si alterum amisissent, quin penè circunuallati, atque omni exitu & pabulatione interclusi viderentur. ad hunc muniendum locum, omnes à Vercingentorige euocatos. Hac re cognita Cæsar, mittit complures equitum turmas eò de media nocte. his imperat, vt paulò tumultuosiùs omnibus in locis peruagarentur. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi, mulionesque cum cassidibus equitum specie ac simulatione collibus circunuehi iubet. His paucos addit equites, qui latiùs ostentationis causa vagarentur. Longo circuitu easdem omnes iubet petere regiones. Hæc procul ex oppido videbantur, vt erat à Gergouia despectus in castra: neque tanto spaD tio, certi quid esset, explorari poterat. Legionem vnam eodem iugo mittit: & paulùm progressam inferiore loco constituit, syluisque occultat. Augetur Gallis suspicio, atque omnes illò munitionum copiæ traducuntur. Vacua castra hostium Cæsar conspicatus, tectis insignibus suorum, occultatisque signis militaribus, raros milites, ne ex oppido animaduerterentur, ex maioribus castris in minora traducit: legatisque, quos singulis legionibus præfecerat, quid fieri vellet, ostendit. In primis monet, vt contineant milites, ne studio pugnandi aut spe prædæ longiùs progrediantur. Quid iniquitas loci habeat incommodi, proponit. hoc vna celeritate posse vitari. occasionis esse rem, non prælij. His rebus expositis, signum E dat, & à dextera parte alio ascensu eodem tempore * Heduos mittit. Oppidi murus à planitie, atque initio ascensus, recta regione (si nullus anfractus intercederet) M. C C. passus aberat. Quicquid huic circuitus ad molliendum cliuum accesserat, id spatium itineris augebat. A medio ferè colle in longitudinem, vt natura montis ferebat, ex grandibus saxis sex pedum murum, qui nostrorum impetum tardaret, produxerant Galli: atque inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis vsque ad murum oppidi densissimis castris compleuerant. Milites signo dato, celeriter ad munitionem perueniunt, eamque transgressi, trinis castris potiuntur, Ac tanta fuit in capiendis castris celeritas, vt Theutomatus Rex Nitie-

Cæsaris dissimulatio.

Cæsaris stratagema.

Celeritas.

Occasio.

** ad Heduos.*

Theutomati regis Nitiobrigum fuga.

Nitiobrigum subitò in tabernaculo oppressus, vt meridie conquieuerat, F
superiore corporis parte nudata, vulnerato equo vix se ex manibus prædantium militum eriperet. Consecutus id quod animo proposuerat Cæsar, receptui cani iussit: legionisque decimæ, qua cum erat concionatus, signa constitêre. at reliquarum milites legionum non exaudito tubæ sono, quòd satis magna vallis intercedebat, tamen à tribunis militum, legatisque, vt erat à Cæsare præceptum, retinebantur: sed elati spe celeris victoriæ, & hostium fuga, superiorumque temporum secundis prælijs, nihil adeò arduum sibi existimabant, quod non virtute consequi possent: neque priùs finem sequendi fecerunt, quàm muro oppidi portisque

Gergoniæ oppugnatio. appropinquarunt. Tum verò ex omnibus vrbis partibus orto clamore, qui G
longiùs aberant, repentino tumultu perterriti, cùm hostes intra portas esse existimarent, sese ex oppido eiecerunt. matresfamiliâs de muro vestem argentumque iactabant, & pectore nudo prominentes, passis manibus obtestabantur Romanos, vt sibi parcerent, neu sicut Auarici fecissent, ne mulieribus quidem atque infantibus abstinerent. nonnullæ de muro per
9 manus demissæ, sese militibus tradebant. † L. Fabius Centurio legionis

L. Fabij centurionis virtus. octauæ, quem inter suos eo die dixisse constabat, excitari se Auaricensibus præmijs, neque commissurum, vt priùs quisquam murum ascenderet, tres suos nactus manipulares, atque ab his subleuatis, murum ascendit: hos ipse rursùs singulos exceptans, in murum extulit. Interim ij, qui H
ad alteram partem oppidi, vt suprà demonstrauimus, munitionis causa conuenerant, primo exaudito clamore, inde etiam crebris nuncijs incitati, oppidum à Romanis teneri, præmissis equitibus, magno concursu eò contenderunt. Eorum vt quisque primus venerat, sub muro consistebat, suorumque pugnantium numerum augebat. quorum cùm magna multitudo conuenisset: matresfamiliâs, quæ paulò antè Romanis de muro manus tendebant, suos obtestari, & more Gallico passum capillum ostentare, liberosq; in conspectum proferre cœperunt. Erat Romanis nec loco nec numero æqua cõtentio: simul & cursu & spatio pugnæ defatigati, non facilè recentes atque integros sustinebant. Cæsar cùm iniquo loco pugnari, hostiumque augeri copias videret: præmetuens suis, ad T. Sextium legatum, quem minoribus castris præsidio reliquerat, mittit, vt cohortes ex castris celeriter educeret, & sub infimo colle à dextro latere hostium constitueret, vt si nostros loco depulsos vidisset, quominùs liberè hostes insequerentur, terreret. ipse paulùm ex eo loco cum legione progressus, vbi constiterat, euentum pugnæ expectabat. Cùm acerrimè comminùs pugnaretur, hostes loco & numero, nostri virtute confiderent: subitò sunt Hedui visi à latere nostris aperto, quos Cæsar à dextera parte alio ascensu manus distinendæ causa miserat. Hi similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt: ac tametsi dextris humeris exertis ani- K

Pacatorum insigne in bello. maduertebantur, quod insigne pacatis esse consueuerat, tamen id ipsum sui fallendi causa milites ab hostibus factum existimabant. Eodem tem-

L. Fabij mors. pore L. Fabius centurio, quique vnà murum ascenderant, circunuen-

**Petronius. M. Petreius.* ti, atque interfecti, de muro præcipitantur. M.* Petreius eiusdem legionis centurio, cùm portas excindere conatus esset, à multitudine oppres-

**sui.* sus, ac sibi *desperans, multis iam vulneribus acceptis, manipularibus suis

Centurionis praclarum facinus. qui illum secuti erãt, Quoniam, inquit, me vnà vobiscum seruare non possum, vestræ quidem certè saluti prospiciam, quos cupiditate gloriæ adductus in periculum deduxi: vos data facultate vobis cõsulite. simulq; irrupit

in me-

A in medios hostes, duobusque interfectis, reliquos à porta paulùm submouit. Conantibus auxiliari suis, Frustrà, inquit, meæ vitæ subuenire conamini, quem iam sanguis viresque deficiunt. proinde hinc abite dum est facultas, vosque ad legionem recipite. Ita pugnans, pòst paulùm concidit, ac suis saluti fuit. Nostri cùm vndique premerentur, XLVI. centurionibus amissis, deiecti sunt loco. Sed intolerantiùs Gallos insequentes, legio decima tardauit, quæ pro subsidio paulò æquiore loco constiterat. Hanc rursus tertiædecimæ legionis cohortes exceperunt, quæ ex castris minoribus eductæ, cum T. Sextio legato ceperant locum superiorem. Legiones vbi primùm planitiem attigerunt, infestis contra hostes signis *Clades ad Gergouiã accepta.*

B constiterunt: Vercingetorix ab radicibus collis suos intra munitiones reduxit. Eo die milites sunt paulò minùs septingenti desiderati. Postero die Cæsar concione aduocata, temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quòd sibi ipsi iudicauissent quò procedendum, aut quid agendum videretur, neque signo recipiendi dato constitissent, neque à tribunis militum legatisq; retineri potuissent. Exposuit quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Auaricum sensisset, cùm sine duce & sine equitatu deprehensis hostibus, exploratam victoriam dimisisset, ne paruum modò detrimentum in contentione propter iniquitatem loci acciperet. Quantoperè eorum animi magnitudinem admiraretur, quos non castrorum munitio- *Ro. militum clades. Cæsar milites suos redarguit.*

C nes, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset: tantoperè licentiam arrogantiamq; reprehendere, quòd plus se quàm Imperatorem de victoria atque exitu rerum sentire existimarent: nec minùs se in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem atq; animi magnitudinem desiderare. Hac habita concione, & ad extremum oratione confirmatis militibus, ne ob hanc causam animo permouerentur: neu quòd iniquitas loci attulisset, id virtuti hostium tribuerent: eadem de profectione cogitans quæ antè senserat, legiones ex castris eduxit, aciemque idoneo loco constituit. Cùm Vercingentorix nihilo magis in æquum locum descenderet, leui facto equestri prælio, atque eo secundo, in castra exercitum re- *Miles nõ minùs modestia & continentia, quàm virtute et animi magnitudine commendabilis.*

D duxit. Cùm hoc idem postero die fecisset, satis ad Gallicam ostentationem minuendam, militùmque animos confirmandos factum existimans, in Heduos castra mouit, ne tum quidem insecutis hostibus. Tertio die ad flumen Elauer pontes reficit, atque exercitum traducit. ibi à Viridomaro atque Eporedorige Heduis appellatus, discit cum omni equitatu Litauicum ad solicitandos Heduos profectum. opus esse ipsos antecedere ad confirmandam ciuitatem. Etsi multis iam rebus perfidiam Heduorum Cæsar perspectam habebat, atque horum discessu admaturari defectionem ciuitatis existimabat: tamen retinendos eos non censuit, ne aut inferre iniuriam videretur, aut dare timoris aliquam suspicionem. Discedentibus *Heduorum perfidia. Cæsaris in Heduos merita.*

E his breuiter sua in Heduos merita exposuit: quos, & quàm humiles accepisset, compulsos in oppida, mulctatos agris, omnibus ereptis * socijs, imposito stipendio, obsidibus summa cum contumelia extortis: & quam in fortunam, quamque in amplitudinem deduxisset, vt non solùm in pristinum statum redissent, sed omnium temporum dignitatem & gratiam antecessisse viderentur. His datis mandatis, eos ab se dimisit. † Nouiodunum erat oppidum Heduorum ad ripas Ligeris opportuno loco positum. huc Cæsar omnes obsides Galliæ, frumentum, pecuniam publicam, suorum atque exercitus impedimentorum magnam partem contulerat. huc magnum numerum equorum huius belli causa in Italia atque Hispa- ** copijs. Nouiodunum.*

Hiſpania coëmptorum miſerat. Eò cùm Eporedorix Viridomaruſque ve- F
Bibracte opp. niſſent, & de ſtatu ciuitatis cognouiſſent: Litauicum Bibracte ab Heduis
receptum, quod eſt oppidum apud eos maximæ authoritatis: Conuictoli-
tanem magiſtratum, magnamque partem Senatus ad eum conueniſſe: le-
gatos ad Vercingentorigem de pace & amicitia concilianda publicè miſ-
ſos: non prætermittendum tantum commodum exiſtimauerunt. Itaque
Clades magna à Cæſare accepta. interfectis Nouioduni cuſtodibus, quique eò negociandi cauſa conuene-
rant, pecuniam atq; equos inter ſe partiti ſunt: obſides ciuitatū Bibracte
ad magiſtratum deducendos curauerunt: oppidum quod à ſe teneri non
poſſe iudicabant, ne cui eſſet vſui Romanis, incenderunt: frumenti quod
ſubitò potuerunt, nauibus auexerunt: reliquum flumine atque incen- G
dio corruperunt. ipſi ex finitimis regionibus copias cogere, præſidia cu-
ſtodiaſque ad ripas Ligeris diſponere, equitatumque omnibus locis inij-
ciendi timoris cauſa oſtentare cœperunt, ſi à re frumentaria Romanos
excludere, aut adductos inopia ex prouincia expellere poſſent. quam ad
Liger flu. ſpem multum eos adiuuabat, quòd Liger ex niuibus creuerat, vt om-
ninò vado tranſiri non poſſe videretur. Quibus rebus cognitis Cæſar
maturandum ſibi cenſuit: ſi eſſet in perficiendis pontibus periclitandum,
vt priùs quàm eſſent maiores eò coactæ copiæ, dimicaret. Nam vt com-
** ne metu qui.* mutato conſilio iter in prouinciam conuerteret, id ne* tum quidem ne-
ceſſariò faciundum exiſtimabat, cum infamia, atque indignitas rei, & H
Gebenna mons. oppoſitus mons Gebenna, viarumque difficultas impediebat: tum ma-
** abiuncto.* ximè, quòd * adiungi Labieno, atque ijs legionibus, quas vnà miſerat, ve-
** timebat.* hementer * cupiebat. Itaque admodum magnis diurnis nocturniſque iti-
neribus confectis, contra omnium opinionem ad Ligerim venit: vado-
que per equites inuento pro rei neceſſitate opportuno, vt brachia mo-
dò atque humeri ad ſuſtinenda arma liberi ab aqua eſſe poſſent, diſpo-
ſito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hoſtibus primo aſpe-
ctu perturbatis, incolumem exercitum traduxit: frumentumque in agris
& pecoris copiam nactus, repleto his rebus exercitu iter in Senones fa-
11 cere inſtituit. † Dùm hæc apud Cæſarem geruntur, Labienus eo ſupple- I
Agendicum. mento, quod nuper ex Italia venerat, relicto Agendici, vt eſſet impedi-
Lutetia opp. Pariſiorum. mentis præſidio, cum quatuor legionibus Lutetiam proficiſcitur: (id eſt
oppidum Pariſiorum, poſitum in Inſula fluminis Sequanæ) cuius aduen-
tu ab hoſtibus cognito, magnæ ex finitimis ciuitatibus copiæ conuene-
runt. Summa imperij traditur Camulogeno Aulerco, qui propè confe-
ctus ætate, tamen propter ſingularem ſcientiam rei militaris, ad eum eſt
honorem euocatus. Is cùm animaduertiſſet, perpetuam eſſe paludem, quæ
influeret in Sequanam, atque illum omnem locum magnoperè impe-
diret: hic conſedit, noſtróſque tranſitu prohibere conſtituit. Labienus
primò vineas agere, cratibus atque aggere paludem explere, atque iter K
** fieri.* munire conabatur. poſtquàm id difficiliùs * confieri animaduertit, ſilen-
Melodunum. tio è caſtris tertia vigilia egreſſus, eodem quo venerat itinere Melodu-
num peruenit. Id eſt oppidum Senonum in Inſula Sequanæ poſitum, vt
paulò antè de Lutetia diximus. Deprehenſis nauibus circiter L. celeriter-
que coniunctis, atque eò militibus impoſitis, & rei nouitate perterritis
oppidanis, quorum magna pars erat ad bellum euocata, ſine contentione
oppido potitur: refectóq; ponte, quem ſuperioribus diebus hoſtes reſcide-
rant, exercitum traducit: & ſecundo flumine ad Lutetiam iter facere inci-
pit. Hoſtes re cognita ab ijs, qui à Meloduno profugerant, Lutetiā incendi,
pon-

A pontesque eius oppidi rescindi iubent: ipsi profecti à palude in ripis Sequanæ è regione Lutetiæ contra Labieni castra considunt. Iam Cæsar à *Lutetia incenditur.*

B



A. Castra Camulogeni.
B. Castra Labieni.
C. Hic primò consedit Camulogenus.
D. Hoc loco frustrà conatus est transire Labienus
E. Locus pugnæ.
F. Hoc loco Labienus tres legiões ad sinistram ripam nauibus transuexit.
G. Hoc loco Labienus regressus, exercitum traduxit.

C

D

Gergouià discessisse audiebatur, iam de Heduorum defectione, & secundo Galliæ motu rumores afferebantur: Gallique in colloquijs interclusum itinere & Ligeri Cæsarem, inopia frumenti coactum in prouinciam contẽdisse confirmabant. Bellouaci autem defectione Heduorum cognita, qui antè erant per se infideles, manus cogere, atq; apertè bellum parare cœperunt. *Bellouacorum rebellio.* Tum Labienus tanta rerum commutatione, longè aliud sibi capiendum consilium atq; anteà senserat, intelligebat. Neq; iam vt aliquid acquireret, prælioq; hostes lacesseret, sed vt incolumem exercitum Agendicum reduceret, cogitabat. Nanq; altera ex parte Bellouaci (quæ ciuitas in *Bellouacorum virtus.*
E Gallia maximam habet opinionem virtutis) instabant: alteram Camulogenus parato atq; instructo exercitu tenebat: tum legiones à præsidio atq; impedimentis interclusas maximum flumen distinebat. Tantis subitò difficultatibus obiectis, ab animi virtute auxilium petendum videbat. Itaque sub vesperum concilio conuocato, cohortatus vt ea, quæ imperâsset, diligenter industrieq; administrarent, naues quas à Meloduno deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit: & prima confecta vigilia, quatuor millia passuũ secundo flumine silẽtiò progredi, ibiq; se expectari iubet. Quinque cohortes, quas minimè firmas ad dimicãdum esse existimabat, castris præsidio relinquit: quinq; eiusdem legionis reliquas, de media nocte cum

omnibus impedimentis aduerso flumine magno tumultu proficisci impe- F
rat. Conquirit etiam lyntres. has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit. ipse post paulò silentio egressus cum tribus legionibus cum locum petit, quò naues appelli iusserat. Eò cùm esset ventum: exploratores hostium, vt omni fluminis parte erant dispositi, inopinantes, quòd magna subitò erat coorta tempestas, à nostris opprimuntur: equitatus peditatusque, equitibus Romanis administrantibus, quos ei negocio praefecerat, celeriter transmittitur. Vno ferè tempore sub lucem hostibus nunciatur in castris Romanorum, praeter consuetudinem tumultuari, & magnum ire agmen aduerso flumine, sonitumq; remorum in eandem partem exaudiri, & paulò infrà milites nauibus transportari. Qui- G
bus rebus auditis, quòd existimabant tribus locis transire legiones, atque omnes perturbatas defectione Heduorum fugam parare: suas quoque copias in tres partes distribuerunt. Nam & praesidio è regione castrorum relicto, & parua manu *Metiosedum versus missa, quae tantum progrederetur, quantum naues processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt. Prima luce & nostri omnes erant transportati, & hostium acies cernebatur. Labienus milites cohortatus, vt suae pristinae virtutis, & tot secundissimorum praeliorum memoriam tenerent, atque ipsum Caesarem, cuius ductu hostes saepenumero superâssent, praesentem adesse existimarent, dat signum praelij. Primo concursu à dextro cornu vbi septima H
legio constiterat, hostes pelluntur, atque in fugam conijciuntur: à sinistro (quem locum *duodecima legio tenebat) cùm primi ordines hostium transfixi *pilis concidissent, tamen acerrimè reliqui resistebant: nec dabat suspicionem fugae quisquam. Ipse dux hostium Camulogenus suis aderat, atque eos cohortabatur. Incerto etiamnum exitu victoriae, cùm septimae legionis tribunis essent nunciata, quae in sinistro cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt, signaque intulerunt. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed circumuenti omnes interfectique sunt. eandem fortunam tulit Camulogenus. At ij qui praesidio contra *castra Labieni erant relicti, cùm praelium commissum audissent, subsi- I
dio suis ierunt, collemq; ceperunt: neq; nostrorum militum victorumque impetum sustinere potuerunt. sic cum suis fugientibus permixti, quos non syluae montesque texerunt, ab equitatu sunt interfecti. Hoc negocio confecto, Labienus reuertitur Agendicum, vbi impedimenta totius ex-
12 ercitus relicta erant. inde cum omnibus copijs ad Caesarem peruenit. †Defectione Heduorum cognita, bellum augetur. Legationes in omnes partes circummittuntur. quantum gratia, authoritate, pecunia valent, ad sollicitandas ciuitates nituntur. Nacti obsides, quos apud eos Caesar deposuerat, horum supplicio dubitantes territant. Petunt à Vercingentorige Hedui, vt ad se veniat, rationesque belli gerendi communicet. Re impetra- K
ta, contendunt vt ipsis summa imperij tradatur: Et re in controuersiam deducta, totius Galliae concilium Bibracte indicitur. Eodem conueniunt vndique frequentes multitudines. suffragijs res permittitur. ad vnum omnes Vercingentorigem probant Imperatorem. Ab hoc concilio Rhemi, Lingones, Treuiri abfuerunt: illi, quòd amicitiam Romanorum sequebantur: Treuiri, quòd aberant longiùs, & à Germanis premebantur: quae fuit causa quare toto abessent bello, & & neutris auxilia mitterent. Magno dolore Hedui ferunt se deiectos principatu: queruntur fortunae commutationem, & Caesaris indulgentiam in se requirunt: neque tamen

Margin notes:
*Iosedum.
Labieni cum Gallis praelium.
*quintadecima.
*telis.
Camulogeni mors.
*contra Labienum.
Vercingentorix Gallorum imperator.
Heduorum poenitentia de defectione ab eo.

A tamen suscepto bello suum consilium à reliquis separare audent. Inuiti summæ spei adolescentes Eporedorix & Viridomarus Vercingentorigi parent. Ille imperat reliquis ciuitatibus obsides. Denique ei rei constituit diem. huc omnes equites quindecim millia numero celeriter conuenire iubet. Peditatu quem antè habuerit, se fore contentum dicit, neque fortunam tentaturum, aut acie dimicaturum: sed quoniam abundet equitatu, perfacilè esse factu frumentationibus pabulationibusque Romanos prohibere, æquo modò animo sua ipsi frumenta corrumpant, ædificiaq; incendant: qua rei familiaris iactura, perpetuum imperium libertatemque se consequi videant. His constitutis rebus, Heduis, Sebusianisque, qui sunt finitimi ei prouinciæ, decem millia peditum imperat. Huc addit equites octingentos. his præficit fratrem Eporedorigis, bellumque inferre Allobrogibus iubet. Altera ex parte Gabalos, proximósque pagos Aruernorum in Heluios, item Ruthenos, Cadurcósque ad fines Volgarum Arecomicorum depopulandos mittit. Nihilominus clandestinis nuncijs legationibusque Allobrogas solicitat, quorum mentes nondum à superiore bello resedisse sperabat. Horum principibus pecunias, ciuitati autem imperium totius prouinciæ pollicetur. Ad hos omnes casus prouisa erant præsidia cohortium duarum & viginti, quæ ex ipsa coacta prouinca ab L. Cæsare delegato ad omnes partes opponebantur. Heluij C sua sponte cum finitimis prælio congressi, pelluntur, & C. Valerio Donotauro Caburi filio principe ciuitatis compluribusq; alijs interfectis, intra oppida murosque compelluntur. Allobroges crebris ad Rhodanum dispositis præsidijs, magna cum cura & diligentia suos fines tuentur. Cæsar quòd hostes equitatu superiores esse intelligebat, & interclusis omnibus itineribus, nulla re ex prouincia atque Italia subleuari poterat, trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas ciuitates, quas superioribus annis pacauerat, equitesque ab his accersit, & leuis armaturæ pedites qui inter eos præliari consueuerant. Eorum aduentu, quòd minùs idoneis equis vtebantur, à tribunis militum, reliquisque equitibus D Romanis, atque euocatis, equos sumit, Germanisque distribuit. Intereà dum hæc geruntur, hostium copiæ ex Aruernis, equitesque qui toti Galliæ erant imperati, conueniunt. Magno horum coacto numero, cùm Cæsar in Sequanos per extremos Lingonum fines iter faceret, quò faciliùs subsidium prouinciæ ferri posset, circiter millia passuum decem à Romanis trinis castris Vercingentorix consedit: conuocatisque ad consilium præfectis equitum, venisse tempus victoriæ demonstrat: fugere in prouinciam Romanos, Galliaque excedere. Id sibi ad præsentem obtinendam libertatem satis esse: ad reliqui temporis pacem atque ocium parùm profici. maioribus enim coactis copijs reuersuros, neque finem bellandi facturos. E proinde agmine impeditos adoriantur. si pedites rebus suis auxilium ferant, atque in eo morentur, iter facere non posse. Si (id quod magis futurum confidebat) relictis impedimentis, suæ saluti consulant: & vsu rerum necessariarum, & dignitate spoliatum iri. Nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modò extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare. Id quò maiore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum, & terrori hostibus futurum. Conclamant equites sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitasset. Probata re atque omnibus ad iusiurandum adactis,

Equitum Gallorum numerus.

Sebusiani.

Allobroges solicitantur.

L. Cæsar legatus.

C. Valerius Donotaurus.

Cæsar ex Germania auxilia accersit.

Vercingentorigis oratio ad milites suos

Equitum Gallorum iusiurandum temerarium.



postero die in tres partes distributo equitatu, duæ se acies à duobus lateribus o
Pugna. que equitatum Cæsar tripartitò diuisum, ire contra hostem iubet. Pugnatu
piuntur. siqua in parte nostri laborare aut grauiùs premi videbantur, eò signa
Germanorum militum virtus. dabat, & nostros spe auxilij confirmabat. Tandem Germani à dextro latere su
Vercingentorix cum pedestribus copijs consederat, persequuntur, compluresq́
mandant. omnibus locis fit cædes. Tres nobilissimi Hedui capti ad Cæsarem
Cauarillus Heduus. tanc proximis comitijs habuerat: & Cauarillus, qui post defectionem Litauic



eribus oftendunt,vna à primo agmine iter impedire cœpit. Quare nunciata,ſuum quo-
ugnatur vna omnibus in partibus. conſiſtit agmen. impedimenta inter legiones reci-
eò ſigna inferri Cæſar, aciemq́; conuerti iubebat. quæ res & hoſtes ad inſequendum tar-
atere ſummum iugum nacti, hoſtes loco depellunt: fugienteis, vſque ad flumen vbi
pluresq́; interficiunt. Quare animaduerſa, reliqui ne circumuenirentur veriti, ſe fugæ
ſarem perducuntur: Cotus præfectus equitum, qui controuerſiam cum Conuictoli- Cotus Heduus.
itauici pedeſtribus copijs præfuerat: & Eporedorix, quo duce ante aduentum Cæſaris Eporedorix Heduus.

13 Hedui cum Sequanis bello contenderant. † Fugato omni equiratu, Vercingentorix copias suas vt pro castris collocauerat, reduxit: protinúsque Alexiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter facere cœpit: celeriterq; impedimēta ex castris educi, & se subsequi iussit. Cęsar impedimētis in proximum collem deductis, duabusque legionibus præsidio relictis, securus quantum diei tempus est passum, circiter tribus millibus hostium ex nouissimo agmine interfectis, altero die ad Alexiam castra fecit. Perspecto vrbis situ, perterritisq; hostibus, quòd equiratus (qua maxima parte exercitus confidebant) erat pulsus, adhortatus ad laborem milites, Alexiam circunuallare instituit. Ipsum erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, vt nisi obsidione expugnari non posse videretur: cuius collis radices, duo duabus ex partibus flumina subluebant. ante id oppidum planities circiter millia passuum tria in longitudinem patebat: reliquis ex omnibus partibus colles mediocri interiecto spacio pari altitudinis fastigio oppidum cingebant: sub muro quæ pars collis ad orientem solem spectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorū compleuerant, fossamq; & maceriam sex in altitudinem pedum perduxerant. Eius munitionis quæ à Romanis instituebatur, circuitus, vndecim millia passuum tenebat. Castra opportunis locis erant posita, ibique castella * viginti tria facta: quibus in castellis interdiu stationes disponebantur, nequa subitò irruptio fieret. hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidijs tenebantur. Opere instituto fit equestre prælium in ea planitie quam intermissam collibus trium millium passuū in longitudinem patêre suprà demonstrauimus. Summa vi ab vtrisque contenditur. laborantibus nostris Cæsar Germanos summittit, legionesq; pro castris constituit, nequa subitò irruptio ab hostium peditatu fiat. Præsidio legionum addito, nostris animus augetur: hostes in fugam coniecti, se ipsi multitudine impediunt, atque angustioribus portis relictis * coarctantur. Germani acrius vsq; ad munitiones sequuntur. fit magna cædes nonnulli relictis equis fossam transire, & maceriam transcendere conantur. Paulùm legiones Cæsar quas pro vallo constituerat, promoueri iubet. Non minùs qui intra munitiones erant Galli perturbantur. Venire ad se confestim existimántes, ad arma conclamant: nonnulli perterriti in oppidum irrumpunt. Vercingentorix iubet portas claudi, ne castra nudentur. Multis interfectis, compluribus equis captis, Germani sese recipiunt. Vercingentorix priusquàm munitiones à Romanis perficiantur, consilium capit omnem à se equitatum noctu dimittere. Discedentibus mandat, vt suam quisque eorum ciuitatem adeat, omnesq; qui per ætatem arma ferre possint, ad bellum cogant. Sua in illos merita proponit, obtestaturq; vt suæ salutis rationē habeant, neu se optimè de communi libertate meritum, in cruciatum hostibus dedant: qui si indiligentiores fuerint, millia hominum octoginta delecta vnà secum interitura demonstrat. ratione inita, frumentum se exiguè dierum triginta habere, sed paulò etiam longiùs tolerare posse parcendo. His datis mandatis, quà erat nostrum opus intermissum, secunda vigilia silentio equitatū dimittit: frumentum omne ad se referri iubet. capitis pœnam ijs qui non paruerint, constituit. Pecus (cuius magna erat copia à Mandubijs compulsa) viritim distribuit: frumentum parcè & paulatim metiri instituit: copias omnes quas pro oppido collocauerat, in oppidum recipit. His rationibus auxilia Galliæ expectare, & bellum parare administrare. Quibus rebus cognitis ex perfugis & captiuis, Cæsar hæc genera munitionis insti-

Margin notes: Alexia oppidum. — *XXIIII. — *coarctantur.

Section letters in right margin: F, G, H, I, K

A instituit. Fossam pedum viginti latam directis lateribus duxit, vt eius so- *Munitiones Cæsaris ad Alexiam.*
lum tantundem pateret, quantum summa labra distabant: reliquas om-
nes munitiones ab ea fossa pedes CCCC. reduxit. Id hoc consilio, quo-
niam tantum esset necessariò spacium complexus, ne facilè totum opus
militum corona cingeretur, néue de improuiso aut noctu ad munitio-
nes hostium multitudo aduolaret, aut interdiu tela in nostros operi de-
stinatos conijcere possent. hoc intermisso spacio, duas fossas quinosde-
nos pedes latas eadem altitudine perduxit: quarum interiorem campe-
stribus ac demissis locis aqua ex flumine deriuata compleuit. post eas ag-
gerem & vallum duodecim pedum extruxit. huic loricam pinnasq; adie-
B cit grandibus ceruis eminentibus ad commissuras pluteorum atque agge-
ris, qui ascensum hostium tardarent: & turres toto opere circundedit: quæ
pedes LXXX. inter se distarent. Erat eo tempore & materiari & frumen-
tari & tantas munitiones fieri necesse, diminutis nostris copijs, quæ lon-
giùs à castris progrediebantur: & nonnunquam opera nostra Galli ten-
tare, atque eruptionem ex oppido pluribus portis facere summa vi co-
nabantur. Quare ad hæc rursus opera addendum Cæsar putauit, quò
minore numero militum munitiones defendi possent. Itaque trun-
cis arborum haud admodum firmis ramis abscissis, atque horum deli-
bratis ac præacutis cacuminibus perpetuæ fossæ quinos pedes altæ du-
C cebantur. huc illi stipites demissi, & ab infimo reuincti, ne reuelli pos-
sent, ab ramis eminebant. quini erant ordines conuincti inter se, atq;
impliciti: quò qui intrauerant, se ipsi acutissimis vallis induebant. hos
cippos appellabant. Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispo- *Cippi.*
sitis scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angu-
stiore ad summum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab
summo præacuti & præusti demittebantur, ita vt non ampliùs quatuor
digitis ex terra eminerent. Simul confirmandi & stabiliendi causa, sin-
guli ab infimo solo pedes tres terra occultabantur, reliqua pars scrobis
ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. huius gene-
D ris octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant. id ex similitudi-
ne floris liliũ appellabant. Ante hæc taleæ pedem longæ ferreis hamis infi- *Lilium.*
xis totæ in terram infodiebantur, mediocribusq; intermissis spacijs omni- *Taleæ.*
bus locis disserebantur, quos Stimulos nominabant. His rebus perfectis, *Stimuli.*
regiones secutus quàm potuit æquissimas, pro loci natura quatuordecim
millia passuum complexus, pares eiusdem generis munitiones, diuersas ab
his, contra exteriorem hostem perfecit, vt ne magna quidem multitudi-
ne, si ita accideret, eius discessu munitionũ præsidia circunfundi possent:
neu cum periculo ex castris egredi cogerentur, dierum triginta pabulum
frumentumq; habere omnes conuectũ iubet. † Dum hæc ad Alexiam ge- 14
E runtur, Galli concilio Principum indicto, non omnes qui arma ferre pos-
sent (vt censuit Vercingentorix conuocandos statuunt, sed certum nume-
rum cuiq; ciuitati imperandum, ne tanta multitudine confusa, nec mode-
rati, nec discernere suos, nec * frumenti rationẽ habere possent. Imperant ** frumentationem.*
Heduis, atq; eorũ clientibus Segusianis, * Ambruaretis, Aulercis, Branno- ** Ambarris.*
uicibus, Brannouijs, hominũ millia trigintaquinq; parem numerum Ar-
uernis, adiũctis Heleuteris, Cadurcis, Gabalis, Vellaunijs, qui sub imperio *Vide hic Glareani notas.*
Aruernorũ esse consueuerunt: Senonibus, Séquanis, Biturigibus, Santoni-
bus, Ruthenis, Carnutibus, duodena millia: Bellouacis decem: totidem
Lemouicibus: octona Pictonibus, & Turonibus, & Parisijs, & Heluetijs.

Suessio-

Suessionibus, Ambianis, Mediomatricibus, Petrocorijs, Neruijs, Morinis, F
Nitiobrigibus, quina millia: Aulercis Cœnomanis totidem: Atrebatibus
** Velocasses.*
quatuor: * Bellocassis, Lexobijs, Aulercis Eburonibus terna: Rauracis &
Boijs bina: vniuersis ciuitatibus quæ Oceanum attingunt, quæq; eorum
Armoricæ ciuitates.
consuetudine Armoricæ appellantur, quo sunt in numero Curiosolites,
** Ambiliates.* ** Nannetes.* ** Diablintres.*
Redones, * Ambibarij, * Cadetes, Osissini, * Lemouices, Vnelli, sex.
Ex his Bellouaci suum numerum non contulerunt, quòd se suo nomine
atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent, neque cuiusquam
Comius.
imperio obtemperaturos: rogati tamen à Comio, pro eius hospitio duo
millia miserunt. Huius opera Comij, vt antè demonstrauimus, fideli atq;
vtili superioribus annis erat vsus in Britannia Cæsar: pro quibus meritis ci- G
Atrebates immunes.
uitatem eius immunẽ esse iusserat, iura legesq; reddiderat, ipsisq; Morinos
Galliæ cõsensio in libertate vindicanda.
attribuerat. Tanta tamẽ vniuersæ Galliæ cõsensio fuit libertatis vindicandæ,
& pristinæ belli laudis recuperandæ, vt neq; beneficijs neq; amicitiæ
memoria mouerentur, omnesq; & animo & opibus in id bellũ incumberent,
coactis equitum millibus VIII. & peditum circiter CCXL. Hæc in Heduorum
finibus recensebantur, numerusq; inibatur, præfecti constituebantur.
Comio Atrebati, Viridomaro & Eporedorigi Heduis, Vergasillauno
Aruerno consobrino Vercingentorigis summa imperij traditur. his
delecti ex ciuitatibus attribuuntur, quorum consilio bellum administraretur.
Omnes alacres & fiduciæ pleni ad Alexiam proficiscuntur: nec erat H
omnium quisquam, qui aspectum modò tantæ multitudinis sustineri posse
arbitraretur, præsertim ancipiti prælio, cùm ex oppido eruptione pugnaretur,
& foris tantæ copiæ equitatus peditatusq; cernerentur. At ij qui
Alexiæ obsidebantur, præterita die qua suorum auxilia expectauerant,
consumpto omni frumento, inscij quid in Heduis gereretur, concilio coacto
de exitu fortunarum suarum consultabant. Ac varijs dictis sententijs,
quarum pars deditionem, pars, dum vires suppeterent, eruptionem censebant:
non prætereunda oratio Critognati videtur propter eius nefariam
ac singularem crudelitatem. Hic summo in Aruernis natus loco, & ma-
Critognati Aruerni oratio.
gnæ habitus authoritatis, Nihil, inquit, de eorum sententia dicturus sum, I
qui turpissimam seruitutem, deditionis nomine appellant: neque hos habendos
ciuium loco, neque ad concilium adhibendos censeo. Cum ijs
mihi res sit, qui eruptionem probant: quorum in consilio omnium no-
Fortiter ille facit, qui miseriam ferre potest.
strũm pristinæ residere virtutis memoria videtur. Animi est ista mollities,
non virtus, paulisper inopiam ferre non posse. Qui se vltro morti offerant,
Morti faciliùs se vltrò quidam offerãt, quàm dolorem ferant.
faciliùs reperiantur, quàm qui dolorem patienter ferant. Atque ego hanc
sententiam probarem (tantùm apud me dignitas potest) si nullam præterquam
vitæ nostræ iacturam fieri viderem. Sed in consilio capiendo omnem
Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium concitauimus.
Quid hominũ millibus octoginta vno loco interfectis, propinquis, con- K
sanguineisq; nostris animi fore existimatis, si penè in ipsis cadaueribus
prælio decertare cogentur? Nolite hos vestro auxilio spoliare, qui vestræ
salutis causa suum periculum neglexerunt: nec stultitia ac temeritate vestra,
aut animi imbecillitate, omnem Galliam prosternere, ac perpetuæ
seruituti addicere. An quòd ad diem non venerunt, de eorũ fide constantiaq;
dubitatis? Quid ergo? Romanos in illis vlterioribus munitioni-
** sine causa.*
bus * animi ne causa quotidie exerceri putatis? Si illorum nuncijs confirmari
non potestis, omni aditu præsepto: ijs vtamini testibus appropinquare
eorum aduentum, qui huius rei timore exterriti, diem noctemque
in ope-

A in opere versantur. Quid ergo? Mei consilij est, facere quod nostri maio-
res nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumq; fecerunt, qui in op- *Humanis corporibus*
pida compulsi, ac simili inopia subacti, eorum corporibus qui ætate ad *vescentes Galli.*
bellum inutiles videbantur, vitam toleraverunt, neque se hostibus tradi-
derunt. cuius rei exemplum si non haberemus, tamen libertatis causa in-
stitui, & posteris prodi, pulcherrimum iudicarem. Nam quid illi simile
bello fuit? Depopulata Gallia Cimbri, magnaq; illata calamitate, finibus *Cimbri.*
quidem nostris aliquando excesserunt, atque alias terras petierunt: iura,
leges, agros, libertatem nobis reliquerunt: Romani verò quid petũt aliud, *Romanorum ambi-*
aut quid volunt, nisi inuidia adducti, quos fama nobiles, potentesq; bel- *tio.*
B lo cognouerunt, horum in agris ciuitatibusq; considere, atq; his æternam
iniungere seruitutem? neque enim vnquam alia conditione bella gesse-
runt. Quòd si ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, re- *Galliæ provinciæ*
spicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus *seruitus.*
commutatis, securibus subiecta, perpetua premitur seruitute. Sen- *Bello inutiles aman-*
tentijs dictis constituunt, vt ij qui valetudine aut ætate inutiles sunt bello, *dantur.*
oppido excedant, atq; omnia priùs experiantur, quàm ad Critognati sen-
tentiam descendant. Illo tamen potiùs vtendum consilio, si res cogat, at-
que auxilia morentur, quàm aut deditionis aut pacis subeundam condi-
tionem. Mandubij, qui eos oppido receperant, cum liberis atq; vxoribus
C exire coguntur. Hi cùm ad munitiones Romanorum accessissent, flentes
omnibus precibus orabant vt se in seruitutem receptos cibo iuuarent. Hos *Mandubiorum fa-*
Cæsar dispositis in vallo custodibus recipi prohibebat. Intereà Comius, *ctū.*
& reliqui duces quibus summa imperij permissa erat, cum omnibus copijs
ad Alexiam perueniunt: & colle exteriore occupato, non longiùs * mil- ** quingentis.*
le passibus à nostris munitionibus considunt. Postero die equitatu ex
castris educto, omnem eam planitiem quam in longitudinem tria millia
passuum patere demonstrauimus, complent: pedestresq; copias paulùm
ab eo loco abditas in locis superioribus constituunt. Erat ex oppido Ale-
xia despectus in campum. Concurritur his auxilijs visis: fit gratulatio in-
D ter eos, atque omnium animi ad lætitiam excitantur. Itaque productis co-
pijs ante oppidum considunt, & proximam fossam cratibus * integunt, ** integrant.*
atque aggere explent: seq; ad eruptionem atque omnes casus comparant.
Cæsar omni exercitu ad vtranq; partem munitionum disposito, vt si vsus
veniat, suum quisque locum teneat & nouerit, equitatum ex castris educi,
& prælium committi iubet. Erat ex omnibus castris, quæ summum vndi-
que iugum tenebant, despectus: atque omnes milites intenti animis pu-
gnæ euentum expectabant. Galli inter equites raros sagittarios, expedi-
tosq; leuis armaturæ interiecerant, qui suis cedentibus auxilio succurre-
rent, & nostrorum equitum impetus sustinerent. ab his complures de
E improuiso vulnerati, prælio excedebant. Cùm suos pugna superiores esse *Prælium Gallorum*
Galli confiderent, & nostros multitudine premi viderent: ex omnibus *et Cæsarianorum.*
partibus & ij qui munitionibus continebantur, & ij qui ad auxilium con-
uenerant, clamore & vlulatu suorum animos confirmabant. Quòd in
conspectu omnium res gerebatur, neq; rectè aut turpiter factũ celari po-
terat: vtrosq; & laudis cupiditas, & timor ignominiæ ad virtutem excita-
bant. Cùm à meridie propè ad Solis occasum dubia victoria pugnaretur:
Germani vna in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosq;
propulerũt: quibus in fugam coniectis, sagittarij circumuenti, interfectiq; *Fuga Gallorum.*
sunt. Item ex reliquis partibus nostri cedentes vsque ad castra insecuti, sui

K colli-

colligendi facultatem non dederunt. At ij qui ab Alexia processerant, mœsti propè victoria desperata se in oppidum receperunt. Vno die intermisso Galli, atq; hoc spacio magno cratium scalarum harpagonum numero effecto, media nocte silentio ex castris egressi ad campestres munitiones accedunt. Subito clamore sublato, (qua significatione qui in oppido obsidebantur, de suo aduentu cognoscere possent) crates proijcere, fundis sagittis lapidibus nostros de vallo deturbare, reliquaq; quæ ad oppugnationem pertinent, parant administrare. Eodem tempore clamore exaudito, dat tuba signum suis Vercingentorix, atque ex oppido educit. Nostri, vt superioribus diebus suus cuiq; erat locus attributus, ad munitiones accedunt. fundis libralibus, sudibusq;, quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent. prospectu tenebris adempto, multa vtrinque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conijciuntur. At M. Antonius & C. Trebonius legati, quibus hæ partes ad defendendum obuenerant, qua ex parte nostros premi intellexerunt, his auxilio ex vlterioribus castellis deductos summittebant. Dum longiùs à munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant. posteaquàm propiùs successerunt, aut se ipsi stimulis inopinantes induebant, aut in scrobes delapsi transfodiebantur, aut ex vallo & turribus traiecti pilis muralibus interibant. Multis vndique vulneribus acceptis, nulla munitione perrupta, cùm lux appareret, veriti ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumuenirentur, se ad suos receperunt. At interiores dum ea quæ à Vercingentorige ad eruptionem præparata erant, proferunt, priores fossas explent: diutiùs in his rebus administrandis morati, priùs suos discessisse cognouerunt, quàm munitionibus appropinquarent. ita re infecta in oppidum reuerterunt. Bis magno cum detrimento repulsi Galli, quid agant consulunt: locorum peritos adhibent. ab his superiorum castrorum situs, munitionesq; cognoscunt. Erat à Septentrionibus collis, quem quia propter magnitudinem circuitus opere circumplecti non poterant nostri, necessariò penè iniquo loco & leniter decliui castra fecerunt. Hæc C. Antistius Rhegynus, & L. Caninius Regulus legati cum duabus legionibus obtinebant. Cognitis per exploratores regionibus, duces hostium sexaginta millia ex omni numero deligunt earum ciuitatum, quæ maximam virtutis opinionem habebant. quid, quoq; pacto agi placeat, occultè inter se constituũt. adeundi tempus definiunt, cùm meridies esse videretur. His copijs Vergasillaunum Aruernum vnum ex quatuor ducibus propinquum Vercingentorigis præficiunt. Ille ex castris prima vigilia egressus, propè confecto sub lucem itinere, post montem se occultauit, militesq; ex nocturno labore sese reficere iussit. Cùm iam meridies appropinquare videretur, ad ea castra quę suprà demonstrauimus, contendit: eodemq; tempore equitatus ad campestres munitiones accedere, & reliquæ copiæ sese pro castris ostendere cœperunt. Vercingentorix ex arce Alexiæ suos conspicatus, ex oppido egreditur: * à castris longurios, musculos, falces, reliquaq; quæ eruptionis causa parauerat, profert. Pugnatur vno tempore omnibus locis, atq; omnia tentantur. quæ minimè visa pars firma est, huc concurritur. Romanorum manus tantis munitionibus distinetur, nec facilè pluribus locis occurrit. Multum ad terrendos nostros valuit clamor qui post tergum pugnantibus extitit, quòd suum periculum in aliena vident virtute consistere. Omnia enim plerunque quæ absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant. Cæsar idoneum locum nactus,

Galli castra Cæsaris oppugnant.

Vergasillaunus Aruernus.

** castris longurios.*

Clamoris terror.

F G H I K

quid

A quid quaque in parte geratur cognoſcit. laborantibus ſummittit. Vtriſque ad animum occurrit, vnum illud eſſe tempus quo maximè contendi conueniat. Galli, niſi perfregerint munitiones, de omni ſalute deſperant: Romani, ſi rem obtinuerint, finem laborum omnium expectant. Maximè ad ſuperiores munitiones laboratur, quò Vergaſillaunum miſſum demonſtrauimus. * Iniquum loci ad decliuitatem faſtigium, magnum *Exiguum.
habet momentum. Alij tela coniiciunt, alij teſtudine facta ſubeunt: defatigatis inuicem integri ſuccedunt: agger ab vniuerſis in munitionem coniectus, & aſcenſum dat Gallis, & ea quæ in terra occultauerant Romani, contegit: nec iam arma noſtris, nec vires ſuppetunt. His rebus

B cognitis, Cæſar Labienum cum cohortibus ſex ſubſidio laborantibus mittit, & imperat, ſi ſuſtinere non poſſit, deductis cohortibus eruptione pugnaret: id niſi neceſſariò ne faciat. Ipſe adit reliquos, cohortatur ne labori ſuccumbant. omnium ſuperiorum dimicationum fructum in eo die atq; hora docet conſiſtere. Interiores deſperatis campeſtribus locis propter magnitudinem munitionum, loca prærupta ex aſcenſu tentant. huc ea quæ parauerant, conferunt. multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere & cratibus foſſas * explent: falcibus val- *aditus expediunt.
lum ac loricam reſcindunt. Cæſar mittit primò Brutum adoleſcentem cum cohortibus ſex, pòſt cum alijs ſeptem C. Fabium legatum: poſtre-

C mò ipſe, cùm vehementiùs pugnaretur, integros ſubſidio adducit. Reſtituto prælio, ac repulſis hoſtibus, eò quò Labienum miſerat, contendit. cohortes quatuor ex proximo caſtello deducit: equitum ſe partem ſequi, partem circumire exteriores munitiones, & à tergo hoſtes adoriri iubet. Labienus poſtquàm neq; aggeres neq; foſſæ vim hoſtium ſuſtinere poterant, coactis vndequadraginta cohortibus, quas ex proximis præſidijs deductas fors obtulit, Cæſarem per nuncios facit certiorem, quid faciendum exiſtimet. Accelerat Cæſar, vt prælio interſit. Eius aduentu *Cæſar veſtitu inſigni in prælijs vtebatur.*
ex colore veſtitus cognito (quo inſigni in prælijs vti conſueuerat) turmiſq; equitum & cohortibus viſis quas ſe ſequi iuſſerat, vt de locis ſupe-

D rioribus ac decliuibus & deuexis cernebantur, hoſtes prælium committunt. Vtrinq; clamore ſublato, excipitur rurſus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. Noſtri miſſis pilis, gladijs rem gerunt. Repentè poſt *Fuga Gallorum.*
tergum equitatus cernitur, cohortes aliæ appropinquant. Hoſtes terga vertunt. fugientibus equites occurrunt. fit magna cædes. Sedulius dux & *Sedulij mors.*
princeps Lemouicum occiditur. Vergaſillaunus Aruernus viuus in fuga *Vergaſillaunus capeus.*
comprehenditur. ſigna militaria ſeptuaginta quatuor ad Cæſarem refe- *Cæſaris inſignis victoria.*
runtur. pauci ex tanto numero ſe incolumes in caſtra recipiunt. Conſpicati ex oppido cædem & fugam ſuorum, deſperata ſalute copias à munitionibus reducunt. fit protinùs hac re audita ex caſtris Gallorum fuga. *Gallorum fuga.*

E Quòd niſi crebris ſubſidijs, ac totius diei labore milites defatigati fuiſſent, omnes hoſtium copiæ deleri potuiſſent. De media nocte miſſus equitatus nouiſſimum agmen conſequitur. magnus numerus capitur, atque interficitur. reliqui ex fuga in ciuitates diſcedunt. Poſtero die Vercingentorix concilio conuocato, id ſe bellum ſuſcepiſſe non ſuarum neceſſitatum, ſed communis libertatis cauſa demonſtrat: & quoniam ſit for- *Vercingentorigis præſens animus.*
tunæ cedendum, ad vtranque rem ſe illis offerre, ſeu morte ſua Romanis ſatisfacere, ſeu viuum tradere velint. Mittuntur de his rebus ad Cæſarem legati. Iubet arma tradi, principes produci. ipſe in munitione pro caſtris conſedit. eò duces producuntur. Vercingentorix deditur. arma *Vercingentorigis deditio.*

proijciuntur. Reseruatis Heduis atque Aruernis, si per eos ciuitates recu- F
perare posset, ex reliquis captiuis toto exercitui capita singula prædæ no-
Heduorum ciuitatē Cæsar recipit. mine distribuit. His rebus confectis, in Heduos proficiscitur, ciuitatem recipit. Eò legati ab Aruernis missi, quæ imperaret, se facturos pollicentur. Imperat magnum numerum obsidum. Legiones in hyberna mittit. Captiuorum circiter viginti millia Heduis Aruernisque reddit. T. Labienum duabus cum legionibus & equitatu in Sequanos proficisci iubet. Huic M. Sempronium Rutilium attribuit. C. Fabium legatum, & L. Minutium Basilium cum legionibus duabus in Rhemis collocat, ne quam à finitimis Bellouacis calamitatem accipiant. C. Antistium Rhegynum in Ambibaretos, T. Sextium in Bituriges, C. Caninium Rebilum in G
Ruthenos cum singulis legionibus mittit. Q. Tullium Ciceronem, & P. Sulpitium Cabilloni & Marisconæ in Heduis ad Ararim rei frumentariæ causa collocat: ipse Bibracte hyemare constituit. Harum rerum literis cognitis Romæ dierum viginti supplicatio indicitur.

A. HIRTII, SIVE OPPII, IN NOVISSIMVM Commentarium belli Gallici Præfatio.

COACTVS assiduis tuis vocibus Balbe, cum quotidiana mea recusatio, non difficultatis excusationem, sed inertiæ videretur deprecationem habere, difficillimam rem suscepi: Cæ- H
saris nostri Commentarios rerum gestarum Galliæ, non comparandos superioribus atque insequentibus eius scriptis, contexui: nouissimumque imperfectum à rebus gestis Alexandriæ confeci, vsque ad exitum, non quidem ciuilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitæ Cæsaris: quos vtinam qui legerint, scire possint quàm inuitus susceperim scribendos, quò faciliùs caream stultitiæ atq; arrogantiæ crimine, qui me medium interposuerim
Cæsaris eloquentia Cæsaris scriptis. Constat enim inter omnes, nihil tàm operosè ab alijs esse perfectum, quod non horum elegantia Commentariorum superetur: qui sunt editi, ne scientia tantarum rerum gestarum scriptoribus de- I
sit: adeoque probantur omnium iudicio, vt prærepta non præbita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei nostra quàm reliquorum est admiratio. Cæteri enim quàm benè atque emendatè, nos etiam quàm facilè atque celeriter eos confecerit, scimus. Erat autem in Cæsare cùm facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima scientia suorum consiliorum explicandorum. Mihi ne illud quidem accidit, vt Alexandrino atque Africano bello interessem: quæ bella quanquam ex parte nobis Cæsaris sermone sint nota: tamen aliter audimus ea quæ rerum nouitate aut admiratione nos capiunt, aliter quæ pro testimonio K
sumus dicturi. Sed ego nimirum dum omnes excusationis causas colligo ne cum Cæsare conferar: hoc ipso crimen arrogantiæ subeo, quòd me iudicio cuiusquam existimem posse cum Cæsare comparari.

Vale.

A
A. HIRTII DERELICTORVM A C. IVLIO CÆSARE DE BELLO GALLICO LIBER OCTAVVS.

Libri octaui capita.

1 *Nouus Galliæ motus, primùm in Biturigibus, mox in Carnutibus à Cæsare repressus.*

B

2 *Bellouacorum motus; & leues aliquot equestres pugnæ cum Cæsarianis.*

3 *Bellouacorum ignibus oppositis fuga, & mox prælium aduersum, quo dux illorum Corbeus occisus, & bellum confectum est.*

4 *Dummacus dux Andium in Pictonibus ad ripas Ligeris à Fabio legato superatur.*

5 *Fabius Carnutes & ciuitates Armoricas in deditionem recipit. Comius Lucterium & Drapetem in Carducorum finibus vincit.*

6 *Cæsar de Guturnato Carnute supplicium sumit. Vxellodunum cuius incolæ siti premebantur, in deditionem recipit.*

C

7 *Drapetis mors. Lucterius capitur. Aquitaniæ & mox Commij deditio.*

8 *Cæsar obita citeriore Gallia, in vlteriorem redit, eamq́; præsidijs firmat. mox in Italiam reuersus, de aduersariorum consilijs cognoscit.*

OMNI Gallia deuicta, Cæsar cùm à superiore æstate nullum bellandi tempus intermisisset, militesque hybernorum quiete reficere à tantis laboribus vellet: complures eodem tempore ciuitates renouare belli consilia nunciabantur, coniurationesq́ue facere. cuius rei verisimilis causa afferebatur, quòd Gal-
D lis omnibus cognitum esset, neque vlla multitudine in vnum locum coacta resisti posse Romanis: nec si diuersa bella complures eodem tempore intulissent ciuitates, satis auxilij aut spacij aut copiarum habiturum exercitum populi Romani ad omnia persequenda. non esse autem alicui ciuitati sortem incommodi recusandam, si tali mora reliquæ possent se vindicare in libertatem. Quæ ne opinio Gallorum confirmaretur, Cæsar M. Antonium Quæstorem suis præfecit hybernis: ipse equitatus præsidio pridie Calendas Ianuarias ab oppido Bibracte proficiscitur ad legionem * duodecimam, quam non longè à finibus Heduorum collocauerat in
E finibus Biturigum, eique adiungit legionem vndecimam, quæ proxima fuerat. Binis cohortibus ad impedimenta tuenda relictis, reliquum exercitum in copiosissimos agros Biturigum inducit: qui cùm latos fines & complura oppida haberent, vnius legionis hybernis non poterant contineri, quin bellum pararent, coniurationesq́ue facerent. Repentino aduentu Cæsaris accidit (quod imparatis deiectisq́ue accidere fuit necesse) vt sine timore vllo rura colentes, priùs ab equitatu opprimerentur, quàm confugere in oppida possent. nam etiam illud vulgare incursionis hostium signum, quod incendijs ædificiorum intelligi consueuit, Cæsaris erat interdicto sublatum, ne aut copia pabuli frumentique, si longiùs

M. Antonius quæstor.

**tertiamdecimam.*

Biturigum oppressio.

Incursionis hostium vulgare signum.

progredi vellet, deficeretur, aut hostes incendijs terrerentur. Multis hominum millibus captis perterriti Bituriges, qui primum aduentum effugere potuerant Romanorum, in finitimas ciuitates aut priuatis hospitijs F
Cæsaris celeritas. confisi, aut societate consiliorum, confugerant, frustrà. Nam Cæsar magnis itineribus omnibus locis occurrit: nec dat vlli ciuitati spacium de aliena potiùs quàm de domestica salute cogitandi. qua celeritate & fideles amicos retinebat, & dubitantes terrore ad cõditiones pacis adduce-
Cæsaris clementia. bat. Tali conditione proposita, Bituriges cùm sibi viderent clementia Cæsaris reditum patere in eius amicitiam, finitimasque ciuitates sine vlla pœna dedisse obsides, atque in fidem receptas esse, idem fecerunt.
Cæsaris liberalitas erga milites. Cæsar militibus pro tanto labore, ac patientia, qui brumalibus diebus, G itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, studiosissimè permanserant in labore, ducenos sestertios, centurionibus duo millia numûm prædæ nomine condonanda pollicetur: legionibusque in hyberna remissis, ipse se recepit die XL. Bibracte. Ibi cùm ius diceret, Bituriges ad eum legatos mittunt auxilium petitum contra Carnutes, quos intulisse bellum sibi querebantur. Qua re cognita, cùm dies non ampliùs decem & octo in hybernis esset commoratus, legiones quartamdecimam & sextam ex hybernis ab Arare educit: quas ibi collocatas explicandæ rei frumentariæ causa superiore commentario demonstratum est. Ita cum duabus legionibus ad persequendos Carnutes proficiscitur. Cùm H fama exercitus ad hostes esset perlata, calamitate cæterorum ducti Carnutes, desertis vicis oppidisque quæ tolerandæ hyemis causa constitutis repentè exiguis ad necessitatem ædificijs incolebant (nuper enim
Carnutum fuga. deuicti complura oppida dimiserant) dispersi profugiunt. Cæsar erumpentes eo maximè tempore acerrimas tempestates cùm subire milites
Genabum Carnutũ oppid. nollet, in oppido Carnutum Genabo castra ponit: atque in tecta partim Gallorum, partim quæ coniectis celeriter stramentis tentoriorum integendorum gratia erant ædificata, milites contegit: equites tamen & auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascunque petisse dicebantur hostes. nec frustrà. nam plerunque magna præda potiti nostri reuertuntur. Oppressi Carnutes hyemis difficultate, terrore periculi, cum tectis expulsi, nullo loco diutiùs consistere auderent, nec syluarum præsidio tempestatibus durissimis tegi possent: dispersi magna parte amissa suorum, dissipantur in finitimas ciuitates. Cæsar tempore anni difficillimo, cùm satis haberet conuenientes manus dissipare, ne quod initium belli nasceretur, quantumque in ratione esset, exploratum haberet sub tempus æstiuorum nullum summum bellum posse conflari: C. Trebonium cum duabus legionibus quas secum habebat, in hybernis Ge- I
2 nabi collocauit: † Ipse cùm crebris legationibus Rhemorum certior fie-
Bellouacorum motus. ret, Bellouacos (qui belli gloria Gallos omnes Belgasq; præstabant) finiti- K
Corbeus Bellouacorum dux. masque his ciuitates duce Corbeo Bellouaco & Comio Attrebate exercitus comparare, atque in vnum locum cogere, vt omni multitudine in fines Suessionum (qui Rhemis erant attributi) facerent impressionem: pertinere autem non tantùm ad dignitatem, sed etiam ad salutem suam iudicaret, nullam calamitatem socios optimè de Republica meritos accipere, legionem ex hybernis euocat rursus vndecimam. Literas autem ad C. Fabium mittit, vt in fines Suessionum legiones duas quas habebat, adduceret: alteramq; ex duabus à T. Labieno accersit. Ita quantum hybernorum opportunitas, belliq; ratio postulabat, perpetuò suo labore inuicem

A uicem legionibus expeditionum munus iniungebat. His copijs coactis, ad Bellouacos proficiscitur: castrisque in eorum finibus positis, equitum turmas dimittit in omnes partes ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret. Equites officio functi renunciant paucos in ædificijs esse inuentos, atque hos non qui agrorum colendorum causa remansissent (nanque esse vndique diligenter demigratum) sed qui speculandi gratia essent remissi. à quibus cùm quæreret Cæsar, quo loco multitudo esset Bellouacorum, quódue esset consilium eorum: inueniebat Bellouacos omnes, qui arma ferre possent, in vnum locum conuenisse. Itemque Ambianos, Aulercos, Caletos,* Veliocassos, Atrebates, *Velocassos.
B locum castris excelsum impedita circundatum palude delegisse, impedimenta omnia in vlteriores syluas contulisse. complures esse principes belli authores, sed multitudinem maximè Corbeo obtemperare, quòd ei summo esse odio nomen populi Romani intellexissent. Paucis antè diebus Atrebatem Comium ex his castris discessisse ad auxilia Germanorum adducenda: quorum & vicinitas propinqua, & multitudo esset infinita. Constituisse autem Bellouacos, omnium principum consensu, summa plebis cupiditate, si (vt diceretur) Cæsar cum tribus legionibus veniret, offerre se ad dimicandum, ne misériore ac duriore posteà conditione cum toto exercitu decertare cogerentur. sin maiores copias adduceret, in eo lo-
C co permanere, quem delegissent: pabulatione autem, quæ propter anni tempus cùm exigua, tum disiecta esset, & frumentatione, & reliquo commeatu ex insidijs prohibere Romanos. Quæ Cæsar cùm consentientibus plurimis cognouisset, atque ea quæ proponerentur consilia plena prudentiæ, longéque à temeritate barbarorum remota esse iudicaret: omnibus rebus inseruiendum statuit, quò celeriùs hostes contempta suorum paucitate prodirent in aciem. Singularis enim virtutis * veteranas *veterrimas. legiones, septimam, octauam, & nonam habebat: summæ spei, delectæque iuuentutis vndecimam: quæ octauo iam stipendio functa, tamen Legiones Cæsaris. collatione reliquarum nondum eandem vetustatis ac virtutis ceperat opi-
D nionem. Itaq; concilio aduocato, rebus ijs quæ ad se essent delatæ, omnibus expositis, animos multitudinis confirmat, si fortè hostes trium legionum numero posset elicere ad dimicandũ. Agminis ordinem ita cõstituit, vt legio septima, octaua, nona, ante omnia irent impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen (quod tamen erat mediocre, vt in expeditionibus esse consueuit) cogeret vndecima: ne maioris multitudinis species accidere hostibus posset, quàm ipsi depoposcissent. Hac ratione penè quadrato agmine instructo, in conspectum hostium celeriùs opinione eorum exercitum adducit. Quas legiones repentè instructas, velut in acie certo gradu accedere Galli cùm viderent, quorum erant ad
E Cæsarem plena fiduciæ consilia perlata, siue certaminis periculo, siue subito aduentu, siue expectatione nostri consilij, copiás instruunt pro castris, nec loco superiore decedunt. Cæsar etsi dimicare optauerat, tamen admiratus tantam multitudinem hostium, valle intermissa magis in altitudinem depressa, quàm latè patente, castra castris hostium confert. Hæc imperat vallo pedum XII. muniri, loriculamque pro hac ratione eius altitudinis inædificari: fossam duplicem pedum quinumdenũm lateribus directis deprimi: turres crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum: pontibus traiectis constratisque coniungi: quorum frontes viminea loricula munirentur: vt hostis à duplici propugnatorum or-

dine depelleretur: quorum alter ex pontibus, quo tutior altitudine esset, hoc audaciùs longiúsque tela permitteret: alter quo propior hostium F

Scenographia primi congressus aduersus Bellouacos.
A. Castra Cæsaris.
B. Fossa.
C. Planicies iugi, vbi Cęsar aciem instruxit, castráq; metatus est.
D. Castra Gallorum.



G

H

I

vallo collocatus esset, ponte ab incidentibus telis tegeretur. Portis fores altioresque turres imposuit. Huius munitionis duplex erat consilium. nanque & operum magnitudinem, & timorem suum sperabat fiduciam barbaris allaturum: & cùm pabulatum frumentatumque longiùs esset proficiscendum, paruis copijs castra munitione ipsa videbat posse defendi. Interim crebro paucis vtrinque procurrentibus inter bina castra palude interiecta contendebatur: quam tamen paludem nonnunquam aut nostra auxilia, aut Gallorum Germanorumque transibant, acriusque hostes insequebantur: aut vicissim hostes eôdem trangressi, nostros longiùs K summouebant. Accidebat autem quotidianis pabulationibus (id quod accidere erat necesse, cum raris disiectisque ædificijs pabulum conquireretur) vt impeditis locis dispersi pabulatores circunuenirentur. quæ res etsi mediocre detrimentum iumentorum ac seruorum nostris afferebat, tamen stultas cogitationes incitabat barbarorum: atque eo magis, quòd Comius, quem profectum ad auxilia Germanorum accersenda docui, cum equitibus venerat: qui tametsi numero non ampliùs erant quingenti, tamen Germanorum aduentu barbari* inflabantur. Cæsar cùm animaduerteret hostem complures dies castris palude & loci natura munitis se te-

* nitebantur.

A se tenere, neque oppugnari castra eorum sine dimicatione perniciosa, nec locum munitionibus claudi nisi à maiore exercitu posse: literas ad Trebonium mittit, vt quàm celerrimè posset, legionem XIII. quæ cum T. Sextio legato in Biturigibus hyemabat, accerseret, atque ita cum tribus legionibus magnis itineribus ad se veniret. Ipse equites inuicem Rhemorum ac Lingonum, reliquarumque ciuitatum, quorum magnum numerum euocauerat, præsidio pabulationibus mittit, qui subitas hostium incursiones sustinerent. Quod cùm quotidiè fieret, ac iam consuetudine diligentia minueretur, quod plerunque accidit diuturnitate, *Vafrum stratagema.* Bellouaci delecta manu peditum, cognitis stationibus quotidianis equi-
B tum nostrorum, syluestribus locis insidias disponunt: eodemque equites postero die mittunt, qui primùm elicerent nostros in insidias, deinde circunuentos aggrederentur. cuius mali sors incidit Rhemis, quibus illa dies fungendi muneris obuenerat. Nanque hi cùm repentè hostium equites animaduertissent, ac numero superiores paucitatem contempsissent, cupidiùs insecuti, à peditibus vndique circundati sunt: quo facto perturbati, celeriùs quàm consuetudo fert equestris prælij, se receperunt, amisso Vertisco principe ciuitatis præfecto equitum: qui cùm *Vertiscus Rhemorũ præfectus occiditur.* vix equo propter ætatem posset vti, tamen consuetudine Gallorum, neque ætatis excusatione in suscipienda præfectura vsus erat, neque dimi-
C cari sine se voluerat. Inflammantur atque incitantur hostium animi secundo prælio, principe & præfecto Rhemorum interfecto. Nostri detrimento admonentur, diligentiùs exploratis locis stationes disponere, ac moderatiùs cedentem insequi hostem. Non intermittuntur interim quotidiana prælia in conspectu vtrorunque castrorum, quæ ad vada transitusque fiebant paludis: qua contentione Germani (quos propterea Cæsar traduxerat Rhenum, vt equitibus interpositi præliarentur) cùm constantiùs vniuersi paludem transissent, paucisque in resistendo interfectis, pertinaciùs reliquam multitudinem essent insecuti: perterriti non solùm ij, qui aut comminùs opprimebantur, aut eminùs vulneraban-
D tur, sed etiam qui longiùs subsidiari consueuerant, turpiter refugerunt: *Bellouacorum fuga.* nec priùs finem fecerunt, sæpè amissis superioribus locis, quàm se aut in castra suorum reciperent, aut nonnulli pudore coacti longiùs profugerent. Quorum periculo sic omnes copiæ sunt perturbatæ, vt vix iudicari posset, vtrùm secundis minimisque rebus insolentiores, an aduerso mediocri casu timidiores essent. † Compluribus diebus ijsdem in castris 3
consumptis, cùm propiùs accessisse legiones & C. Trebonium legatum cognouissent duces Bellouacorum, veriti similem obsessionem Alexiæ, noctu dimittunt eos, quos aut ætate aut viribus inferiores, aut inermes habebant, vnaque reliqua impedimenta: quorum perturbatum & con-
E fusum dum explicant agmen (magna enim multitudo carrorum etiam *Carri Gallorum in Bello.* expeditos sequi Gallos consueuit) oppressi luce, copijs armatorum, castrorum vias instruunt, ne priùs Romani persequi se inciperent, quàm longiùs agmen impedimentorum suorum processisset. At Cæsar neque resistentes tanto collis ascensu lacessendos iudicabat, neque non vsque eò legiones admouendas, vt discedere ex eo loco sine periculo barbari nostris militibus instantibus non possent. Ita cùm paludem impeditam à castris castra diuidere (quæ transeundi difficultas celeritatem insequendi tardare posset) atque id iugum, quod trans paludem penè ad hostium castra pertineret, mediocri valle à castris eorum intercisum animaduerteret:

teret: pontibus palude constrata legiones traducit, celeriterque in sum- F
mam planitiem iugi peruenit, quæ decliui fastigio duobus à lateribus



Scenographia primi congressus aduersus Bellouaces.

A. Castra Cæsaris.
B. Castra Gallorum.
C. Planicies iugi, vbi Cęsar aciē instruxit, castraque metatus est.
D. Vallis intermissa.
E. Palus.

G

H

muniebatur. Ibi legionibus instructis, ad vltimum iugum peruenit, aciemque eo loco constituit, vnde tormento missa tela in hostium cuneos conijci possent. Barbari confisi loci natura, cùm dimicare non recusarent, si fortè Romani subire collem conarentur, paulatimque copias distributas dimittere non auderent, ne dispersi perturbarentur, in acie permanserunt. Quorum pertinacia cognita, Cæsar viginti cohortibus instructis, castrisque eo loco metatis, muniri iubet castra. abso- I
lutis operibus, pro vallo legiones instructas collocat, equites frænatis equis in stationibus disponit. Bellouaci cùm Romanos ad insequendum paratos viderent, neque pernoctare, aut diutiùs permanere sine periculo eodem loco possent, tale consilium sui recipiendi ceperunt. fasces vbi consederant (nam in acie sedere Gallos consueuisse, superioribus Commentarijs Cæsaris declaratum est) per manus stramentorum ac virgultorum (quorum summa erat in castris copia) inter se traditos, ante aciem collocauerunt, extremoque tempore diei, signo pronunciato vno tempore incenderunt. Ita continens flamma omnes repentè copias à conspectu texit Romanorum: quod vbi accidit, barbari vehementis- K
simo cursu fugerunt. Cæsar etsi discessum hostium animaduertere non poterat, incendijs oppositis: tamen id consilium, cùm fugæ causa initum suspicaretur, legiones promouet, & turmas mittit ad insequendum. ipse veritus insidias, ne fortè in eodem loco subsistere hostis, atque elicere nostros in locum conaretur iniquum, tardiùs procedit. Equites cùm intrare fumum & flammam densissimam timerent, ac si qui cupidiùs intrauerant, vix suorum ipsi priores partes aduerterent equorum; insidias veriti, liberam facultatem sui recipiendi Bellouacis dederunt. Ita fuga timoris simul calliditatisque plena, sine vllo detrimento millia

Galli in acie sedere soliti.

A lia non ampliùs decem progressi hostes, munitissimo loco castra posuerunt. inde cùm sæpè in insidijs equites pedites que disponerent, magna detrimenta Romanis in pabulationibus inferebant. Quod cùm crebriùs accideret, ex captiuo quodam comperit Cæsar Corbeum Bellouacorum ducem fortissimorum millia sex peditum delegisse, equitesque ex omni numero mille, quos in insidijs eo loco collocàrat, quem in locum propter copiam frumenti ac pabuli Romanos pabulatum missuros suspicaretur. Quo cognito consilio, Cæsar legiones plures quàm solebat, educit, equitatumque * qua consuerudine pabulatoribus mittere præsidio consueuerat, præmittit: huic interponit præsidia le- *Fuga Bellouacorum*

** quem ipse auxilio pabulatoribus mittere semper consueuerat, &c.*

B uis armaturæ: ipse cum legionibus quàm potest, maximè appropinquat. Hostes in insidijs dispositi, cùm sibi delegissent campum ad

C



A. Căpus velut in dagine munitus vndiq; syluis impeditissimis aut altissimo flumine, quem Bellouaci duce Corbeo insidijs circundederunt, vbi tamè victi sunt à Cæsarianis.
B. Vbiq; Syluæ.
C. Flumen.

D

rem gerendam non ampliùs patentem in omnes partes passibus mille, syluis vndique impeditissimis aut altissimo flumine munitum, velut indagine hunc insidijs circundederunt. Explorato hostium consilio, nostri ad præliandum animo atque armis parati, cùm subsequentibus le-
E gionibus nullam dimicationem recusarent, turmatim in eum locum deuenerunt. Quorum aduentu cùm sibi Corbeus oblatam occasionem rei gerendæ existimaret: primus cum paucis se ostendit, atque in proximas turmas impetum facit. Nostri constanter incursum sustinent insidiatorum: neque plures in vnum locum conueniunt: quod plerunque equestribus prælijs cùm propter aliquem timorem accidit, tum multitudine ipsorum detrimentum accipitur. Cùm dispositis turmis, inuicem rari præliarentur, neque à lateribus circumueniri suos paterentur, erumpunt cæteri. Corbeo præliante ex syluis, fit magna contentione diuersum prælium: quod cùm diutiùs pari marte iniretur, paulatim

ex syl-

ex syluis instructa multitudo procedit peditum, quæ nostros cogit cede- F
re equites: quibus celeriter subueniunt leuis armaturæ pedites, quos an-
te legiones missos docui: turmisq; nostrorum interpositi, constanter præ-
liantur. Pugnatur aliquandiu pari contentione. deinde, vt ratio postulabat
prælij, qui sustinuerant primos impetus insidiarum, hoc ipso fiunt supe-
riores, quòd nullum ab insidiantibus imprudentes acceperant detrimen-
tum. Accedunt interim propiùs legiones, crebriq; eodem tempore & no-
stris & hostibus nuncij afferuntur, Imperatorem instructis copijs adesse.
Qua re cognita, præsidio cohortium confisi nostri, acerrimè præliantur:
ne si tardius rem gessissent, victoriæ gloriam communicasse cum legio-
nibus viderentur. Hostes concidunt animis, atque diuersis itineribus fu- G
gam quærunt, nequicquam. Nam quibus difficultatibus locorum Roma-
Bellouacorum fuga. nos claudere voluerant, his ipsi tenentur. Victi tamen, perculsique, ac
maiore parte amissa consternati, profugiunt, partim syluis petitis, par-
tim flumine: qui tamen in fuga à nostris acriter insequentibus conficiun-
tur: cùm interim nulla calamitate victus Corbeus excedere prælio sylu-
asqu: petere, aut inuitantibus nostris ad deditionem potuit adduci,
quin fortissimè præliando, compluresque vulnerando, cogeret elatos ira-
Corbei mors. cundia victores in se tela conijcere. Tali modo re gesta, recentibus præ-
lij vestigijs ingressus Cæsar, cùm victos tanta calamitate existimaret ho-
stes nuncio accepto locum castrorum relicturos, quæ non longiùs ab ea H
cæde abesse, quàm octo millibus passuum dicebantur, tametsi flumine
impeditum transitum videbat, tamen exercitu traducto progreditur. At
Bellouaci, reliquæque ciuitates repentè ex fuga paucis, atque his vulne-
ratis, receptis, qui syluarum beneficio casum euitauerant, omnibus ad-
uersis cognita calamitate, interfecto Corbeo, amisso equitatu, & fortis-
simis peditibus, cùm aduentare Romanos existimarent, concilio repen-
tè turbarum cantu conuocato, conclamant vt legati obsidesque ad Cæ-
Comij fuga. sarem mittantur. Hoc ab omnibus probato consilio, Comius Atrebas
Bellouacorum deditio. ad eos confugit Germanos, à quibus ad id bellum auxilia mutuatus erat.
Cæteri è vestigio mittunt ad Cæsarem legatos: petuntque, vt ea pœna sit I
contentus hostium, quam si sine dimicatione inferre integris posset, pro
sua clementia atque humanitate nunquam profectò esset illaturus. Affli-
ctas opes equestri prælio Bellouacorum esse, delectorum peditum multa
millia interisse, vix refugisse nuncios cædis: magnum tamen vt in tanta ca
lamitate Bellouacos eo prælio commodum esse consecutos, quòd Cor-
beus author belli, concitator multitudinis, esset interfectus. Nunquam e-
nim Senatum tantum in ciuitate illo viuo, quantum imperitam plebem
potuisse. Hæc orantibus legatis, commemorat Cæsar eodem tempore su-
periore anno Bellouacos cæterasq; Galliæ ciuitates suscepisse bellum: per-
tinacissimè hos ex omnibus in sententia permansisse, neq; ad sanitatem re- K
›› liquorum deditione esse perductos. Scire atq; intelligere se causam pecca-
›› ti facillimè mortuis delegari: neminem verò tantum pollere, vt inuitis
›› principibus, resistente Senatu, omnibus bonis repugnantibus, infir-
›› ma manu plebis bellum concitare & gerere posset. Sed tamen se con-
tentum fore ea pœna, quam sibi ipsi contraxissent. Nocte insequenti le-
gati responsa ad suos referunt: obsides conficiunt. Concurrunt reli-
quarum ciuitatum legati, qui Bellouacorum speculabantur euentum:
obsides dant, imperata faciunt, excepto Comio, quem timor prohibe-
bat cuiusquam fidei suam committere salutem. Nam superiore anno T.

Labie-

A Labienus Cæſare in Gallia citeriore ius dicente, cùm Comium competiſſet ſolicitare ciuitates, & coniurationem contra Cæſarem facere, infidelitatem eius ſine vlla perfidia iudicauit comprimi poſſe: quem quia non arbitrabatur vocatum in caſtra venturum, ne tentando cautiorem faceret, C. Voluſenum Quadratum miſit, qui eum per ſimulationem colloquij curaret interficiendum. Ad eam rem delectos idoneos ei tradidit centuriones. Cùm in colloquium ventum eſſet, &c, vt conuenerat, manum Comij Voluſenus arripuiſſet, Centurio velut inſueta re permotus, celeriter à familiaribus prohibitus Comij, conficere hominem non potuit: grauiter tamen primo ictu gladio caput percuſſit. Cùm vtrinque gladij eſſent di-
B ſtricti, non tam pugnandi, quàm diffugiendi fuit vtrorunque conſilium: noſtrorum, quòd mortifero vulnere Comium credebant affectum: Gallorum, quòd inſidijs cognitis, plura quàm videbant, extimeſcebant. Quo facto ſtatuiſſe Comius dicebatur nunquam in conſpectum cuiuſquam Romani venire. Bellicoſiſſimis gentibus deuictis, Cæſar cùm videret nullam iam eſſe ciuitatem, quæ bellum pararet, quo ſibi reſiſteret, ſed nonnullos ex oppidis demigrare, ex agris diffugere ad præſens * imperium euitandum: plures in partes exercitum dimittere conſtituit. M. Antonium quæſtorem cum legione duodecima ſibi coniungit. C. Fabium legatum cum cohortibus vigintiquinque mittit in diuerſiſſimam partem Galliæ, *periculum.
C quòd ibi quaſdam ciuitates in armis eſſe audiebat, neq; C. Caninium Rebilum legatum, qui in illis regionibus præerat, ſatis firmas duas legiones habere exiſtimabat. T. Labienum ad ſe euocat: legionem q; duodecimam, quæ cum eo fuerat in hybernis, in togatam Galliam mittit ad colonias ciuium Romanorum tuendas, ne quod ſimile incommodum accideret de incurſione barbarorum, ac ſuperiore æſtate Tergeſtinis acciderat, qui repentino latrocinio atque impetu illorum erant oppreſſi. Ipſe ad vaſtandos depopulandoſque Ambiorigis fines proficiſcitur: quem perterritum ac fugientem cùm redigi poſſe in ſuam poteſtatem deſperâſſet, proximum ſuæ dignitatis eſſe ducebat, adeò eius fines vaſtare ciuibus, ædificijs, peco- *Togata Gallia. *Tergeſtini.
D re, vt odio ſuorum Ambiorix, ſi quos fortuna reliquos feciſſet, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in ciuitatem. Cùm in omnes partes finium Ambiorigis, aut legiones, aut auxilia dimiſiſſet, atque omnia cædibus, incendijs, rapinis vaſtâſſet, magno numero hominum interfecto aut capto, Labienum cum duabus legionibus in Treuiros mittit: quorum ciuitas propter Germaniæ vicinitatem quotidianis exercitata bellis, cultu & feritate non multum à Germanis differebat, neque imperata vnquam, niſi exercitu coacta, faciebat. Interim C. Caninius legatus cùm magnam multitudinem hoſtium conueniſſe in fines Pictonum literis nuncijſque Duracij cognouiſſet, qui perpetuò in amicitia Romanorum per- *Treuirorum ferocitas. *C. Caninius legatus. *Duracius.
E manſerat: quòd pars quædam ciuitatis eius defeciſſet, ad oppidum * Lemouicum contendit: quò cùm aduentaret, atque ex captiuis certiùs cognoſceret, multis hominũ millibus Dumnaco Duce Andium, Duracium *clauſum, Lemouicum oppugnari, neque infirmas legiones hoſtibus committere auderet, caſtra munito loco poſuit. Dumnacus cùm appropinquare Caninium cognouiſſet: copijs omnibus ad legiones conuerſis, caſtra Romanorum oppugnare inſtituit. Cùm complures dies in oppugnatione conſumpſiſſet, & magno ſuorum detrimento nullam partem munitionum conuellere potuiſſet, rurſus ad obſidendum * Lemouicum redit. Eodem tempore C. Fabius legatus complures ciuitates in fidem *Lemonem. *Dumnacus. *clauſum Lemonem oppug. *Lemonem.

L reci-

recipit, obſidibus firmat: literiſque C. Caninij certior fit, quæ in Pictoni- F
bus gerantur. Quibus rebus cognitis, proficiſcitur ad auxilium Duratio
ferendum. At Dumnacus aduentu Fabij cognito, deſperata ſalute, ſi tempore
eodem coactus eſſet, & Romanum & externum ſuſtinere hoſtem,
& reſpicere ac timere oppidanos, repentè ex eo loco cum copijs recedit:
nec ſe ſatis tutum fore arbitratur, niſi flumen Ligerim, quod erat ponte
propter magnitudinem * conſtratum, copias traduxiſſet. Fabius etſi non- *tranſeundum.*
dum in conſpectum hoſtium venerat, neque ſe cum Caninio coniunxe-
rat: tamen doctus ab ijs qui locorum nouerant naturam, potiſſimùm
credidit hoſtes perterritos * eum locum quem petebant, petituros. Ita- *non cum lo. quem petebat, pet.*
que cum copijs ad eundem pontem contendit: equitatumque tantum G
procedere ante agmen imperat legionum, quantum cùm proceſſiſſet, ſi-
ne defatigatione equorum in eadem ſe reciperet caſtra. Conſequuntur e-
quites noſtri, vt erat præceptũ, inuaduntque Dumnaci agmen, & fugien-
tes perterritoſque ſub ſarcinis in itinere aggreſſi, magna præda, multis in-
terfectis, potiuntur. Ita re benè geſta ſe recipiunt in caſtra. Inſequenti no-
cte Fabius equites præmittit ſic paratos, vt confligerent, atque omne ag-
men morarentur, dum conſequeretur ipſe. Cuius præceptis vt res gere-
retur, Q. Titatius Varus, præfectus equitum, ſingularis & animi & pruden- *Q. Titatius Varus.*
tiæ vir, ſuos hortatur: agmenque hoſtium conſecutus, turmas partim
idoneis locis diſponit, partim equitum prælium committit. Confligit au- H
dacius equitatus hoſtium ſuccedentibus ſibi peditibus, qui toto agmine
* ſubſiſtentes equitibus ſuis contra noſtros ferunt auxilium. Fit prælium *ſubſiſtentibus.*
acri certamine. nanque noſtri contemptis pridie ſuperatiſque hoſtibus,
cùm ſubſequi legiones meminiſſent, & pudore cedendi, & cupiditate ce-
leriùs per ſe conficiendi prælij, fortiſſimè contra pedites præliantur: ho-
ſteſque nihil ampliùs copiarum acceſſurum credentes, vt pridie cognoue-
rant, delendi equitatus noſtri nacti occaſionem videbantur. Cùm ali-
quandiu ſumma contentione dimicaretur, Dumnacus inſtruit aciem, quę
ſuis eſſet equitibus inuicem præſidio: cùm repentè confertæ legiones in
conſpectum hoſtium veniunt: quibus viſis perculſæ barbarorum turmæ, I
ac perterritæ acies hoſtium, perturbato impedimentorum agmine, ma-
gno clamore diſcurſuque paſſim fugæ ſe mandant. At noſtri equites, qui
paulò antè cum reſiſtentibus fortiſſimè conflixerant, lætitia victoriæ ela-
ti, magno vndique clamore ſublato, cedentibus circunfuſi, quantum e-
quorum vires ad perſequendum, dextræq; ad cædendum valent, tantum
eo prælio interficiunt. itaque ampliùs millibus XII. aut armatorum, aut
eorum qui arma proiecerant, interfectis, omnis multitudo capitur impe-
dimentorum. Qua ex fuga cùm conſtaret Drapetem Senonem (qui vt pri- *Drapetis ac Lucterij motus.*
mùm defecerat Gallia, collectis vndique perditis hominibus, ſeruis ad li-
bertatem vocatis, exulibus omnium ciuitatum receptis, latrocinijs impe- K
dimenta & commeatus Romanorum interceperat) non ampliùs homi-
num millibus ex fuga quinque collectis prouinciam petere, vnaque con-
ſilium cum eo Lucterium Cadurcum cepiſſe, quem ſuperiore commenta-
rio prima defectione Galliæ facere in Prouinciam impetũ voluiſſe cogni-
tum eſt: Caninius legatus cum legionibus duabus ad eos perſequendos
contendit, ne detrimento aut timore Prouinciæ, magna infamia perdi-
torum hominum latrocinijs caperetur. C. Fabius cum reliquo exercitu in
Carnutes reliquaſque proficiſcitur ciuitates, quarum eo prælio quod cum
Dumnaco fecerat, copias eſſe accitas ſciebat. Non enim dubitabat, quin

A recenti calamitate summissiores essent futuræ: dato verò spatio ac tempore, eodem instigante Dumnaco possent concitari. Qua in re summa felicitas celeritasque in recipiendis ciuitatibus Fabium consequitur. nam Carnutes, qui sæpè vexati, nunquam pacis fecerant mentionem, datis obsidibus veniunt in deditionem: cæteræque ciuitates positæ in vltimis Galliæ finibus, Oceano coniunctæ, quæ Armoricæ appellantur, authoritate adductæ Carnutum, aduentu Fabij legionumque, imperata sine mora faciunt. Dumnacus suis finibus expulsus, errans, latitansque, solus extremas Galliæ regiones petere coactus est. At Drapes vnaque Lucterius cùm legiones Caniniumque adesse cognoscerent, nec se sine certa pernicie,
B persequente exercitu, putarent prouinciæ fines intrare posse, nec iam liberam vagandi latrocinandi que facultatem haberent, in finibus consistunt Cadurcorum. Ibi cùm Lucterius apud suos ciues quondam in tegris rebus multum potuisset, semperque author nouorum consiliorum, magnam apud Barbaros authoritatẽ haberet: oppidum Vxellodunum, quod in clientela fuerat eius, egregiè natura loci munitum occupat suis & Drapetis copijs, oppidanosque sibi coniungit. Quò cùm confestim C. Cani-

Carnutum deditio.

Armoricarum ciuitatum deditio.

Vxellodunum opp.

C



D

Scenographia obsidionis Vxellodunii oppidi.
A. Vxellodunum oppidum.

Enius venisset, animaduerteretque omnes oppidi partes præruptissimis saxis esse munitas, quò defendente nullo, tamen armatis ascendere esset difficile, magna autem impedimenta oppidanorum videret, quæ si clandestina fuga subtrahere conarentur, effugere non modò equitatum, sed ne legiones quidem possent: tripartitò cohortibus diuisis, trina excelsissimo loco castra fecit: à quibus paulatim, quantum copiæ patiebantur, vallum in oppidi circuitum ducere instituit. Quod cùm animaduerterent oppidani, miserrimaque Alexiæ memoria soliciti, similem casum obsessionis vererentur, maximeque ex omnibus Lucterius, qui fortunæ illius periculum fecerat, moneret frumenti rationem esse habendam: con-

A uertebat, quò celeriùs ciuitatem metu liberaret, principem sceleris illius & concitatorem belli * Guturnatum ad supplicium deposcit: qui etsi ne ciuibus quidem suis se committebat, tamen celeriter omnium cura quæsitus, in castra perducitur. Cogitur in eius supplicium Cæsar contra naturam suam concursu maximo militum, qui omnia pericula & detrimenta belli Guturnato accepta referebant, adeò vt verberibus exanimatum corpus securi feriretur. Ibi crebris literis Caninij fit certior, quæ de Drapete & Lucterio gesta essent, quoque in consilio permanerent oppidani: quorum etsi paucitatem contemnebat, tamen pertinaciam magna pœna esse afficiendam iudicabat, ne vniuersa Gallia non sibi vires defuisse ad resisten-

Gutruatum. *Guturnatus factionis Carnutum princeps occiditur.* *Cæsaris clementia.*

B dum Romanis, sed constantiam putaret: néue hoc exemplo cæteræ ciuitates locorum opportunitate fretæ, se vindicarent in libertatem: cùm omnibus Gallis notum esse sciret, reliquam esse vnam æstatem suæ prouinciæ, quam si sustinere potuissent, nullum vltrà periculum vererentur. Itaq; C. Calenum legatum cum legionibus relinquit, qui iustis itineribus subsequeretur. ipse cum omni equitatu quàm potest celerrimè ad Caninium contendit. Cùm contra expectationem omnium Cæsar Vxellodunum venisset, oppidumque operibus clausum animaduerteret, neq; ab oppugnatione recedi videret vlla conditione posse, magna autem copia frumenti abundare oppidanos ex perfugis cognosceret, aqua prohi-

C. Calenus legatus. *Cæsar Vxellodunum peruenit.*

C bere hostem tentare cœpit. Flumen infimam vallem diuidebat, * quæ pene totum montem cingebat, in quo positum erat præruptum vndique oppidum Vxellodunum. hoc auertere loci natura prohibebat. In infimis enim sic radicibus montis ferebatur, vt nullam in partem depressis fossis deriuari posset. Erat autem oppidanis difficilis & præruptus eò descensus, vt prohibentibus nostris, sine vulneribus ac periculo vitæ neq; adire flumen, neque arduo se recipere possent ascensu. Qua difficultate eorum cognita, Cæsar sagittarijs funditoribusque dispositis, tormentis etiam quibusdam locis contra facillimos descensus collocatis, aqua fluminis prohibebat oppidanos: quorum omnis posteà multitudo aquatum

quod.

D vnum in locum cõueniebat. sub ipsius enim oppidi murum magnus fons aquæ prorumpebat ab ea parte, quæ ferè pedum CCC. interuallo fluminis circuitu vacabat. Hoc fonte prohiberi oppidanos, cùm optarent reliqui, Cæsar vnus videret non sine magno periculo posse, è regione eius vineas agere aduersus montem, & aggeres instruere cœpit magno cum labore, & continua dimicatione. Oppidani enim loco superiore decurrunt, & eminùs sine periculo præliantur, multosque pertinaciter succedentes vulnerant. Non deterrentur tamen milites nostri vineas proferre, & labore atque operibus locorum vincere difficultates. Eodem tempore cuniculos tectos agunt ad caput fontis: quod genus operis sine vllo periculo &

Cæsarianorum militum tolerantia.

E sine suspicione hostium facere licebat. Extruitur agger in altitudinem pedum * nouem. collocatur in eo turris decem tabulatorum, non quidẽ quæ mœnibus æquaretur (id enim nullis operibus effici poterat) sed quæ superare fontis fastigium posset. Ex ea cùm tela tormentis iacerentur ad fontis aditum, nec sine periculo possent aquari oppidani, non tantùm pecora atque iumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti consumebatur. Quo malo perterriti oppidani, cupas seuo pice scandulisque complent. eas ardẽtes in opera prouoluunt: eodemque tempore acerrimè præliantur, vt ab incendio restinguendo dimicationis periculo deterreãt Romanos. Magna repentè in ipsis operibus flamma existit. quæcunque enim per locum

sex. *Sitis ingens.*

præcipitem missa erant, ea vineis & aggere suppressa, comprehendebant F
id ipsum quod morabatur. Milites contrà nostri, quanquam periculoso ge
nere prælij, locoque iniquo premebantur, tamen omnia fortissimo sustine
bant animo. Res enim gerebatur & excelso loco, & in conspectu exercitus
nostri: magnusq; vtrinq; clamor oriebatur. ita vt quisq; poterat, maximè
insignis, quò notior testatiorq; virtus eius esset, telis hostium, flammæq; se
offerebat. Cæsar cùm complures suos vulnerari videret, ex omnibus op-
pidi partibus cohortes montem ascendere, & simulatione mœnium occu
pandorum clamorem vndique iubet tollere. Quo facto perterriti oppida-
ni, cùm quid agereur in locis reliquis essent ignari, reuocant ab impu-
gnandis operibus armatos, murisq; disponunt. Ita nostri fine prælij facto, G
celeriter opera flamma comprehensa partim restinguunt, partim interscin
dunt. Cùm pertinaciter resisterent oppidani, magna etiam parte suorum
Fontis auersio. siti amissa, in sententia permanebant: ad postremum cuniculis venæ fon-
tis intercisæ sunt, atque auersæ. quo facto repentè perennis exaruit fons,
tantamque attulit oppidanis salutis desperationem, vt id non hominum
Vxellodunũ deditio. consilio, sed deorum voluntate factum putarent. Itaq; se necessitate coacti
tradiderunt. Cæsar cùm suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque
vereretur, ne quid crudelitate naturæ videretur asperiùs fecisse, neque exi-
tum consiliorum suorum animaduerteret, si tali ratione diuersis in locis
plures rebellare cœpissent, exemplo supplicij deterrẽdos reliquos existima- H
Cæsaris crudelitas. uit. Itaq; omnibus qui arma tulerant, manus præcidit, vitamq; concessit,
5 quò testatior esset pœna improborum. † Drapes, quem captum esse à Ca-
Drapetis mors. ninio docui, siue indignatione & dolore vinculorum, siue timore grauio-
ris supplicij, paucis diebus cibo se abstinuit, atque ita interijt. Eodem tem-
pore Lucterius, quem profugisse ex prælio scripsi, cùm in potestatem venis-
set Epasnacti Aruerni (crebrò enim mutandis locis, multorum fidei se
committebat, quòd nusquam diutiùs sine periculo commoraturus vide-
batur, cùm sibi conscius esset, quàm inimicum deberet Cæsarem habere)
Epasnactus Aruernus Lucterium Cæsari tradit. hunc Epasnactus Aruernus amicissimus populi Rom. sine dubitatione vlla
vinctum ad Cæsarem deduxit. Labienus interim in Treuiris equestre præ- I
lium secundum facit, compluribusque Treuiris interfectis & Germanis,
Germani auxiliares contra Romanos. qui nullis aduersus Romanos auxilia denegabant, principes eorum viuos
Surus Heduus. in suam redegit potestatem, atque in his Surum Heduum: qui & virtutis &
generis summam nobilitatem habebat, solusque ex Heduis ad id tempus
permanserat in armis. Ea re cognita, Cæsar cùm in omnibus partibus
Galliæ benè res gestas videret, iudicaretque superioribus æstiuis Galliam
Cæsar in Aquitaniam proficiscitur. deuictam & subactam esse, Aquitaniamque nunquam ipse adisset, sed per
P. Crassum quadam ex parte deuicisset, cum duabus legionibus in eam
partem Galliæ est profectus, vt ibi extremum tempus consumeret æstiuo-
Cæsaris celeritas & felicitas. rum. Quam rem, sicuti cætera, celeriter feliciterque confecit. namque K
omnes Aquitaniæ ciuitates legatos ad eum miserunt, obsidesque ei dede-
Narbo. runt. Quibus rebus gestis, ipse cum equitum præsidio Narbonem profe-
ctus est: exercitum per legatos in hyberna deduxit: quatuor legiones in
Belgio collocauit cum M. Antonio, & C. Trebonio, & P. Vatinio, & Qu.
Tullio legatis: duas in Heduos misit, quorum in omni Gallia summam es-
se authoritatem sciebat: duas in Turones ad fines Carnutum posuit, quæ
omnem illam regionem coniunctam Oceano contineret: duas reliquas
in Lemouicum fines non longè ab Aruernis, ne qua pars Galliæ vacua ab
exercitu esset. Paucos dies ipse in Prouincia moratus, cùm celeriter omnes
con-

A conuentus percurrisset, publicas controuersias cognouisset, benemeritis præmia tribuisset (cognoscendi enim maximam facultatem habebat, qua- li quisque animo in remp. fuisset totius Galliæ defectione, quam sustinue- rat fidelitate atque auxilijs Prouinciæ illius) his rebus confectis ad legio- nes in Belgium se recipit, hybernatq; Nemetocernæ. ibi cognoscit Co- mium Atrebatem prælio cum equitatu suo contendisse. Nam cùm An- tonius in hyberna venisset, ciuitasq; Atrebarum in officio maneret, Co- mius, qui post illam vulnerationem quam suprà commemoraui, semper ad omnes motus paratus suis ciuibus esse consuésset, ne consilia belli quæ- rentibus author armorum duxq; deesset, parente Romanis ciuitate, cum B suis equitibus se suosq; latrocinijs alebat, infestisq; itineribus commeatus complures qui comportabantur in hyberna Romanorum, intercipiebat. Erat attributus Antonio præfectus equitum C. Volusenus Quadratus, qui cum eo hybernaret. hunc Antonius ad persequendum equitatum hostiũ mittit. Volusenus ad eam virtutem quæ singularis in eo erat, magnum odium Comij adiungebat, quò libentiùs id faceret quod imperabatur. Itaque dispositis insidijs sæpiùs equites eius aggressus, secunda prælia fa- ciebat. Nouissimè cùm vehementiùs contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi Comij cupiditate, pertinaciùs eum cum paucis insecutus esset, ille autem fuga vehementi Volusenum longiùs produxisset: tum re- C pentè omnium suorum Comius inuocat fidem atque auxilium, ne sua vulnera * per fidem interpositam paterentur inulta: conuersoque equo se à cæteris incautiùs permittit in præfectum. Faciunt hoc idem omnes eius equites, paucosque nostros conuertunt, atque insequuntur. Comius incensum calcaribus equum coniungit equo Quadrati, lanceaque infe- sta medium eius femur magnis viribus traijcit. Præfecto vulnerato, non dubitant nostri resistere, & conuersis equis hostem pellere. Quod vbi accidit, complures hostium magno nostrorum impetu perculsi vulne- rantur, & partim in fuga proteruntur, partim intercipiuntur. Quod vbi malum dux equi velocitate euitauit, sic prælio secundo grauiter ab eo D vulneratus præfectus, vt vitæ periculum aditurus videretur, refertur in ca- stra: Comius autem siue expiato suo dolore, siue magna parte amissa suo- rum, legatos ad Antonium mittit, seq; & ibi futurum vbi præscripserit, & ea facturum quæ imperauerit, obsidibus datis firmat. Vnum illud orat, vt timori suo concedatur, ne in conspectum veniat cuiusquam Romani. quam postulationem Antonius cùm iudicaret à iusto nasci timore, ve- niam petenti dedit, obsides accepit.

Cæsaris iudicium. *Nemetocerna.* *C. Volusenus Quadratus.* ** perfidia interposita.* *Volusenus vulneratus à Comio.* *Comij deditio.*

† Scio Cæsarem singulorum annorum singulos commentarios confe- cisse, quod ego non existimaui mihi esse faciendum, propterea quòd inse- E quens annus L. Paulo & C. Marcello consulibus, nullas habet magnoperè Galliæ res gestas: ne quis tamen ignoraret quibus in locis Cæsar exerci- tusque eo tempore fuissent, pauca scribenda, coniungendaq; huic Com- mentario statui. Cæsar cùm in Belgio hyemaret, vnum illud propositum habebat, continere in amicitia ciuitates, nulli spem aut causam dare ar- morum. nihil enim minùs volebat, quàm sub discessu suo necessitatem sibi aliquam imponi belli gerendi, ne cùm exercitum deducturus esset, bellum aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia libenter sine præsen- ti periculo susciperet. Itaque honorificè ciuitates appellando, princi- pes maximis præmijs afficiendo, nulla onera noua imponendo, defes-

ſam tot aduerſis prælijs Galliam, conditione parendi meliore facilè in F pace continuit. Ipſe hybernis peractis contra conſuetudinem in Italiam quàmmaximis itineribus eſt profectus, vt municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonij quæſtoris ſui commendauerat ſacerdotij petitionem. Contendebat enim gratia cum libenter pro homine ſibi coniunctiſſimo, quem paulò antè præmiſerat ad petitionem, tum acriter contra factionem & potentiam paucorum, qui M. Antonij repulſa, Cæſaris decedentis conuellere gratiam cupiebant. Hunc etſi Augurem factum, priùs quàm Italiam attingeret, in itinere audierat: tamen non minùs iuſtam ſibi cauſam municipia & colonias adeundi exiſtimauit, vt ijs gratias ageret, quòd frequentiam atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent: ſimulque ſe, & honorem ſuum ſequentis anni commendaret: propterea quòd inſolenter aduerſarij ſui gloriarentur L. Lentulum & C. Marcellum conſules creatos, qui omnem honorem & dignitatem Cæſaris ſpoliarent: ereptum Sergio Galbæ conſulatum, cùm is multò plus gratia ſuffragijſque valuiſſet, quòd ſibi coniunctus & familiaritate & neceſſitudine legationis eſſet. Exceptus eſt Cæſaris aduentus ab omnibus municipijs & colonijs incredibili amore atque honore. Tum primùm enim veniebat ab illo vniuerſæ Galliæ bello. nihil relinquebatur quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium quà Cæſar iturus erat, excogitari poſſet. Cum liberis omnis multitudo H obuiam procedebat. Hoſtiæ omnibus locis immolabantur. Triclinijs ſtratis fora templaque occupabantur, vt vel expectatiſſimi triumphi lætitia præcipi poſſet. tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores. Cùm omnes regiones Galliæ Togatæ Cæſar percurriſſet, ſumma celeritate ad exercitum Nemetocernam redijt: legionibuſq; ex omnibus hybernis ad fines Treuirorum euocatis, eò profectus eſt, ibiq; exercitum luſtrauit. T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit, quò maiore commendatione conciliaretur ad conſulatus petitionem. Ipſe tantum itinerum faciebat, quantum ſatis eſſe ad mutationem locorum propter ſalubritatem exiſtimabat. Ibi quanquam crebrò audiebat Labienum ab I inimicis ſuis ſolicitari, certiorq; fiebat id agi paucorum conſilijs, vt interpoſita Senatus authoritate, aliqua parte exercitus ſpoliaretur: tamen neque de Labieno credidit quicquam, neque contra Senatus authoritatem vt aliquid faceret, potuit adduci. Iudicabat enim liberis ſententijs Patrum conſcriptorum cauſam ſuam facilè obtineri. Nam C. Curio tribunus plebis cùm Cæſaris cauſam dignitatemq; defendendam ſuſcepiſſet, ſæpe erat Senatui pollicitus, ſi quem timor armorum Cæſaris læderet, & quoniam Pompeij dominatio atque arma non minimum terrorem fore inferrent, diſcederet vterque ab armis, exercituſque dimitteret, fore eo facto liberam & ſui iuris ciuitatem. Neque hoc tantùm pollicitus eſt, ſed etiam K per ſe diſceſſionem facere cœpit. quod ne fieret, Conſules, amiciq; Pompeij * iuſſerunt: atque ita rem moderando, diſceſſerunt. Magnum hoc teſtimoniũ Senatus erat vniuerſi, conuenienſq; ſuperiori facto. Nam Marcellus proximo anno cùm impugnaret Cæſaris dignitatem contra legem Pompeij & Craſſi, retulerat ante tempus ad Senatum de Cæſaris prouincijs: ſententijsq; dictis diſceſſionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris inuidia quærebat: Senatus frequens in alia omnia tranſijt. quibus non frangebantur animi inimicorum Cæſaris, ſed commouebantur quò maiores pararent neceſſitudines quibus cogi poſſet

M. Antonij ſacerdotij petitio.

Cæſaris in Italiã reditus poſt bellũ Gallicum.

Exercitum Cæſar luſtrat.

C. Curio trib. pleb.

* ſuaſerunt.

A fet Senatus id probare quod ipsi constituissent. Fit deinde S. C. vt ad bellum Parthicum legio vna à Cn. Pompeio, altera à C. Cæsare mitterentur. Neque obscuræ hæ duæ legiones vni Cæsari detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem primam quam ad Cæsarem miserat confectam ex delectu prouinciæ, Cæsari tanquam ex suo numero dedit. Cæsar tamen, cùm de voluntate aduersariorum se spoliari nemini dubium esset, Cn. Pompeio legionem remisit *: & suo nomine quintamdecimam quam in Gallia citeriore habuerat, ex S. C. ei iubet tradi. in eius locum tertiamdecimam legionem in Italiam mittit, quæ præsidia tueretur, ex quibus præsidijs quintadecima deducebatur. Ipse exercitum distribuit per hyberna. * ex suo numero.

B C. Trebonium cum legionibus quatuor in Belgio collocat, C. Fabiū cum totidem in Heduos deducit. Sic enim existimabat tutissimam fore Galliam, si Belgæ, quorum maxima virtus, & Hedui, quorum summa esset authoritas, exercitibus continerentur. Ipse in Italiam profectus est. Quò cùm venisset, cognoscit, per C. Marcellum Cos. legiones duas à se remissas, quæ ex S. C. deberent ad bellum Parthicum duci, Cn. Pompeio traditas, atque in Italia retentas esse. Hoc facto, quanquam nulli erat dubium quidnam contra Cæsarem pararetur: tamen Cæsar omnia patienda esse statuit, quoad sibi spes aliqua relinqueretur iure potiùs disceptandi, quàm belli gerendi. Belgæ. Hedui.

C

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBER I.

Capita libri primi de bello Ciuili.

1 *Motus in vrbe ob decretum Senatus, vt ante certam diem Cæsar exercitum dimittat.*

D

2 *Populus per S. C. ad arma vocatur: qua de causa Tribuni pl. ad Cæsarem confugiunt: Cæsar suorum animos confirmat.*

3 *Consulum & Pompeij ad Cæsarem, & vicißim huius ad illos de communi ccīomandata.*

4 *Cæsar compluribus Italiæ vrbibus occupatis terrorem ciuitati affert. Consules & plerique magistratus Capuam profugiunt.*

5 *Cæsar Corfinio potitus, senatores senatorumq́; filios incolumes dimittit: milites sibi adiungit.*

6 *Pompeius Brundusio, Cæsaris oppugnatione territus, in Africam profugit.*

E 7 *Cæsar occupata per suos Sardinia & Sicilia Romæ in Senatu de pace & mittendis ad Pompeium legatis agit.*

8 *Cæsar Maßiliam oppugnare instituit, eique negotio Trebonium legatum præficit.*

9 *Cæsaris in Hispaniam profectio, & anceps prælium legatorum Cæsaris cum Afranio Pompeij legato ad Ilerdam.*

10 *Cæsaris ad idem oppidum varium certamen cum eodem Afranio.*

11 *Gallorum aliquot aduersa ibidem pugna cum Afranianis: & Cæsaris in annona subleuanda industria.*

12 *Nauale prælium ad Maßiliam fœliciter à Cæsarianis administratum.*

13 Afra-

13 *Afranij in Celtiberiam discessus, & Cæsaris in suis trans Sicorim traducendis virtus.* F
14 *Vtriusque exercitus ad Iberum occupandum iter, & Cæsaris in anteuertendo celeritas.*
15 *Cæsar suos à pugnando, Petreius suos à deficiendo comprimit.*
16 *Cæsar spe deditionis prudenter suos à prælio continet.*
17 *Afranius & Petreius venia à Cæsare impetrata, & Hispaniam & suum exercitum dimittunt.*

LITERIS à C. Fabio Cæsaris Consulibus redditis, ægrè ab his impetratum est summa Tribunorum plebis contentione, vt in Senatu recitarentur. Vt verò ex literis ad Senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt Consules de republica in ciuitate. L. Lentulus Consul Senatui reiq; publicæ se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Cæsarem respiciant, atque eius gratiam sequantur, vt superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum, neque Senatus authoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Cæsaris gratiam atque amicitiam receptum. In eandem sententiam loquitur Scipio, Pompeio esse in animo reipublicæ non deesse, si Senatus sequatur: si cunctetur, atque agat leniùs, nequicquam eius auxilium, si posteà velit, Senatum imploraturum. Hæc Scipionis oratio, quòd Senatus in vrbe habebatur, Pompeiusq; aderat, ex ipsius ore Pompeij mitti videbatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam: vt primò M. Marcellus, ingressus in eam orationem, non oportere antè de * ea re ad Senatum referri, quàm delectus tota Italia habiti, & exercitus conscripti essent, quo præsidio tutò & liberè Senatus quæ vellet decernere auderet. vt M. Calidius, qui censebat vt Pompeius in suas prouincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa. timere Cæsarem * abreptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reseruare & retinere eas ad vrbem Pompeius videretur. vt M. Rufus, qui sententiam Calidij paucis ferè mutatis verbis sequebatur. Hi omnes conuitio L. Lentuli Consulis correpti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidij pronunciaturum se omnino negauit. Marcellus perterritus conuitijs à sua sententia discessit. Sic vocibus Consulis, terrore præsentis exercitus, minis amicorum Pompeij plerique compulsi, inuiti & coacti Scipionis sententiam sequuntur, vti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat: si non faciat, eum aduersus rempublicam facturum videri. Intercedunt M. Antonius, Q. Cassius, Tribuni Plebis. Refertur confestim de intercessione Tribunorum, dicuntur sententiæ graues. Vt quisque acerbissimè crudelissimeque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæsaris collaudatur. Misso ad vesperum Senatu, omnes qui sunt eius ordinis, à Pompeio euocantur. Laudat Pompeius, atque in posterum confirmat: segniores castigat, atque incitat. Multi vndique ex veteribus Pompeij exercitibus, spe præmiorum atque ordinum euocantur. Multi ex duabus legionibus quæ sunt traditæ à Cæsare, accersuntur. Completur Vrbs. Ad ius comitiorum Tribunos plebis C. Curio euocat. Omnes amici Consulum, necessarij Pompeij, atque eorum qui veteres inimicitias cum Cæsare gerebant, in Senatum coguntur: quorum vocibus & concursu terrentur infirmiores, dubij confirmantur, plerisque verò liberè decernen-

Margin notes: L. Lentulus Consul. — Scipio. Pompeius. — M. Marcellus. — * de republica. — M. Calidius. — * correptis. — M. Rufus. — M. Antonius. Q. Cassius. — C. Curio.

Margin letters: G (beside "contentione…ex li-"), H (beside "non deesse…nequic-"), I (beside "re & retinere…senten-"), K (beside "acerbissimè…Cæsaris").

A cernendi potestas eripitur. Pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Cæ- *L. Piso.*
sarem, item L. Roscius prætor, qui de his rebus eum doceant. Sex dies *L. Roscius.*
ad eam rem conficiendam spacij postulant. Dicuntur etiam à nonnullis
sententiæ, vt legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem Senatus ei
proponant. Omnibus his resistitur, omnibusque oratio Consulis, Sci-
pionis, Catonis, opponitur. Catonem veteres inimicitiæ Cæsaris inci- *Cato Cæsaris hostis.*
tant, & dolor repulsæ. Lentulus æris alieni magnitudine, & spe exerci-
tus ac prouinciarum, & regum appellandorum largitionibus mouetur,
seque alterum fore Syllam inter suos gloriatur, ad quem summa imperij
redeat. Scipionem eadem spes prouinciæ atque exercituum impellit, *Scipio.*
B quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitratur: simul iu-
diciorum metus, adulatio, atque ostentatio sui, & potentium, qui in Re-
publica iudicijsque tum plurimum pollebant. Ipse Pompeius ab inimi- *Pompeius parem nõ*
cis Cæsaris incitatus, & quòd neminem dignitate secum exæquari vole- *ferens.*
bat, totum se ab eius amicitia auerterat, & cum communibus inimicis in
gratiam redierat, quorum ipse maximam partem illo affinitatis tempore
adiunxerat Cæsari. simul infamia duarum legionum permotus, quas ab
itinere Asiæ Syriæq; ad suam potentiam dominatumq; conuerterat, rem
ad arma deduci studebat. † His de causis aguntur omnia raptim atque 2
turbatè: neq; docendi Cæsaris propinquis eius spacium datur: nec Tribu-
C nis Plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris intercessio- *Intercessio tribuni-*
nem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur: sed de sua sa- *tia.*
lute septimo die cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioris
temporis Tribuni Plebis octauo denique mense suarum actionum respi-
cere ac timere consueuerant. Decurritur ad illud extremum atque vlti-
mum Senatusconsultum, quò nisi penè in ipso vrbis incendio, atque in
desperatione omnium salutis, latorum audacia nunquam ante discess-
sum est: Dent operam Consules, Prætores, Tribuni Plebis, quiq; Consu- *Senatusconsultum*
les sunt ad vrbem, ne quid Respublica detrimenti capiat. Hæc S. C. per- *extremum.*
scribuntur ad VII. Idus Ian. Itaq; quinq; primis diebus quibus haberi Se-
D natus potuit, qua ex die consulatum inijt Lentulus, biduo excepto comi-
tiali, de imperio Cæsaris, & de amplissimis viris Tribunis Plebis grauissimè *Tribuni pl. ad Cæsa-*
acerbissimeq; decernitur. Profugiunt statim ex vrbe Tribuni Plebis, seséque *rem fugiunt.*
que ad Cæsarem conferunt. Is eo tempore erat Rauennæ, expectabatq; *Rauenna.*
suis lenissimis postulatis responsa, si qua hominum æquitate res ad ocium
deduci posset. Proximis diebus habetur extra vrbem Senatus. Pompeius
eadem illa quæ per Scipionem ostenderat, agit. Senatus virtutem constan-
tiamq; collaudat: copias suas exponit, legiones habere sese paratas x. Præ-
tereà cognitum compertumque sibi, alieno esse animo in Cæsarem mi-
lites, neque his posse persuaderi vti eum defendant, aut sequantur saltem.
E De reliquis rebus ad Senatum refertur: tota vt Italia delectus habeatur:
Faustus Sylla properè in Mauritaniā mittatur: pecunia vti ex ærario Pom- *Faustus Sylla.*
peio detur. Refertur etiam de rege Iuba, vt socius sit, atque amicus. Mar-
cellus verò passurum se in præsentia negat: de Faustq impedit Philippus
Tribunus Plebis: de reliquis rebus S. C. perscribuntur: Prouinciæ pri-
uatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obue-
nit Syria, L. Domitio Gallia: Philippus & Marcellus priuato consilio
prætereuntur, neque eorum sortes deijciuntur. In reliquas prouincias
prætores mittuntur, neque expectant (quod superioribus annis accide-
rat) vt de eorum imperio ad populum referatur: paludatique votis
nuncu-

nuncupatis exeunt. Consules (quod ante id tempus acciderat nunquam) F ex vrbe proficiscuntur: lictoresque habent in Vrbe ex Capitolio priuati, conrra omnia vetustatis exempla. Tota Italia delectus habentur, arma imperanrur, pecuniæ à municipijs exiguntur, & è fanis tolluntur: omnia

Cæsaris ad milites concio & querela de iniquitate inimicorum suorum.

diuina humanaq; iura permiscentur. Quibus rebus cognitis, Cæsar apud milites concionatur: Omnium temporum iniurias inimicorũ in se commemorat, à quibus deductum & deprauatum Pompeium queritur inuidia atque obtrectatione laudis suæ, cuius ipse honori & dignitati semper fauerit, adiutorq; fuerit. Nouum in Republica introductum exemplum

Intercessio tribunitia.

queritur, vt Tribunitia intercessio armis notareturatq; opprimeretur, quæ superioribus annis armis esset restituta. Syllam, nudata omnibus rebus G Tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse: Pompeium, qui amissam restituisse videatur, dona etiam quæ antè habuerit, ademisse. Quotiescunque sit decrerum, darent operam magistratus ne quid Respublica detrimenti caperet (qua voce & quo Senatusconsulto populus Romanus ad arma sit vocatus) factum in perniciosis legibus, in vi Tribunitia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis: atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet: quarum rerum illo tempore nihil factum, nec cogitatum quidem. Nulla lex promulgata, non cum populo agi cœptum, nulla secessio facta. Hortatur cuius imperatoris ductu nouem annis rempublicam felicissimè gesserint; plurimaq; prælia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacauerint, vt eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant. H

Conclamant legionis tertiædecimæ, quæ aderat, milites (hanc enim initio tumultus euocauerat, reliquæ nondum conuenerant) sese paratos

Ariminum.

3 esse imperatoris sui Tribunorumque plebis iniurias defendere. † Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur, ibiq; Tribunos plebis qui ad eum confugerant, conuenit: reliquas legiones ex hybernis euocat, & subsequi iubet. Eò L. Cæsar adolescens venit, cuius pa-

L. Cæsar.

ter Cæsaris erat legatus. Is reliquo sermone confecto cuius rei causa ve- I nerat, habere se à Pompeio ad eum priuati officij mandata demonstrat: velle Pompeium se Cæsari purgatum, ne ea quæ Reipublicæ causa egerit, in suam contumeliam vertat. Semper se Reipublicæ commoda priuatis necessitudinibus habuisse potiora: Cæsarem quoque pro sua dignitate debere & studium & iracundiam suam Reipublicæ dimittere: neq; adeò grauiter irasci inimicis: ne cùm illis nocere se speret, Reipublicæ noceat. Pauca eiusdem generis addit cum excusatione Pompeij coniuncta. Eadem ferè, atque eisdem de rebus prætor Roscius agit cum Cæsare, sibiq; Pompeium commemorâsse demonstrat. Quæ res etsi nihil ad leuandas iniurias pertinere videbantur: tamen idoneos nactus homines, per quos ea K quæ vellet, ad eum perferrentur, petit ab vtroq;, quoniam Pompeij man-

Cæsaris postulata.

data ad se detulerint, ne grauentur sua quoq; ad eum postulata deferre, si paruo labore magnas controuersias tollere; atque omnem Italiam metu liberare possint. Sibi semper Reipublicæ primam fuisse dignitatem, vitaq;

** aliàs, doluisse se, quòd pro beneficio sibi contumelia ab inimicis extorqueretur.*

potiorem. * doluisse se, quòd populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur: ereptoque semestri imperio, in vrbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis Comitijs populus iussisset. Tamen hanc iacturam honoris sui Reipublicæ causa æquo animo tulisse. Cùm literas ad Senatum miserit, vt omnes ab exercitibus disce-

A discederent, ne id quidem impetrauisse. Tota Italia delectus haberi: retineri legiones duas, quæ ab se simulatione Parthici belli sint abductæ. Ciuitatem esse in armis. Quónam hæc omnia tandem nisi ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum; atque omnia pati Reip. causa. Proficiscatur Pompeius in suas prouincias, ipsi exercitus dimittantur, discedant in Italia omnes ab armis, metus è ciuitate tollatur, libera comitia, atq; omnis Resp. senatui populoq; Romano permittatur. Hæc quò faciliùs, certisq; conditionibus fiant, & iureiurando sanciantur, aut ipse propius accedat, aut se patiatur accedere. fore, vti per colloquia omnes controuersiæ componantur. Acceptis mandatis Rosciuscum L. Cæsare

B Capuam peruenit, ibiq; Consules Pompeiumq; inuenit: postulata Cæsaris renunciat. Illi deliberata respondent, scriptaq; ad eum mandata per eos remittunt: quorum hæc erat summa. Cæsar in Galliam reuerteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret. quæ si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Intereà quoad fides esset data Cæsarem facturum quæ polliceretur, non intermissuros Consules Pompeiumq; delectus. Erat iniqua conditio, postulare vt Cæsar Arimino excederet, atq; in prouinciam reuerteretur. Ipsum & prouincias & legiones alienas tenere, exercitum Cæsaris velle dimitti, delectus habere: polliceri se in prouinciam iturum, neque ante quem diem iturus sit, definire: vt si peracto Cæsaris consulatu

C Pompeius profectus non esset, nulla tamen mendacij religione obstrictus videretur. Tempus verò colloquio non dare, neq; accessurum polliceri, magnam pacis desperationem afferebat. † Itaq; ab Arimino M. Antoniū 4 cum cohortibus quinq; Aretium mittit: ipse Arimini cum duabus legionibus subsistit, ibiq; delectum habere instituit. Pisaurum, Fanum, Anconam, singulis cohortibus occupat. Intereà certior factus * Tignium Thermum prætorem cohortibus quinq; tenere, oppidum munire, omniumq; esse Tigniorum optimam erga se voluntatem, Curionē cum tribus cohortibus quas Pisauri & Arimini habebat, mittit. cuius aduentu cognito, diffisus municipij voluntati Thermus cohortes ex vrbe educit, & profugit: mi-

D lites in itinere ab eo discedunt, ac domum reuertuntur. Curio summa omnium voluntate * Tignium recipit. Quibus rebus cognitis, confisus municipiorum voluntatibus Cæsar cohortes legionis XIII. ex præsidijs deducit, Auximumq; proficiscitur, quod oppidum Actius cohortibus introductis tenebat, delectumq; toto Piceno circummissis senatoribus habebat. Aduentu Cæsaris cognito, Decuriones Auximi ad Actium Varū frequentes conueniunt. docent sui iudicij rem non esse, neq; se neq; reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem imperatorem bene de Rep. meritum tantis rebus gestis, oppido mœnibusq; prohiberi: proinde habeat rationem posteritatis, & periculi sui. Quorum oratione permotus Actius Varus, præ-

E sidium quod introduxerat, ex oppido educit, & profugit. Hunc ex primo ordine pauci Cæsaris consecuti milites, consistere cogunt: commissoque prælio deseritur à suis Varus. nonnulla pars militum domum discedit, reliqui ad Cæsarem perueniunt: atq; vnà cum his deprehensus L. Pupius primipili Centurio adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeij anteà duxerat. At Cæsar milites Actianos collaudat, Pupium dimittit: Auximatibus agit gratias, seq; eorum facti memorem fore pollicetur. Quibus rebus Romam nunciatis, tantus repentè terror inuasit, vt cùm Lentulus consul ad aperiendum ærarium venisset ad pecuniam Pompeio ex Senatusconsulto proferendam, protinùs aperto sanctiore ærario

Capua.
Coss. & Pompej ad Cæsarem mandata.
Aretium.
Pisaurum.
Fanum.
Ancona.
Tignium.
* Firmum.
* Firmium.
Auximum.
Actius Varus.
L. Pupius.

Lentulus & Marcellus consules fugiunt ex vrbe.

ex vrbe profugeret. Cæſar enim aduentare iamiamq́; & adeſſe eius equi- F
tes falsò nunciabantur. Hunc Marcellus collega, & plerique magiſtratus
conſecuti ſunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex vrbe profectus, iter ad le-
giones habebat quas à Cæſare acceptas in Apulia hybernorum cauſa di-

Capua.

ſpoſuerat. Delectus intra vrbem intermittuntur. Nihil citra Capuam tu-
tum eſſe omnibus videtur. Capuæ primùm ſeſe confirmant, & colligunt:

Lex Iulia.
Gladiatores Cæſaris.

delectumq́ue colonorum qui lege Iulia Capuam deducti erant, habere
instituunt: gladiatoresq́; quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum pro-
ductos Lentulus libertati confirmat, atque his equos attribuit, & ſe ſe-
qui iuſſit: quos poſteà monitus à ſuis, quòd ea res omnium iudicio repre-
hendebatur, circum familiares conuentus Campaniæ cuſtodiæ cauſa di- G
ſtribuit. Auximo Cæſar progreſſus, omnem agrum Picenum percurrit.
Cunctæ earum regionum præfecturæ libentiſſimis animis eum recipiunt,

Cingulum opp.

exercitumq́; eius omnibus rebus iuuant. Etiam ex Cingulo, quod oppi-
dum Labienus conſtituerat, ſuaq́; pecunia exædificauerat, ad eum legati
veniunt, quæque imperauerit, ſe cupidiſſimè facturos pollicentur. Milites
imperat: mittunt. Intereà legio duodecima Cæſarē conſequitur. cum his

Aſculum opp.
Lentulus Spinther.

duabus Aſculum Picenum proficiſcitur. Id oppidū Lentulus Spinther de-
cem cohortibus tenebat: qui Cæſaris aduentu cognito, profugit ex oppi-
do: cohorteſq́; ſecum adducere conatus, à magna parte militum deſeri-

Vibullius Rufus.

tur. Relictus in itinere, cum paucis incidit in Vibullium Rufum, miſſum H
à Pompeio in agrum Picenum confirmandorum hominum cauſa: à quo
factus Vibullius certior quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo acci-
pit, ipſum dimittit. Ipſe ex finitimis regionibus quas poteſt contrahit co-
hortes ex delectibus Pompeianis. in his Camerino fugientem Vlcillem

Vlcilles Hirus.

Hirum cum ſex cohortibus, quas ibi in præſidio habuerat, excipit: qui-

Domitius Aenobarbus.

bus coactis, tredecim efficit. cum his ad Domitium Aenobarbum Corfi-
nium magnis itineribus peruenit, Cæſaremque adeſſe cum legionibus
duabus nunciat. Domitius per ſe circiter viginti cohortes ex Alba &

Aſculum.

Marſis & Pelignis & finitimis regionibus coëgerat. Recepto Aſculo, ex-
pulſoque Lentulo, Cæſar conquiri milites qui ab eo diſceſſerant, dele- I
ctumque inſtitui iubet: ipſe vnum diem ibi rei frumentariæ cauſa mo-

Corfinium.

ratus, Corfinium contendit. Eò cùm veniſſet, cohortes quinque præmiſ-
ſæ à Domitio ex oppido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab op-
pido millia paſſuum circiter tria. Ibi cum antecurſoribus Cæſaris prælio
commiſſo, celeriter Domitiani à ponte repulſi, ſe in oppidum receperunt.
Cæſar legionibus traductis ad oppidum conſtitit, iuxtaque murum ca-
5 ſtra poſuit. † Re cognita Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos
regionum magno propoſito præmio cum literis mittit, qui petant atque
orent vt ſibi ſubueniat: Cæſarem duobus exercitibus & locorum angu-
ſtijs facilè intercludi poſſe, frumentoq́; prohiberi. quod niſi fecerit, ſe co- K
horteſq́; ampliùs triginta, magnumq́; numerum ſenatorum atque equi-
tum Romanorum in periculum eſſe venturum. Interim ſuos cohortatus,
tormenta in muris diſponit, certaſque cuiq́; partes ad cuſtodiam vrbis at-

** quaterna.*
Pro rata parte.

tribuit: militibus in concione agros ex ſuis poſſeſſionib. pollicetur * qua-
draginta in ſingulos iugera, & pro rata parte centurionibus, euocatiſque.

Sulmo.

Interim Cæſari nunciatur Sulmonenſes (quod oppidum à Corfinio ſe-
ptem millium interuallo abeſt) cupere ea facere quæ vellet, ſed à Qu. Lu-
cretio ſenatore & Actio Peligno prohiberi, qui id oppidum ſeptem cohor-
tium præſidio tenebant. Mittit eò M. Antonium cum legionis octauæ

 cohor-

A cohortibus quinque. Sulmonenses simul atq; nostra signa viderunt, portas aperuerunt, vniuersiq; & oppidani & milites obuiam gratulantes Antonio exierunt. Lucretius & Actius de muro se deiecerunt. Actius ad Antonium deductus, petit vt ad Cæsarem mitteretur: Antonius cum cohortibus & Actio eodem die quo profectus erat, reuertitur. Cæsar eas cohortes cum exercitu suo coniunxit, Actium incolumem dimisit. Cæsar tribus primis diebus castra magnis operibus munire, & ex finitimis municipijs frumentum comportare, reliquasq; copias expectare instituit. Eo triduo legio octaua ad eum venit, cohortesque ex nouis Galliæ delectibus XXII. equitesq; à rege Norico circiter trecenti: quorum aduentu altera B castra ad alteram oppidi partem ponit. his castris Curionem præfecit: reliquis diebus oppidum vallo castellisque circummunire instituit. cuius operis maxima parte effecta, eodem ferè tempore missi ad Pompeium reuertuntur. Literis perlectis Domitius dissimulans in concilio pronunciat, Pompeium celeriter subsidio venturum: hortaturque eos ne animo deficiant, quæq; vsui ad defendendum oppidum sint, parent. Ipse arcanè cum paucis familiaribus suis colloquitur, consiliumq; fugæ capere constituit. Cùm vultus Domitij cum oratione non consentiret, atque omnia trepidantius timidiusq; ageret, quàm superioribus diebus cōsuesset, multumq; cum suis consultandi causa secretò præter consuetudinē colloque- C retur, concilia conuentusq; hominum fugeret, res diutiùs tegi dissimularīq; non potuit. Pompeius enim rescripserat sese rem in summum periculum deductum non esse, neque suo consilio aut voluntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse. Proinde si qua facultas fuisset, ad se cum omnibus copijs veniret. Id ne fieri posset, obsidione atq; oppidi circummunitione fiebat. Diuulgato Domitij consilio, milites qui erant Corfinij, prima vespera secessionem faciunt, atq; ita inter se per Tribunos militum, centurionesque, atque honestissimos sui generis colloquuntur: obsideri se à Cæsare, opera munitionesq; propè esse perfectas: ducem suū Domitium, cuius spe atque fiducia permanserint, proiectis omnibus fu- D gæ consilium capere: debere se suæ salutis rationem habere. Ab his primò Marsi dissentire incipiunt: eamq; oppidi partem quæ munitissima videretur, occupant: tantaq; inter eos dissensio extitit, vt manum conserere, atque armis dimicare conarentur: pòst paulò tamen internuncijs vltrò citroq; missis, quæ ignorabant de L. Domitij fuga cognoscunt. Itaq; omnes vno consilio Domitium productum in publicum circunsistunt, & custodiunt, legatosq; ex suo numero ad Cæsarem mittunt, sese paratos esse portas aperire, quæq; imperauerit facere, & L. Domitiū viuum in eius potestatem tradere. Quibus rebus cognitis, Cæsar etsi magni interesse arbitrabatur quàmprimum oppido potiri, cohortesque ad se in castra traducere, ne- E qua aut largitionibus, aut animi confirmatione, aut falsis nuncijs commutatio fieret voluntatis, quòd sæpe in bello paruis momentis magni casus intercederent: tamen veritus ne militum introitu, & nocturni temporis licentia, oppidum diriperetur, eos qui venerant, collaudat, atq; in oppidum dimittit: portas murosq; asseruari iubet: ipse his operibus quę facere instituerat, milites disponit, non certis spacijs intermissis, vt erat superiorum dierū consuetudo, sed perpetuis vigilijs stationibusq;, vt contingant inter se, atq; omnem munitionem expleant. Tribunos militū & præfectos circummittit, atq; hortatur, nō solùm ab eruptionibus caueant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus obseruent. neq; eorū tam remisso

Lucretius. Actius.

Noricus rex.

Domitij de fuga consultatio.

Cæsaris prudentia.

ac languido animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conquieuerit. F
nubis. Tanta erat summa rerum expectatio, vt * alius in aliam partem mente atque animo traheretur. quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio, quid Lentulo, quid reliquis accideret, qui quosque euentus exciperet. Quarta vigilia circiter Lentulus Spinther de muro cum vigilijs custodibusque nostris colloquitur, velle, si sibi fiat potestas, Cæsarem conuenire. Facta potestate, ex oppido mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt, quàm in conspectum Cæsaris deducatur. Cum eo de salute sua orat, atque obsecrat sibi vt parcat: veteremq; amicitiam commemorat: Cæsarisq; in
Lentulus Cæsaris beneficiarius. se beneficia exponit, quæ erant maxima, quòd per eum in collegium pontificum venerat: quòd prouinciam Hispaniam ex prætura habuerat: quòd G in petitione consulatus ab eo erat subleuatus. Cuius orationem Cæsar interpellat, se non maleficij causa ex prouincia egressum, sed vti se à contumelijs inimicorum defenderet: vt Tribunos plebis ea re ex ciuitate expulsos, ad suam dignitatem restitueret: vt se & populum Ro. paucorum factione oppressum, in libertatem vindicaret. Cuius oratione confirmatus Lentulus, vt in oppidum reuerti liceat, petit. Quòd de sua salute impetrauerit, fore etiam reliquis ad suam spem solatio. adeò esse perterritos nonnullos, vt suæ vitæ duriùs consulere cogantur. Facta potestate discedit. Cæsar vbi
Senatores Roma. in Cæsaris potestatem redacti. illuxit, omnes Senatores, Senatorumq; liberos, Tribunos militum, equitesque Romanos ad se produci iubet. Erant Senatorij ordinis L. Domitius, H P. Lentulus Spinther, Vibullius Rufus, Sextus Quintilius Varus Quæstor, L. Rubrius. Præterea filius Domitij, alijq; complures adolescentes, & magnus numerus equitum Romanorum & Decurionum, quos ex municipijs Domitius euocauerat. hos omnes productos à contumelijs militum conuitijsque prohibet. pauca apud eos locutus, quòd sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficijs: dimittit omnes incolu-
** HS. LX. quod aurum adduxerat.* mes. * Sestertiûm sexagies quod aduexerat Domitius, atque in publicum deposuerat, allatum ad se ab Duumuiris Corfiniensibus, Domitio reddit: ne continentior in vita hominum, quàm in pecunia fuisse videretur: etsi eam pecuniam publicam esse constabat, datamque à Pompeio I in stipendium. Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet: atque eo die castra mouet, iustumque iter conficit, septem omnino dies ad Corfinium commoratus: & per fines Marrucinorum, Fren-
6 tanorum & Larinatium in Apuliam peruenit. † Pompeius his rebus co-
Cæsar in Apuliam peruenit, Pompeius Brundusium. gnitis quæ erant ad Corfinium gesta Luceria proficiscitur Canusium, atque inde Brundusium: copias vndique omnes ex nouis delectibus ad se cogi iubet: seruos, pastores armat, atque his equos attribuit. ex his circi-
L. Manlius. ter trecentos equites conficit. L. Manlius prætor Albam cum cohortibus
Rutilius Lupus. sex profugit. Rutilius Lupus prætor Tarracinam cum tribus: quæ procul equitatum Cæsaris conspicatæ, cui præerat Biuius Curius, relicto præto- K re signa ad Curium transferunt, atque ad eum transeunt. Item reliquis itineribus nonnullæ cohortes in agmen Cæsaris, aliæ in equites incidunt.
** deprehensus in itinere.* Reducitur ad eum * reprehēsus ex itinere Cn. Magius Cremona præfectus
Cn. Magius. fabrûm Cn. Pompeij: quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis, quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit, atq; ad se Brundusium sit venturus, interesse Reip. & communis salutis, se cum Pompeio colloqui. Neque verò idem perfici longo itineris spacio cùm per alios conditio-
Cæsar ad Brundusium contra Pompeium venit. nes ferantur, ac si coràm de omnibus conditionibus disceptetur. His datis mandatis, Brundusium cum legionibus sex peruenit, veteranis quatuor,

reli-

A reliquis quas ex nouo delectu confecerat, atque in itinere compleuerat. Domitianas enim cohortes protinùs à Corfinio in Siciliam miserat. Reperit Consules Dyrrhachium profectos cum magna parte exercitus: Pompeium remanere Brundusij cum cohortibus viginti: neque certum inueniri poterat, obtinendine Brundusij causa ibi remansisset, quò faciliùs omne Adriaticum mare extremis Italiæ partibus, regionibusque Græciæ, in potestate haberet, atque ex vtraque parte bellum administrare posset: an inopia nauium ibi restitisset: veritusq; ne Italiam ille dimittendam non existimaret, exitus administrationesq; Brundusini portus impedire instituit. Quorum operum hæc erat ratio. Quà fauces erant angustissimæ por- *Cæsaris opera ad Brundusium.*

B

Scenographia oppugnationis Brundusij.

A. Brundusium.
B. B. Portus maior & minor.
C. D. E. Aditus qui extra murum ad portã ferebat.
F. Agger.
G. Rates.
H. Mare.



C

D

tus, molem atq; aggerem ab vtraque parte littoris iaciebat, quòd his locis erat vadosum mare. longiùs progressus, cùm agger altiore aqua contineri non posset, rates duplices quoquouersus pedes triginta è regione molis collocabat. has quaternis anchoris ex quatuor angulis distinebat, ne fluctibus mouerentur. His perfectis, collocatisq;, alias deinceps pari magnitudine rates iungebat. has terra atq; aggere contegebat, ne aditus atq; incursus ad defendendum impediretur. à fronte atq; ab vtroq; latere cratibus ac pluteis protegebat. In quarta quaq; earum turres binorum tabula-
E torum excitabat, quò commodiùs ab impetu nauium incendijsq; defenderet. Contra hęc Pompeius naues magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat. Ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tormentis & omni genere telorum completas ad opera Cæsaris appellebat, vt rates perrumperet, atq; opera disturbaret. sic quotidie vtrinq; eminùs fundis, sagittis, reliquisq; telis pugnabatur. Atq; hæc ita Cæsar administrabat, vt conditiones pacis dimittendas non existimaret. Ac tametsi magnoperè admirabatur, Magiũ, quem ad Pompeiũ cum mandatis miserat, ad se non remitti, atq; ea res sæpe tentata etsi impetus eius consiliaq; tardabat, tamen omnibus rebus in eo perseuerandum putabat.

Caninius Rebilus.

Itaq; Caninium Rebilum legatū familiarem necessariumq́; Scribonij Li- F
bonis mittit ad eum colloquij causa: mandat vt Libonem de concilianda

Scenographia ratis duplicis quatuor anchoris ex quatuor angulis distentę cū turri duorū tabulatorū superædificata.

A. Ratis duplex.
B. Ancora.



G

H

pace hortetur. In primis vt ipse cum Pompeio colloqueretur, postulat. Ma- I
gnoperè sese confidere demōstrat, si eius rei sit potestas facta, fore vt æquis conditionibus ab armis discedatur: cuius rei magnam partem laudis atq; existimationis ad Libonem peruenturam, si illo authore atq; agente ab armis sit discessum. Libo à colloquio Caninij digressus, ad Pompeium proficiscitur. Paulò pòst renunciat, quòd consules absint, nihil sine illis de compositione agi posse. Ita rem sæpiùs frusttà tentatā, Cæsar aliquando dimittendam sibi iudicat, & de bello agendum. Propè dimidia parte operis à Cęsare effecta, diebusq́; in ea re consumptis nouem, naues à Consulibus Dyrrhachio remissæ, quæ priorem partem exercitus eò deportauerant, Brundu
sium reuertuntur. Pompeius siue operibus Cæsaris permotus, siue etiam K
quòd ab initio Italia excedere constituerat, aduentu nauiū profectionem parare incipit. Et quò faciliùs impetum Cæsaris tardaret, ne sub ipsa profectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit, vicos plateasq́; inædificat, fossas transuersas vijs perducit, atque ibi sudes stipitesq́; præacutos defigit. hæc leuibus cratibus terraq́; inęquat. aditus autem atq; itinera duo quæ extra murum ad portum ferebant, maximis defixis trabibus atque eis præacutis præsepit. His paratis rebus milites silentio naues cōscendere iubet. Expeditos autem ex euocatis sagittarijs funditoribusq́; raros in muro turribusq́; disponit. hos certo signo reuocare cōstituit, cùm omnes milites

naues

A naues conſcendiſſent: atque his expedito loco actuaria nauigia relinquit.
Brunduſini Pompeianorum militum iniurijs, atque ipſius Pompeij con-
tumelijs permoti, Cæſaris rebus fauebant. Itaque cognita Pompeij profe- *Brunduſinorum fa-*
ctione, concurſantibus illis, atque in ea re occupatis, vulgò ex tectis ſi- *uor erga Cæſarem.*
gnificabant. Per quos re cognita, Cæſar ſcalas parari, militeſque armari iu-
bet, ne quam rei gerendæ facultatem dimittat. Pompeius ſub noctem na-
ues ſoluit. Qui erant in muro cuſtodiæ cauſa collocati, eo ſigno quo con- *Pompeius Brundu-*
uenerat, reuocantur, notiſq; itineribus ad naues decurrunt. Milites poſitis *ſio aufugit.*
ſcalis muros aſcēdunt: ſed moniti à Brunduſinis, vt vallum cæcum foſſaſq;
caueant, ſubſiſtūt, & longo itinere ab his circūducti, ad portū perueniunt,
B duaſque naues cum militibus, quæ ad moles Cæſaris adhæſerant, ſcaphis
lyntribuſque deprehendunt, deprehenſaſq; excipiunt. † Cæſar etſi ad ſpem 7
conficiendi negocij maximè * pertinebat coactis nauibus mare tranſire, **probabat.*
& Pompeium ſequi, priuſquàm ille ſeſe tranſmarinis auxilijs confirmaret:
tamen rei eius moram, temporiſque longinquitatem timebat, quòd om-
nibus coactis nauibus Pompeius præſentem facultatem inſequendi ſui
ademerat. Relinquebatur, vt ex longinquioribus regionibus Galliæ, Pi-
cenique, & à freto naues eſſent expectandæ: ſed id propter anni tempus,
longum atque impeditum videbatur. Intereà veterem exercitum, duas
Hiſpanias, confirmari, quarum erat altera maximis beneficijs Pompeij de-
C uincta: auxilia, equitatum parari: Galliam Italiamq; tentari ſe abſente no-
lebat. Itaq; in præſentia Pompeij inſequendi rationem omittit, in Hiſpa-
niam proficiſci conſtituit. Duumuiris municipiorum omnium imperat,
vt naues conquirant, Brunduſiumq; deducendas curent. Mittit in Sardi- *Sardinia ac Sicilia*
niam cum legione vna Valerium legatum: in Siciliam Curionem proprę- *recipiuntur.*
torem Rom. cum legionibus tribus. Eundem, cùm Siciliam recepiſſet, pro-
tinus in Africam traducere exercitum iubet. Sardiniam obtinebat M. Cot-
ta, Siciliam M. Cato. Africam ſorte Tubero obtinere debebat. Caralitani ſi- *Caralitani.*
mul ad ſe Valerium mitti audierunt: nondum profecto ex Italia, ſua ſpon-
te Cottam ex oppido eijciunt. Ille perterritus, quòd omnem prouinciam
D conſentire intelligeret, ex Sardinia in Africam profugit. Cato in Sicilia na- *Cato.*
ues longas veteres reficiebat, nouas ciuitatibus imperabat. hęc magno ſtu
dio peragebat. in Lucanis Brutijſque per legatos ſuos ciuium Romanorum
delectus habebat: equitum peditumque certum numerum à ciuitatibus
Siciliæ exigebat. Quibus rebus penè perfectis, aduentu Curionis cognito,
quæritur in concione ſeſe proiectum ac proditum à Cn. Pompeio, qui om- *Pompeius rebus im*
nibus rebus imparatiſſimus non neceſſarium bellum ſuſcepiſſet, & à ſe re- *paratis bellum ſuſ-*
liquiſque in Senatu interrogatus, omnia ſe ad bellum apta ac parata con- *cipiens.*
firmâſſet. Hæc in concione queſtus, ex prouincia fugit. Nacti vacuas ab
imperijs, Sardiniam Valerius, Curio Siciliam, cum exercitibus eò perue-
E nit. Tubero cùm in Africam veniſſet, inuenit in prouincia cum imperio *Tubero.*
Actium Varum, qui ad Auximum, vt ſuprà demonſtrauimus, amiſſis co- *Actius Varus.*
hortibus, protinus ex fuga in Africam peruenerat, atque eam ſua ſpon-
te vacuam occupauerat, delectuque habito duas legiones effecerat, ho-
minum & locorum notitia, & vſu eius prouinciæ, nactus aditus ad ea co-
nanda, quòd paucis antè annis ex prætura eam prouinciam obtinuerat.
Hic venientem Vticam cum nauibus Tuberonem, portu atque oppido *Tubero portu prohi-*
prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram pati- *betur.*
tur, ſed ſublatis anchoris, excedere eo loco cogit. His rebus confectis,
Cæſar, vt reliquum tempus à labore intermitteretur, milites in proxima

 muni-

Cæsar coram Senatu inimicorum iniurias commemorat.

municipia deducit: ipſe ad vrbem proficiſcitur. Coacto Senatu, inimico- F
rum iniurias commemorat: docet ſe nullum extraordinarium honorem
appetiſſe, ſed expectato legitimo tempore conſulatus, eo fuiſſe conten-
tum, quod omnibus ciuibus pateret: latum à decem Tribunis plebis, con-
tradicentibus inimicis, Catone verò acerrimè repugnante, & priſtina con-
ſuetudine dicendi mora dies extrahente, vt ſui ratio abſentis haberetur,
ipſo conſule Pompeio: qui ſi improbaſſet, cur ferri paſſus eſſet? Si probaſ-
ſet, cur ſe vti populi beneficio prohibuiſſet? Patientiam proponit ſuam,
cùm de exercitibus dimittendis vltrò poſtulauiſſet, in quo iacturam digni-
tatis atq; honoris ipſe facturus eſſet. Acerbitatem inimicorum docet, qui
quod ab altero poſtularent, in ſe recuſarent: atque omnia permiſceri mal- G
lent, quàm imperium exercituſque dimittere. Iniuriam in eripiendis le-
gionibus prædicat: crudelitatem & inſolentiam in circunſcribendis Tri-
bunis plebis. Conditiones à ſe latas, expetita colloquia & denegata com-
memorat. Pro quibus rebus orat ac poſtulat, vt Rempublicam ſuſcipiant,
atq; vnà ſecum adminiſtrent. Sin timore defugiant, illi ſe honori non de-
futurum, & per ſe Rempublicam adminiſtraturum. Legatos ad Pompeium
de compoſitione mitti oportere: neque ſe reformidare, quod in Senatu
Pompeius paulò antè dixiſſet, ad quos legati mitterentur, iis authorita-
tem attribui, timoremque eorum qui mitterent, ſignificari. tenuis atq;
infirmi hoc animi videri: ſe verò vt operibus anteire ſtuduerit, ſic iuſtitia H
& æquitate velle ſuperare. Probat rem Senatus de mittendis legatis: ſed
qui mitterentur, non reperiebantur: maximeque timoris cauſa pro ſe
quiſque id munus legationis recuſabat. Pompeius enim diſcedens ab Vr-

Pompeij superbum dictum.

be in Senatu, dixerat, eodem ſe habiturum loco qui Romæ remanſiſſent,
& qui in caſtris Cæſaris fuiſſent. Sic triduum diſputationibus excuſa-
tionibuſque extrahitur. Subijcitur etiam L. Metellus Tribunus plebis ab
inimicis Cæſaris, qui hanc rem diſtrahat, reliquaſque res quaſcunque a-
8 gere inſtituerit, impediat. † Cuius cognito conſilio, Cæſar fruſtrà diebus
aliquot conſumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis iis quæ age-
re deſtinauerat, ab Vrbe proficiſcitur, atque in vlteriorem Galliam per- I
uenit. Quò cùm veniſſet, cognoſcit miſſum in Hiſpaniam à Pompeio

Vibullius Rufus.

Vibullium Rufum, quem paucis antè diebus Corfinio captum ipſe dimi-
ſerat: Profectum item Domitium ad occupandam Maſſiliam nauibus a-
ctuarijs ſeptem, quas Sicilia & Sardinia priuatis coactis ſeruis liberiſque

Massilienses.

colonis ſuis compleuerat. Præmiſſos etiam legatos Maſſilienſes domum
nobiles adoleſcentes, quos ab vrbe diſcedens Pompeius erat adhortatus,
ne noua Cæſaris officia veterum ſuorum beneficiorum in eos memoriam
expellerent. Quibus mandatis acceptis, Maſſilienſes portas Cæſari clauſe-

Albici.

rant: Albicos barbaros homines, qui in eorum fide antiquitùs erant,
monteſque ſupra Maſſiliam incolebant, ad ſe vocauerant: Frumentum K
ex finitimis regionibus atque ex omnibus caſtellis in vrbem conuexe-
rant: Armorum officinas in vrbe inſtituerant: muros, claſſem & portas
refecerant. Euocat ad ſe Cæſar Maſſilienſium x v. primos. cum his agit,
ne initium inferendi belli à Maſſilienſibus oriatur: Debere eos Italiæ to-
tius authoritatem ſequi potiùs, quàm vnius hominis voluntati obtem-
perare. reliqua quæ ad eorum ſanandas mentes pertinere arbitrabatur,
commemorat. Cuius orationem legati domum referunt, atque ex au-
thoritate hæc Cæſari renunciant: Intelligere ſe, diuiſum eſſe populum
Romanum in partes duas: neque ſui iudicij, neque ſuarum eſſe virium
diſcer-

A discernere vtra pars iustiorem habeat causam. Principes verò esse earum
partium Cn. Pompeium, & C. Cæsarem, patronos ciuitatis: quorum al
ter agros Volgarum Arecomicorum & Iluorum publicè his concesserit:
alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit: quare paribus
eorum beneficijs parem se quoque voluntatem tribuere debere, & neu-
trum eorum contra alterum iuuare, aut vrbe ac portibus recipere. Hæc
dum inter eos aguntur, Domitius nauibus Massiliam peruenit, atque ab *Domitius à Massiliensibus receptus, excluso Cæsare.*
his receptus, vrbi præficitur. Summa ei belli administrandi permittitur.
Eius imperio classem quoquouersus dimittunt: onerarias naues, quas v-
bique possunt, deprehendunt, atque in portum deducunt. earum clauis
B aut materia atque armamentis instructis ad reliquas armandas reficien-
dasque vtuntur. frumenti quod inuentum est, in publicum conferunt. re-
liquas merces commeatusque ad obsidionem vrbis, si accidat, reseruant.
Quibus iniurijs permotus Cæsar, legiones tres Massiliam adducit. turres
vineasque ad oppugnationem vrbis agere, naues longas Arelate nume-
ro duodecim facere instituit. Quibus effectis, armatisque diebus trigin-
ta, à qua die materia cæsa est, adductisque Massiliam, his Decium Bru- *D. Brutus.*
tum præficit. C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ relin- *C. Trebonius.*
quit. † Dum hæc parat atque administrat, C. Fabium legatum cum legio- *C. Fabius.*
nibus tribus, quas Narbone, circumque ea loca hyemandi causa dispo- 9
C suerat, in Hispaniam præmittit, celeriterq; Pyrenæos saltus occupari iubet,
qui eo tempore ab L. Afranio legato præsidijs tenebantur. legiones reli- *L. Afranius.*
quas, quæ longiùs hyemabant, subsequi iubet. Fabius, vt erat imperatum,
adhibita celeritate præsidium ex saltu deijcit, magnisque itineribus ad ex-
ercitum Afranij contendit. Aduentu Vibullij Rufi, quem à Pompeio mis-
sum in Hispaniam demonstratum est, Afranius, & Petreius, & Varro le- *Petreius.*
gati Pompeij, quorum vnus tribus legionibus Hispaniam citeriorem, al- *Varro.*
ter à saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Ve-
ctonum agrum Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat, officia
inter se partiuntur, vti Petreius ex Lusitania per Vectones cum omnibus
D copijs ad Afranium proficiscatur: Varro cum his quas habebat legioni-
bus omnem vlteriorem Hispaniam tueatur. His rebus constitutis, equi-
tes auxiliaque toti Lusitaniæ, à Petreio: Celtiberis, Cantabris, barbarisque
omnibus qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur. Quibus co-
actis, celeriter Petreius per Vectones ad Afranium peruenit. Constituunt
communi consilio bellum ad Ilerdam propter ipsius loci opportunitatem *Ilerda oppidum.*
gerere. Erant, vt suprà demonstratum est, legiones Afranij tres, Petreij *Copiarum Afranij numerus.*
duæ: præterea scutatæ citerioris prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hispa- *Scutata & cetrata*
niæ cohortes circiter octoginta, equitum vtriusque prouinciæ circitèr *Prouincia Cæsaris copia.*
quinque millia. Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat, ad sex millia au-
E xilia peditum, equitum tria millia, quæ omnibus superioribus bellis ha-
buerat, & parem ex Gallia numerum, quem ipse * parauerat, nominatim **petinerat.*
ex omnibus ciuitatibus nobilissimo & fortissimo quoque euocato. Hinc
optimi generis * homines ex Aquitanis, montanisque qui Galliam pro- **hominum.*
uinciam attingunt. Audierat Pompeium per Mauritaniam cum legioni-
bus iter in Hispaniam facere, confestimque esse venturum. Simul à tri-
bunis militum centurionibusque mutuas pecunias sumpsit, has exerci-
tui distribuit. Quo facto, duas res consecutus est, quòd pignore animos
centurionum deuinxit, & largitione militum voluntates redemit. Fa-
bius finitimarum ciuitatum animos literis nuncijsque tentabat. In Sicore *Sicoris flu.*
flumi-

flumine pontes effecerat duos, inter se distantes millia passuum quatuor. F
his pontibus pabulatum mittebat, quòd ea quæ citra flumen fuerant, su-

Ex hac Figura in conspectu posita apparet vt L. Plancus instruxerit duas quas habebat legiones, capiendo locum superiorem, & constituendo diuersam aciem in duas partes, quo acie minori numero sustinuit impetus quatuor legionum, & totius Equitatus Afranij, nec circumueniri potuit.



A. Castra Cæsaris.
B. Castra C. Fabij.
C. Castra Afranij.
D. Pons ex lapidibus.
E. Octogesa.
F. Irraco.
G. Legiones Afranij.
H. Equitatus Afranij.
I. Pons alter sublicius.
K. Pons sublicius
L. Ilerda.
M. Sicoris flu.
N. Pôs ex nauib.
O. Celtiberia.
P. Iber fluuius.
Q. Cinga flu.
R. Montes Pyrenæi.

G

H

perioribus diebus consumpserat. Hoc idem ferè, atque eadem de causa Pompeiani exercitus duces faciebant, crebroq; inter se equestribus prælijs contendebant. Huc cùm quotidiana consuetudine congressæ pabulatoribus præsidio proprio legiones Fabianæ duæ flumen transissent, impedimentaque, & omnis equitatus sequeretur, subitò iumentorum & aquæ magnitudine pons est interruptus, & reliqua multitudo equitum interclusa. Quo cognito à Perreio & Afranio ex aggere atque cratibus, quæ flumine fere- I bantur, celeriter suo ponte Afranius (quem oppido castrisq; coniunctum habebat) legiones quatuor, equitatumque omnem traiecit, duabusque Fabianis occurrit legionibus. Cuius aduentu nunciato, L. Plancus, qui legionibus præerat, necessaria re coactus, locum capit superiorem, diuersamque aciem in duas partes constituit, ne ab equitatu circunueniri posset. Ita congressus impari numero, magnos impetus legionum equitatusque sustinet. Commisso ab equitibus prælio, signa duarum legionum procul ab vtrisque conspiciuntur, quas C. Fabius vlteriore ponte subsidio nostris miserat, suspicatus fore id quod accidit, vt duces aduersariorum occasione & beneficio fortunæ ad nostros opprimendos vterentur. qua- K rum aduentu prælium dirimitur, ac suas vterque legiones reducit in castra. Eo biduo Cæsar cum equitibus nongentis, quos sibi præsidio reliquerat, in castra peruenit. Pons qui fuerat tempestate interruptus, penè erat refectus. hunc noctu perfici iussit. Ipse cognita locorum natura, ponti castrisque præsidio sex cohortes relinquit, atque omnia impedimenta: & postero die omnibus copijs triplici instructa acie ad Ilerdam proficiscitur, & sub castris Afranij constitit: & ibi paulisper sub armis moratus, facit æquo loco pugnandi potestatem. Potestate facta, Afranius copias educit, & in medio colle sub castris constituit. Cæsar vbi cognouit per Afranium stare

L. Plancus.

Cæsar ad Ilerdam castrametatur.

A ſtare quo minùs prȩlio dimicaretur, ab infimis radicibus montis intermiſ-
ſis circiter paſſibus quadringentis caſtra facere conſtituit: & ne in opere
faciendo milites repentino hoſtium incurſu exterrerentur, atque opere
prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere, & procul videri neceſſe
erat, ſed à fronte caſtrorum contra hoſtem pedum quindecim foſſam fieri
iuſſit. Prima & ſecunda acies in armis, vt ab initio conſtituta erat, perma-
nebat: poſt hos opus in occulto acies tertia faciebat. Sic omne prius eſt
perfectū, quàm intelligerētur ab Afranio caſtra muniri. Sub veſperū Cæſar
intra hanc foſſam legiones deducit, atque ibi ſub armis proxima nocte
conquieſcit. Poſtero die omnem exercitum intra foſſam continet, & quòd
B longiùs erat agger petendus, in præſentia ſimilem rationem operis inſti-
tuit, ſingulaque latera caſtrorum ſingulis attribuit legionibus munienda,
foſſaſque ad eandem magnitudinem perfici iubet. reliquas legiones in ar-
mis expeditas contra hoſtem conſtituit. Afranius Petreiuſque terrendi
cauſa, atque operis impediendi, copias ſuas ad infimas montis radices pro-
ducunt, & prælio laceſſunt. Neque idcirco Cæſar opus intermittit, con-
fiſus præſidio legionum trium, & munitione foſſæ. Illi non diu commo-
rati, nec longiùs ab infimo colle progreſſi, copias in caſtra reducunt. Ter-
tio die Cæſar vallo caſtra communit: reliquas cohortes, quas in ſuperio-
ribus caſtris reliquerat, impedimentaque ad ſe traduci iubet. † Erat inter 10
C oppidum Ilerdam, & proximum collem, vbi caſtra Petreius atque Afra-
nius habebant, planities circiter paſſuum trecentorum, atque in hoc fe-
rè medio ſpatio tumulus erat paulò editior: quem ſi occupâſſet Cæſar,
& communiſſet, ab oppido, à ponte, & commeatu omni quem in oppi-
dum contulerant, ſe interclуſurum aduerſarios confidebat. Hoc ſperans,
legiones tres ex caſtris educit: acieque in locis idoneis inſtructa, vnius
legionis anteſignanos procurrere, atque eum tumulum occupare iubet.
Qua re cognita, celeriter, quæ in ſtatione pro caſtris erant Afranij co-
hortes, breuiore itinere ad eundem occupandum locum mittuntur.
Contenditur prælio: & quòd prius in tumulum Afraniani venerant, no-
D ſtri repelluntur, atque alijs ſummiſſis præſidijs terga vertere, ſeque ad ſi-
gna legionum recipere coguntur. Genus erat pugnæ militum illorum, vt
magno impetu primo procurrerent, audacter locum caperent, ordines
ſuos non magnoperè ſeruarent, rari diſperſique pugnarent: ſi premeren-
tur, pedem referre, & loco excedere non turpe exiſtimarent: cum Luſita- ,,
nis reliquiſque barbaris genere quodam pugnæ aſſuefacti: quòd ferè fit, ,,
quibus quiſque in locis miles inueterauit, vt multum earum regionum ,,
conſuetudine moueatur. Hæc tum ratio noſtros perturbauit, inſuetos
huius generis pugnæ. circumiri enim ſeſe ab aperto latere procurrenti-
bus ſingulis arbitrabantur, ipſi autem ſuos ordines ſeruare, neq; à ſignis
E diſcedere, neque ſine graui cauſa eum locum quem ceperant, dimitti
cenſuerant oportere. Itaque perturbatis anteſignanis, legio quæ in eo
cornu conſtiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem ſeſe
recepit. Cæſar penè omni acie perterrita, quòd præter opinionem con-
ſuetudinemque acciderat, cohortatus ſuos legionem nonam ſubſidio
ducit. hoſtem inſolenter atque acriter noſtros inſequentem ſupprimit,
ruſuſque terga vertere, ſeque ad oppidum Ilerdam recipere, & ſub mu-
ro conſiſtere cogit. Sed nonæ legionis milites elati ſtudio, dùm farci-
re acceptum detrimentum volunt, temerè inſecuti longiùs fugientes, in
locum iniquum progrediuntur, & ſub montem in quo erat oppidum
poſi-

positum Ilerda, succedunt. hinc se recipere cùm vellent, rursus illi ex lo- F
co superiore nostros premebant. Præruptus locus erat vtraque ex parte di-
rectus, ac tantùm in latitudinem patebat, vt tres instructæ cohortes eum
locum explerent, & neque subsidia à lateribus summitti, neque equites
laborantibus vsui esse possent. ab oppido autem decliui fastigio verge-
bat in longitudinem passuum circiter quadringentorum. hac nostris e-
rat receptus, quòd eo incitati studio incõsultiùs processerant. Hoc pugna-
batur loco & propter angustias iniquo, & quòd sub ipsis radicibus mon-
tis constiterant, vt nullum frustrà telum in eos mitteretur: tamen virtu-
te & patientia nitebantur, atque omnia vulnera sustinebant. Augeban-
tur illis copiæ, atque ex castris cohortes per oppidum crebrò summitte- G
bantur, vt integri defessis succederent. Hoc idem Cæsar facere cogeba-
tur, vt summissis in eundem locũ suis cohortibus, defessos reciperet. Hoc
cùm esset modo pugnatum continenter horis quinque, nostrique grauiùs
à multitudine premerentur, consumptis omnibus telis, gladijs districtis
impetum aduersus montem in cohortes faciunt, paucisque deiectis, re-
liquos sese conuertere cogunt. Summotis sub murum cohortibus, ac
nonnulla parte propter terrorem in oppidum compulsis, facilis est nostris
receptus datus. Equitatus autem noster ab vtroque latere, etsi deiectis
atque inferioribus locis constiterat, tamen in summum iugum virtute
connititur, atque inter duas acies perequitans, commodiorem ac tutio- H
rem nostris receptum dat. ita vario certamine pugnatum est. Nostri in
Q. Fulginius. primo congressu circitèr septuaginta ceciderunt, in his Q. Fulginius pri-
mus hastatus legionis quartædecimæ, qui propter eximiam virtutem ex
inferioribus ordinibus in eum locum peruenerat. vulnerantur ampliùs
T. Cecilius. sexcenti. Ex Afranianis interficiuntur T. Cecilius primipili Centurio, &
præter eum centuriones quatuor, milites ampliùs ducenti. Sed hæc eius
diei præfertur opinio, vt se vtrique superiores discessisse existimarent. A-
franiani, quòd cum esse omnium iudicio inferiores viderentur, commi-
nùs tamẽ diu stetissent, & nostrorũ impetum sustinuissent, & initio locum
tumulumq; tenuissent, quæ causa pugnandi fuerat, & nostros primo con- I
gressu terga vertere coëgissent. Nostri autem, quòd iniquo loco, atq; im-
pari congressi numero essent, quòd quinque horis prælium sustinuissent,
quòd montem gladijs districtis ascendissent, quòd ex loco superiore ho-
stes terga vertere coëgissent, atque in oppidum compulissent. Illi eum tu-
mulum, pro quo pugnatum est, magnis operibus munierunt, præsidium-
que ibi posuerunt. Accidit etiam repentinum incommodum biduo quo
Tempestas valida. hæc gesta sunt. tanta enim tempestas cooritur, vt nunquam illis locis ma-
iores aquas fuisse constaret. tum autem ex omnibus montibus nix pro-
luit, ac summas ripas fluminis superauit, pontesque ambos quos C. Fabi-
us fecerat, vno die interrupit. quæ res magnas difficultates exercitui Cæsa- K
ris attulit. Castra enim, vt suprà demonstratum est, cùm essent inter flu-
Sicoris & Cinga flumina. mina duo Sicorim & Cingam spatio millium triginta, neutrum horum
transiri poterat, necessarioq; omnes his angustijs continebantur: neq; ciui
tates quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum supportare: neq;
ij qui pabulatum longiùs progressi erãt, interclusi fluminibus reuerti: neq;
**commeatus.* maximi *comitatus, qui ex Italia Galliaq; veniebant, in castra peruenire po
terant. Tempus erat autem difficilimum, quo neq; frumenta in hybernis
erant. neq; multùm à maturitate aberant: ac ciuitates exinanitæ, quòd A-
franius penè omne frumentum ante Cæsaris aduentum Ilerdam conuexe-

rat:

A rat: reliqui si quid fuerat, Cæsar superioribus diebus consumpserat: peco-
ra, quod secundum poterat esse inopiæ subsidium, propter bellum finiti-
mæ ciuitates longiùs remouerant. Qui erant pabulandi aut frumentan-
di causa progressi, hos leuis armaturæ Lusitani, peritique earum regionum *Lusitani.*
cetrati citerioris Hispaniæ consectabantur, quibus erat procliue tranare
flumen, quòd consuetudo eorum omnium est, vt sine vtribus ad exerci- *Vtrium vsus.*
tum non eant. At exercitus Afranij omnium rerum abundabat copia, mul-
tum erat frumentum prouisum & conuectum superioribus temporibus,
multum ex omni prouincia comportabatur. magna copia pabuli suppe-
tebat. harum omnium rerum facultates sine vllo periculo pons Ilerdę prę-
B bebat, & loca trans flumen integra, quò omninò Cæsar adire non pote-
rat. Hæ permanserunt aquæ dies complures: conatusque est Cæsar reficere
pontes: sed nec magnitudo fluminis permittebat, neque ad ripam dispo-
sitæ cohortes aduersariorum perfici patiebantur; quod illis prohibere erat
facile cum ipsius fluminis natura, atque aquæ magnitudine, tum quòd ex
totis ripis in vnum atque angustum locum tela iaciebantur: atque erat dif-
ficile eodem tempore rapidissimo flumine opera perficere, & tela vitare.
¶ Nunciatur Afranio magnos comitatus, qui ad Cæsarem iter habebant, 11
ad flumen constitisse. Venerant eò sagittarij ex Ruthenis, equites ex Gallia
cum multis carris, magnisque impedimentis, vt fert Galliæ consuetudo.
C Erant præterea cuiusque generis hominum millia circiter sex cum seruis,
liberisque: sed nullus ordo, nullum imperium certum, cùm suo quisq; con
silio vteretur, atque omnes sine timore iter facerent, vsi superiorum tem-
porum atque itinerum licentia. Erant complures honesti adolescentes Se-
natorum filij, & equestris ordinis. Erant legationes ciuitatum, erant legati
Cæsaris. Hos omnes flumina continebant. Ad hos opprimendos, cum o-
mni equitatu tribusque legionibus Afranius de nocte proficiscitur, impru-
dentesque ante missis equitibus aggreditur. celeriter tamen sese Galli equi-
tes expediunt, præliumque committunt. Hi, dum pari certamine res geri
potuit, magnum hostiũ numerũ pauci sustinuêre: sed vbi signa legionũ ap-
D propinquare cœperũt, paucis amissis, sese in proximos montes conferunt.
Hoc pugnæ tempus magnũ attulit nostris ad salutem momentũ. nacti e-
nim spatium, se in loca superiora receperunt. Desiderati sunt eo die sagitta-
rij circiter ducenti, equites pauci, calonum atque impedimentorum non
magnus numerus. his tamen omnibus incommodis annona creuit: quæ *Annonæ difficultas.*
ferè res non solùm inopia præsentis, sed etiam futuri temporis timore in-
grauescere consueuit: iamque ad * denarios quadraginta in singulos mo- ** vox denarios non est in vetustis codicibus.*
dios annona peruenerat, & militum vires inopia frumenti diminuerat, at-
que incommoda in dies augebantur, & tam paucis diebus magna erat re-
rum facta commutatio, ac se fortuna inclinauerat, vt nostri magna inopia *Cæsarianorum discrimen & angustia.*
E necessariarum rerũ conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus, supe-
rioresq; haberentur. Cæsar ijs ciuitatibus, quæ ad eius amicitiã accesserant,
quòd minor erat frumenti copia, pecus imperabat: calones ad longinquio
res ciuitates dimittebat: ipse pręsentem inopiam, quibus poterat subsidijs,
tutabatur. Hæc Afranius Petreiusque, & eorum amici pleniora etiam at-
que vberiora Romam ad suos perscribebant: multa rumor fingebat: vt pe-
nè bellum confectum videretur. Quibus literis nuncijsq; Romam perlatis,
magni domum concursus ad Afranium, magnæq; gratulationes fiebant.
Multi ex Italia ad Cn. Pompeium proficiscebantur: alij vt principes talem
nuncium attulisse, alij ne euentum belli expectâsse, aut ex omnibus nouis-

ſimi veniſſe viderentur. Cùm in his anguſtijs res eſſet, atque omnes viæ ab F Afranianis militibus equitibuſque obſidetentur, nec pontes perfici poſſent, imperat militibus Cæſar, vt naues faciant, cuius generis eum ſuperioribus annis vſus Britanniæ docuerat. Carinæ primum * ac ſtatumina ex leui materia fiebant, reliquum corpus nauium viminibus contextum, corijs integebatur. Has perfectas carris iunctis deuehit noctu millia paſſuum à caſtris XXII. mileteſque his nauibus flumen tranſportat, continentemque ripæ collem improuiſo occupat. Hunc celeriter, priùs quàm ab aduerſarijs ſentiatur, communit. huc legionem poſteà traijcit, atq; ex vtraque parte pontem inſtitutum biduo perficit. Ita commeatus, & eos qui frumenti cauſa proceſſerant, tutò ad ſe recipit, & rem frumentariam G expedire incipit. Eodem die equitum magnam partem flumen traijcit: qui inopinantes pabulatores & ſine vllo diſſipatos timore aggreſſi, quàm magnum numerum iumentorum atq; hominum intercipiunt: cohortibuſque centuriatis ſubſidio miſſis, ſcienter in duas partes ſeſe diſtribuunt, alij vt prædæ præſidio ſint, alij vt venientibus reſiſtant, atque eos appellant: vnamque cohortem, quæ temerè antè cęteras extra aciem procurrerat, ſeclusam à reliquis circumueniunt, atque interficiunt, incolumeſque cum

11

12 magna præda eodem ponte in caſtra reuertuntur. † Dum hæc ad Ilerdam geruntur, Maſſilienſes vſi L. Domitij conſilio, naues longas expediunt numero XVII. quarum erant vndecim tectæ. multa his minora nauigia addunt, vt ipſa multitudine noſtra claſſis terreatur. magnum numerum ſagittariorum, magnum Albicorum, de quibus ſuprà demonſtratum eſt, imponunt, atque hos præmijs pollicitationibuſque incitant. Certas ſibi depoſcit naues Domitius, atque has colonis paſtoribuſq; quos ſecum adduxerat, complet. Sic omnibus rebus inſtructa claſſe, magna fiducia ad noſtras naues procedunt, quibus præerat D. Brutus. Hic ad Inſulam, quæ eſt contra Maſſiliam, ſtationes obtinebat. Erat multò inferior numero nauium Brutus, ſed electos ex omnibus legionibus fortiſſimos viros, Anteſignanos, Centuriones Cæſar ei Claſſi attribuerat, qui ſibi id muneris depopoſcerant. hi manus ferreas atque harpagones parauerant, I magnoque numero pilorum, tragularum, reliquorumque telorum ſe inſtruxerant. Ita cognito hoſtium aduentu, ſuas naues ex portu educunt, cum Maſſilienſibus confligunt. Pugnatum eſt vtrinque fortiſſimè, atq; acerrimè: neque multum Albici noſtris virtute cedebant, homines aſperi, & montani, exercitati in armis: atque hi modò digreſſi à Maſſilienſibus, recentem eorundem pollicitationem animis continebant: paſtoreſque indomiti, ſpe libertatis incitati, ſub oculis Domitij ſuam probare operam ſtudebant. Ipſi Maſſilienſes & celeritate nauium, & ſcientia gubernatorum confiſi, noſtros eludebant, impetuſque eorum excipiebant, & (quod licebat latiore ſpatio) producta longiùs acie circumuenire noſtros; K aut pluribus nauibus adoriri ſingulas, aut remos tranſcurrentes detergere, ſi poſſent, contendebant. Cùm propiùs erat neceſſariò ventum, ab ſcientia gubernatorum atque artificij ad virtutem montanorum confugiebāt. Noſtri, qui minùs exercitatis remigibus, minuſque peritis gubernatoribus vtebantur, quiq; repentè ex onerarijs nauibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis: tum etiam grauitate & tarditate nauium impediebantur. factæ enim ſubitò ex humida materia, non eundem vſum celeritatis habebant. Itaque dùm locus comminùs pugnandi daretur, æquo animo ſingulas binis nauibus obijciebant, atq; iniecta ma-

ſtramine ac leui mat.

Ad Maſſiliam geſta.

Manus ferrea.

Nauale prælium.

Albici.

Maſſilienſes naues.

Romanæ naues.

A Acta manu ferrea, & retenta vtraque naue, diuersi pugnabant, atque in ho-
stium naues transcendebant, & magno numero Albicorum & pastorum
interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus ca-
piunt, reliquas in portum compellunt. Eo die naues Massiliensium, cum
ijs quæ sunt captæ, intereunt IX. Hoc primùm Cæsari ad Ilerdam nuncia-
tur. † Simul perfecto ponte celeriter fortuna mutatur. Illi perterriti virtu- 13
te equitum, minùs liberè, minùs audacter vagabantur. aliàs non longo *Redit ad Ilerdam.*
à castris progressi spatio, vt celerem receptum haberent, angustiùs pabu-
labantur. aliàs longiore circuitu custodias stationesque equitum vita-
bant, aut aliquo accepto detrimento, aut procul equitatu viso, ex medio
B itinere proiectis sarcinis, fugiebant. Postremò etiam plures intermittere
dies, & præter consuetudinem omnium noctu constituerant pabulari. In-
terim Oscenses, & Calaguritani, qui erant cum Oscensibus contributi, *Oscenses.*
mittunt ad eum legatos, sesèque imperata facturos pollicentur. Hos *Calaguritani.*
Tarraconenses, & Lacetani, & Ausetani, & paucis pòst diebus Illurgauo- *Tarraconenses.*
nenses, qui flumen Iberum attingunt, insequuntur. Petit ab his omni- *Lacetani.*
bus, vt se frumento iuuent: pollicentur, atque omnibus vndique con- *Ausetani.* *Illurgauonenses.*
quisitis iumentis in castra deportant. Transit etiam cohors Illurgauo-
nensis ad eum, cognito ciuitatis consilio, & signa ex statione transfert.
Magna celeriter fit commutatio rerum perfecto ponte, magnis quin-
C que ciuitatibus ad amicitiam adiunctis, expedita re frumentaria, extin-
ctis rumoribus de auxilijs legionum, quæ cum Pompeio per Maurita-
niam venire dicebantur. multæ longinquiores ciuitates ab Afranio de-
sciscunt, & Cæsaris amicitiam sequuntur. Quibus rebus perterritis ani-
mis aduersariorum, Cæsar ne semper magno circuitu per pontem equi-
tatus esset mittendus, nactus idoneum locum fossas pedum triginta in
latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris *Sicoris vadabilis ef-*
auerteret, vadumque in eo flumine efficeret. His penè effectis, magnum *ficitur.*
in timorem Afranius Petreiusque perueniunt, ne omninò frumento pa-
buloque intercluderentur, quòd multum Cæsar equitatu valebat. Itaq;
D constituunt ipsi locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Huic
consilio suffragabatur etiam illa res, quòd ex duobus contrarijs gene-
ribus, quæ superiore bello cum L. Sertorio steterant ciuitates, victæ, *L. Sertorius.*
nomen atque imperium absentis timebant: quæ in amicitia manserant
Pompeij, magnis affectæ beneficijs eum diligebant: Cæsaris autem e-
rat in Barbaris nomen obscurius. Hinc magnos equitatus, magnaq; au-
xilia expectabant, & suis locis bellum in hyemem ducere cogitabant. Hoc
inito consilio, toto flumine Ibero naues conquiri, & Octogesam addu- *Iberus flu.*
ci iubent. Id erat oppidum positum ad Iberum, milliaque passuum à ca- *Octogesa opp.*
stris aberat XX. Ad eum locum fluminis nauibus iunctis pontem impe-
E rant fieri, legionesque duas flumen Sicorim traducunt, castraq; muniunt
vallo pedum duodecim. Qua re per exploratores cognita, summo labo-
re militum Cæsar continuato diem noctemque opere in flumine auerten- *Flumen Cæsar auer-*
do, huc iam reduxerat rem, vt equites, etsi difficulter atque ægrè fiebat, *tit.*
possent tamen atque auderent flumen transire: pedites verò tantummo-
dò humeris ac summo pectore extarent, vt tum altitudine aquæ, tum et-
iam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur. Sed tamen eodem
ferè tempore pons in Ibero propè effectus nunciabatur, & in Sicori vadum
reperiebatur. Iam verò eò magis illi maturandum iter existimabant. Itaq; *Afranius et Petreius*
duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdæ præsidio relictis, omnibus copijs *relinquunt Ilerdã,* *in Celtiberiã transe-*

Sicorim transeunt, & cum duabus legionibus, quas superioribus diebus F
traduxerant, castra coniungunt. Relinquebatur Cæsari nihil, nisi vt equi-
tatu agmen aduersariorum malè haberet, & caperet. Pons enim ipsius
magnum circuitum habebat, vt multò breuiore itinere illi ad Iberum per-
uenire possent. Equites ab eo missi, flumen transeunt: & cùm de tertia
vigilia Petreius atque Afranius castra mouissent, repentè sese ad nouissi-
mum agmen ostendunt, & magna multitudine circunfusa morari, atque
iter impedire incipiunt. Prima luce ex superioribus locis, quæ Cæsaris ca-
stris erant coniuncta, cernebatur equitatus nostri prælio nouissimos il-
*sustinere. lorum premi vehementer, ac nonnunquam * subsistere extremum ag-
men, atque interrumpi: aliàs inferri signa, & vniuersarum cohortium G
impetu nostros propelli, deinde rursus conuersos insequi. Totis ve-
rò castris milites conturbari, & dolere hostem ex manibus dimitti, bel-
lumque non necessariò longiùs duci: Centuriones, Tribunosque mili-
tum adire, atque obsecrare, vt per eos Cæsar certior fieret, ne labori suo
neu periculo parceret: paratos esse sese: posse & audere eà transire flumen,
quà traductus esset equitatus. Quorum studio & vocibus excitatus Cæ-
sar, etsi timebat, tantæ magnitudinis flumini exercitum obijcere, conan-
dum tamen, atque experiendum iudicat. Itaque infirmiores milites ex
omnibus centurijs deligi iubet, quorum aut animus, aut vires videban-
tur sustinere non posse. hos cum legione vna præsidio castris relinquit: H
reliquas legiones expeditas educit, magnoque numero iumentorum in
Cæsar exercitum Sicorim traducit. flumine suprà atque infrà constituto, traducit exercitum. pauci ex his mi-
litibus vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur, ac subleuantur: in-
terijt tamen nemo. Traducto incolumi exercitu, copias instruit, tripli-
cemque aciem ducere incipit. Ac tantum fuit in militibus studij, vt mil-
lium sex ad iter addito ad vadum circuitu, magnaque fluminis mora in-
terposita, eos qui de tertia vigilia exissent, ante horam diei nonam con-
14 sequerentur. † Quos vbi Afranius procul visos cum Petreio conspexit, no-
ua re perterritus, locis superioribus constitit, aciemque instruxit. Cæsar
in campis exercitum reficit, ne defessum prælio objciat. Rursus conan- I
tes progredi insequitur, & moratur. Illi necessariò maturiùs quàm con-
stituerant, castra ponunt (Suberant enim montes, atque à millibus pas-
suum quinque itinera difficilia atque angusta excipiebant. hos intra mon-
tes se recipiebant, vt equitatum Cæsaris effugerent, præsidijsque in an-
gustijs collocatis exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo ac ti-
more Iberum copias traducerent, quod fuit illis conandum atque omni
ratione efficiendum) & totius diei pugna, atque itineris labore defessi,
rem in posterum diem distulerunt. Cæsar quoque in proximo colle ca-
stra ponit. Media circitèr nocte ijs qui adaquandi causa longiùs à ca-
stris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces K
aduersariorum silentio copias castris educere. Quo cognito, signum
Conclamare vasa. dari iubet, & vasa militari more conclamari. Illi exaudito clamore, ve-
riti ne noctu impediti sub onere confligere cogerentur, aut ab equita-
tu Cæsaris in angustijs tenerentur, iter supprimunt, copiasque in castris
continent. Postero die Petreius cum paucis equitibus occultè ad explo-
randa loca proficiscitur. hoc idem fit ex castris Cæsaris. Mittitur L. De-
L. Decidius Saxo. cidius Saxo cum paucis, qui loci naturam perspiciat. Vterque idem suis
renunciat, quinque millia passuum proxima intercedere itineris campe-
stris, inde excipere loca aspera, & montosa. qui prior has angustias occu-
pauerit,

A pauerit, ab hoc hostem prohiberi nihil esse negocij. Disputatur in concilio à Petreio atque Afranio, & tempus profectionis quæritur. Pleriq; censebant, vt noctu iter facerent. posse priùs ad angustias perueniri, quàm sentiretur. Alij, quòd pridie noctu conclamatum esset in castris Cæsaris, argumenti sumebant loco non posse clàm exiri. Circunfundi noctu equitatum Cæsaris, atque omnia loca & itinera obsideri, nocturnaque prælia esse vitanda, quòd perterritus miles in ciuili dissensione timori magis quàm religioni consulere consueuerit. At lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam Tribunorum militum & Centurionum præsentiam afferre, quibus rebus coërceri milites, & in officio contineri B soleant. Quare omni ratione esse interdiu perrumpendum: & si aliquo accepto detrimento, tamen summa exercitus salua, locum quem petant, capi posse. Hæc vicit in concilio sententia, & prima luce postridie constituunt proficisci. Cæsar exploratis regionibus, albente cœlo omnes copias castris educit, magnoq; circuitu nullo certo itinere exercitum ducit. nam quæ itinera ad Iberum atque Octogesam pertinebant, castris hostium oppositis tenebantur. ipsi erant transcendendę valles maximę, ac difficillimę. saxa multis locis prærupta iter impediebant, vt arma per manus necessariò traderentur, militesque inermes, subleuatiq; alij ab alijs, magnam partem itineris conficerent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quòd eum C omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Ibero intercludere, & frumento prohibere potuissent. Ac primò Afraniani milites visendi causa lęti ex castris procurrebant, contumeliosisque vocibus prosequebantur nos, necessarij victus inopia coactos fugere, atque ad Ilerdam reuerti. Erat enim iter à proposito diuersum, contrariamque in partem iri videbatur. Duces verò eorum consilium suum laudibus ferebant, quòd se castris tenuissent: multumque eorum opinionem adiuuabat, quòd sine iumentis impedimentisq; ad iter perfectos videbant, vt non posse diutiùs inopiam sustinere confiderent. Sed vbi paulatim retorqueri agmen ad dexterã conspexerunt, iamque primos superare regionem castrorum animaduerterũt: D nemo erat adeò tardus, aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum, atque occurrendum putaret. Conclamatur ad arma, atque omnes copiæ paucis præsidio relictis cohortibus exeunt, rectoque ad Iberum itinere contendunt. Erat in celeritate omne positum certamen, vtri prius angustias montesque occuparent. Sed exercitum Cæsaris viarum difficultas tardabat, Afranij copias equitatus Cæsaris insequens morabatur. Res tamen erat ab Afranianis huc necessariò deducta, vt si priores montes quos petebant, attigissent, ipsi periculum vitarent: impedimenta totius exercitus, cohortesque in castris relictas, seruare non possent, quibus interclusis exercitu Cæsaris, auxilium ferri nulla ratione poterat. Confecit prior E iter Cæsar, atque ex magnis rupibus nactus planitiem, in hac contra hostem aciem instruit. Afranius cùm ab equitatu nouissimum agmen premeretur, & ante se hostem videret, collem quendam nactus, ibi constitit. Ex eo loco quatuor Cetratorum cohortes in montem, qui erat in conspectu omnium excelsissimus, mittit. Hunc magno cursu concitatos, iubet occupare, eo consilio, vt ipse eòdem omnibus copijs contenderet, & mutato itinere iugis Octogesam perueniret. Hunc cum obliquo itinere Cetrati peterent, conspicatus equitatus Cæsaris in cohortes impetum facit: nec minimam partem temporis equitum vim Cetrati sustinere potuerunt, omnesque ab his circunuenti, in conspectu vtriusque exercitus interficiuntur.

Milites luce magis in officio continentur.

Cetratorum cohortes quatuor occiduntur.

15 tur. †Erat occasio benè gerendæ rei: neq; verò id Cæsarem fugiebat, tanto sub oculis accepto detrimento perterritum exercitum sustinere nõ posse, præsertim circundatum vndique equitatu, cùm in loco æquo atque aperto confligeretur: idque ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. Concurrebant Legati, Centuriones, Tribuniq; militum, ne dubitaret prælium committere: omnium esse militum paratissimos animos: Afranianos contrà multis rebus sui timoris signa misisse: quòd suis nõ subuenissent, quòd de colle non decederent, quòd vix equitum incursus sustinerent, collatisque in vnum locum signis conferti, neque ordines neque signa seruarent. quòd si iniquitatem loci timeret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem, quòd certè inde decedendum esset Afranio, nec sine aqua permanere posset. Cæsar in eam spem venerat, se sine pugna & sine vulnere suorum rem conficere posse, quòd re frumentaria aduersarios interclusisset. Cur etiam secundo prælio aliquos ex suis amitteret? Cur vulnerari pateretur optimè meritos de se milites? Cur denique fortunam periclitaretur? præsertim cùm non minùs esset Imperatoris consilio superare, quàm gladio. Mouebatur etiam misericordia ciuium, quos interficiendos videbat, quibus saluis atque incolumibus rem obtinere malebat. Hoc consilium Cæsaris à plerisque non probabatur. Milites verò palàm inter se loquebantur, quoniam talis occasio victoriæ dimitteretur, etiam cùm vellet Cæsar, sese non esse pugnaturos. Ille in sua sententia perseuerat, & paulùm ex eo loco digreditur, vt timorem aduersarijs minuat. Petreius atque Afranius oblata facultate in castra se referunt. Cæsar præsidijs montibus dispositis, omni ad Iberum intercluso itinere, quàm proximè potest, hostium castris castra communit. Postero die duces aduersariorum perturbati, quòd omnem rei frumentariæ fluminisque Iberi spem amiserant, de reliquis rebus consultabant. Erat vnum iter, Ilerdam si reuerti vellent: alterum, si Tarraconem peterent. Hæc consultantibus eis, nunciatur aquatores ab equitatu premi nostro. Qua re cognita, crebras stationes disponunt equitum & cohortium alariarum, legionariasque interijciunt cohortes, vallumque ex castris ad aquam ducere incipiunt, vt intra munitionem sine timore & sine stationibus aquari possent. Id opus inter se Petreius atque Afranius patiuntur, ipsique perficiendi operis causa longiùs progrediuntur. Quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum facultatem, vulgò procedunt: & quem quisque in castris notum aut municipem habebat, conquirit, atque euocat. Primùm agunt gratias omnes omnibus, quòd sibi perterritis pridie pepercissent: eorum se beneficio viuere. Deinde Imperatoris fidem quærunt, rectène se illi sint commissuri: & quòd non ab initio fecerint, armaque cum hominibus necessarijs & consanguineis contulerint, conqueruntur. His prouocati sermonibus, fidem ab Imperatore de Petreij & Afranij vita petunt, ne quod in se scelus concepisse, neu suos prodidisse videantur. Quibus confirmatis rebus, se statim signa translaturos confirmant: legatosque de pace primorum ordinum centuriones ad Cæsarem mittunt. Interim alij suos in castra inuitandi causa adducunt, alij à suis abducuntur, adeò vt vna castra iam facta ex binis viderentur: compluresque Tribuni militum & Centuriones ad Cæsarem veniunt, seque ei commendant. Hoc idem fit à Principibus Hispaniæ, quos illi euocauerant, & secum in castris habebant obsidum loco. hi suos notos hospitesque quærebant, per quem quisq; eorum aditum commẽdationis haberet ad Cæsarem. Afranij etiam filius

Cæsaris prudentia & benignitas.

Consilio superare non minus est imperatoris, quàm gladio.

Colloquia militum aduersariorum.

F G H I K

A filius adoleſcens de ſua & parentis ſui ſalute cum Cæſare per Sulpitium legatum agebat. Erant plena lætitia & gratulatione omnia, eorum qui tanta pericula vitaſſe, & eorum qui ſine vulnere tantas res confeciſſe videbantur: magnumque fructum ſuæ priſtinæ lenitatis omnium iudicio Cæſar ferebat: conſiliumque eius à cunctis probabatur. Quibus rebus nunciatis Afranio, ab inſtituto opere diſcedit, ſeque in caſtra recipit, ſic paratus, vt videbatur, vt quicunque accidiſſet caſus, hunc quieto & æquo animo ferret. Petreius verò non deſerit ſeſe. armat familiam. cum hac, *Petreij ſumm.* & prætoria cohorte Cetratorum, barbariſque equitibus paucis, beneficiarijs ſuis, quos ſuæ cuſtodiæ cauſa habere conſueuerat, improuiſo ad
B vallum aduolat, colloquia militum interrumpit, noſtros repellit à caſtris: quos deprehendit interficit: reliqui coëunt inter ſe, & repentino * malo **periculo exterriti.* perterriti, ſiniſtras ſagis inuoluunt, gladioſque diſtringunt, atque ita ſe à Cetratis equitibuſque defendunt, caſtrorum propinquitate confiſi, ſeque in caſtra recipiunt: & ab his cohortibus quæ erant in ſtatione ad portas defenduntur. Quibus rebus confectis, flens Petreius manipulos circuit, militeſque appellat: neu ſe, neu Pompeium abſentem imperatorem ſuum aduerſarijs ad ſupplicium tradant, obſecrat. Fit celeriter concurſus in prætorium. Poſtulant, vt iurent omnes ſe exercitum duceſque non deſerturos neque prodituros, neque ſibi ſeparatim à reliquis conſilium ca-
C pturos. Princeps in hæc verba iurat ipſe, ad idem iuſiurandum adigit Afranium, ſubſequuntur Tribuni militum, Centurioneſque. Centuriatim *Petreij & Afranij crudelitas in Cæſarianos.* producti milites idem iurant. edicunt, penes quem quiſque ſit Cæſaris miles, vt producatur. productos palàm in prætorio interficiunt: ſed plerique quos ceperant, celant, noctuque per vallum emittunt. Sic terror oblatus à ducibus, crudelitas in ſupplicio. vana religio iuriſiurandi, ſpem præſentis deditionis ſuſtulit, menteſque militum conuertit, & rem ad priſtinam belli rationem redegit. Cæſar milites aduerſariorum qui in caſtra per tempus colloquij venerant, ſumma diligentia conquiri & remitti iubet: ſed ex numero Tribunorum militum Centurionumque nonnulli ſua
D voluntate apud eum remanſerunt, quos ille poſtea magno in honore habuit: Centuriones, amplioriſque ordinis equites Romanos in Tribunitium reſtituit honorem. Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur ægrè. Frumenti copiam legionarij nonnulli habebant, quòd dierum viginti duorum ab Ilerda frumentum iuſſi erant efferre: Cetrati, auxiliareſque, nullam, quorum erant & facultates ad parandum exiguæ, & corpora inſueta ad onera portanda. itaque magnus eorũ quotidie numerus ad Cæſarem perfugiebat. In his erat anguſtijs res. † Sed ex propoſitis conſilijs 16
duobus explicitius videbatur ad Ilerdam reuerti, quòd ibi paulum frumen *Petreius Ilerdã reuerti ſtatuit.* ti reliquerant: ibi ſe reliquum conſilium explicaturos confidebant. Tarra-
E co aberat longiùs, quo ſpacio plures rem poſſe caſus recipere intelligebãt. Hoc probato conſilio, ex caſtris proficiſcuntur. Cæſar equitatu præmiſſo, qui nouiſſimum agmen carperet, atque impediret, ipſe cum legionibus ſubſequitur. Nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur. Genus erat hoc pugnæ, expeditæ cohortes nouiſſimũ agmen claudebant, pluresque in locis campeſtribus ſubſiſtebant. Si mons erat aſcendendus, facilè ipſa loci natura periculum repellebat, quòd ex locis ſuperioribus qui anteceſſerant, deſuper ſuos aſcendentes protegebãt. Cùm vallis aut locus decliuis ſuberat, neque ij qui anteceſſerant, morantibus opem ferre poterant, equites verò ex loco ſuperiore in aduerſos tela conijciebant,

tum magno erat in periculo res, tum inquirebant, vt cùm eiusmodi lo- F cis esset appropinquatum, legionum signa consistere iuberent, magnóque impetu equitatum repellerent: eo summoto, repentè incitati, cursu sese in valles vniuersi demitterent, atque ita transgressi rursus in locis superioribus consisterent. nam tantùm ab equitum suorum auxilijs aberant, quorum numerum habebant magnum, vt eos superioribus perterritos prælijs, in medium reciperent agmen, vltroque eos tuerentur: quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Cæsaris exciperetur. Tali dum pugnatur modo, lentè ac paulatim proceditur, crebroque, vt sint auxilio suis, subsistunt, vt tum accidit. millia enim progressi quatuor, vehementiùs peragitati ab equitatu, montem excelsum G capiunt, ibique vna fronte contra hostem castra muniunt, neque iumentis onera deponunt. Vbi Cæsaris castra posita, tabernaculaque constituta, & dimissos equites pabulandi causa animaduertêre, sese subitò proripiunt hora circiter sexta eius diei: & spem nacti moræ, discessu nostrorum equitum iter facere incipiunt. Qua re animaduersa, Cæsar relictis legionibus subsequitur: præsidio impedimentis paucas cohortes relinquit: hora decima subsequi pabulatores, equites reuocari iubet. celeriter equitatus ad quotidianum itineris officium reuertitur. pugnatur acriter ad nouissimum agmen, adeò vt penè terga conuertant: compluresque milites, etiam nonnulli Centuriones interficiuntur. Instabat ag- H men Cæsaris, atque vniuersum imminebat. Tum verò neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate, consistunt necessariò, & procul ab aqua & natura iniquo loco castra ponunt. Sed ijsdem de causis Cæsar quæ suprà sunt demonstratæ, prælio ampliùs non lacessit: & eo die tabernacula statui passus non est, quò paratiores essent ad insequendum omnes, siue noctu, siue interdiu erumperent. Illi animaduerso vitio castrorum, tota nocte munitiones proferunt, castraque castris conuertunt. Hoc idem postero die à prima luce faciunt, totumq; in ea re diem consumunt. Sed quantum opere processerant, & castra protulerant, tanto aberant ab aqua longiùs, & præsenti malo I alijs malis remedia dabantur. Prima nocte aquandi causa nemo egreditur ex castris. Proximo die præsidio in castris relicto, vniuersas ad aquam copias educunt. pabulatum emittitur nemo. His eos supplices malis Cæsar necessariam subire deditionem, quàm prælio decertare malebat. Conatur tamen eos vallo fossaq; circummunire, vt quàm maximè repentinas eorum eruptiones demoretur, quò necessariò descensuros existimabat. Illi & inopia pabuli adducti, & quò essent ad id expeditiores, omnia sarcinaria iumenta interfici iubent. In his operibus consilijsq; biduum consumitur. Tertio die magna iam pars operis Cæsaris processerat. Illi impediendæ rei quæ munitionis causa fiebat, hora circiter octaua signo dato legiones K educunt, aciemq; sub castris instruunt. Cæsar ab opere legiones reuocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem instruit. Contra opinionem enim militum, famamque omnium videri prælio diffugisse, magnum detrimentum afferebat. sed eisdem de causis, quæ sunt cognitæ, quò minùs dimicare vellet, mouebatur: atque hoc etiam magis, quòd spacij breuitas, etiam in fugam coniectis aduersarijs, non multum ad summam victoriæ iuuare poterat. Non enim amplius pedū millibus duobus à castris castra distabant. hinc duas partes acies occupabant: tertia vacabat, ad incursum atq; impetum militum relicta, si prælium committeretur. propinquitas

Iumenta sarcinaria interficiuntur.

A tas castrorum celerem superaris ex fuga receptum dabat. Hac de causa constiruerat signa inferentibus resistere, prior prælio non lacessere. † Acies 17
erat Afraniana duplex. legio quinta & tertia in subsidijs locum alariæ cohortis obrinebat. Cæsaris triplex: sed primam aciem quaternæ cohortes ex quinta legione tenebant: has subsidiariæ ternæ, & rursus aliæ totidem suæ cuiusque legionis subsequebantur. sagittarij funditoresque media continebantur acie. equitatus latera cingebat. Tali instructa *Acies instructa.* acie, tenere vterque propositum videbatur: Cæsar, vt nisi coactus prælium non committeret: ille, vt opera Cæsaris impediret. Producitur tamen res, aciesque ad solis occasum continentur. Inde vtrique in castra di-
B scedunt. Postero die munitiones institutas Cæsar parat perficere: illi vadum fluminis Sicoris tentare si transire possent. Qua re animaduersa, Cæsar Germanos leuis armaturæ, equitumque partem flumen traijcit, crebrasque in ripis custodias disponit. Tandem omnibus rebus obsessi, quartum iam diem sine pabulo retentis iumentis, aquæ, ligni, & frumenti inopia, colloquium petunt, & id si fieri possit, semoto à militibus loco. Vbi id à Cæsare negatum, & palàm si colloqui vellent, concessum est, datur obsidis loco Cæsari filius Afranij. Venitur in eum locum quem Cæsar delegit. Audiente vtroque exercitu loquitur Afranius, non esse aut ipsi aut *Afranij cum Cæsare* militibus succensendum quòd fidem erga imperatorem suum Cn. Pom- *colloquium.*
C peium conseruare voluerint: sed satis iam fecisse officio, satisq; supplicij tulisse, perpessos omnium rerum inopiam. Nunc verò penè vt fœminas circummunitos prohiberi aqua, prohiberi ingressu: neque corpore dolorem, neque animo ignominiam ferre posse. Itaque se victos confiteri: orare atque obsecrare, si quis locus misericordiæ relinquatur, ne ad vltimum supplicium progredi necesse habeant. Hæc quàm potest demississimè atque subiectissimè exponit. Ad ea Cæsar respondit. nulli omnium has partes vel querimoniæ vel miserationis minùs conuenisse. reliquos enim omnes officium suum præstitisse: se, qui etiam bona conditione, & loco & tempore æquo confligere noluerit, vt quàm integerrima essent
D ad pacem omnia: exercitum suum, qui iniuria etiam accepta, suisque interfectis, quos in sua potestate habuit, conseruârit & texerit: illius deniq; exercitus milites, qui per se de concilianda pace egerint, qua in re omnium suorum vitæ consulendum putârunt. sic omnium ordinum partes in misericordia constitisse, ipsos Duces à pace abhorruisse: eos neque colloquij, neque induciarum iura seruasse, & homines imperitos, & per colloquium deceptos, crudelissimè interfecisse. Accidisse igitur his, quod plerunque *Pertinaciam & arrogantium hominũ pœnitentia.* hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere soleat, vti eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paulò antè contempserint. neque nunc se illorum humilitate, neque aliqua temporis opportunitate
E postulare quibus rebus opes augeantur suæ, sed eos exercitus quos contra se multos iam annos aluerint, velle dimitti. Neque enim sex legiones alia de causa missas in Hispaniam, septimamque ibi conscriptam: neque tot tantasque classes paratas, neque summissos Duces rei militaris peritos. nihil horum ad pacandas Hispanias, nihil ad vsum prouinciæ prouisum, quæ propter diuturnitatem pacis nullum auxilium desiderârit. omnia hęc iam pridem cōtra se parari. In se noui generis imperia constitui: vt idem ad portas vrbanis præsideat reb9, & duas bellicosissimas prouincias absens tot annos obtineat. In se iura magistratuum commutari, ne ex prætura & consulatu, vt semper, sed per paucos probati & electi in

pro-

prouincias mittantur. In se ætatis excusationem nihil valere, quòd superioribus bellis probati, ad obtinendos exercitus euocentur. In se vno non seruari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, vt rebus feliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certè sine ignominia domum reuertantur, exercitumque dimittant. Quæ tamen omnia & se tulisse patienter, & esse laturum: neque nunc id agere, vt ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non sit: sed ne illi habeant quo contra se vti possint. Proinde, vt esset dictum, prouincijs excederent, exercitumque dimitterent. si id sit factum, nociturum se nemini. hanc vnam atque extremam esse pacis conditionem. Id verò militibus fuit pergratum & iucundum. vt ex ipsa significatione cognosci potuit, vt qui aliquid victi incommodi expectauissent, vltrò inde præmium missionis ferrent. Nam cùm de loco & tempore eius rei controuersia inferretur, & voce & manibus vniuersi ex vallo vbi constiterant, significare cœperunt vt statim dimitterentur: neque omni interposita fide firmum esse posse, si in aliud tempus differretur. paucis cùm esset in vtranque partem verbis disputatum, res huc deducitur, vt ij qui habeant domicilium aut possessiones in Hispania, statim: reliqui ad Varum flumen dimittantur. Ne quid eis noceatur, néue quis inuitus sacramento dicere cogatur, à Cæsare caueatur. Cæsar ex eo tempore dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur. Addit etiam, vt si quid quisque eorum in bello amiserit quæ sint penes milites suos, ijs qui amiserint, restituatur. militibus, æqua facta æstimatione, pecuniam pro his rebus soluit. Quascunque posteà controuersias inter se milites habuerunt, sua sponte ad Cæsarem introduxerunt. Petreius atque Afranius cùm stipendium ab legionibus penè seditione facta flagitarentur, cuius illi diem nondum venisse dicerent: Cæsar vt cognosceret, postulatum est: eoque vtrique quod statuit, contenti fuerunt. Parte circiter tertia exercitus eo biduo dimissa, duas legiones suas antecedere, reliquas subsequi iussit, vt non longo inter se spacio castra facerent: eique negocio Q. Fusium Calenum legatum præfecit. Hoc eius præscripto ex Hispania ad Varum flumen est iter factum, atque ibi reliqua pars exercitus dimissa est.

F (margin, at line 1) · G (margin, at "fuit pergratum") · H (margin, at "se frumentum") · I (margin, at "lenum legatum")

Varus fl. (margin, at "possessiones in Hispania")

Cæsaris liberalitas. *Cæsaris authoritas.* (margin, at "uit. Quascunque")

Q. Fusius Calenus legatus. (margin, at "lenum legatum")

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBER II.

Libri secundi capita. K

1 *Cæsarianorum secunda pugna nauali ad Massiliam.*
2 *Miræ machinationes Cæsarianorum, quibus Massilienses territi inducias exposcunt.*
3 *Massilienses impetratis per fraudem inducijs, ijsq; violatis, ad deditionem coguntur.*
4 *Varronis qui vlteriori Hispaniæ præerat defectio ad Cæsarem: Carmonæ, Gadium, & Cordubæ deditio.*
5 *Massiliæ deditio, & C. Curionis Cæsaris Legati nauigatio in Africam cum exercitu, eiusq; trepidatio.*

6 Deli-

A 6 *Deliberatio de summa rerum in castris Curionis, & ipsius ad milites oratio & confirmatio.*

7 *Curionis cum Varo prælium secundum: & eiusdem temeritas in oppugnando Sabura Iubæ regis præfecto.*

8 *Curionis cum Sabura & Iuba rege prælium aduersum, in quo ipse occiditur: & fuga reliquorum in Siciliam.*

DVM hæc in Hispania geruntur, C. Trebonius legatus qui ad oppugnationem Massiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerem vineas turresque ad oppidum agere instituit. vna erat proxima portui naualibusque, altera ad partem qua est aditus ex Gallia atque Hispania ad id mare quod attingit ad ostiũ Rhodani. Massilia enim ferè tribus ex oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra. huius quoque spacij pars ea quæ ad arcem pertinet, loci natura & valle altissima munita, longam & difficilem habet oppugnationem. Ad ea perficienda opera C. Trebonius ma- *C. Trebonius Massiliam oppugnat.* *Massiliæ situs.*

B

C



A. Massilia.
B. Portus.
C. Arx.
D. Agger.
E. Vallis.
F. Mare vergens ad Italiam & à sinistra ad Galliam & Hispaniam, & hic aditus ad hostium Rhodani.
G. Rhodanus.

D

gnam iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina, materiamq; comportari iubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum octoginta extruit. Sed tanti erant antiquitus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. Asseres enim pedum duodecim cuspidibus præfixi, atque hi maximis ballistis missi, per quatuor ordines cratiũ in terram defigebantur. Itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebantur, atque hac agger inter manus proferebatur: antecedebat testudo pedum sexaginta, æquandi loci causa, facta item ex fortissimis lignis, euoluta omnibus rebus

bus

bus quibus ignis iactus & lapides defendi possent. Sed magnitudo operũ, F
altitudo muri atque turrium, multitudo tormentorum, omnem administrationem tardabat. Crebræ tamen per Albicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesque aggeri & turribus inferebantur: quæ facilè nostri milites repellebant, magnisque vltrò illatis detrimentis, eos qui eruptionem

L. Nasidius.

fecerant, in oppidum reijciebant. Interim L. Nasidius à Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibusque subsidio missus, freto Siciliæ, imprudente atque inopinante Curione, prouehitur: appulsisque Messanam nauibus, atque inde propter repentinum terrorem principum ac Senatus fuga facta, ex naualibus eorum vnam deducit. Hac adiuncta ad reliquas naues, cursum G
Massiliam versus perficit, præmissaq; clàm nauicula Domitium Massiliensesq; de suo aduentu certiores facit: eosq; magnoperè hortatur, vt rursus

Massiliensium classis refecta.

cum Bruti classe additis suis auxilijs confligant. Massilienses post superius incommodum veteres ad eundem numerum ex naualibus productas naues refecerant, summaq; industria armauerant. remigum gubernatorúmque magna copia suppetebat: piscatoriasque adiecerant, atque contexerant, vt essent ab ictu telorum remiges tuti. has sagittarijs tormentisque compleuerant. Tali modo instructa classe, omnium seniorum, matrum familiæ, virginumque precibus & fletu excitati, vt extremo tempore ciuitati subuenirent, non minore animo ac fiducia quàm antè dimicaue- H
» rant, naues conscendunt. Communi enim fit vitio naturæ, vt inuisis, lati-
» tantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusq; exter-
» reamur: vt tum accidit. Aduentus enim L. Nasidij summa spe & voluntate ciuitatem compleuerat. Nacti idoneum ventum, ex portu exeunt, &

Taurenta castellũ.

Taurenta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perueniunt. Ibique naues expediunt, rursúsque se ad confligendum animo confirmant, & consilia communicant. Dextera pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio. Eòdem Brutus contendit, aucto nauium numero.

Bruti classis.

Nam ad eas quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captiuæ Massiliensium accesserant sex. Has superioribus diebus refecerat, atque omnibus I
rebus instruxerat. Itaque suos cohortatus, quos integros superauissent, vt victos contemnerent, plenus spei bonæ atque animi aduersus eos proficiscitur. Facile erat ex castris C. Trebonij, atque omnibus superioribus locis prospicere in vrbem vt omnis iuuentus quæ in oppido remanserat, omnesque superioris ætatis cum liberis atque vxoribus, ex publicis custodijs, aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent, & ante simulacra proiecti victoriam ab Dijs exposcerent. Neque erat quisquam omnium, qui non in eius diei casu suarum omnium fortunarum euentum consistere existimaret. Nam & honesti ex iuuentute, & cuiusque ætatis amplissimi nominatim euocati at- K

Prælium nauale inter Massilienses & Cæsarianos.

que obsecrati naues conscenderant: vt si quid aduersi accidisset, ne ad conandum quidem sibi quicquam reliqui fore viderent: si superauissent, vel domesticis opibus, vel externis auxilijs de salute vrbis confiderent. Commisso prælio, Massiliensibus res nulla ad virtutem defuit: sed memores eorum præceptorum quæ paulò antè à suis acceperant, hoc animo decertabant, vt nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur: & quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multò se reliquorum ciuium fatum antecedere existimarent, quibus vrbe capta eadem esset belli fortuna patienda. Diductisque nostris paulatim naui-

tus,

Abus, & artificio gubernatorum mobilitati nauium locus dabatur: & si
quando nostri facultatem nacti, ferreis manibus iniectis nauem religaue-
rant, vndique suis laborantibus succurrebant. Neque verò coniuncti Al-
bicis comminùs pugna deficiebant, neque multum cedebant virtute no-
stris: simul ex minoribus nauibus magna vis eminùs missa telorum, mul-
ta nostris de improuiso imprudentibus atque impeditis vulnera infere-
bat. Conspicatæque naues triremes duæ nauem D. Bruti, quæ ex signo *Memorabilis casus.*
facilè agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitauerant: sed
tanta, re prouisa, Brutus celeritate nauis enisus est, vt paruo momento
antecederet. Illæ adeò grauiter inter se incitatæ conflixerunt, vt vehe-
B mentissimè vtræque ex concursu laborarent: altera verò perfracto rostro
tota collabefieret. Qua re animaduersa, quæ proximæ ei loco ex Bruti
classe naues erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas
deprimunt. Sed Nasidianæ naues nulli vsui fuerunt, celeriterque pugna
excesserunt. Non enim has aut respectus patriæ, aut propinquorum præ-
cepta ad extremum vitæ periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero
nauium nulla desiderata est: ex Massiliensium classe quinque sunt depres-
sæ, quatuor captæ: vna cum Nasidianis profugit: quæ omnes citeriorem
Hispaniam petiuerunt. At ex reliquis vna præmissa Massiliam huius
nuncij perferendi gratia, cùm iam appropinquaret vrbi, omnis sese mul-
C titudo ad cognoscendum effudit. Ac re cognita, tantus luctus excepit,
vt vrbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Massilienses tamen
nihilo segniùs ad defensionem vrbis reliqua apparare cœperunt. † Est 2
autem animaduersum à legionarijs qui dexteram partem operis admini-
strabant, ex crebris hostium eruptionibus, magno sibi esse præsidio pos-
se, si pro castello ac receptaculo turrim ex latere sub muro fecissent. quam *Turris lateritia.*
primò ad repentinos incursus humilem paruamque fecerunt. huc se re-
ferebant. hinc, si qua maior oppresserat vis, propugnabant. hinc ad re-
pellendum & prosequendum hostem procurrebant. Patebat hæc quo-
quouersus pedes xxx. sed parietum crassitudo pedes v. Postea verò (vt *Usus rerum magister.*
D est rerum omnium magister vsus) hominum adhibita solertia, inuentum
est magno esse vsui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. Id hac
ratione perfectum est: Vbi turris altitudo perducta est ad contabulatio- *Turris altius attollendæ ratio.*
nem, eam in parietes instruxerunt ita, vt capita tignorum, extrema pa-
rietum structura tegerentur, nequid emineret vbi ignis hostium adhæ-
resceret. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinea-
rum passum est, laterculo adstruxerunt: supraque eum locum duo tigna
transuersa iniecerunt, non longè ab extremis parietibus, quibus suspen-
derent eam contignationem quæ turri tegumento esset futura: supraq; ea
tigna directò transuersas trabes iniecerunt, easq; * asseribus religauerunt. ** axibus.*
E has trabes paulò longiores atque eminentiores quàm extremi parietes e-
rant, effecerunt, vt esset vbi tegumenta præpendere possent ad defenden-
dos ictus ac repellendos cùm intra eam contignationem parietes extrue-
rentur: eamq; contabulationem summam lateribus lutoque constraue-
runt, nequid ignis hostium nocere posset: centonesque insuper iniece-
runt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa
ex catapultis lateritium discuterent. Storias autem ex funibus anchora- *Storiarum vsus.*
rijs tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt,
easque ex tribus partibus quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus
circum turrim præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti

alijs locis erant experti nullo telo neque tormento traijci posse. Vbi verò F
ea pars turris quæ erat perfecta, tecta atque munita est ab omni ictu hostium, pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectum per seipsum prensionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere cœperũt. vbi quantum storiarum demissio patiebatur, tantum eleuabant. Intra hæc tegumenta abditi atque muniti, parietes lateribus extruebant: rursúsq; aliam prensionem ad ædificandum sibi locum expediebant. Vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item, vt primò tecta extremis lateribus instruebant, exq; ea contignatione rursus summam cõtabulationem storiasque eleuabant. Ita tutò ac sine vllo vulnere ac periculo sex tabulata extruxerunt: fenestrasque quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt. G
Vbi ex ea turri, quæ circum essent opera, tueri se posse confisi sunt, musculum pedes LX. longum, ex materia bipedali, quem à turri lateritia ad hostium turrim murumque perducerent, facere instituerunt: cuius musculi hæc erat forma: Duæ primùm trabes in solo

Musculi forma.

æquè longæ, distantes inter se pedes quatuor collocantur: inq; eis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur. has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, vbi tigna quæ musculi tegendi causa ponant, collocentur. eò super tigna bipedalia inijciunt, eaq; laminis clauisque religant: ad extremumq; musculi tectum, trabesque extremas, quadratas tegulas quatuor patentes digitos defigunt, quæ lateres qui super muscu- H
lum struantur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, vt trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus lutoq; musculus, vt ab igni qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur. Super lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoque inopinantibus hostibus, machinatione nauali phalangis subiectis ad turrim hostium admouent, vt ædificio iungatur. Quo malo perterriti subitò oppidani, saxa quàm maxima possunt vectibus promouent, præcipitataque muro in musculum deuoluunt. Ictum firmitas materiæ sustinet, & quicquid I
incidit, fastigio musculi delabitur. Id vbi vident, mutant consilium. Cupas tæda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum deuoluunt. Inuolutæ labuntur: delapsæ à lateribus, longurijs furcisq; ab opere remouentur. Interim sub musculo milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt. Musculus ex turri lateritia à nostris telis tormentisq; defenditur, hostesque ex muro ac

Turris Massilien. concidit.

turribus submouentur: non datur libera muri defendendi facultas. compluribus iam lapidibus ex ea quæ suberat turri subductis, repentina ruina
3 pars eius turris concidit, pars reliqua consequens procumbebat. † Tum hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum K
ira perculsi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras vniuersi proripiunt: ad legatos atq; exercitum supplices manus tendunt. Qua noua re oblata, omnis administratio belli consistit: milítesque auersi à prælio, ad studium audiendi & cognoscendi feruntur. Vbi hostes ad le-

Massiliensium supplicatio.

gatos exercitumq; peruenerunt, vniuersi se ad pedes proijciunt: orant vt aduentus Cæsaris expectetur: captam suam vrbem videre, opera perfecta, turrem subrutam: itaq; à defensione desistere: nullam exoriri moram posse, quò minùs cùm venisset, si imperata non facerent, ad nutum è vestigio diriperentur. Docent, si omnino turris concidisset, non posse milites conti-

A contineri quin spe prædæ in vrbem irrumperent, vrbemq́; delerent. Hæc, atque eiusdem generis complura, vt ab hominibus doctis, magna cum misericordia fletuq́; pronunciantur. Quibus rebus commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum quodam genere misericordia facto, aduentus Cæsaris expectatur. nullum ex muro, nullum à nostris mittitur telum. vt re confecta, omnes curam & diligentiam remittunt. Cæsar enim per literas Trebonio magnoperè mandauerat, ne per vim oppidum expugnari pateretur: ne grauius permoti milites & defectionis odio, & contemptione sui, & diutino labore, omnes puberes interficerent, quod se facturos *Massilienses docti.* *Induciæ.*
B minabantur. ægreq́; tunc sunt retenti, quin oppidum irrumperent. grauiterq́; eam rem tulerunt, quòd stetisse per Trebonium quò minùs oppido potirentur, videbatur. At hostes sine fide, tempus atque occasionem fraudis ac doli quærunt: interiectisq́ue aliquot diebus, nostris languentibus, atque animo remissis, subitò meridiano tempore, cùm alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus, quieti se dedisset, arma verò omnia reposita contectaque essent, portis se foras erumpunt, secundo magnoq́; vento ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit ventus, vti vno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaq́; flammam conciperent, & priùs hæc omnia consumerentur, quàm, quemadmodum accidisset, ani- *Ignis operibus Cæsaris infertur.*
C maduerti posset. Nostri repentina fortuna permoti, arma quæ possunt arripiunt. alij ex castris sese incitant. fit in hostes impetus: sed muro, sagittis, tormentisq́; fugientes persequi prohibentur. Illi sub murum se recipiunt, ibiq́; musculum turrimque lateritiam liberè incendunt. Ita multorum mensium labor, hostium perfidia & vi tempestatis puncto temporis interijt. Tentauerunt hoc idem Massilienses postero die eandem nacti tempestatem, maioriq́; cum fiducia ad alteram turrem aggeremque eruptione pugnauerunt, multumq́; ignem intulerunt: sed vt superioris temporis contentionem nostri omnem remiserant, ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem parauerant. Itaque multis interfectis, re- *Massiliensium perfidia.*
D liquos infecta re in oppidum repulerunt. Trebonius ea quæ sunt amissa, multo maiore militum studio administrare & reficere instituit. Nam vbi tantos suos labores & apparatus malè cecidisse viderunt, inducijsq́ue per scelus violatis, suam virtutem irrisui fore perdoluerunt, quòd vnde agger omnino comportari posset, nihil erat reliquum: omnibus arboribus longè lateq́; in finibus Massiliensium excisis, & conuectis, aggerem noui generis atque inauditum ex lateritijs duobus muris senûm pedum crassitudine, atque eorum murorum contignationem facere instituerunt æqua ferè * altitudine, atque ille congestus ex materia fuerat agger. Vbi aut spacium inter muros, aut imbecillitas materiæ postulare videretur, pilę inter- *Agger ex lateritijs muris confectus.* ** magnitudine alt. latitud:ne.*
E ponuntur, transuersaria tigna inijciuntur, quæ firmamento esse possent. Et quicquid est contignatum, cratibus consternitur, cratesq́; luto integuntur. Sub tecto miles dextra ac sinistra muro tectus, aduersus plutei obiectu, operi quæcunq́; vsui sunt, sine periculo supportat. celeriter res administratur. diuturni laboris detrimentum, solertia & virtute militum breui reconcinnatur. Portę, quibus locis videtur, eruptionis causa in muro relinquuntur. Quod vbi hostes viderunt, ea quæ diu longoq́; spacio refici non posse sperâssent, paucorum dierum opera & labore ita refecta, vt nullus perfidiæ neque eruptioni locus esset, neque quicquam omnino relinqueretur quà aut vis militibus, aut ignis operibus nocere posset: eodemque

exemplo sentiunt totam vrbem, quà sit aditus à terra, muro turribusq; F
circumiri posse, sic vt ipsis consistendi in suis munitionibus locus non
esset, cùm penè ædificata in muris ab exercitu nostro mœnia viderentur,
ac tela manu conijcerentur: suorumque tormentorum vsum, quibus
ipsi magna sperauissent, spacio propinquitatis interire: parique condi-
tione è muro ac turribus bellandi data, virtute se nostris adæquare non
4 posse intelligunt: ad easdem deditionis conditiones recurrunt. † M.
M. Varro in vlterio- Varro in vlteriore Hispania initio cognitis ijs rebus quæ sunt in Italia ge-
re Hispania legatus. stæ, diffidens Pompeianis rebus, amicissimè de Cæsare loquebatur, præ-
occupatum sese legatione, ab Cn. Pompeio teneri obstrictum fide: neces-
situdinem quidem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercedere: neque se G
Fiduciaria opera. ignorare quod esset officiu legati, qui fiduciariam operam obtineret: quæ
vires suæ, quæ voluntas erga Cæsarem totius prouinciæ. Hæc omnibus re-
ferebat sermonibus, neque se in vllam partem mouebat. Posteà verò cùm
Cæsarem ad Massiliam distineri cognouit, copias Petreij cum exercitu
Afranij esse coniunctas, magna auxilia conuenisse, magna esse in spe at-
que expectatione, & consentire omnem citeriorem prouinciam, quæq;
posteà acciderant de angustijs ad Ilerdam rei frumentariæ, accepit, atque
hæc ad eum latiùs atque inflatius Afranius perscribebat, se quoq; ad mo-
tum fortunæ mouere cœpit. delectum habuit tota prouincia. legionibus
completis duabus, cohortes circitèr triginta alarias addidit. frumenti ma- H
gnum numerum coëgit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petre-
ioque mitteret. naues longas x. Gaditanis vt facerent imperauit. Com-
Hispalis. plures prætereà in Hispali faciendas curauit. Pecuniam omnem, omniá-
Gades. que ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit. Eò sex co-
Caius Gallonius. hortes præsidij causa ex prouincia misit: Caiumq; Gallonium equitem
Romanum, familiarem Domitij, qui eò procurandæ hæreditatis causa
venerat missus à Domitio, oppido Gadibus præfecit. arma omnia priua-
ta & publica in domum Gallonij contulit. Ipse graues in Cæsarem habuit
conciones. Sæpe ex tribunali prædicauit aduersa Cæsarem prælia fecis-
se, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse: hæc se cer- I
tis nuncijs certisque authoribus comperisse. Quibus rebus perterritos ci-
** sestertium nona-* ues Romanos eius prouinciæ, sibi ad remp. administrandam * HS. cxc.
gies. millia, & argenti pondo xx. millia, tritici modios cxx. millia polliceri
coëgit. Quas Cæsari esse amicas ciuitates arbitrabatur, ijs grauiora one-
ra iniungebat, præsidiaque eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat.
Qui verò verba atq; orationem aduersus rempublicam habuissent, eorum
bona in publicum addicebat. Prouinciã omnem in sua & Pompeij verba
per iusiurandum adigebat. Cognitis ijs rebus quæ sunt gestæ in citeriore
Hispania, bellum parabat. Ratio autem hæc erat belli, vt se cum duabus le-
gionibus Gades conferret, naues frumentumq; omne ibi contineret. Pro- K
uinciam enim omnem Cęsaris rebus fauere cognouerat. In insula frumen-
to nauibusq; comparatis, bellum duci non difficile existimabat. Cæsar etsi
multis necessarijsq; rebus in Italiam reuocabatur, tamen constituerat nul-
lam partem belli in Hispanijs relinquere, quòd magna esse Pompeij bene-
ficia, & magnas clientelas in citeriore prouincia sciebat. Itaque duabus le-
gionibus missis in vlteriorem Hispaniam cum Qu. Cassio Tribuno ple-
bis, ipse cum sexcentis equitibus magnis itineribus progreditur, edictúm-
que præmittit, ad quam diem magistratus principesque omnium ciuita-
tum sibi esse præstò Cordubæ vellet. Quo edicto tota prouincia promul-
gato,

A gato, nulla fuit ciuitas quin ad id tempus partem Senatus Cordubam mitteret: nullus ciuis Romanus paulò notior, quin ad statutum diem conueniret. Simul ipse Cordubæ conuentus per se portas Varroni clausit: custodias vigiliasque in turribus muroq; disposuit. Cohortes duas, quæ Colonicæ appellabantur, cùm eò casu venissent, tuendi oppidi causa apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonenses, quæ est longè firmissima totius prouinciæ ciuitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus à Varrone præsidio, per se cohortes eiecit, portasque præclusit. Hoc verò magis properare Varro, vt cum legionibus quàmprimum Gades contenderet, ne itinere aut traiectu intercluderetur. Tanta ac tam secunda in Cæsarem vo-

Conuentus Corduba Varroni excluditur.

Cohortes colonica.

Carmonenses.

Gaditanorum à Varrone defectio.

B luntate prouinciæ reperiebantur. Progresso ei paulò longiùs, literæ à Gadibus redduntur, simulatque cognitum sit de edicto Cæsaris, consensisse Gaditanos principes cum Tribunis cohortium quæ essent ibi in præsidio, vt Gallonium ex oppido expellerent, vrbem insulamque Cæsari seruarent. Hoc iniro consilio, denunciauisse Gallonio, vt sua sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si id non fecisset, sibi consilium capturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus, altera ex duabus legionibus, quæ Vernacula appellabatur, ex castris Varronis astante & inspectante ipso signa sustulir, seseq; Hispalim recepit, atque in foro & porticibus sine maleficio consedit. quod fa-

Legio vernacula.

Hispalim se Cæsariani recipiunt.

C ctum adeò eius conuentus ciues Romani comprobauerunt, vt domum ad se quisq; hospitio cupidissimè reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cùm itinere conuerso sese in Italiam venturum promisisset, certior à suis factus est præclusas esse portas. tùm verò omni interclusus itinere ad Cæsarem mittit, paratum se esse cui iusserit legionem tradere. Ille ad eum Sex. Cæsarem mittit, atque huic tradi iubet. Tradita legione, Varro Cordubam ad Cæsarem venit: relatis ad eum publicis rationibus, cum fide, quod penes eum est pecuniæ tradit: & quod vbique habeat frumenti ac nauium, ostendit. Cæsar habita concione Cordubæ, omnibus generatim gratias agit: Ciuibus Romanis, quòd oppidum in sua potestate stu-

Varronis deditio.

D duissent habere: Hispanis, quòd præsidia expulissent: Gaditanis, quòd conatus aduersariorum infregissent, seseq; in libertatem vindicâssent: Tribunis militum, Centurionibusq;, qui eò præsidij causa venerant, quòd eorum consilia sua virtute confirmâssent. Pecunias quas erant in publicum Varroni ciues Rom. polliciti, remittit. Bona restituit ijs quos liberiùs locutos, hanc pœnam tulisse cognouerat. Tributis quibusdam publicis priuatisq; præmijs reliquos in posterum bona spe complet: biduumq; Cordubæ commoratus, Gades proficiscitur. Pecunias monumentaque quæ ex fano Herculis collata erant in priuatam domum, referri in templum iubet. Prouinciæ Q. Cassium præficit: huic quatuor legiones attri-

Largitio Cæsaris.

Q. Cassius.

E buit: ipse his nauibus quas M. Varro, quasq; Gaditani iussu Varronis fecerant, Tarraconem paucis diebus peruenit. ibi totius ferè citerioris prouinciæ legationes Cæsaris aduentum expectabant. Eadem ratione priuatim ac publicè quibusdam ciuitatibus habitis honoribus, Tarracone discedir, pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam peruenit. ibi legem de Dictatore latam, seseque Dictatorem dictum à M. Lepido prætore cognoscit. † Massilienses omnibus defessi malis, rei frumentariæ ad summam inopiam adducti, bis prælio nauali superati, crebris eruptionibus fusi, graui etiam pestilentia conflictati ex diutina conclusione, & mutatione victus (panico enim vetere, atque hordeo corrupto omnes alebantur,

Tarraco.

Narbo.

Cæsar dictator dicitur.

Massiliensium inopia.

quod

quod ad huiuſmodi caſus antiquitùs paratum in publicum contulerant) F
deiecta turri, labefacta magna parte muri, auxilijs prouinciarum & exer-
cituum deſperatis, quos in Cæſaris poteſtatem veniſſe cognouerant, ſeſe
Domitij fuga. dedere ſine fraude conſtituunt. Sed paucis antè diebus L. Domitius co-
gnita Maſſilienſium voluntate, nauibus tribus comparatis, ex quibus
duas familiaribus ſuis attribuerat, vnam ipſe conſcenderat, nactus tur-
bidam tempeſtatem eſt profectus. hunc conſpicatæ naues quæ iuſſu Bru-
ti conſuetudine quotidiana ad portum excubabant, ſublatis anchoris
ſequi cœperunt. Ex ijs vnum ipſius nauigium contendit, & fugere per-
ſeuerauit, auxilioque tempeſtatis ex conſpectu abijt: duo perterrita
Maſſilienſium deditio. concurſu noſtrarum nauium, ſeſe in portum receperunt. Maſſilienſes G
arma tormentaque ex oppido, vt eſt imperatum, proferunt: naues ex
portu naualibuſque educunt: pecuniam ex publico tradunt. Quibus
rebus confectis, Cæſar magis eos pro nomine & vetuſtate, quàm pro
meritis in ſe ciuitatis, conſeruans, duas ibi legiones præſidio relinquit:
cæteras in Italiam mittit: ipſe ad vrbem proficiſcitur. Iiſdem tempori-
C. Curio in Africam nauigat. bus C. Curio in Africam profectus ex Sicilia, etiam ab initio copias P.
Actij Vari deſpiciens, duas legiones ex quatuor quas à Cæſare acceperat,
& quingentos equites tranſportabat: biduoq; & noctibus tribus nauiga-
Aquilaria. tione conſumptis, appulit ad eum locum qui appellatur Aquilaria. Hic lo-
Clupea. cus abeſt à Clupeis paſſuum vigintiduo millia, habetque non incommo- H
dam æſtate ſtationem: & duobus eminentibus promontorijs contine-
** L. caſſius cum de* tur. Huius aduentum * L. Cæſar filius cùm decem longis nauibus ad
Clupeam præſtolans, (quas naues Vticæ ex prædonum bello ſubductas
P. Actius. P. Actius reficiendas huius belli cauſa curauerat) veritus nauium multi-
tudinem, ex alto refugerat, appulſaq; ad proximum littus trireme conſtra-
Adrumetum. ta, & in littore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. Id oppidum C.
C. Cõſidius Longus. Conſidius Longus vnius legionis præſidio tuebatur. Reliquæ Cæſaris na-
M. Rufus. ues eius fuga Adrumetum ſe receperunt. Hunc ſecutus M. Rufus quæſtor
nauibus duodecim, quas præſidio onerarijs nauibus Curio ex Sicilia edu-
xerat, poſtquam relictam in littore nauem cõſpexit, hanc remulco abſtra- I
Vtica. xit, ipſe ad Curionem cum claſſe redit. Curio Martium Vticam nauibus
præmittit, ipſe eòdem cum exercitu proficiſcitur: biduique iter progreſ-
Bagrada fl. ſus, ad flumen Bagradam peruenit. ibi C. Caninium Rebilum legatum
cum legionibus relinquit, ipſe cum equitatu antecedit ad caſtra exploran-
Caſtra Corneliana. da Corneliana, quòd is locus peridoneus caſtris habebatur. Id autem eſt
iugum directum eminens in mare, vtraque ex parte præruptum atque
aſperum, ſed paulò tamen leniore faſtigio ab ea parte quæ ad Vticam ver-
git. abeſt directo itinere ab Vtica paulò ampliùs paſſus mille. ſed hoc iti-
nere eſt fons, quò mare ſuccedit longiùs, lateque is locus reſtagnat: quem
ſi quis vitare voluerit, ſex millium circuitu in oppidum peruenit. Hoc K
Actij Vari caſtra. explorato loco, Curio Caſtra Vari conſpicit muro oppidoque coniun-
cta ad portam quæ appellatur Bellica, admodum munita natura loci,
vna ex parte ipſo oppido Vtica, altera theatro, quod eſt ante oppidum,
ſubſtructionibus eius operis maximis aditu ad caſtra difficili & anguſto.
ſimul animaduertit multa vndique portari atque agi pleniſſimis vijs,
quæ repentini tumultus timore ex agris in vrbem conferebantur. huc
equitatum mittit, vt diriperet, atque haberet loco prædæ: eodemque
tempore his rebus ſubſidio ſexcenti equites electi Numidæ ex oppido,
Iuba rex. pediteſque cccc. mittuntur à Varo, quos auxilij cauſa rex Iuba paucis
diebus

A diebus antè Vticam miserat. Huic & paternum hospitium cum Pompeio, & simultas cum Curione intercedebat: quòd Tribunus plebis legem promulgauerat, qua lege regnum Iubæ publicauerat. Concurrunt equites inter se: neque verò primum impetum nostrorum Numidæ ferre potuerunt: sed interfectis circitèr c x x. reliqui se in castra ad oppidum receperunt. Interim aduentu longarum nauium Curio pronunciari onerarijs nauibus iubet, quæ stabant ad Vticam, numero circitèr c c. se in hostium habiturum loco, qui non è vestigio ad castra Corneliana vela direxisset. Qua pronunciatione facta, temporis puncto sublatis anchoris, omnes Vticam relinquunt, & quò imperatum est, transeunt. quæ
B res omnium rerum copia compleuit exercitum. His rebus gestis, Curio se in castra ad Bagradam recepit, atque vniuersi exercitus conclamatione Imperator appellatur. Postero die Vticam exercitum ducit, & prope oppidum castra ponit. Nondum opere castrorum perfecto, equites è statione nunciant magna auxilia equitum peditumque à rege missa Vticam venire. eodemq; tempore vis magna pulueris cernebatur, & vestigio temporis primum agmen erat in conspectu. Nouitate rei Curio permotus, præmittit equites, qui primum impetum sustineant, ac morentur. Ipse celeriter ab opere deductis legionibus, aciem instruit, equitesque committunt prælium: & priùs quàm planè legiones explicari & consistere possent,
C tota auxilia Regis impedita ac perturbata, quòd nullo ordine, & sine timore iter fecerant, in fugam se conijciunt: equitatuque omni ferè incolumi, quòd se per littora celeriter in oppidum recepit, magnum peditum numerum interficiunt. Proxima nocte Centuriones Marsi duo ex castris Curionis cum manipularibus suis vigintiduobus ad Actium Varum perfugiunt. Hi seu verè quam habuerint opinionem, ad eum perferunt, siue etiam auribus Vari seruiunt, (nam quæ volumus, & credimus libenter: & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus) confirmant quidem certè totius exercitus animos alienos esse à Curione, maximeque opus esse in conspectum exercitum venire, & colloquendi dare facultatem. Qua opinione
D adductus Varus, postero die manè legiones ex castris educit: facit idem Curio, atque vna valle non magna interiecta, suas vterque copias instruit. Erat in exercitu Vari Sex. Quintilius Varus, quem fuisse Corfinij suprà demonstratum est. Hic dimissus à Cæsare, in Africam venerat: legionesque eas traduxerat, quas superioribus temporibus Corfinio receperat Cæsar, adeò vt paucis mutatis Centurionibus, ijdem ordines manipulique constarent. Hanc nactus appellationis causam Quintilius, circumire aciem Curionis, atque obsecrare milites cœpit, ne primam sacramenti quod apud Domitium atque apud se quæstorem dixissent, memoriam deponerent: neu contra eos arma ferrent, qui eadem essent vsi fortuna, ea-
E demque in obsidione perpessi: neu pro his pugnarent, à quibus in contumeliam perfugæ appellarentur. His pauca ad spem largitionis addit, quæ à sua liberalitate, si se atque Actium secuti essent, expectare deberent. Hac habita oratione, nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio, atque ita suas vterque copias reducit: atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor. Nam is varijs hominum sermonibus celeriter augetur. vnusquisque enim opiniones fingebat, & ad id quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. Hoc vbi vno authore ad plures permanauerat, atque alius alij tradiderat, plures authores eius rei videbantur: ciuile bellum, genus hominum quod liceret liberè facere, & sequi quod *

Curio imperator appellatur.

Sex. Quintilius Varus.

Perfugarum ignominia.

Timor in castris Curionis.

Rumoris incrementum.

vellent legiones hæ quæ paulò antè apud aduersarios fuerant. nam etiam F
Cæsaris beneficium mutauerat consuetudo, qua offerrentur municipia
etiam diuersis partibus coniuncta. Neque enim ex Marsis Pelignisque
* veniebant, vt qui superiore nocte in contubernijs, commilitesque, non-
nulli grauiores sermones militum vulgò duriùs accipiebant: nonnulla
6 etiam ab ijs, qui diligentiores videri volebant, fingebantur. † Quibus de
causis concilio conuocato, de summa rerum deliberare incipit. Erant sen-
rentiæ quæ conandum omnibus modis, castraque Vari oppugnanda cen-
serent, quòd huiusmodi militum consilijs ocium maximè contrarium
esse arbitrarentur. Postremò præstare dicebant, per virtutem in pugna
belli fortunam experiri, quàm desertos & circunuentos à suis, grauissi- G
mũ supplicium pati. Porrò erant, qui censerẽt de tertia vigilia in castra Cor-
neliana recedendum, vt maiore spatio temporis interiecto, militum men-
tes sanarentur: simul, si quid grauiùs accidisset, magna multitudine na-
Curionis deliberatio. uium & tutiùs & faciliùs in Siciliam receptus daretur. Curio vtrunque
improbans consilium, quantum alteri sententiæ deesset animi, tantum
alteri superesse dicebat. hos turpissimæ fugæ rationem habere, illos et-
iam iniquo loco dimicandum putare. Qua enim, inquit, fiducia, & o-
pere, & natura loci munitissima castra expugnari posse confidimus? aut
„ verò quid proficimus, si accepto magno detrimento, ab oppugnatione
„ castrorum discedimus? Quasi non & felicitas rerum gestarum, exercitus H
„ beneuolentiam Imperatoribus, & res aduersæ odia concilient. Castro-
„ rum autem mutatio quid habet, nisi turpem fugam, & desperationem
„ omnium, & alienationem exercitus? Nam neque prudentes suspicari o-
„ portet, sibi parum credi, neque improbos, scire sese timeri: quòd illis li-
„ centiam timor augeat, nostris studia diminuat. Quòd si iam, inquit, hæc
explorata habemus, quæ de exercitus alienatione dicuntur, quæ quidem
ego aut omninò falsa, aut certè minora opinione esse confido, quanto
„ hæc dissimulari & occultari, quàm per nos confirmari præstat? An non v-
„ ri corporis vulnera, ita exercitus incommoda sunt tegenda, ne spem ad-
„ uersarijs augeamus? At etiam vt media nocte proficiscamur, addunt: quò I
„ maiorem (credo) licentiam habeant, qui peccare conentur. Nanque hu-
„ iusmodi res aut pudore aut metu tenentur: quibus rebus nox maximè ad-
„ uersaria est. Quare neque tanti sum animi, vt sine spe castra oppugnan-
da censeam: neque tanti timoris, vt ipse deficiam: atque omnia prius ex-
perienda arbitror: magnaque ex parte iam me vnà vobiscum de re iudi-
Curionis ad milites concio. cium facturum confido. Dimisso concilio, concionem aduocat militum:
commemorat quo sit eorum vsus studio ad Corfinium Cæsar, vt magnam
partem Italiæ beneficio atque authoritate eorum suam fecerit. Vos enim,
vestrumq; factũ, inquit, omnia deinceps municipia sunt secuta: neq; sine
causa & Cæsar amicissimè de vobis, & illi grauissimè iudicauerunt. Pom- K
peius enim nullo prælio pulsus, vestri facti præiudicio demotus, Italia ex-
cessit. Cæsar me, quem sibi charissimum habuit, prouinciamq; Siciliam,
atque Africam, sine quibus Vrbem atque Italiam tueri non potest, vestræ
fidei commisit. Adsunt qui vos hortentur, vt à nobis discedatis. Quid
enim est illis optatiùs, quàm vno tempore & nos circunuenire, & vos
nefario scelere obstringere? Aut quid irati grauiùs de vobis sentire pos-
sunt, quàm vt eos prodatis, qui se vobis omnia debere iudicant? & in
eorum potestatem veniatis, qui se per vos perisse existimant? An ve-
rò in Hispania res gestas Cæsaris non audistis? duos pulsos exercitus?
duos

A duos superatos duces? duas receptas prouincias? hæc acta diebus XL. quibus in conspectum aduersariorum venerit Cæsar? An qui incolumes resistere non potuerunt, perditi resistent? Vos autem * incerta victoria Cæsarem secuti, dijudicati iam belli fortuna, victum sequemini, cùm vestri officij præmia percipere debeatis? Desertos enim se ac proditos à vobis dicunt, & prioris sacramenti mentionem faciunt. Vósne verò L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit? nónne extremam pati fortunam paratos proiecit ille? non sibi clàm vobis salutem fuga petiuit? non proditi per illum, Cæsaris beneficio estis conseruati? Sacramento quidem vos teneri quî potuit, cùm proiectis fascibus, & deposito imperio, pri-
B uatus & captus ipse in alienam venisset potestatem? Relinquitur noua religio, vt eo neglecto sacramento quo tenemini, respiciatis illud quod deditione ducis, & capitis diminutione sublatum est. At, credo, si Cæsarem probatis, iam me offenditis, qui de meis in vos meritis prædicaturus non sum, quæ sunt adhuc & mea voluntate, & vestra expectatione leuiora. Sed tamen sui laboris milites semper euentu belli præmia petiuerunt: qui qualis sit futurus, ne vos quidem dubitatis. Diligentiam quidem nostram, aut, quem ad finem adhuc res processit, fortunam cur præteream? An pœnitet vos quòd saluum atque incolumem exercitum nulla omninò naue desiderata traduxerim: quòd classem hostium primo im-
C petu adueniens profligauerim? quòd bis per biduum equestri prælio superauerim? quòd ex portu sinuque aduersariorum CC. naues onerarias adduxerim, eoque illos compulerim, vt neque pedestri itinere, neque nauibus commeatu iuuari possint? Hac vos fortuna atque his ducibus repudiatis, Corfiniensem ignominiam * in Italiæ fuga, an Hispaniarum deditionem * in Africi belli præiudicio sequimini? Equidem me Cæsaris militem dici volui: vos me Imperatoris nomine appellauistis: cuius si vos pœniret, vestrum vobis beneficium remitto, mihi meum restituite nomen, ne ad contumeliam honorem dedisse videamini. Qua oratione permori milites, crebrò etiam dicentem interpellabant, vt magno cum
D dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. Discedentem verò ex concione, vniuersi cohortantur, magno sit animo, neu dubitet prælium committere, & suam fidem virtutemque experiri. Quo facto commutata omnium & voluntate & opinione, consensu suo constituit. Curio, cùm primùm sit data potestas, prælio rem committere. Postero die productos, eodem loco quo superioribus diebus constiterant, in acie collocat. Ne Varus quidem Actius dubitat copias producere, siue solicitandi milites, siue æquo loco dimicandi detur occasio, ne facultatem prætermittat. Erat vallis inter duas acies, vt suprà demonstratum est, non ita magno aut difficili & arduo ascensu. Hanc vterque si aduersariorum
E copiæ transire conarentur, expectabat, quo æquiore loco prælium committeretur. simul à sinistro cornu P. Actij equitatus omnis, & vnà leuis armaturæ interiecti complures, cùm se in vallem demitterent, cernebantur. Ad eos Curio equitatum, & duas Marrucinorum cohortes mittit: quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, sed amissis equis ad suos refugerunt. relicti ab his, qui vnà procurrerant leuis armaturæ, circunueniebantur, atq; interficiebantur à nostris. Huc tota Vari conuersa acies, suos fugere & concidi videbat. Tum Rebilius legatus Cæsaris, quem Curio secum ex Sicilia duxerat, quòd magnum habere vsum in re militari sciebat, Perterritum, inquit, hostem vides Curio: quid dubitas vti tem-

*certa.

*an Italiæ fugam.

*an Afr. bel. præiudicia.

Infidelitatis suspicio grauis.

Prælium inter Actium Varum et Curionē.

temporis opportunitate? Ille vnum elocutus, vt memoria tenerent milites ea quæ sibi pridie confirmâssent, sequi sese iubet: & præcurrit ante omnes: adeoque erat impedita vallis, vt in ascensu nisi subleuati à suis primi, non facilè eniterentur. Sed præoccupatis animis Actianorum militum timore, & fuga & cæde suorum, nihil de resistendo cogitabant, omnesque iam se ab equitatu circumueniri arbitrabantur. Itaque priùs quàm telum adijci posset, aut nostri propiùs accederent, omnis Vari acies terga vertit, seque in castra recepit. Qua in fuga Fabius Pelignus quidam ex infimis ordinibus de exercitu Curionis, primum agmen fugientium consecutus, magna voce Varum nomine appellans requirebat, vti vnus esse ex eius militibus, & monere aliquid velle ac dicere videretur. Vbi ille sæpiùs appellatus aspexit, ac restitit, & quis esset, aut quid vellet, quæsiuit: humerum apertum gladio appetit, paulumq; abfuit, quin Varum interficeret: quod ille periculum sublato, ad eius conatum scuto vitauit. Fabius à proximis militibus circumuentus, interficitur: à fugientium multitudine ac turba portæ castrorum occupantur, atque *impediuntur: pluresque in eo loco sine vulnere, quàm in prælio aut fuga intereunt. Neque multùm abfuit, quin etiam castris expellerentur: ac nonnulli protinùs eodem cursu in oppidum contenderunt. Sed cùm loci natura, & munitio castrorum aditum prohibebant, tùm quòd ad prælium egressi Curionis milites, his rebus indigebant, quæ ad oppugnationem castrorum erant vsui. Itaque Curio exercitum in castra reducit, suis omnibus præter Fabium incolumibus, ex numero aduersariorum circitèr sexcentis interfectis, atque vulneratis, qui omnes discessu Curionis, multique prætereà per simulationem vulnerum ex castris in oppidum propter timorem sese recipiunt. Qua re animaduersa Varus, & terrore exercitus cognito, buccinatore in castris, & paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit. Postero die Curio Vticam obsidere, & vallo circummunire instituit. Erat in oppido multitudo insolens belli, diuturnitate ocij: Vticenses pro quibusdam Cæsaris in se beneficijs, illi amicissimi: conuentus qui ex varijs generibus constarent: terror ex superioribus prælijs magnus. Itaque de deditione omnes palàm loquebantur, & cum P. Actio agebant, ne sua pertinacia omnium fortunas perturbari vellet. Hæc cùm agerentur, nuncij præmissi à Rege Iuba venerunt, qui illum cum magnis copijs adesse dicerent, & de custodia ac defensione vrbis hortarentur. Quæ res eorum perterritos animos confirmauit. Nunciabantur hæc eadem Curioni, sed aliquandiu fides fieri non poterat. tantam habebat suarum rerum fiduciam. Iamque Cæsaris in Hispania res secundæ, in Africam nuncijs ac literis perferebantur. Quibus omnibus rebus sublatus, nihil contra se Regem *nisurum existimabat. Sed vbi certis authoribus cōperit minùs v. & x x. millibus longè ab Vtica eius copias abesse, relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. Huc frumentum comportare, castra munire, materiam conferre cœpit. Statimque in Siciliam misit, vti duæ legiones, reliquusque equitatus ad se mitteretur. Castra erant ad bellum ducendum aptissima, natura, & loci munitione, & maris propinquitate, & aquæ & salis copia, cuius magna vis iam ex proximis erat salinis eò congesta. Non materia multitudine arborum, non frumentum, cuius erant plenissimi agri, deficere poterat. Itaque suorum omnium consensu Curio reliquas copias expectare, & bellum ducere parabat. His constitutis rebus, probatisque consilijs, exper-

Margin notes: Vari fuga. — Fabij Peligni facinus audax. — *iter impeditur. — Vtica obsidio. — *ausurum. — Ducere bellum.

Margin letters: F, G, H, I, K

A ex perfugis quibuſdam oppidanis audit Iubam reuocatum finitimo bello & controuerſijs Leptitanorum, reſtitiſſe in regno, & Saburam eius præfectum cum mediocribus copijs miſſum Vticæ appropinquare. His auctoribus temerè credens, conſilium commutat, & prælio rem committere conſtituit. Multum ad hanc rem probandam adiuuat adoleſcentia, magnitudo animi, ſuperioris temporis prouentus, fiducia rei benè gerendæ. His rebus impulſus, equitatum omnem, prima nocte ad caſtra hoſtium mittit ad flumen Bagradam, quibus præerat Sabura, de quo antè erat auditum. Sed rex cum omnibus copijs inſequebatur, & ſex millium paſſuum interuallo à Sabura conſederat. Equites miſſi nocte iter conficiunt: imprudenteis atque inopinanteis hoſtes aggrediuntur. Numidæ enim quadam barbara conſuetudine nullis ordinibus paſſim cõſederant. Hos oppreſſos ſomno & diſperſos adorti, magnum eorum numerum interficiunt, multi perterriti profugiunt. Quo facto, ad Curionem equites reuertũtur, captiuoſq; ad eum reducunt. Curio cum omnibus copijs quarta vigilia exierat, cohortibuſque quinque caſtris præſidio relictis. Progreſſus millia paſſuum ſex, equites inuenit, rem geſtam cognouit. ex captiuis quærit, quis caſtris ad Bagradam præſit. reſpondent Saburam. reliqua ſtudio itineris conficiendi quærere prætermittit: proximaq; reſpiciens ſigna, Videtíſne, inquit, milites, captiuorum orationem cum perfugis conuenire? abeſſe regem, exiguas eſſe copias miſſas, quæ paucis equitibus pares eſſe non potuerunt? Proinde ad prædam, ad gloriam properate, vt iam de præmijs veſtris, & de referenda gratia cogitare incipiamus. Erant per ſe magna, quæ geſſerant, equites, præſertim cùm eorum exiguus numerus cum tanta multitudine Numidarum conferretur. Hæc tamen ab ipſis inflatiùs commemorabantur: vt de ſuis homines laudibus inſolenter quidem, ſed libenter prædicant. Multa præterea ſpolia præferebantur: capti homines equiteſque producebantur: vt quicquid intercederet temporis, hoc omne victoriam morari videretur. Ita ſpei Curionis, militum ſtudia non deerant. Equites ſequi iubet ſeſe: iterque accelerat, vt quàm maximè ex fuga perterritos adoriri poſſet. At illi itinere totius noctis confecto, ſubſequi non poterant, atque alij alio loco reſiſtebant. Ne hæc quidem res Curionem ab ſpe morabatur. † Iuba certior factus à Sabura de nocturno prælio, duo millia Hiſpanorum & Gallorum equitum, quos ſuæ cuſtodiæ cauſa circum ſe habere conſueuerat, & peditum eam partem, cui maximè confidebat, Saburæ ſubmittit: ipſe cum reliquis copijs, elephantiſque x l. lentiùs ſubſequitur, ſuſpicatus præmiſſis equitibus ipſum affore Curionem. Sabura copias equitum peditumque inſtruit, atque his imperat, vt ſimulatione timoris paulatim cedant, ac pedem referant: ſeſe, cùm opus eſſet, ſignum prælij daturum, & quod rem poſtulare cognouiſſet, imperaturum. Curio ad ſuperiorem ſpem addita præſentis temporis opinione, hoſtes fugere arbitratus, copias ex locis ſuperioribus in campum deducit: quibus ex locis cùm longus eſſet progreſſus, confecto iam labore exercitu, x v i. millium ſpatio conſiſtit. Dat ſuis ſignum Sabura, aciem conſtituit, & circumire ordines, atque hortari incipit: ſed peditatu duntaxat procul ad ſpeciem vtitur, equites in aciem immittit. Non deeſt negocio Curio, ſuoſque hortatur vt ſpem omnem in virtute reponant. Nec militibus quidem vt defeſſis, neque equitibus vt paucis, & labore confectis, ſtudium ad pugnandum virtuſque deerat: ſed hi numero ducenti (reliqui in itinere ſubſtiterant)

Sabura regis Iubæ præfectus.

Numidarum clades.

Laudes ſuas libenter homines deprædicant.

Galli & Hiſpani equites in cohorte prætoria Iubæ.

Curionis & Saburæ prælium.

Margin letters: A, B, C, D, E.

rant) quancunque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere coge- F
bant: sed neque longiùs fugientes prosequi, nec vehementiùs equos in-
citare poterant. At equitatus hostium ab vtroque cornu circumire a-
ciem nostram, & auersos proterere incipit. Cùm cohortes ex acie pro-
Numidarum aduersus Curionem strategema. currissent, Numidæ integri celeritate impetum nostrorum effugiebant:
rursúsque ad ordines suos se recipientes, circumibant, & ab acie exclude-
bant. Sic neque in loco manere, ordinémque seruare, neque procurre-
re, & casum subire, tutum videbatur. Hostium copiæ summissis ab Re-
ge auxilijs, crebrò augebantur: nostros vires lassitudine deficiebant. si-
mul ij qui vulnera acceperant, neque acie excedere, neque in locum tu-
tum referri poterant, quòd tota acies equitatu hostium circundata tene- G
» batur. Hi de se sua salute desperantes, vt extremo vitæ tempore homi-
» nes facere consuêrunt, aut suam mortem miserabantur, aut parentes suos
» commendabant, si quos ex eo periculo fortuna seruare potuisset. Ple-
Curionis discrimen. na erant omnia timoris, & luctus. Curio vbi perterritis omnibus, ne-
que cohortationes suas, neque preces audiri intelligit: vnam, vt miseris
in rebus, spem reliquam salutis esse arbitratus, proximos colles capere v-
niuersos, atque eò signa inferri iubet. Hos quoque præoccupat missus
à Sabura equitatus. Tum verò ad summam desperationem nostri per-
ueniunt, & partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim inte-
gri procumbunt. Hortatur Curionem Cn. Domitius præfectus equi- H
tum, cum paucis equitibus circumsistens, vt fuga salutem petat, atque
Curionis & suorum cædes. in castra contendat: & se ab eo non discessurum pollicetur. At Curio
nunquam se amisso exercitu, quem à Cæsare fideicommissum acceperit,
in eius conspectum reuersurum confirmat: atque ita prælians interfici-
tur: equites perpauci ex prælio se recipiunt. Sed ij quos ad nouissimum
agmen equorum reficiendorum causa substitisse demonstratum est, fu-
ga totius exercitus procul animaduersa, sese incolumes in castra confe-
runt: milites ad vnum omnes interficiuntur. His rebus cognitis M. Ru-
fus Quæstor in castris relictus à Curione, cohortatur suos, ne animo de-
ficiant: illi orant, atque obsecrant, vt in Siciliam nauibus reportentur. I
Pollicetur, magistrísque imperat nauium, vt primo vespere omnes scaphas
Timoris vis. ad littus appulsas habeant. Sed tantus fuit omnium terror, vt alij adesse
copias Iubæ dicerent, alij cum legionibus instare Varum, iamque se pul-
uerem venientium cernere (quarum rerum nihil omninò acciderat) a-
lij classem hostium celeriter aduolaturam suspicarentur. Itaque perter-
ritis omnibus, sibi quisque consulebat. Qui in classe erant, proficisci
properabant. Horum fuga, nauium onerariarum magistros incitabat.
Lenunculi, nauigia piscatoria. Pauci lenunculi ad officium imperiumque conueniebant. Sed tanta e-
rat completis littoribus contentio, qui potissimùm ex magno numero
conscenderent, vt multitudine atque onere nonnulli deprimerentur: re- K
liqui hoc timore propiùs adire tardarentur. Quibus rebus accidit, vt pau-
ci milites patresque familiæ, qui aut gratia aut misericordia valerent, aut
naues adnare possent, recepti, in Siciliam incolumes peruenirent: reli-
quæ copiæ missis ad Varum noctu legatis cum Centurionibus, sese ei
dediderunt: quorum cohortes militum Iuba postero die ante oppidum
conspicatus, suam esse prædicans prædam, magnam partem eorum in-
terfici iussit: paucos electos in regnum remisit. Cùm Varus suam fidem
ab eo lædi quereretur, neque resistere auderet, ipse equo in oppidum ve-
ctus, prosequentibus compluribus senatoribus (quo in numero erat Ser-
uius

A uius Sulpitius, & Licinius Damasippus) paucis diebus, quæ fieri vellet, Vticæ constituit, atque imperauit, diebusque æquè pòst paucis se in regnum cum omnibus copijs recepit.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBER III.

B Tertij libri capita.

1 *Cæsaris Dictatoris diligentia in vrbanis rebus constituendis, & Pompeij copiarum ingens magnitudo.*

2 *Cæsar in Pharsaliam traijcit: eius aliquot inanes naues Bibulus incendit. Salonenses sese ab Octauij obsidione fortiter liberant.*

3 *Cæsaris ad Pompeium legatio de pace, & eius in illo consequendo celeritas.*

4 *Colloquia de pace Pompeianorum insolentia impedita.*

5 *Motus vrbanus à Senatu repressus, & Milonis, Cœlijq; Prætoris nece extinctus.*

C 6 *Naualis Cæsarianorum pugna secunda: item eiusdem tyronum ignauia, & veteranorum virtus.*

7 *Cæsar & Pompeius statiua castra mouent. Scipionis auaritia & crudelitas in pecunijs ab Asiaticis exigendis.*

8 *Scipionis & Domitij leues aliquot pugnæ equestres.*

9 *Cæsar & Pompeius castris propè positis leuibus prælijs inter se contendunt.*

10 *Cæsarianorum patientia in penuria rei frumentariæ perferenda.*

11 *Aduersum prælium Pompeij ad castra Cæsaris, & aliquot Cæsarianorum militum virtus.*

D 12 *Cæsar Pompeium ad prælium prouocat. Pompeius pabuli inopia laborat. ad eum Allobroges duo perfugiunt.*

13 *Pompeij prælium secundum aduersus Marcellinum Cæsaris Quæstorem.*

14 *Cæsaris pugna secunda: & vicissim Pompeij victoria insignis.*

15 *Cæsar habita oratione suos confirmat: magnisq; itineribus emensis, cùm eum Pompeius sequeretur, Domitij se copijs ad Thessaliam coniungit.*

16 *Thessalia Cæsari adiungitur. Pompeiani coniunctis Scipionis copijs, de Cæsarianorum bonis inter se partiendis deliberant.*

17 *Vtriusq; exercitus comparatio ad pugnam, & simul Imperatorum ad milites cohortatio.* E

18 *Cæsaris de Pompeio victoria Pharsalica, & summa eiusdem in persequenda victoria celeritas.*

19 *Cassius Cæsariana classe ad Messanam incensa, in fugam compellitur. Cæsar Pompeium persequitur, qui ad Ptolemæum Regem profugus perfidiosè interficitur.*

20 *Portenta Cæsaris victoriam indicantia, & eiusdem industria in Alexandria & Rege occupando.*

21 *Cæsar Pharum prehendit, & Alexandriæ partem aduersus Achillæ copias communit.*

I DICTATORE habenre comitia Cęsare, consules creantur Iulius Cæsar, & P. Seruilius. Is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret. His rebus confectis, cùm fides tota Iralia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerenrur, constituir vt arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum & rerum quanti quæq; earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem nouatum tabularum tollendum, minuendumque (qui ferè bella & ciuiles dissensiones sequi consueuit) & ad debitorum tuendam existimarionem esse aptissimum existimauit. Item Prætoribus, Tribunisq; plebis rogationes ad populum ferentibus nonnullos ambirus Pompeia lege damnatos illis temporibus, quibus in Vrbe præsidia legionum Pompeius habuerat, (quæ iudicia alijs audientibus iudicibus, alijs sententiam ferentibus, singulis diebus erant perfecta) in integrum restituit, qui se illi initio ciuilis belli obtulerant, si sua opera in bello vti veller, perinde æstimans, ac si vsus esset, quoniam sui fecissent potestatem. Statuerat enim hos priùs iudicio populi debere restitui, quàm suo beneficio videri receptos: ne aut ingratus in referenda gratia, aut arrogans in præripiendo populi beneficio videretur. His rebus, & ferijs Latinis, comitijsque omnibus perficiendis vndecim dies rribuit, dicturaq; se abdicat, & ab Vrbe proficiscitur, Brundusiumque péruenit. Eò legiones duodecim, equitatum omnem venire iusserat. Sed tantum nauium reperit, vt angustè xv. millia legionariorum militum, & quingenti equites transportati possent. Hoc vnum inopia nauium Cæsari ad conficiendi belli celeritatem defuit: atque hæ ipsæ copiæ hoc infrequentiores imponuntur, quòd multi Gallicis tot bellis defeceranr, longumque iter ex Hispania magnum numerum diminuerat, & grauis autumnis in Apulia, circumq; Brundusium, ex saluberrimis Galliæ & Hispaniæ regionibus, omnem exercitum valetudine tentauerat. Pompeius anni spatium ad comparandas copias nactus, quod vacuum à bello, atque ab hoste ociosum fuerat, magnam ex Asia, Cycladibusque Insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phœnice, & Aegypto classem coëgerat, magnam quoque in omnibus locis ex ædificandam curauerat: magnam imperatam Asiæ, Syriæ, Regibusque omnibus, & Dynastis, & Tetrarchis, & liberis Achaiæ populis pecuniam exegerat: magnam societates earum prouinciarum quas ipse obtinebat, sibi numerare coëgerat. Legiones effecerat ciuium Romanorum, nouē, quinque ex Italia, quas traduxerat, vnam ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus Gemellam appellabat: vnam ex Creta & Macedonia ex veteranis militibus, qui dimissi à superioribus Imperatoribus in his prouincijs consederant: duas ex Asia, quas Lentulus consul conscribendas curauerat. Prętereà magnum numerum ex Thessalia, Bœotia, Achaia, Epiroque, supplementi nomine in legiones distribuerat. His Antonianos milires admiscuerat. Præter has expectabat cùm Scipione ex Syria legiones duas. Sagittariorum ex Creta, Lacedæmone, Ponto, atq; Syria, reliquisq; ciuitatibus, tria millia numero habebat, funditorum cohorres sexcenarias duas, delectorum equitum septem millia, ex quibus *sexcentos Gallos Deiotarus adduxerat, quingentos Ariobarzanes ex Cappadocia: ad eundem numerum Cotus ex Thracia dederat, & Sasalem filium miserat. Ex Macedonia cc. erant, quibus Rascipolis præerat, excellenti virtute. Quingentos ex Gabinianis Ale-

Marginalia: *P. Seruilius.* — *Fides angustior.* — *Memorabile factum.* — *Tabula noua.* — *Pompeia lex.* — *Cæsaris æquitas.* — *Cæsar Brundusium peruenit.* — *Gallia & Hispania regiones saluberrimæ.* — *Pompeij copia.* — *Legiones Pompeij.* — *Gemella legio.* — **duo millia Deiotarus.* — *Ariobarzanes.* — *Cotus Thrax.* — *Rascipolis.*

Section letters in right margin: F, G, H, I, K

A Alexandria Gallos Germanoſque, quos ibi A. Gabinius pręſidij cauſa apud
Regem Ptolemæum reliquerat, Pompeius filius cum claſſe adduxerat: o-
ctingentos, quos ex ſeruis ſuis paſtorumque ſuorum coëgerat. Trecentos
Tarcondarius Caſtor, & Doniſaus ex Gallogræcia dederant. Horum alter *Tarcondarius Caſtor.*
vnà venerat, alter filium miſerat. Ducenti ex Syria à Comageno Antiocho, *Doniſaus.*
cui magna præmia Pompeius tribuit, miſſi erant, in his plerique hippoto- *Antiochus.*
xotæ. Huc Dardanos, Beſſoſque, partim mercenarios, partim imperio aut *Comagenus.*
gratia comparatos, item Macedonas, Theſſalos, & reliquarum gentium &
ciuitatum adiecerat, atque eum, quem ſuprà demonſtrauimus numerum,
expleuerat. Frumenti vim maximam ex Theſſalia, Aſia, Aegypto, Creta, Cy
B renis, reliquiſque regionibus comparauerat. Hyemare Dyrrhachij, Apollo-
niæ, omnibuſq; oppidis maritimis conſtituerat, vt mare Cæſarem tranſire *Claſſis Pompeiana.*
prohiberet: eiuſq; rei cauſa omni in ora maritima claſſem diſpoſuerat. Prę-
erat Aegyptijs nauibus Pompeius filius, Aſiaticis Decius Lælius, & C. Tria-
rius, Syriacis C. Caſſius, Rhodijs C. Marcellus cum C. Pomponio, Liburni-
cæ atq; Achaicæ claſſi Scribonius Libo, & M. Octauius. toti tamen officio
maritimo M. Bibulus præpoſitus, cuncta adminiſtrabat: ad hunc ſumma *M. Bibulus.*
imperij reſpiciebat. † Cæſar vt Brunduſium venit, concionatus apud mili- 2
tes, quoniam propè ad finem laborum ac periculorum eſſet peruentum, ę-
quo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipſi expe-
C diti naues conſcenderent, quò maior numerus militum poſſet imponi, o-
mniaque ex victoria & ex ſua liberalitate ſperarent: conclamantibus om-
nibus imperaret quod vellet, quodcunq; imperauiſſet, ſe æquo animo eſſe
facturos: pridie Nonas Ianuarias naues ſoluit, impoſitis (vt ſuprà demon-
ſtratum eſt) legionibus V I I. poſtridie terram attingit Græcorum, ſaxa *Copiarum Cæſaris in Pharſaliam traiectio.*
inter & alia loca periculoſa quietam nactus ſtationem: & portus omnes ti-
mens, quos teneri ab aduerſarijs arbitrabatur, ad eum locum, qui appella- *Pharſalia.*
tur Pharſalia, omnibus nauibus ad vnam incolumibus milites exponit. E-
rat Orici Lucretius Hiſpilo, & Minutius Rufus cum Aſiaticis nauib. X V I I I. *Oricum.*
quibus iuſſu D. Lælij præerat: M. Bibulus cum nauibus C X. Corcyræ: ſed ne- *Lucretius Hiſpilo. Minutius Rufus.*
D que hi ſibi cōfiſi ex portu prodire ſunt auſi, cùm Cæſar omninò X I I. naues
longas præſidio duxiſſet, in quibus erat etiam ipſe: neque illi Bibulus, impe- *M. Bibulus.*
ditis nauibus, diſperſiſque remigibus, ſatis maturè occurrit: quòd priùs ad
continentem viſus eſt Cæſar, quàm de eius aduentu fama omninò in eas
regiones perferretur. Expoſitis militibus, naues eadem nocte Brunduſium
à Cæſare remittuntur, vt reliquæ legiones equitatuſque tranſportari poſ-
ſent. Huic officio præpoſitus erat Fuſius Calenus legatus, qui celeritatem *Fuſius Calenus.*
in tranſportandis legionibus adhiberet: ſed ſeriùs à terra prouectæ naues,
neque vſę nocturna aura, in redeundo offenderunt. Bibulus enim Corcyrę
certior factus de aduentu Cæſaris, ſperans alicui ſe parti onuſtarū nauium
E occurrere poſſe, inanibus occurrit: & nactus circiter X X X. in eas diligen- *Cæſaris X X X. naues incenſa.*
tiæ ſuæ ac doloris iracundia erupit, omneſq; incendit, eodemq; igne nau-
tas dominoſq; nauium interfecit, magnitudine pœnæ reliquos deterrere
ſperans. Hoc confecto negocio, à Salonis ad Orici portum ſtationes litto- *Orici portus.*
raq; omnia longè lateq; claſſibus occupauit, cuſtodijſq; diligentiùs diſpoſi-
tis, ipſe grauiſſima hyeme in nauibus excubabat, neq; vllum laborem aut
munus deſpiciens, neq; ſubſidium expectans, ſi in Cæſaris * complexū ve- ** conſpectum.*
nire poſſet. * Sed poſt diſceſſum liburnarum ex Illyrico, M. Octauius cum
ijs quas habebat nauibus Salonas peruenit: ibiq; concitatis Dalmatis, reli- *Marcus Octauius*
quiſq; barbaris, Hiſſam ab amicitia Cęſaris auertit: conuentumq; Salona- *Salona. Hiſſa.*

Conuentus Salonarum. rum cùm neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permo- F
uere posset, oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum & loci natu-
ra & colle munitum. Sed celeriter ciues Romani ligneis effectis turribus se-
se munierunt: & cùm essent infirmi ad resistendum propter paucitatem ho
minum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium descenderũt,
seruosque omnes puberes liberauerunt, & præsectis omnium mulierum
Mulierum crines præsecti ad tormenta efficienda. crinibus, tormenta effecerunt. Quorum cognita sententia, Octauius qui-
nis castris oppidum circundedit, atque vno tempore obsidione & oppu-
gnationib. eos premere cœpit. Illi omnia perpeti parati, maximè re frumen
taria laborabant. Qua de re missis ad Cæsarem legatis, auxilium ab eo pete-
bant, reliquà vt poterant per se incommoda sustinebant. Et longo interpo- G
Diuturnitas negligentiores efficit. sito spatio, cùm diuturnitas oppugnationis negligentiores Octauianos ef-
Egregium facinus. fecisset, nacti occasionem meridiani temporis discessu eorum, pueris mu-
lieribusque in muro dispositis, ne quid quotidianæ consuetudinis deside-
raretur, ipsi manu facta cum ijs, quos nuper manumissos liberauerant, in
proxima Octauij castra irruperunt. His expugnatis, eodem impetu altera
sunt adorti, inde tertia, & quarta, & deinceps reliqua: omnibusque eos ca-
stris expulerunt, & magno numero interfecto, reliquos atque ipsum Octa-
uium in naues confugere coëgerunt. Hic fuit oppugnationis exitus. Iamq;
hyems appropinquabat, & tantis detrimentis receptis, Octauius desperata
4 expugnatione oppidi, Dyrrhachiũ sese ad Pompeium recepit. † Demonstra H
L. Vibullius Rufus. tum est L. Vibullium Rufum Pompeij præfectum bis in potestatem venisse
Cæsaris, atque ab eo esse dimissum: semel ad Corfinium, iterum in Hispa-
nia. Hunc pro suis beneficijs Cęsar idoneum iudicauerat, quem cum man-
datis ad Cn. Pompeium mitteret: eundemque apud Cn. Pompeium autho
Cæsaris ad Pompeiũ legatio æquissima. ritatem habere intelligebat. Erat autem hæc summa mandatorum, debere
vtrunque pertinaciæ finem facere, & ab armis discedere, neq; ampliùs for-
tunam periclitari: satis esse magna vtrinque incommoda accepta, quæ pro
disciplina & præceptis habere possent, vt reliquos casus timerent: Illum ab
Italia expulsum, amissa Sicilia & Sardinia, duabusque Hispanijs, & cohorti-
bus in Italia atque Hispania ciuium Romanorum centum, atque triginta: I
se morte Curionis, & detrimento Africani exercitus tanto, militumq; de-
ditione ad Corcyram. Proinde sibi ac Reip. parcerent: quantumque in bel-
lo Fortuna posset, iam ipsi incommodis suis satis essent documento. Hoc
vnum esse tempus de pace agendi, dum sibi vterq; confideret, & pares am-
bo viderentur. Si verò alteri paulùm modò tribuisset fortuna, non esse vsu-
rum conditionibus pacis eum qui superior videretur: neque fore æqua par
te contentum, qui se omnia habiturũ confideret. Conditiones pacis, quo-
niam anteà conuenire non potuissent, Romę à Senatu & à populo peti de-
bere. Interea & Reipub. & ipsis placere oportere, si vterque in concione sta-
tim iurauisset se triduo proximo exercitum dimissurum: depositisq; armis K
auxilijsq; quibus nunc confiderent, necessariò populi Senatusq; iudicio fo
re vtrunq; contentum. Hæc quò faciliùs Pompeio probari possent, omnes
suas terrestres vrbiumq; copias dimissurum. Vibullius his expositis Corcy-
ræ, non minùs necessarium esse existimauit de repentino aduentu Cæsaris
Pompeium fieri certiorem, vti ad id consilium capere posset antè quàm de-
mandatis agi inciperet: atque ideò continuato & nocte & die itinere, atq;
Mutandorũ iumentorum vsus in celeritate. mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit, vt adesse Cæsa-
rem omnibus copijs nunciaret. Pompeius erat eo tempore in Candauia,
Candauia. iterq; ex Macedonia in hyberna Apolloniam Dyrrhachiumque habebat.

Sed

A Sed re noua perturbatus, maioribus itineribus Apolloniam petere cœpit,
ne Cæsar oræ maritimæ ciuitates occuparet. At ille expositis militibus, eo-
dem die Oricum proficiscitur. Quò cùm venisset, L. Torquatus qui iussu *L. Torquatus Orici*
Pompeij oppido præerat, præsidiumque ibi Parthinorum habebat, cona- *præfectus.*
tus portis clausis oppidum defendere, Græcos murum ascendere, atque ar-
ma capere iubet. Illi autem, cùm se contra * imperium populi Romani pu- **imperatorem.*
gnaturos esse negarent, oppidani autem sua sponte Cæsarem reciperecona
rentur, desperatis omnibus auxilijs, portas aperuit, & se atq; oppidum Cæ-
sari dedidit: incolumisque ab eo conseruatus est. Recepto Cæsar Orico, *Oricum Cæsar reci-*
nulla interposita mora Apolloniam proficiscitur. Eius aduentu audito, L. *pit.* *L. Straberius Apollo*
B Straberius, qui ibi præerat, aquam comportare in arcem, atque eam muni- *niæ præfectus.*
re, obsidesque ab Apolloniatibus exigere cœpit. Illi verò daturos se negare,
neque portas consuli præclusuros, neq; sibi iudicium sumpturos contra id
quod omnis Italia populusq; Romanus iudicauisset. quorum cognita vo-
luntate, clàm profugit ab Apollonia Straberius. Illi ad Cęsarem legatos mit
tunt, oppidoq; recipiunt. Hos sequuntur Bellidenses, Amatini, & reliquæ *Bellidenses.*
finitimæ ciuitates, totaque Epirus: & legatis ad Cæsarem missis, quæ impe- *Amatini.*
raret facturos se pollicentur. At Pompeius cognitis ijs rebus, quæ erant O- *Epirus.*
rici atq; Apolloniæ gestæ, Dyrrhachio timens, diurnis eò nocturnisq; itine
ribus contendit: quò simul ac Cæsar appropinquare dicebatur, tantus ter-
C ror incidit eius exercitui, quòd properans noctem diei coniunxerat, neque
iter intermiserat, vt penè omnes in Epiro finitimisque regionibus signa re-
linquerent, complures arma proijcerent, ac fugæ simile iter videretur. Sed
cùm prope Dyrrhachium Pompeius constitisset, castraque metari iussisset,
perterrito etiam tum exercitu, princeps Labienus procedit, iuratq; se eum *Labienus.*
non deserturum, eundemque casum subiturum, quemcunque ei fortuna
tribuisset. Hoc idem reliqui iurant legati. Hos Tribuni militum, Centurio-
nesque sequuntur, atque idem omnis exercitus iurat. Cęsar perfecto occu-
pato itinere ad Dyrrhachium, finem properandi facit, castraq; ad flumen
Apsum ponit in finibus Apolloniatium, vt vigilijs castellisque benè meritę *Apsus flu.*
D ciuitates tutæ essent præsidio: ibiq; reliquarum ex Italia legionum aduen-
tum expectare, & sub pellibus hyemare constituit. Hoc idem Pompeius fa- *Cæsar & Pompeius*
cit, & trans flumen Apsum positis castris, eò copias omnes auxiliaque con- *ad Apsum flu. castra*
ducit. Calenus legionibus equitibusque Brundusij in naues impositis, vt e- *metantur.*
rat præceptum à Cęsare, quantum nauium facultatem habebat, naues sol-
uit, paulumque à portu progressus, literas à Cæsare accipit, quibus est cer-
tior factus, portus littoraque omnia classibus aduersariorum teneri. Quo
cognito, se in portum recipit, nauesq; omnes reuocat. Vna ex his quæ per-
seuerauit, neque imperio Caleni obtemperauit (quòd erat sine militibus,
priuatoque consilio administrabatur) delata Oricum, atque à Bibulo ex-
E pugnata est: qui de seruis liberisque omnibus ad impuberes supplicium su-
mit, & ad vnum interficit. Ita exiguo tempore, magnoque casu, totius exer
citus salus constitit. Bibulus, vt suprà demonstratum est, erat cum classe ad *Bibuli classis ad Ori*
Oricum: & sicut mari portibusque Cæsarem prohibebat, ita ipse omni ter- *cum.*
ra earum regionum prohibebatur. Præsidijs enim dispositis omnia littora
à Cæsare tenebantur: neque lignandi, neque aquandi, neque naues ad ter-
ram religandi potestas fiebat. Erat res in magna difficultate, summisq; an-
gustijs rerum necessariarum premebantur, adeò vt cogerentur sicuti reli-
quum commeatum, ita ligna atque aquam Corcyra nauibus onerarijs sup
portare. Atq; etiam vno tempore accidit, vt difficilioribus vsi tempestati-

Roris excipiendi ratio. bus, ex pellibus quibus erant tectæ naues, nocturnum excipere rorem cogerentur: quas tamẽ difficultates patienter & æquo animo ferebant, neq; sibi nudanda littora, & relinquendos portus existimabant. Sed cùm essent F
Libo. in quibus demonstraui angustijs, ac se Libo cum Bibulo coniunxisset, lo-
M. Acilius. quuntur ambo ex nauibus cum M. Acilio & Statio Murco legatis, quorum
Statius Murcus. alter oppidi muris, alter præsidijs terrestribus præerat, velle se de maximis rebus cum Cæsare loqui, si sibi eius facultas detur. Huc addunt pauca rei confirmandæ causa, vt de compositione acturi viderentur. Interim postulant, vt sint induciæ, atq; ab his impetrant. magnum enim quod afferebant, videbatur, & Cæsarem id summè sciebant cupere: & profectum aliquid Bibuli mandatis existimabatur. Cæsar eo tempore cum legione vna G
profectus ad recipiendas vlteriores ciuitates, & rem frumentariam expe-
Buthrotum oppid. diendam, qua anguste vtebatur, erat ad Buthrotum * oppidum Corcyræ:
** oppositum.* vbi certior ab Acilio & Murco per literas factus de postulatis Libonis & Bibuli, legionem relinquit, ipse Oricum reuertitur. Eò cùm venisset, euocantur illi ad colloquium. prodit Libo, atque excusat Bibulum: quòd is iracundia summa erat, inimicitiasque habebat etiam priuatas cum Cæsare, ex ædilitate & prætura conceptas, ob eam rem colloquium vitâsse, ne res maximæ spei, maximæq; vtilitatis, eius iracundia impedirentur. Pompeij summam esse ac fuisse semper voluntatem vt componeretur, atque ab armis discederetur: sed potestatem eius rei se nullam habere, propterea H
quòd de concilij sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint: sed postulatis Cæsaris cognitis missuros ad Pompeium, atque illum reliqua perfecturum, hortantibus ipsis. Intereà manerent induciæ, dum ab illo redire posset, neue alter alteri noceret. Huc addit pauca de causa, & de copijs auxilijsque suis. Quibus rebus neque tum respondendum Cæsar existimabat, neque nunc, vt memoriæ prodatur, satis causæ putamus. Postulabat Cæsar, vt legatos sibi ad Pompeium sine periculo mittere liceret, idque ipsi fore reciperent, aut acceptos per se ad eum perducerent. Quod ad inducias pertineret, sic belli rationem esse diuisam, vt illi classe naues auxiliaque sua impedirent; ipse vt aqua terraq; eos pro- I
hiberet: & si hoc sibi remitti vellent, remitterent ipsi de maritimis custodijs: si illud tenerent, se quoque id retenturum. nihilominùs tamen agi posse de compositione, vt hæc non remitterentur: neque hanc rem esse impedimenti loco. Illi neque legatos Cæsaris recipere, neque periculum præstare eorum, sed totam rem ad Pompeium reijcere: vnum instare de inducijs, vehementissimeq; contendere. Quē vbi Cæsar intellexit præsentis periculi atque inopiæ vitandæ causa omnem orationem instituisse, neq; vllam spem aut conditionem pacis afferre, ad reliquam cogitationem belli sese recepit. Bibulus multos dies terra prohibitus, & grauiore morbo ex frigore ac labore implicitus, cùm neq; curari posset, neque susceptum offi- K
Bibuli mors. cium deserere vellet, vim morbi sustinere non potuit. Eo mortuo, ad neminem vnum summa imperij redijt, sed separatim suam quisq; classem ad arbitrium suum administrabat. Vibullius sedato tumultu, quem repentinus aduentus Cæsaris concitauerat: vbi primùm rursus adhibito Libone, & L. Luceio, & Theophane (quibus communicare de maximis rebus Pompeius consueuerat) de mandatis Cæsaris agere instituit, cum ingressum ser-
Pompeij dictum. monẽ Pompeius interpellauit, & loqui plura prohibuit. Quid mihi, inquit, aut vita aut ciuitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor? Cuius rei opinio tolli non poterit, nisi cum in Italiã, ex qua profectus sum, reductus

A ductus existimabor bello perfecto. Ab ijs Cæsar hæc dicta cognouit, qui
sermoni interfuerunt: conatus tamen nihilominùs est alijs rationibus per
colloquia de pace agere. Inter bina castra Pompeij atq; Cæsaris vnum flu-
men tantùm intererat Apsus, crebraq; inter se colloquia milites habebant,
neque vllum interim telum per pactiones colloquentium traijciebatur.
Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea quæ maximè *P. Vatinius.*
ad pacem pertinere viderentur, ageret, & crebrò magna voce pronuncia-
ret, liceretne ciuibus ad ciues de pace legatos mittere, quod etiam fugiti-
uis à saltu Pyrenæo, prædonibusq; licuisset, præsertim vt id agerent, ne ci-
ues cum ciuibus armis decertarent? Multa suppliciter locutus, vt de sua at-
B que omnium salute debebat: silentioq; ab vtrisq; militibus facto, auditum
responsum est ab altera parte, A. Varronem profiteri se altera die ad collo- *A. Varrò.*
quium venturum: atque vnà etiam vtrinq; admodum tutò legati venire,
& quæ vellent, exponere possent: certumq; ei rei tempus constituitur. Quò
cùm esset postero die ventum, magna vtrinque multitudo conuenit, ma-
gnaq; erat eius rei expectatio: atque omnium animi intenti ad pacem esse
videbantur. Qua ex frequentia T. Labienus prodit. summissa oratione lo- *Colloquium Pompe-*
qui de pace, atq; altercari cum Vatinio incipit. Quorum mediam oratio- *ianorum & Cæsa-*
nem interrumpunt subitò vndique tela immissa, quæ ille obtectus armis *rianorum.*
militum vitauit. vulnerantur tamen complures, in his Cornelius Balbus,
C M. Plotius, L. Tiburtius, Centuriones militesq; nonnulli. Tum Labienus, *Labieni insolentia.*
Desinite ergo de compositione loqui. nam nobis, nisi Cæsaris capite rela- *Romæ gesta.*
to, pax esse nulla potest. † Iisdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus 5
prætor causâ debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta *M. Cælius Rufus*
C. Trebonij prætoris vrbani sellam collocauit: & si quis appellauisset de *prætor.* *C. Trebonius.*
æstimatione & de solutionibus quæ per arbitrium fierent, vt Cæsar præ-
sens constituerat, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat æquitate decreti,
& humanitate Trebonij, qui his temporibus clementer & moderatè ius
dicendum existimabat. vt reperiri non possent à quibus initium appel-
„ landi nasceretur. Nam fortasse inopiam excusare, & calamitatem aut
D propriam suam aut temporum queri, & difficultates auctionandi propo-
„ nere, etiam mediocris est animi: integras verò tenere possessiones, qui se
„ debere fateantur, cuius animi, aut cuius impudentiæ est? Itaque hoc qui
postularet, reperiebatur nemo: atque ipsis ad quorum commodum per-
tinebat, durior inuentus est Cælius: & ab hoc profectus initio, ne fru-
strà ingressus turpem causam videretur, legem promulgauit, vt sexies seni
dies sine vsuris creditæ pecuniæ soluantur. Cùm resisteret Seruilius con- *Seruilius consul.*
sul, reliquiq; magistratus, & minùs opinione sua efficeret, ad hominum
excitanda studia sublata priore lege duas promulgauit: vnam, qua merce- *Leges Cælia.*
des habitationum annuas conductoribus donauit: aliam tabularum no-
E uarum. impetuq; multitudinis in C. Trebonium facto, & nonnullis vul-
neratis, eum de tribunali deturbauit. De quibus rebus Seruilius consul ad
Senatum retulit: Senatusq; Cælium ab Repub. remouendum censuit. Hoc *Cælius de rep. re-*
decreto, eum consul Senatu prohibuit, & concionari conantem de rostris *motus.*
deduxit. Ille ignominia & dolore permotus, palàm proficisci se ad Cæsarem
simulauit: clàm nuncijs ad Milonem missis, qui Clodio interfecto, eius no
mine erat damnatus. Atq; eo in Italiam euocato, quòd magnis muneribus *Milo in Italiã euo-*
datis, gladiatoriæ familiæ reliquias habebat, sibi coniunxit: atque eum in *catus.*
Turinum ad solicitandos pastores præmisit. Ipse cùm Casilinum venisset, *Casilinum.*
vnoq; tempore signa eius militaria atque arma Capuæ essent comprehen- *Capua.*

ſa,& familia Neapoli viſa,atq; proditio oppidi appareret, patefactis conſi- F
lijs exclusus Capua, & periculum veritus, quòd conuentus arma ceperat, atque eum hoſtis loco habendum exiſtimabat, conſilio deſtitit, atq; eo itinere ſeſe auertit. Interim Milo dimiſſis circum municipia literis, ea quæ faceret, iuſſu atque imperio facere Pompeij, quæ mandata ad ſe per Bibulum delata eſſent: quos ex ære alieno laborare arbitrabatur, ſolicitabat: apud quos cùm proficere nihil poſſet, quibuſdam ſolutis ergaſtulis Coſam in agro Turino oppugnare cœpit. vbi cùm à Q. Pædio prætore cum legione, lapide ictus eſſet ex muro, perijt: & Cælius profectus, vt ipſe tunc dictitabat, ad Cæſarem, peruenit Turios. Vbi cùm quoſdam eius municipij ſolicitaret, equitibuſq; Cæſaris Gallis atq; Hiſpanis, qui eò prædandi cau- G
ſa miſſi erant, pecuniam pollicitaretur, ab his eſt interfectus. Itaque magnarum initia rerum, quæ occupatione magiſtratuum & temporum ſo-
6 licitam Italiam habebant, celerem & facilem exitum habuerunt. † Libo profectus ab Orico cum claſſe (cui præerat) nauium quinquaginta Brundusium venit: inſulamque quæ contra Brunduſinum portum eſt, occupauit: quòd præſtare locum vnum arbitrabatur, quà neceſſarius noſtris erat egreſſus, quàm omnium littora ac portus cuſtodia clauſos tueri. Hic repentino aduentu naues onerarias quaſdam nactus incendit, & vnam frumento onuſtam abduxit, magnumque noſtris terrorem iniecit: & noctu militibus ac ſagittarijs in terram expoſitis, præſidium equitum deie- H
cit: & adeò loci opportunitate profecit, vt ad Pompeium literas mitterer, naues reliquas, ſi vellet, ſubduci & refici iuberet: ſua claſſe ſeſe auxilia Cæſaris prohibiturum. Erat eo tempore Antonius Brunduſij, qui virtute militum confiſus, ſcaphas nauium magnarum circiter ſexaginta cratibus pluteiſque contexit, eoque milites delectos impoſuit, atque eas in littore pluribus locis ſeparatim diſpoſuit: naueſque triremes duas, quas Brunduſij faciendas curauerat per cauſam exercendorum remigum, ad fauces portus prodire iuſſit. Has cùm audaciùs progreſſas Libo vidiſſet, ſperans intercipi poſſe, quadriremes quinque ad eas miſit: quæ cùm nauibus noſtris appropinquâſſent, noſtri veterani in portum refugerunt, il- I
li ſtudio incitati incautiùs ſequebantur. Iam ex omnibus partibus ſubitò Antonianæ ſcaphæ ſigno dato ſe in hoſtes incitauerunt, primoque impetu vnam ex his quadriremem cum remigibus defenſoribuſq; ſuis ceperunt: reliquas turpiter refugere coëgerunt. Ad hoc detrimentum acceſſit, vt equitibus per oram maritimam ab Antonio diſpoſitis aqua prohiberentur. Qua neceſſitate & ignominia permotus Libo diſceſſit à Brundusio, obſidionemq; noſtrorum omiſit. Multi iam menſes tranſierant, & hyems præcipitauerat, neque Brunduſio naues legioneſque ad Cæſarem veniebant, ac nonnullæ eius rei prætermiſſæ occaſiones Cæſari videbantur, quòd certè ſæpe flauerant venti quibus neceſſariò committendum exiſti- K
mabat. Quantoq; eius ampliùs proceſſerat temporis, tanto erant alacriores ad cuſtodias qui claſſibus præerant, maioremq; fiduciam prohibendi habebant: & crebris Pompeij literis caſtigabantur, quoniam primò venientem Cæſarem non prohibuiſſent, vt reliquos eius exercitus impedirent, duriuſque quotidie tempus ad tranſportandum lenioribus ventis expectabant. Quibus rebus permotus Cæſar Brunduſium ad ſuos ſeuerius ſcripſit, vt nacti idoneum ventum, ne occaſionem nauigandi dimitterent, * ſi vel ad littora Apolloniatium curſum dirigere, atque eò naues eijcere poſſent. Hæc à cuſtodibus claſſium loca maximè vacabant,

Coſa.
Milonis mors.

Calij mors.

Libo cũ claſſe Brunduſium venit.

*& ad Oricum ſiue ad litt. Ap. cur. dirigerent, quod eo na.

A cabant, quòd se longis portibus committere non auderent. Illi adhibita audacia & virtute, administrantibus M. Antonio, & Fusio Caleno, multum ipsis militibus hortantibus, neque vllum periculum pro salute Cæsaris recusantibus, nacti Austrum naues soluunt, atque altero die Apolloniam Dyrrhachiumq; præteruehuntur. Qui cùm essent ex continenti visi, Q. Coponius, qui Dyrrhachij classi Rhodiæ præerat, naues ex portu educit: & cùm iam nostris remissiore vento appropinquasset, idem Auster increbuit, nostrisq; præsidio fuit. Neque verò ille ob eam causam conatu desistebat, sed labore & perseuerantia nautarum se vim tempestatis superare posse sperabat: præteruectosq; Dyrrhachium magna vi venti, nihilo segniùs sequebatur. Nostri vsi Fortunæ beneficio, tamen impetum classis timebant, si fortè ventus remisisset. Nacti portum qui appellatur Nymphæum, vltra Lyssum millia passuum tria, eò naues introduxerunt, qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus: leuiusque tempestatis, quàm classis periculum existimauerunt. Quò simul atque intrò est itum, incredibili felicitate Auster qui per biduum flauerat, in Africum se vertit. Hic subitam commutationem Fortunæ videre licuit. Qui modò sibi timuerant, hos tutissimus portus recipiebat: qui nostris nauibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. Itaq; tempore commutato, tempestas & nostros texit, & naues Rhodias afflixit, ita vt ad vnũ omnes constratæ numero XVI. eliderentur, & naufragio interirent, & ex magno remigum propugnatorumque numero pars ad scopulos allisa interficeretur, pars à nostris distraheretur: quos omnes conseruatos Cæsar domum remisit. Nostræ naues duæ, tardiùs cursu confecto, in noctem coniectæ, cùm ignorarent quem locum reliquæ cepissent, contra Lyssum in anchoris constiterunt. Has scaphis minoribusq; nauigijs compluribus sumptis, Octacilius Crassus qui Lyssi præerat, expugnare parabat: simul de deditione eorum agebat, & incolumitatem deditis pollicebatur. Harum altera nauis ducentos viginti ex legione tyronum sustulerat, altera ex veterana paulò minùs ducentis se compleuerat. Hic cognosci licuit quantum esset hominibus præsidij in animi fortitudine. Tyrones enim multitudine nauium perterriti, & salo nauseaque confecti, iureiurando accepto nihil his nocituros hostes, se Octacilio dediderunt: qui omnes ad eum perducti, contra religionem iurisiurandi in eius conspectu crudelissimè interficiuntur. At veteranæ legionis milites item conflictati & tempestatis & sentinæ vitijs, non ex pristina virtute remittendum aliquid putauerunt, sed tractandis conditionibus, & simulatione deditionis extracto primo noctis tempore, gubernatorem in terram nauem eijcere cogunt: ipsi idoneum locum nacti, reliquam noctis partem ibi confecerunt: & luce prima missis ad eos ab Octacilio equitibus, qui eam partem oræ maritimæ adseruabant, circitèr CCCC. quiq; eos armati ex præsidio secuti sunt, se defenderunt, & nonnullis eorum interfectis, incolumes se ad nostros receperunt. Quo facto conuentus ciuium Romanorum qui Lyssum obtinebat, quod oppidum his anteà Cæsar attribuerat, muniendumq; curauerat, Antonium recepit, omnibusq; rebus iuuit. Octacilius sibi timens, oppido fugit, & ad Pompeiũ peruenit. Ex omnibus copijs Antonius, quarum erat summa veteranorum trium legionum, vniusq; tyronum, & equitum octingentorum, plerasq; naues in Italiam remittit ad reliquos milites equitesque transportandos. Pontones, quod est genus nauium Gallicarum, Lyssi relinquit, hoc consilio, vt si

Marginal notes: B (at "lo segniùs"), C (at "omnes constratæ"), D (at "quantum esset"), E (at "tibus, qui eam partem"); Q. Coponius. — Nymphæum portus. — Fortunæ vicissitudo. — Nauium Rhodiarũ naufragium. — Octacilius Crassus. — Animi fortitudinẽ præsidium. — Tyronum ignauia. — Veteranorum fortitudo. — Lyssum opp. — Pontones.

vt si fortè Pompeius vacuam existimans Italiam eò traiecisset exercitum F (quæ opinio erat edita in vulgus) aliquam Cæsar ad insequendum facultatem haberet. nunciosque ad eum celeriter mittit, quibus regionibus 7 exercitum exposuisset, & quid militum transuexisset. † Hæc eodem ferè tempore Cæsar atque Pompeius cognoscunt. Nam præteruectas Apolloniam Dyrrachiumque naues viderant, ipsi iter secundum eas terras direxerant. Sed quò essent eæ delatæ, primis diebus ignorabant: cognitaque re, diuersa sibi ambo consilia capiunt: Cæsar, vt quamprimùm se cum Antonio coniungeret: Pompeius, vt venientibus se in itinere opponeret, & sic imprudentes ex insidijs adoriri posset. Eodemque die vterque eorum ex castris statiuis à flumine Apso exercitum educunt: Pompeius G clàm & noctu, Cæsar palàm atque interdiu. Sed Cæsari circuitu maiore iter erat longius, aduerso flumine, vt vado transire posset. Pompeius, quia expedito itinere flumen ei transeundum non erat, magnis itineribus ad Antonium contendit. Atque vbi eum appropinquare cognouit, idoneum locum nactus, ibi copias collocauit, suosque omnes castris continuit, ignesque fieri prohibuit, quò occultior esset eius aduentus. Hæc ad Antonium statim per Græcos deferuntur. Ille missis ad Cæsarem nuncijs, vnum diem sese castris tenuit. Altero die ad eum peruenit Cæsar. Cuius aduentu cognito Pompeius, ne duobus circuncluderetur exerci-

Asparagum. tibus, ex eo loco discedit, omnibusque copijs ad Asparagum Dyrrachinorum H peruenit, atque ibi idoneo loco castra ponit. His temporibus Scipio

Amanus mons. detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis, imperatorem

Scipio imperatorem se appellat. sese appellauerat: quo facto ciuitatibus tyrannisque magnas imperauerat pecunias. Item à Publicanis suæ prouinciæ debitam biennij pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat, equitesque toti

Parthi Romanorum hostes. prouinciæ imperauerat: quibus coactis, finitimis hostibus Parthis post se relictis, qui paulò antè M. Crassum imperatorem interfecerant, & M. Bibulum in obsidione habuerant, legiones equitesque ex Syria deduxerat: summaque cum solicitudine ac timore Parthici belli in prouinciam cùm venisset, ac nonnullæ militum voces tum audirentur, sese contra hostem, I si ducerentur, ituros, contra ciuem & consulem arma non laturos: deductis Pergamum atque in locupletissimas vrbes in hyberna legionibus, ma-

Largitiones Scipionis. ximas largitiones fecit, & confirmandorum militum causa diripiendas his ciuitates dedit. Interim acerbissimè imperatæ pecuniæ tota prouincia

Auaritia Scipionis. exigebantur: multa prætereà generatim ad auaritiam excogitabantur. In capita singula seruorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur: cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Non solùm vrbibus, sed penè vicis castellisque singuli cum imperio præficiebantur. Qui horum quid acerbissimè crude- K lissimeque fecerat, is & vir & ciuis optimus habebatur. Erat plena lictorum & imperiorum prouincia, conferta præfectis atque exactoribus, qui præter imperatas pecunias suo etiam priuato compendio seruiebant. Dictitabant enim se domo patriaque expulsos, omnibus necessarijs egere rebus: vt honesta præscriptione rem turpissimam tegerent. Accedebant ad hæc

Vsuræ graues. grauissimæ vsuræ, quod in bello plerunque accidere consueuit, vniuersis imperatis pecunijs. quibus in rebus prolationem diei, donationem esse dicebant. Itaque æs alienum prouinciæ eo biennio multiplicatum est. Neque minus ob eam causam ciuibus Romanis eius prouinciæ, sed in sin-

A in singulos conuentus, singulasq́; ciuitates, certæ pecuniæ imperabantur,
mutuasq́; illas ex senatusconsulto exigi dictitabant: Publicanis vti in sor-
te fecerint insequentis anni vectigal pro mutuo. Præterea Ephesi à fano *Scipio Dianæ fanum*
Dianæ depositas antiquitùs pecunias Scipio tolli iubebat, cæterasq́; eius *spoliari iubet.*
Deæ statuas. Cùm in fanum ventum esset, adhibitis compluribus sena-
torij ordinis, quos aduocauerat Scipio, literæ ei redduntur à Pompeio,
mare transijsse cum legionibus Cæsarem: properaret ad se cum exercitu
venire, * omniaq́; posthaberet. His literis acceptis, quos aduocauerat, ** omnibusq́; quæ ha-*
dimittit: ipse iter in Macedoniam parare incipit, paucisq́ue pòst diebus *beret.*
est profectus. hæc res Ephesiæ pecuniæ salutem attulit. Cæsar Antonij
B exercitu coniuncto, deducta Orico legione, quam tuendæ oræ mariti-
mæ causa posuerat, tentandas sibi prouincias, longiusq́ue procedendum
existimabat. Et cùm ad eum legati venissent ex Thessalia Aetoliaq́;, qui
præsidio misso pollicerentur earum gentium ciuitates imperata facturas,
L. Cassium Longinum cum legione tyronum, quæ appellabatur vigesima *L. Cassius Longinus.*
septima, atque equitibus ducentis in Thessaliam, C. Caluisium Sabinum *Tyronum legio, le-*
cum cohortibus quinque paucisq́ue equitibus in Aetoliam misit: maxi- *gio vigesimaseptı-*
meq́; eos, quòd erant propinquæ regiones, de re frumentaria vt prouide- *ma.*
rent, hortatus est. Cn. Domitium Caluinum cum legionibus duabus vn- *C. Caluisius.*
decima & duodecima, & equitibus quingentis in Macedoniam proficisci *Cn. Domitius Caluinus.*
C iubet: cuius prouinciæ ab ea parte quæ Libera appellabatur, Menedemus *Menedemus.*
princeps, earum regionum missus legatus, omnium suorum excellens stu-
dium profitebatur. Ex his Caluisius primo aduentu summa omniū Aeto-
lorum receptus voluntate, præsidijs aduersariorum Calidone & Naupa- *Calidon.*
cto reiectis, omni Aetolia potitus est. Cassius in Thessaliam cum legione *Naupactus.*
peruenit. Hic cùm essent factiones duæ, varia voluntate ciuitatum vteba-
tur. Egesaretus veteris homo potentiæ Pompeianis rebus studebat: Petre- *Egesaretus.*
ius summæ nobilitatis adolescens suis ac suorum opibus Cæsarem enixè *Thessalus.*
iuuabat. Eodemq́ue tempore Domitius in Macedoniam venit: & cùm *Petreius.*
ad eum frequentes ciuitatum legationes conuenire cœpissent, nuncia-
D tum est adesse Scipionem cum legione, magna & opinione & fama om-
nium. Nam plerunque in nouitate fama antecedit. † Hic nullo in lo- 8
co Macedoniæ moratus, magno impetu contendit ad Domitium: & *Fama in nouitate antecedit.*
cùm ab eo millia passuum viginti abesset, subitò se ad Cassium Longi-
num in Thessaliam conuertit. Hoc adeò celeriter fecit, vt simul adesse
& venire nunciaretur. Et quò iter expeditius faceret, M. Fauonium ad *M. Fauonius.*
flumen Haliacmonem, quod Macedoniam à Thessalia diuidit, cum co- *Haliacmon fl.*
hortibus octo præsidio impedimentis legionis reliquit, castellumq́ue
ibi muniri iussit. Eodem tempore equitatus Regis Coti ad castra Cassij ad- *Cotus Rex.*
uolauit, qui circum Thessaliam esse consueuerat. Tum timore perterritus
E Cassius, cognito Scipionis aduentu, visisq́; equitibus, quos Scipionis esse
arbitrabatur, ad montes se conuertit qui Thessaliam cingunt, atq́; ex his
locis Ambraciam versus iter facere cœpit. At Scipionem properantem se- *Ambracia.*
qui, literæ sunt consecutæ à M. Fauonio, Domitium cum legionibus ad-
esse, neq́; se præsidium vbi constitutus esset, sine auxilio Scipionis tenere
posse. Quibus literis acceptis consilium Scipio iterq́; commutat: Cassium
sequi desistit, Fauonio auxilium ferre contendit. Itaq́; die ac nocte conti-
nuato itinere ad eum peruenit, tam opportuno tempore, vt simul Domi-
tiani exercitus puluis cerneretur, & primi antecursores Scipionis videren-
tur. Ita Cassio industria Domitij, Fauonio Scipionis celeritas salutem attu-
lit.

lir. Scipio in castris statiuis biduo moratus ad flumen (quod inter eum & F
*Alijsic.mi. Domitij castra fluebat) * Haliacmonem, tertio die prima luce exercitum
vado traducit: & castris positis, postero die manè copias ante frontem ca-
strorum struit. Domitius tum quoque sibi dubitandum non putauit, quin
productis legionibus prælio decertaret. sed cùm esset inter bina castra
campus circitèr millium passuum sex, Domitius castris Scipionis aciem
suam subiecit: ille à vallo non discedere perseuerauit. Attamen ægrè re-
tentis Domitianis militibus est factum ne prælio contenderetur: & ma-
ximè, quòd riuus difficilibus ripis castris Scipionis subiectus, progressus
nostrorum impediebat. Quorum studium alacritatemq; pugnandi cùm
cognouisset Scipio, suspicatus fore vt postero die aut inuitus dimicare co- G
geretur, aut magna cum infamia castris se contineret, qui cùm magna ex-
pectatione venisset, temerè progressus turpem habuit exitum: & noctu ne
conclamatis quidē vasis flumen transit, atq; in eandem partem ex qua ve-
nerat, redit. Ibiq; prope flumen edito natura loco castra posuit. Paucis die-
bus interpositis noctu insidias equitū collocauit, quo in loco superiorib'
ferè diebus nostri pabulari consueuerant. & cum quotidiana consuetudi-
Q. Varus. ne Q. Varus præfectus equitum Domitij venisset, subitò illi ex insidijs con-
surrexerunt: sed nostri fortiter eorū impetum tulerunt, celeriterq; ad suos
*vniuersi. quisq; ordines redijt, atq; vltrò * conuersi in hostes impetum fecerunt. Ex
his circitèr octoginta interfectis, reliquis in fugā coniectis, duobus amis- H
sis in castra se receperunt. His rebus gestis Domitius sperans Scipionem ad
pugnam elici posse, simulauit sese angustijs rei frumentariæ adductū castra
mouere: vasisq; militari more conclamatis, progressus millia passuum tria,
loco idoneo & occulto omnem exercitum equitatumq; collocauit. Sci-
pio ad sequendum paratus, equitatum, magnamq; partem leuis armaturæ
ad explorandum iter Domitij & cognoscendum præmisit. qui cùm essent
progressi, primæq; turmæ insidias intrauissent, ex fremitu equorum illata
suspicione, ad suos se recipere cœperunt: quiq; hos sequebantur, celerem
eorum receptum conspicati, restiterunt. Nostri cognitis insidijs, ne frustrà
reliquos expectarent, duas nacti hostium turmas exceperunt. in his fuit M. I
M. Opimius. Opimius præfectus equitum. Reliquos omnes earum turmarū aut inter-
fecerunt, aut captos ad Domitiū deduxerunt. Deductis oræ maritimæ præ-
sidijs, Cæsar (vt suprà demonstratum est) tres cohortes Orici oppidi tuen-
di causa reliquit, ijsq; custodiam nauium longarum tradidit quas ex Italia
Caninius. traduxerat. Huic officio oppidoq; Caninius legatus præerat. Is naues no-
stras in interiorem partē post oppidum reduxit, & ad terram deligauit, fau-
cibusq; portus nauem onerariam submersam obiecit, & huic alteram con
iunxit super quas turrim effectā ad ipsum introitū portus opposuit, & mi-
Cn. Pompeij filius classi Aegyptiæ præfectus. litibus compleuit, tuendamq; ad omnes repentinos casus tradidit. Qui-
bus cognitis rebus, Cn. Pompeius filius, qui classi Aegyptiç præerat, ad Ori- K
cum venit, summersamq; nauim remulco, multis colligans funibus, abdu-
xit: atq; alteram nauem quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus
aggressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres, vt ex superiori pu-
gnans loco, integrosq; defatigatis summittens, & reliquis partibus simul
ex terra scalis, & classe mœnia oppidi tentans, vt aduersariorum manus di-
duceret, labore & multitudine telorum nostros vicit: deiectisque defen-
soribus, qui omnes scaphis excepti refugerant, etiam nauem expugnauit.
Eodemque tempore ex altera parte molem tenuit naturalem obiectam,
quæ peninsulam contra oppidum effecerat. Quatuor biremes subie-

ctis

A ctis ſcutulis impulſas vectibus in interiorem partē traduxit, ita vt ex vtraq; parte naues longas aggrederetur quæ erant deligatæ ad terram: atq; naues quatuor ex his abduxit, reliquas incendit. Hoc confecto negocio D. Læliū

Nauium Cæſarianarum caſus.

B



Scenographia ex pugnationis Orici oppidi à Cn. Pompeio.

A. Moles naturalis quæ obiectā penè inſulam contra oppidū efficit.
B. Portus.
C. Mare.

C

ab Aſiatica claſſe abductum reliquit, qui commeatus Bullide atq; Amantia importari in oppidum prohibebat. Ipſe Lyſſum profectus, naues onerarias triginta à M. Antonio relictas intra portū aggreſſus, omnes incendit. Lyſſum expugnare conatus, defendentibus ciuibus Romanis qui eius erant conuentus, militibuſque quos præſidij cauſa miſerat Cæſar, triduum mo-
D ratus, paucis in oppugnatione amiſſis, re infecta inde diſceſſit. † Cæſar 9
poſtquàm Pompeium ad Aſparagum eſſe cognouit, eòdem cum exercitu profectus, & expugnato in itinere oppido Parthinorum, in quo Pompeius præſidium habebat: tertio die in Macedoniam ad Pompeium peruenit, iuxtaque eum caſtra poſuit: & poſtridie eductis omnibus copijs, acie inſtructa, decertandi poteſtatem Pompeio fecit. Vbi illum ſuis locis ſe tenere animaduertit, reducto in caſtra exercitu, aliud ſibi conſilium capiendum exiſtimauit. Itaque poſtero die omnibus copijs, magno circuitu, difficili anguſtoq; itinere Dyrrhachium profectus eſt, ſperans Pompeium aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi poſſe, quòd omnem
E commeatum, totiuſq; belli apparatum eò contuliſſet: vt accidit. Pompeius enim primò ignorans eius conſilium, quòd diuerſo ab ea regione itinere profectum videbat, anguſtijs rei frumentariæ compulſum diſceſſiſſe exiſtimabat. Poſteà per exploratores certior factus, poſtero die caſtra mouit, breuiore itinere ſe occurrere ei poſſe ſperans, quod fore ſuſpicatus Cæſar, militeſq; adhortatus vt æquo animo laborem ferrent, parua parte noctis itinere intermiſſo, manè Dyrrhachium venit, cùm primum agmen Pompeij procul cerneretur: atque ibi caſtra poſuit. Pompeius intercluſus Dyrrhachio, vbi propoſitum tenere non potuit, ſecundo vſus conſilio, edito loco qui appellatur Petra, aditumque habet nauibus mediocrem, at-

Parthinorum oppidum expugnatum

Petra.

que eas à quibusdam protegit ventis, castra communit. eò partem nauium F
longarum conuenire, frumentum commeatumque ab Asia atq; omnibus regionibus quas tenebat, comportari imperat. Cæsar longiùs bellum ductum iri existimans, & de Italicis commeatibus desperans, quòd tanta diligentia omnia littora à Pompeianis tenebantur, classesque ipsius, quas hyeme in Sicilia, Gallia, Italia fecerat, morabantur, in Epirũ rei frumentariæ causa Quintilium & L. Canuleium legatum misit. quodq; hæ regiones

L. Canuleius.

aberant longiùs, locis certis horrea constituit, vecturasq; frumenti finitimis ciuitatibus descripsit. Itẽ Lysso, Parthinisq;, & omnibus castellis, quod esset frumenti, conquiri iussit. Id erat perexiguum, cùm ipsius agri natura, quòd sunt loca aspera & montosa, ac plerunq; frumento vtuntur importato: tum quòd Pompeius hæc prouiderat, & superioribus diebus prędæ loco G
Parthinos habuerat, frumentumq; omne conquisitum, spoliatis effossisq; eorum domibus, per equites comportauerat. Quibus rebus cognitis, Cæsar consilium capit ex loci natura. Erant enim circum castra Pompeij per-

A. Castra Cæsaris.
B. Castra Pomp.
C. Castra Cæsaris.
D. Castra minora.
E. Hæc castra vetera & pridẽ derelicta.
F. Porta.
F. Porta Decumana.
G. Sylua.
H. Munitio aquationis gratia.
I. Flumen.
K. Mare.



H

I

multi editi atq; asperi colles. hos primùm præsidijs tenuit, castellaque ibi cõmunijt. inde, vt loci cuiusq; natura ferebat, ex castello in castellũ perducta munitione, circunuallare Pompeium instituit, hoc spectans, quòd angusta re frumentaria vtebatur, quodq; Pompeius multitudine equitũ vale- K
bat, quo minore periculo vndiq; frumentũ commeatumq; exercitui supportare posset: simul vti pabulatione Pompeium prohiberet, equitatumq; eius ad rem gerendam inutilem efficeret. Tertiò, vt authoritatem, qua ille maximè apud exteras nationes niti videbatur, minueret, cùm fama per orbem terrarum percrebuisset illum à Cæsare obsideri, neque audere prælio dimicare. Pompeius neq; à mari Dyrrhachioq; discedere volebat, quòd omnem apparatum belli, tela, arma, tormenta ibi collocauerat, frumentumq; exercitui nauibus supportabat: neq; munitiones Cæsaris prohibere poterat, nisi prælio decertare vellet, quod eo tempore statuerat non esse faciendum.

Pompeij apud exteros authoritas.

A ciendum. Relinquebatur, vt extremam rationem belli sequens, quàmplurimos colles occuparet, & quàmlatissimas regiones præsidijs teneret, Cæsarisque copias, quàm maximè posset, distineret. idque accidit. Castellis enim XXIIII. effectis, XV. millia passuum circuitu amplexus, hoc spacio pabulabatur: multaque erant intra eum locum manu sata, quibus interim iumenta pascerentur. Atque vt nostri qui perpetuas munitiones videbant perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani, & nostros post tergum adorirentur, timebant: ita illi interiore spacio perpetuas munitiones efficiebant, ne quo loco nostri intrare, atque ipsos à tergo circumuenire possent. Sed illi operibus vincebant, quòd

Munitiones Cæsaris & Pompeij ad Dyrrhachium.

B & numero militum præstabant, & interiore spacio minorem circuitum habebant. Quæ cùm erant loca Cæsari capienda, etsi prohibere Pompeius totis copijs, & dimicare non constituerat, tamen suis locis sagittarios funditoresq; mittebat, quorum magnum habebat numerum: multiq; ex nostris vulnerabantur: magnusq; incesserat timor sagittarum: atq; omnes ferè milites aut ex subcoactis aut ex centonibus aut ex corijs tunicas aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent. In occupandis præsidijs magna vi vterque vtebatur: Cæsar, vt quàm angustissimè Pompeium contineret: Pompeius, vt quàmplurimos colles quàmmaximo circuitu occuparet: crebraq; ob eam causam prælia fiebant. In his cùm legio Cæsaris nona præ-

C sidium quoddã occupauisset, & munire cœpisset, huic loco propinquum & contrarium collem Pompeius occupauit, nostrosque opere prohibere cœpit. Et cùm vna ex parte propè æquum aditum haberet, primùm sagittarijs funditoribusq; circumiectis, posteà leuis armaturæ magna multitudine missa, tormentisq; prolatis, munitiones impediebat. Neq; erat facilè nostris vno tempore propugnare, & munire. Cæsar cùm suos ex omnib9 partibus vulnerari videret, recipere se iussit, & loco excedere. Erat per decliue receptus. illi autem hoc acriùs instabant, neq; regredi nostros patiebantur, quòd timore adducti locũ relinquere videbantur. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompeius dixisse, nõ recusare se quin nullius vsus

Pompeius apud suos glorians de Cæsare.

D imperator existimaretur, si sine maximo detrimento legiones Cæsaris sese recepissent inde, quò temerè essent progressæ. Cæsar receptui suorũ timẽs, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, & aduersas locari, inter has mediocri latitudine fossam tectis militibus obduci iussit, locumque in omnes partes quàmmaximè impediri. Ipse idoneis locis funditores instruxit, vt præsidio nostris se recipientibus essent. His rebus completis legiones reduci iussit. Pompeiani hoc insolentiùs atque audaciùs nostros premere, & instare cœperunt: cratesque pro munitione obiectas propulerunt, vt fossas transcenderent. Quod cùm animaduertisset Cæsar, veritus ne non reducti, sed reiecti viderentur, maiusque detrimentum ca-

E peretur, à medio ferè spacio suos per Antonium qui ei legioni præerat, cohortatus, tuba signum dari, atque in hostes impetum fieri iussit. Milites legionis nonæ subitò conspicati pila coniecerunt, & ex inferiore loco aduersus pilum incitati, cursu præcipites Pompeianos egerũt, & terga vertere coëgerunt: quibus ad recipiendum crates directæ, longuriq; obiecti, & institutæ fossæ magno impedimento fuerunt. Nostri verò, qui satis habebant sine detrimento discedere, compluribus interfectis, quinq; omnino suorum amissis, quietissimè se receperunt: pauloq; * circa eum locum morari, alijs comprehensis collibus, munitiones perfecerũt. † Erat noua & 10 inusitata belli ratio, cum tot castellorum numero, tantoq; spacio, & tantis

**citra.*

munitionibus,& tanto obsidionis genere, tùm etiam reliquis rebus. Nam F
Obsidentium institutum.
quicunq; alterum obsidere conati sunt, perculsos atq; infirmos hostes adorti, aut prælio superatos, aut aliqua offensione permotos continuerunt,.
** casus au. obsid. hic se.*
cùm ipsi numero militum equitumq; præstarent. * Causa autem obsidionis hæc ferè esse consueuit, vt frumento hostes prohibeantur. At * tum
** contrà.*
integras atq; incolumes copias Cæsar inferiore militum numero continebat, cùm illi omnium rerum copia abundarent. Quotidie enim magnus vndiq; nauium numerus conueniebat, quæ commeatum supportarent: neque vllus flare ventus poterat, quin aliqua ex parte secundum cursum haberent. Ipse autem consumptis omnibus longè lateq; frumentis, summis erat in angustijs. Sed tamen hæc singulari patientia milites ferebant. G
Cæsarianorum militum patientia, ac famis tolerantia.
Recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos, labore & patientia maximum bellum confecisse. Meminerant ad Alexiam magnam se inopiam perpessos, multò etiam maiorem ad Auaricum, maximarum se gentium victores discessisse. Non illis hordeum cùm daretur, non legumina recusabant. Pecus verò, cuius rei summa erat ex Epiro copia, ma-
Carus. vide Rhellicani annotat. hic
** Chara radix ex qua panis fieret.*
gno in honore habebant. Est etiam genus radicis inuentum ab ijs qui fuerant cum Valerio, quod appellatur * Chara, quod admistum lacte multum inopiam leuabat. Id similitudinem panis efficiebat. eius erat magna copia. ex hoc effectos panes, cùm in colloquijs Pompeiani famem nostris obiectarent, vulgò in eos iaciebant, vt spem eorum minuerent. Iamq; frumen- H
ta maturescere incipiebant, atque ipsa spes inopiam sustentabat, quòd celeriter se habituros copiam confidebant. Crebræq; voces militum in vigilijs colloquijsq; audiebantur, priùs se cortice ex arboribus victuros, quàm
Equos tolerari.
Pompeium è manibus dimissuros. Libenter etiam ex perfugis cognoscebant equos eorum tolerari, reliqua verò iumenta interisse: vti autem ipsos valetudine non bona, cum angustijs loci, & odore tetro ex multitudine cadauerũ, & quotidianis laboribus insuetos operum, tum aquæ summa inopia affectos. omnia enim flumina, atq; omnes riuos qui ad mare pertinebant, Cæsar aut auerterat, aut magnis operibus obstruxerat: atque, vt erant loca montosa, & ad specus angustiæ vallium, has sublicis in terram demis- I
Aqua interclusi Pompeiani.
sis præsepserat, terramq; aggesserat, vt aquam continerent. Itaq; illi necessariò loca sequi demissa ac palustria, & puteos fodere cogebantur: atque hunc laborem ad quotidiana opera addebant: qui tamẽ fontes à quibusdã præsidijs aberant longiùs, & celeriter æstibus exarescebant. At Cæsaris exercitus optima valetudine, summaque aquæ copia vtebatur: tùm cõmeatus omni genere præter frumentũ abundabat, quibus quotidie meliùs fuccedere tempus, maioremq; spem maturitate frumentorum proponi videbant. In nouo genere belli, nouæ ab vtrisq; bellandi rationes reperiebantur. Illi cùm animaduertissent ex ignibus nocte cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio aggressi, vniuersas in multitudinem sagittas con- K
ijciebãt, & se confestim ad suos recipiebant. quibus rebus nostri vsu docti,
11 hæc reperiebant remedia, vt alio loco ignes facerent. * † Interim certior fa-
** Locus fœdè mutilatus.*
P. Sylla.
ctus P. Sylla, quem discedens castris præfecerat Cęsar, auxilio cohorti venit cum legionibus duabus. cuius aduentu facilè sunt repulsi Pompeiani: neq; verò conspectum aut impetum nostrorum tulerunt: primisq; deiectis, reliqui se verterunt, & loco cesserunt: sed insequentes nostros, ne longiùs prosequerentur, Sylla reuocauit. At plerique existimant, si acriùs insequi voluisset: bellum eo die potuisse finiri: cuius consilium reprehendendum non videtur. Aliæ enim sunt legati partes, atque imperatoris. Alter

omnia

A omnia agere ad præſcriptum, alter liberè ad ſummam rerum conſulere de- *Alia ſunt legati partes, alia imperatoris.*
bet. Sylla à Cæſare caſtris relictus, liberatis ſuis, hoc fuit contentus, ne-
que prælio decertare voluit. quæ res tamen fortaſſe aliquem reciperet ca-
ſum, ne imperatorias ſibi partes ſumpſiſſe videretur. Pompeianis magna
res ad receptum difficultatem afferebat. nam ex iniquo progreſſi loco, in
ſummo conſtiterant. ſi per decliue ſeſe reciperent, noſtros ex ſuperiore in-
ſequentes loco verebantur: neque multum ad Solis occaſum temporis ſu-
pererat. Spe enim conficiendi negocij propè in noctem rem deduxerant.
Ita neceſſario atque ex tempore capto conſilio, Pompeius tumulum quen-
dam occupauit, qui tantum aberat à noſtro caſtello, vt telum tormentúm
B ue miſſum adigi non poſſet. hoc conſedit loco, & eum communijt, om-
neſque ibi copias continuit. Eodem tempore duobus præterea locis pu-
gnatum eſt. Nam plura caſtella Pompeius pariter diſtinendæ manus cauſa
tentauerat, ne ex proximis præſidijs ſuccurri poſſet. Vno loco Volcatius *Volcatius Tullius.*
Tullius impetum legionis ſuſtinuit cum cohortibus tribus, atque eam lo-
co depulit. Altero Germani munitiones noſtras egreſſi, compluribus in-
terfectis, ſeſe ad ſuos incolumes receperunt. Ita vno die ſex prælijs factis, *Prælia ſex vno die à Cæſ. facta.*
tribus ad Dyrrhachium, tribus ad munitiones, cùm horum omnium ra-
tio haberetur, ad duorum millium numerum ex Pompeianis cecidiſſe re- *Pompeianorũ clades.*
periebamus: Euocatos & manipulares Centurioneſque complures. in eo *Valerij Flacci L. filij mors.*
C fuit numero Valerius Flaccus L. filius, eius qui prætor Aſiam obtinuerat. ſi-
gnaq; ſunt militaria ſex relata. Noſtri non ampliùs xx. omnibus ſunt præ-
lijs deſiderati: ſed in caſtello nemo fuit omnino militum, quin vulnerare-
tur: quatuorq; ex vna cohorte Centuriones oculos amiſerunt. Et cùm la- *Quatuor Centuriones vnius cohortis oculos amiſerunt.*
boris ſui periculiq; teſtimonium afferre vellent, millia ſagittarum circitèr
triginta in caſtellum conjecta Cæſari renunciauerunt: ſcutoq; ad eum re-
lato Scæuæ centurionis, inuenta ſunt in eo foramina ccxxx. quem Cæſar, *Scutum Scæuæ Centurionis 230. foraminibus confoſſum.*
vt erat de ſe meritus & de Rep. donauit millibus ęris ducentis, atq; ab octa-
uis ordinibus ad primipilũ ſe traducere pronunciauit. eius enim opera ca-
ſtellum magna ex parte conſeruatum eſſe conſtabat. Cohortemq; duplici
D ſtipendio, frumentóue, & ſpeciarijs militaribusq; donis ampliſſimè dona-
uit. Pompeius noctu magnis additis munitionibus, reliquis diebus turres
extruxit: & in altitudinem pedum xv. effectis operibus, vineis eam par-
tem caſtrorum obtexit: & quinque intermiſſis diebus, alteram noctem
ſubnubilam nactus, obſtructis omnibus caſtrorum portis, & ad impedi-
endum obiectis, tertia inita vigilia ſilentio exercitum eduxit, & ſe in anti-
quas munitiones recepit. † Aetolia, Acarnania, Amphilochis, per Caſſium 12
Longinum & Caluiſium Sabinum, vt demonſtrauimus, receptis, tentan-
dam ſibi Achaiam, ac paulò longiùs progrediendum exiſtimabat Cæſar: *Achaia.*
itaque eò Fuſium Calenum miſit: & Q. Sabinum & Caſſium cum cohor-
E tibus adiungit. Quorum cognito aduentu, Rutilius Lupus qui Achaiam *Rutilius Lupus.*
miſſus à Pompeio obtinebat, Iſthmum præmunire inſtituit, vt Achaia Fu- *Iſthmus.*
ſium prohiberet. Calenus Delphos, Thebas, & Orchomenum de volunta- *Delphi. Thebæ.*
te ipſarum ciuitatũ recepit, nonnullas vrbes per vim expugnauit, reliquas *Orchomenum.*
ciuitates circummiſſis legationibus amicitia Cæſaris conciliare ſtudebat.
In his rebus ferè erat Fuſius occupatus. Omnibus deinceps diebus Cæſar
exercitum in aciem æquum in locum produxit, ſi Pompeius prælio decer-
tare vellet, vt penè caſtris Pompeij legiones ſubijceret: tantumque à vallo
eius prima acies aberat, vti ne in eam telum tormentúmue adigi poſſet.
Pompeius autem vt famam & opinionem hominum teneret, ſic pro ca-

ſtris exercitum conſtituebat, vt tertia acies vallum contingeret, omniſq́; F
eius inſtructus exercitus telis ex vallo iniectis protegi poſſet. Hæc cùm in Achaia atque apud Dyrrhachium gererentur, Scipionemque in Macedoniam veniſſe conſtaret, non oblitus priſtini inſtituti Cæſar, mittit ad eum

Clodius Cæſaris & Scipionis familiaris.

Clodium ſuum atque illius familiarem, quem ab illo traditum initio & commendatum in ſuorum neceſſariorum numero habere inſtituerat.

Mandata Cæſaris de pace ad Scipionē.

Huic dat literas mandataq́ue ad eum, quorum hæc erat ſumma: ſeſe omnia de pace expertum, nihil adhuc arbitrari vitio factum eorum quos eſſe authores eius rei voluiſſet, quòd ſua mandata perferre opportuno tempore ad Pompeium vererentur: Scipionem ea authoritate eſſe, vt non ſolùm liberè quæ probaret, exponere, ſed etiam magna ex parte * com- G

** compellere.*

pellare, atque errantem regere poſſet: præeſſeq́; ſuo nomine exercitui, vt præter authoritatem vires quoque ad coërcendum haberet. quod ſi feciſſet, quietem Italiæ, pacem prouinciarum, ſalutem imperij, vni omnes acceptam relaturos. Hæc ad eum mandata Clodius refert: ac primis diebus, vt videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium non admittitur. Caſtigato Scipione à Fauonio, vt poſteà confecto bello reperiebamus, infectaq́ue re, ſeſe ad Cæſarem recepit. Cæſar quò faciliùs equitatum Pompeianum ad Dyrrhachium contineret, & pabulatione prohiberet, aditus duos, quos eſſe anguſtos demonſtrauimus, magnis operibus præmuniuit, caſtellaque his locis poſuit. Pompeius vbi nihil proficere equi- H
tatum cognouit, paucis intermiſſis diebus rurſus eum nauibus ad ſe intra

Pabuli equorū inopia.

munitiones recepit. Erat ſumma inopia pabuli, adeò vt folijs ex arboribus ſtrictis, & teneris arundinum radicibus contuſis equos alerent. frumenta enim quæ fuerant intra munitiones ſata, conſumpſerant, & cogebantur Corcyra atque Acarnania, longo interiecto nauigationis ſpacio, pabulum ſupportare: quóque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare. Sed poſtquàm non modò hordeum pabulumq́ue omnibus in locis, herbæq́; deſectæ, ſed etiam fructus ex arboribus deficiebant, corruptis equis macie, conandum ſibi aliquid Pompeius de eruptione exiſtimauit. Erant apud Cæſarem ex equi- I

Roſcillus & Aegus Allobroges.

tum numero Allobroges duo fratres, Roſcillus & Aegus, Adbucilli filij, qui principatum in ciuitate multis annis obtinuerat, ſingulari virtute homines, quorum opera Cæſar omnibus Gallicis bellis optima fortiſſimáque erat vſus. His domi ob has cauſas ampliſſimos magiſtratus mandauerat, atque eos extra ordinem in Senatum legendos curauerat, agroſq́; in Gallia ex hoſtibus captos, præmiaque rei pecuniariæ magna tribuerat, locupleteſq́ue ex egentibus effecerat. Hi propter virtutem non ſolùm apud Cæſarem in honore erant, ſed etiam apud exercitum chari habebantur. Sed freti amicitia Cæſaris, & ſtulta ac barbara arrogantia elati,

Stipendium militū auertentes.

deſpiciebant ſuos, ſtipendiumq́; equitum fraudabant, & prædam omnem K
domum auertebant. quibus illi rebus permoti, vniuerſi Cæſarem adierūt, palamq́; de eorum iniurijs ſunt queſti: & ad cætera addiderunt, falſum ab his equitum numerum referri, quorum ſtipendium auerterent. Cæſar neque tempus illud animaduerſionis eſſe exiſtimans, & multa virtuti eorum concedens, rem totam diſtulit: illos ſecretò caſtigauit, quòd quæſtui equi-

Quæſtui equites habere.

tes haberent: monuitq́ue equites, vt ex ſua amicitia omnia expectarent, & ex præteritis ſuis officijs reliqua ſperarent. Magnam tamen hæc res illis offenſionem & contemptionem ad omnes attulit. Idq́; ita eſſe, cùm ex aliorum obiectationibus, tùm etiam ex domeſtico iudicio atque ani-

mi

A mi conſcientia intelligebant. quo pudore adducti, & fortaſſe non ſe libe- *Sceleris conſcientia.*
rari, ſed in aliud tempus reſeruari arbitrati, diſcedere à noſtris, & nouam
tentare fortunam, nouaſque experiri amicitias conſtituerunt: & cum
paucis collocuti clientibus ſuis, quibus tantum facinus committere au-
debant, primùm conati ſunt præfectum equitum C. Voluſenum interfi- *C. Voluſenum præf. equitum.*
cere, vt poſteà bello confecto cognitum eſt: vt cum munere aliquo per-
fugiſſe ad Pompeium viderentur. Poſtquàm id difficilius viſum eſt, neque
facultas perficiendi dabatur, quàm maximas potuerunt pecunias mutua-
ti, perinde ac ſuis ſatisfacere, & fraudata reſtituere vellent, multis coëm-
ptis equis ad Pompeium tranſierunt cum ijs quos ſui conſilij participes
B habebant. Quos Pompeius, quòd erant honeſto loco nati, & inſtructi li-
beraliter, magnoq; comitatu & multis iumentis venerant, viriq; fortes ha-
bebantur, & in honore apud Cæſarem fuerant, quodq; nouum & præter
conſuetudinem acciderat, per omnia ſua præſidia circunduxit, atq; oſten-
tauit. Nam ante id tempus nemo aut miles aut eques à Cæſare ad Pompe- *Cæſariani haud ferè*
ium tranſierat, cùm penè quotidie à Pompeio ad Cæſarem perfugerent, *ad Cæſarem perfugiebant, ſed ſæpe con-*
vulgò verò vniuerſi in Epiro atque Aetolia conſcripti milites, earumq; re- *trà.*
gionum omnium quæ à Cæſare tenebantur. Sed hi cognitis omnibus re-
bus, ſeu quid in munitionibus perfectum non erat, ſeu quid à peritiori-
bus rei militaris deſiderari videbatur, temporibuſque rerum, & ſpacijs lo-
C corum, & cuſtodiarum varia diligentia animaduerſa, prout cuiuſque co-
rum qui negocijs præerant, aut natura aut ſtudium ferebat, hæc ad Pom-
peium omnia detulerunt. † Quibus ille cognitis, eruptioniſq; iam antè 13
capto conſilio, vt demonſtratum eſt, tegmenta galeis milites ex vimini- *Galearum tegmenta ex viminibus.*
bus facere, atque aggerem comportare iubet. His paratis rebus, magnum
numerum leuis armaturæ & ſagittariorum, aggeremq; omnem noctu in
ſcaphas & naues actuarias imponit: & de media nocte cohortes ſexagin-
ta ex maximis caſtris præſidijsque deductas, ad eam partem munitionum
ducit, quæ pertinebant ad mare, longiſſimeq; à maximis caſtris Cæſaris
aberant. Eodem naues quas demonſtrauimus aggere & leuis armaturæ
D militibus completas, quaſque ad Dyrrhachium naues longas habebat,
mittit: & quid à quoq; fieri velit, præcipit. Ad eas munitiones Cæſar Len-
tulum Marcellinum quæſtorem cum legione nona poſitum habebat. *Lentulus Marcellinus quæſtor.*
huic, quòd valetudine minùs commoda vtebatur, Fuluium Poſthumium
adiutorem ſummiſerat. Erat eo loco foſſa pedum XV. & vallus contra *Fuluius Poſthumius.*
hoſtem in altitudinem pedum X. tantundemque eius valli agger in latitu-
dinem patebat. ab eo intermiſſo ſpacio pedum ſexcentorum, alter con-
uerſus in contrariam partem erat vallus, humiliore paulò munitione. Hoc
enim ſuperioribus diebus timens Cæſar, ne nauibus noſtri circumueni-
rentur, duplicem eo loco fecerat vallum, vt ſi ancipiti prælio dimicare-
E tur, poſſet reſiſti. ſed operum magnitudo, & continens omnium dierum
labor, quòd millia paſſuum in circuitu XVIII. munitiones erat complexus, *Inſtructæ munitionum ambitus.*
perficiendi ſpacium non dabat. Itaq; contra mare tranſuerſum vallum, qui
has duas munitiones contingeret, nondum perfecerat: quæ res nota erat
Pompeio, delata per Allobroges perfugas: magnumque noſtris attulit in-
commodum. Nam vt ad mare noſtræ cohortes nonæ legionis excubue-
rant, acceſsère ſubitò prima luce Pompeiani exercitus, nouuſq; eorum ad- *Eruptio Pompeianorum.*
uentus extitit: ſimulq; nauibus circunuecti milites in interiorem vallum
tela iaciebant: foſſæq; aggere complebantur: & legionarij interioris mu-
nitionis defenſores, ſcalis admotis, tormentiſq; cuiuſq; generis, teliſq; ter-



rebant, magnaque multitudo sagittariorum ab vtraque parte circunfundebatur. M
ta galeis imposita defendebant. Itaque cùm omnibus rebus nostri premerentur, a
stratum est: atque inter duos vallos, quà perfectum opus non erat, per mare nauibus
ctos, terga vertere coëgerunt. Hoc tumultu nunciato, Marcellinus cohortes subsidi
suo aduentu confirmare potuerunt, neque ipsæ hostium impetum tulerunt. Itaqu
Aquiliferi Cæsariani moribundi fortis animus. & periculum augebat. Hominum enim multitudine receptus impediebatur. In
tus equites nostros, Hanc ego, inquit, & viuus multos per annos magna diligentia



ur. Multùm autem ab ictu lapidum (quod vnum nostris erat telum) viminea tegumen-
tur, atque ægrè resisterent, animaduersum est vitium munitionis quod suprà demon-
ibus expositis, in aduersos nostros impetum fecerunt, atq; ex vtraque munitione deie-
ubsidio nostris laborantibus submittit. quæ ex castris fugientes conspicatæ, neq; illos
Itaque quodcunque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium, terrorem
t. In eo prælio cùm graui vulnere esset affectus aquilifer, & viribus deficeret, conspica-
gentia defendi, & nunc moriens eadem fide Cæsari restituo. nolite, obsecro, commit-

tere, quod antè in exercitu Cæſaris non accidit, vt rei militaris dedecus ad- F
mittatur: incolumemque ad eum refette. Hoc caſu aquila conſeruatur,
omnibus primæ cohortis Centurionibus interfectis, præter principem
priorem. Iamque Pompeiani magna cæde noſtrorum, caſtris Marcellini
appropinquabant, non mediocri terrore illato reliquis cohortibus: & M.
Antonius, qui proximum locum tenebat præſidiorum, ea re nunciata,
cum cohortibus XII. deſcendens ex loco ſuperiore cernebatur: cuius ad-
uentus Pompeianos compreſſit, noſtroſque firmauit, vt ſe ex maximo ti-
more colligerent. Neque multò pòſt Cæſar ſignificatione per caſtella fu-
mo facta, vt erat ſuperioris temporis conſuetudo, deductis quibuſdam
14 cohortibus ex præſidijs, eòdem venit. † Qui cognito detrimento, cùm G
animaduertiſſet Pompeium extra munitiones egreſſum, caſtra ſecundum
mare, vt liberè pabulari poſſet, nec minùs aditum nauibus haberet, com-
mutata ratione belli, quoniam propoſitum non tenuerat, iuxta Pom-
peium munire iuſſit. qua perfecta munitione animaduerſum eſt à ſpecu-
latoribus Cæſaris, cohortes quaſdam, quod inſtar legionis videretur, eſſe
poſt ſyluam, & in vetera caſtra duci. Caſtrorum hic ſitus erat: Superiori-
bus diebus, cùm ſe nona legio Cæſaris obieciſſet Pompeianis copijs, atq;
opera, vt demonſtrauimus, circummuniret, caſtra eo loco poſuit. Hæc
ſyluam quandam contingebant, neque longiùs à mari paſſibus CCCC.
aberant. pòſt mutato conſilio quibuſdam de cauſis, Cæſar paulò vltra H
eum locum caſtra tranſtulit: pauciſq; intermiſſis diebus hæc eadem Pom-
peius occupauerat: & quòd eo loco plures erat legiones habiturus, reli-
cto interiore vallo, maiorem adiecerat munitionem. Ita minora caſtra
incluſa maioribus, caſtelli atque arcis locum obtinebant. Item ab angu-
lo caſtrorum ſiniſtro munitionem ad flumen perduxerat circiter paſſus
CCCC. quò liberiùs ac ſine periculo milites aquarentur. Sed is quoque
mutato conſilio quibuſdam de cauſis, quas commemorari neceſſe non
eſt, eo loco exceſſerat. Ita complures dies manſerant caſtra: munitio-
nes quidem integræ omnes erant. Eò ſigno legionis illato, ſpeculatores
Cæſari renunciárunt. hoc idem viſum ex ſuperioribus quibuſdam caſtel- I
lis confirmauerant. Is locus aberat à nouis Pompeij caſtris circitèr paſ-
ſus D. Hanc legionem ſperans Cæſar ſe opprimere poſſe, & cupiens eius
diei detrimentum ſarcire, reliquit in opere cohortes duas, quæ ſpeciem
munitionis præberent: ipſe diuerſo itinere, quàm potuit occultiſſimè, re-
liquas cohortes numero XXXIII. in quibus erat legio nona multis a-
miſſis Centurionibus, diminutoq; militum numero, ad legionem Pom-
peij, caſtraque minora duplici acie duxit. neque eum prima opinio feſel-
lit. Nam & peruênit priùs quàm Pompeius ſentire poſſet: & tametſi e-
rant munitiones caſtrorum magnæ, tamen ſiniſtro cornu, vbi erat ipſe,
celeriter aggreſſus Pompeianos, ex vallo deturbauit. Erat obiectus portis K
Ericius. hic paulìſper eſt pugnatum, cùm irrumpere noſtri conarentur,
illi caſtra defenderent, fortiſſimè T. Pulcione, (cuius opera proditum ex-
ercitum C. Antonij demonſtrauimus) eo loco propugnante. Sed tamen
noſtri virtute vicerunt: exciſoque Ericio, primùm in maiora caſtra, pòſt et-
iam in caſtellum quod erat incluſum maiorib. caſtris, irruperunt: & quòd
eò pulſa legio ſeſe receperat, nonnullos ibi repugnantes interfecerunt.
Sed fortuna, quæ plurimum poteſt, cùm in reliquis rebus, tum præci-
puè in bello paruis momentis magnas rerum commutationes efficit:
vt tum accidit. Munitionem enim quam pertingere à caſtris ad flumen
ſuprà

Margin notes: Cæſarianorum clades. — Ericius inſtru. bellicum. — T. Pulcio. — Fortuna vis.

A ſuprà demonſtrauimus, dextri Cęſaris cornu cohortes ignorantia loci ſunt ſecutæ, cùm portam quærerent caſtrorum, quòd eam munitionem eſſe arbitrarentur. quod cùm eſſet animaduerſum, coniunctam eſſe flumini, protinùs his munitionibus defendente nullo tranſcenderunt, omniſque noſter equitatus eas cohortes eſt ſecutus. Interim Pompeius hac lōga ſatis interiecta mora, & re nunciata, v. legionem ab opere deductam ſubſidio ſuis duxit: eodemque tempore equitatus eius noſtris equitibus appropinquabat, & acies inſtructa, à noſtris, qui caſtra occupauerant, cernebatur: omniaque ſunt ſubitò mutata. Pompeiana enim legio celeri ſpe ſubſidij confirmata, ab decumana porta reſiſtere conatur, atque vltrò in noſtros
B impetum faciebat. equitatus Cæſaris, quòd anguſto itinere per aggeres aſcendebat, receptui ſuo timens, initium fugæ faciebat. Dextrum cornu, quod erat à ſiniſtro ſeclusum, terrore equitum animaduerſo, ne intra munitionem opprimeretur, ex parte qua proruebat, ſeſe recipiebat. Ac pleriq; ex his, ne in anguſtias inciderent, x. pedum munitionis ſeſe in foſſas præcipitant: primiſque oppreſſis, reliqui per eorum corpora ſalutem ſibi atque exitum pariebant. Siniſtro cornu milites cùm ex vallo Pompeium adeſſe, & ſuos fugere cernerent, veriti ne anguſtijs intercluderentur, cùm extra & intus hoſtem haberent, eòdem quò venerant, receptu ſibi conſulebant: omniaque erant tumultus, timoris, fugæ plena: adeo vt cùm Cæſar ſigna fu- *Cæſarianorum fuga.*
C gientium manu prehenderet, & conſiſtere iuberet, alij dimiſſis equis eundem curſum conficerent, alij ex metu etiam ſigna dimitterent, neq; quiſquam omninò conſiſteret. His tantis malis * hæc ſubſidia ſuccurrebant, **nec.*
quò minùs omnis deleretur exercitus, * quòd Pompeius inſidias timens **ſed.*
(credo, quòd hæc præter ſpem eius acciderant, qui paulò antè ex caſtris fugientes ſuos conſpexerat) munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat, equiteſque eius anguſtis portis, atque his à Cæſaris militibus occupatis, ad inſequendum tardabantur. Ita paruæ res magnum in vtranq; *Magnum in re parua momentum.*
partem momentum habuerunt. Munitiones enim à caſtris ad flumen perductæ, expugnatis iam caſtris Pompeij, propriam & expeditam Cæſaris vi-
D ctoriam interpellauerunt. eadem res celeritate inſequentium tardata, noſtris ſalutem attulit. Duobus his vnius diei prælijs, Cæſaris deſiderati ſunt *Cæſarianorum occiſorum numerus.*
milites nongenti & ſexaginta, & noti equites Romani quadringenti, & Tuticanus Gallus ſenatoris filius, & à Placentia centum, & à Puteolis centum, & à Capua decem ſacrati viri, & decem Tribuni militum, & Centuriones triginta duo. Sed horum omnium pars magna in foſſis munitionibuſque & fluminis ripis oppreſſa ſuorum terrore ac fuga, ſine vllo vulnere interijt: ſignaque ſunt militaria x x x i i. amiſſa. Pompeius eo prælio Im- *Pompeius Imperator appellatus.*
perator eſt appellatus. Hoc nomen obtinuit, atq; ita ſe poſteà ſalutari paſſus eſt: ſed neque in literis quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſi-
E gnia laureæ prætulit. At Labienus cùm ab eo impetrauiſſet, vt ſibi captiuos tradi iuberet, omnes reductos oſtentationis, vt videbatur, cauſa, quò maior perfugis fides haberetur, commilitones appellans, & magna verborum contumelia interrogans, ſoleréntne veterani milites fugere, in omnium conſpectu interfecit. His rebus tantum fiduciæ ac ſpiritus Pom- *Labieni crudelitas.*
peianis acceſſit, vt non de ratione belli cogitarent, ſed viciſſe iam ſibi *Pompeianorum ſpiritus.*
viderentur. Non illi paucitatem noſtrorum militum, non iniquitatem loci atque anguſtias præoccupatis caſtris, & ancipitem terrorem intra extraque munitiones, non abſciſſum in duas partes exercitum, cùm alter alteri auxilium ferre non poſſet, * cauſæ fuiſſe cogitabant: non ad hæc **cauſam.*
adde-

addebant, non ex concursu acri facto, non prælio dimicatum, sibiq; ipsos F
multitudine atque angustijs maius attulisse detrimentum, quàm ab ho-
Belli casus communes. ste accepissent: non denique communes belli casus recordabantur,
quàm paruulæ sæpè causæ vel falsæ suspicionis, vel terroris repentini,
vel obiectæ religionis, magna detrimenta intulissent, quoties vel Ducis
culpa, vel Tribuni vitio in exercitu esset offensum: sed perinde ac si vir-
tute vicissent, neque vlla commutatio rerum posset accidere, per orbem
15 terrarum fama ac literis victoriam eius diei concelebrabant. † Cæsar à supe-
rioribus consilijs depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem
existimauit. Itaque vno tempore præsidijs omnibus deductis, & oppu-
Cæsaris ad suos verba. gnatione dimissa, coactoque in vnum locum exercitu, concionem apud G
milites habuit, hortatusque est, ne ea quæ accidissent, grauiter ferrent, né-
ue his rebus terrerentur, multisque secundis prælijs vnum aduersum &
id mediocre opponerent: habendam Fortunæ gratiam, quòd Italiam sine
Cæsarianorum res fortiter gestæ. aliquo vulnere cepissent: quòd duas Hispanias bellicosissimorum homi-
num peritissimis atque exercitatissimis ducibus pacauissent: quòd finiti-
mas frumentariasque prouincias in potestatem redegissent: denique re-
cordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes, oppletis non
solùm portibus, sed etiam littoribus, omnes incolumes essent transpor-
**sec. fortuna, ind. esse subleuanda.* tati. si non omnia crederent *secunda, Fortunam esse industria subleuan-
Fortuna industria subleuanda. dam: quod esset acceptum detrimenti, * cuiusuis potiùs quàm suæ culpæ H
debere tribui. Locum securum se ad dimicandum dedisse, potitum esse ho-
**exercitus.* stium castris, expulisse ac superâsse pugnantes. sed siue ipsorum perturba-
tio, siue error aliquis, siue etiam Fortuna, partam iam præsentemque victo-
**interpolâsset.* riam * interpellâsset, dandam omnibus operam, vt acceptum incommo-
dum virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonum ver-
terent, vti ad Gergouiam accidisset: atque ij qui antè dimicare timuissent,
Signiferi ignominia notati. vltrò se prælio offerrent. Hac habita concione, nonnullos signiferos igno-
minia notauit, ac loco mouit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex
incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, vt nemo
aut Tribuni aut Centurionis imperium desideraret, & sibi quisque etiam I
pœnæ loco grauiores imponeret labores, simulque omnes arderent cupi-
ditate pugnandi. Cùm superioris etiam ordinis nonnulli oratione permo-
ti, manendum eo loco, & rem prælio committendam existimarent: con-
Memorabile documentum. tra ea Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumq; inter-
ponendū ad recreandos animos putabat: relictisq; munitionibus magno-
perè rei frumentariæ timebat. Itaque nulla interposita mora, sauciorum
modò & ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentiò prima
nocte ex castris Apolloniam præmisit, ac conquiescere ante iter confe-
ctum vetuit. his vna legio missa præsidio est. His explicitis rebus, duas
in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis K
eductas, eodem itinere præmisit: paruoque spatio intermisso, vt & milita-
re institutum seruaretur, & ne citissima eius profectio cognosceretur, con-
clamari iussit: statimque egressus, & nouissimum agmen consecutus, ce-
leriter è conspectu castrorum discessit. Neque verò Pompeius cognito
consilio eius moram vllam ad insequendum intulit, sed eadem spectans,
si itinere impeditos & perterritos deprehendere posset, exercitum è ca-
stris eduxit, equitatumque præmisit, ad nouissimum agmen demoran-
dum: neque consequi potuit, quòd multum expedito itinere antecesse-
Genusum flu. rat Cæsar. Sed cùm ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat
impe-

A impeditis, consecutus equitatus nouissimos, prælio distinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosque Antesignanos admiscuit CCCC, qui tantum profecerunt, vt equestri prælio commisso pellerent omnes, compluresque interficerent, ipsique incolumes se ad agmen reciperent. Confecto iusto itinere eius diei, quod proposuerat Cæsar, traductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagum consedit, milites que omnes intra vallum castrorum continuit: equitatumque per causam pabulandi emissum, confestim decumana porta in castra se recipere iussit. Simili ratione Pompeius confecto eiusdem diei itinere, in suis veteribus castris ad Asparagum consedit: eiusque milites, quòd ab Asparagum.
B opere integris munitionibus vacabant, alij lignandi pabulandique causa longiùs progrediebantur: alij, quòd subitò consilium profectionis ceperant, magna parte impedimentorum & sarcinarum relicta, ad hæc repetenda inuitati propinquitate superiorum castrorum, depositis in contubernio armis vallum relinquebant: quibus ad sequendum impeditis, Cæsar, quod fore præuiderat, meridiano ferè tempore signo profectionis dato, exercitum educit, duplicatoque eius diei itinere, VIII. millia passuum ex eo loco procedit, quod facere Pompeius discessu militum non potuit. Postero die Cæsar similiter præmissis prima nocte impedimentis, de quarta vigilia ipse egreditur, vt si qua esset imposita dimicandi neces-
C sitas, subitum casum expedito exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus. Quibus rebus perfectum est, vt altissimis fluminibus, atque impeditissimis itineribus nullum acciperet incommodum. Pompeius enim primi diei mora illata: & reliquorum dierum frustra labore suscepto, cùm se magnis itineribus extenderet, & progressos consequi cuperet, quarta die finem sequendi fecit, atque aliud sibi consilium capiendum existimauit. Cæsari ad saucios deponendos, stipendium exercitui dandum, socios confirmandos, præsidium vrbibus relinquendum, necesse erat adire Apolloniam. Sed his rebus tantum temporis tribuit, quantum erat properanti necesse: timensque Domitio, ne aduentu Pompeij præoccupare-
D tur, ad eum omni celeritate & studio incitatus ferebatur. Totius autem rei consilium his rationibus explicabat, vt si Pompeius eòdem contenderet, abductum illum à mari, atque ab ijs copijs quas Dyrrhachij comparauerat, frumento ac commeatu abstractum, pari conditione belli secum decertare cogeret. Si in Italiam transiret, coniuncto exercitu cum Domitio, per Illyricum Italiæ subsidio proficisceretur. Sin Apolloniam Oricumque oppugnare, & se omni maritima ora excludere conaretur, obsesso tamen Scipione, necessariò illum suis auxilium ferre cogeret. Itaq; præmissis nuncijs, ad Cn. Domitium Cæsar scripsit, & quid fieri vellet, ostendit, præsidioq; Apolloniæ cohortibus quatuor, Lyssi vna, tribus Orici relictis, qui-
E que erant ex vulneribus ægri, depositis, per Epirum atq; Acarnaniam iter facere cœpit. Pompeius quoq; de Cęsaris consilio coniectura iudicās, ad Scipionem properandum sibi existimabat, si Cæsar iter illò haberet, vt subsidium Scipioni ferret. Si ab ora maritima Corcyraq; discedere nollet, quòd legiones equitatumq; ex Italia expectaret, ipse vt omnib. copijs Domitium aggrederetur. His de causis vterq; eorum celeritati studebat, vt suis esset auxilio, & ad opprimendos aduersarios ne occasioni temporis deesset. sed Cæsarem Apollonia à directo itinere auerterat, Pompeius per Candauiam iter Candauia.
in Macedoniam expeditum habebat. Accessit etiam ex improuiso aliud incommodũ: quòd Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra col-
lata

Heraclea Sentica. lata habuiſſet, rei frumentariæ cauſa ab eo diſceſſerat, & Heracleam Sen- F
ticam, quæ eſt ſubiecta Candauiæ, iter fecerat, vt ipſa fortuna illum obij-
cere Pompeio videretur. Hęc ad id tempus Cæſar ignorabat. Simul à Pom-
peio literis per omnes prouincias ciuitateſque dimiſſis, prælio ad Dyrrha-
chium factum, latiùs, inflatiuſque multò quàm res erat geſta, fama per-
crebuerat pulſum fugere Cæſarem penè omnibus copijs amiſſis. Hæc iti-
nera infeſta reddebant, hæc ciuitates nonnullas ab eius amicitia auerte-
bant: quibus accidit rebus, vt pluribus dimiſſi itineribus à Cæſare ad Do-
mitium, & à Domitio ad Cæſarem, nulla ratione iter conficere poſſent.
Sed Allobroges Roſcilli atque Aegi familiares, quos perfugiſſe ad Pom-
peium demonſtrauimus, conſpicati in itinere exploratores Domitij, ſeu G
priſtina ſua conſuetudine, quòd vnà in Gallia bella geſſerant, ſeu gloria e-
lati, cuncta vt erant acta, expoſuerunt, & Cæſaris profectionem, & ad-
uentum Pompeij docuerunt: à quibus Domitius certior factus, vix qua-
tuor horarum ſpatio antecedens, hoſtium beneficio periculum vitauit,
Eginium. & ad Eginium (quod eſt obiectum oppoſitumque Theſſaliæ) Cæſari ve-
16 nienti occurrit. † Coniuncto exercitu Cæſar Gomphos peruenit (quod
Gomphi. eſt oppidum primum Theſſaliæ venientibus ab Epiro) quę gens paucis an-
tè diebus vltro ad Cęſarem legatos miſerat, vt ſuis omnibus facultatibus
vteretur, præſidiumque ab eo militum petierat. Sed eò iam fama præcur-
Androſthenes Theſſaliæ prætor. rerat, quam ſuprà docuimus de prælio Dyrrhachino, quod multis auxe- H
rat partibus. Itaque Androſthenes prætor Theſſaliæ, cùm ſe victoriæ Pom-
peij comitem eſſe mallet, quàm ſocium Cæſaris in rebus aduerſis, omnem
ex agris multitudinem ſeruorum ac liberorum in oppidum cogit, portaſ-
que præcludit, & ad Scipionem Pompeiumque nuncios mittit, vt ſibi ſub-
ſidio veniant: ſe confidere munitionibus oppidi, ſi celeriter ſuccurratur:
longinquam oppugnationem ſuſtinere non poſſe. Scipio diſceſſu exerci-
Lariſſa. tuum à Dyrrhachio cognito, Lariſſam legiones adduxerat. Pompeius non-
dum Theſſaliæ appropinquabat. Cæſar caſtris munitis, ſcalas muſculoſ-
que ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iuſſit. quibus re-
bus effectis, cohortatus milites, docuit quantum vſum haberet ad ſuble- I
uandam omnium rerum inopiam, potiri oppido pleno, atque opulento:
ſimul reliquis ciuitatibus huius vrbis exemplo inferre terrorem, & id fieri
celeriter, priùs quàm auxilia concurrerent. Itaque vſus ſingulari militum
ſtudio, eodem quo venerat die, poſt horam nonam oppidum altiſſimis
Gomphos expugnat Cæſar. mœnibus oppugnare aggreſſus, ante Solis occaſum expugnauit, & ad di-
Metropolis. ripiendum militibus conceſſit: ſtatimque ab oppido caſtra mouit, & Me-
tropolim venit, ſic vt nuncios expugnati oppidi, famamque antecederet.
Metropolitæ eodem primùm vſi conſilio, iiſdem permoti rumoribus, por
tas clauſerunt, muroſque armatis compleuerunt: ſed poſteà caſu ciuitatis
comprehenſis ex captiuis cognito, quos Cæſar ad murum producendos K
curauerat, portas aperuerunt. quibus diligentiſſimè conſeruatis, collata
fortuna Metropolitarum cum caſu Gomphenſium, nulla Theſſaliæ fuit ci
uitas præter Lariſſeos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quæ
non Cæſari parêret, atq; imperata faceret. Ille ſegetis idoneum locum in
agris nactus, quæ propè iam matura erat, ibi aduentum expectare Pom-
peij, eoque omnem rationem belli conferre conſtituit. Pompeius pau-
cis pòſt diebus in Theſſaliam peruenit: Concionatuſque apud cunctum
Pompeij & Scipionis exercitus iunguntur. exercitum, ſuis agit gratias: Scipionis milites cohortatur, vt parta iam
victoria, prædæ ac præmiorum velint eſſe participes. Receptiſque omni-
bus in

A bus in vna castra legionibus, suum cum Scipione honorem partitur: clas- *Pompeius suũ cũ Scipione honorem partitur.*
sicumque apud eum cani, & alterum illi iubet prætorium tendi. Auctis
copijs Pompeij, duobusque magnis exercitibus coniunctis, pristina om-
nium confirmatur opinio, & spes victoriæ augetur, adeò vt quicquid in-
tercederet temporis, id morari reditum in Italiam videretur; & si quando
quid Pompeius tardiùs aut cõsideratiùs faceret, vnius esse negocium diei,
sed illum delectari imperio, & consulares prætoriosque seruorum habere
numero, dicerent. Iamque inter se palàm de præmijs ac sacerdotijs con- *Triumphus ante victoriam.*
tendebant, in annosque consulatum definiebant. Alij domos bonaq; eo-
rum qui in castris erant Cæsaris, petebant. magnaque inter eos in conci-
B lio fuit controuersia, oporteretne L. Hirtij, quòd is à Pompeio ad Parthos *L. Hirtius à Pompeio ad Parthos missus.*
missus esset, proximis comitijs prætorijs absentis rationem haberi, cùm
eius necessarij fidem implorarent Pompeij, vt præstaret quod proficiscen-
ti promiserat, ne per eius authoritatem deceptus videretur: reliqui in labo-
re pari ac periculo, ne vnus omnes antecederet, recusarent. Iam de sacer-
dotio Cæsaris Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis con-
tentionibus ad grauissimas verborum contumelias palàm descenderunt:
cùm Lentulus ætatis honorem ostentaret, Domitius vrbanam gratiam
dignitatemque iactaret, Scipio affinitate Pompeij confideret. Postulauit
etiam L. Afranium proditionis exercitus Actius Rufus apud Pompeium, *L. Afranius.*
C quod gestum in Hispania diceret: & L. Domitius in concilio dixit, place- *Actius Rufus.*
re sibi bello confecto, ternas tabellas dari ad iudicandum de ijs qui ordi- *Tres tabellæ iudicum.*
nis essent Senatorij, belloque vnà cum ipsis non interfuissent: sententias-
que de singulis ferrent, qui Romæ remansissent, quiq; intra præsidia Pom-
peij fuissent, neque operam in re militari præstitissent. Vnam fore tabel-
lam, qui liberandos omni periculo censerent: Alteram, qui capitis damna-
rent: Tertiam, qui pecunia mulctarent. Postremò omnes aut de honori-
bus suis, aut de præmijs pecuniæ, aut de persequendis inimicis agebant.
Nec quibus rationibus superare possent, sed quemadmodum vti victo-
ria deberent, cogitabant. Re frumentaria præparata, confirmatisque mi-
D litibus, & satis longo spatio temporis à Dyrrhachinis prælijs intermisso,
quod satis perspectum habere videretur, tentandum Cæsar existimauit,
quidnam Pompeius propositi aut voluntatis ad dimicandum haberet. Ita-
que exercitum è castris eduxit, aciemque instruxit, primùm suis locis, pau-
loque à castris Pompeij longiùs: continentibus verò diebus vt progrede-
retur à castris suis, collibusque Pompeianis, aciem subijceret. quæ res in
dies confirmatiorem eius exercitum efficiebat. Superius tamẽ institutum
in equitibus, quod demonstrauimus, seruabat, vt quoniam numero mul-
tis partibus esset inferior, adolescentes, atque expeditos ex antesignanis e-
lectos milites ad pernicitatẽ, armis inter equites præliari iuberet, qui quo-
E tidiana consuetudine vsum quoque eius generis præliorum perciperent.
His erat rebus effectum, vt equites mille apertioribus etiam locis septem *Pedites inter equites præliantes.*
millium Pompeianorum impetum, cùm adesset vsus, sustinere auderent,
neque magnoperè eorum multitudine terrerentur. Nanque etiam per *Cæsaris strategema.*
eos dies prælium secundum equestre fecit, atque vnum Allobrogem *Allobrogis perfugæ mors.*
ex duobus quos perfugisse ad Pompeium suprà docuimus, cum quibus-
dam interfecit. Pompeius quia castra in colle habebat, ad infimas radi-
ces montis aciem instruebat, semper, vt videbatur, expectans, si iniquis lo-
cis Cæsar se subijceret. Cæsar nulla ratione ad pugnam elici posse Pom-
peium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem iudicauit, vti
castra

*spectans.

castra ex eo loco moueret, semperque esset in itineribus: hoc * sperans, vt F
mouendis castris, pluribusque adeundis locis, commodiore frumentaria

Scenographia receptus nonæ Cæsaris legionis sine detrimento.

A. Castellum Cæsaris.
B. Præsidiũ quod quũ legio Cæsaris nona occupauisset, munire cœperat.
C. Collis quem Pompeius occupauerat.
D. Campagnia.
E. Crates ad extremum tumulum cõtra hostem.



G

H

re vteretur, simulq; vt in itinere aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, & insolitum ad laborem Pompeij exercitum quotidianis itineribus
17 defatigaret. † His constitutis rebus, signo iam profectionis dato, tabernaculisque * detensis, animaduersum est paulò antè, extra quotidianam consuetudinem longiùs à vallo esse aciem Pompeij progressam, vt non iniquo

*incensis.

Cæsar occasionem quamprimũ arripit cum Pompeio decertandi.

loco posse dimicari videretur. Tum Cæsar ad suos, cùm iam esset agmen I
in portis, Differendum est, inquit, iter in præsentia nobis, & de prælio cogitandum. si enim vt semper depoposcimus, animo sumus ad dimicandum parati: non facilè occasionem posteà reperiemus. Confestimque expeditas copias educit. Pompeius quoque, vt posteà cognitum est, suorum omnium hortatu statuerat prælio decertare. Nanque etiam in concilio superioribus diebus dixerat, priùs quàm concurrerent acies, fore vt exercitus Cæsaris pelleretur. Id cùm essent pleriq; admirati, Scio me, inquit, penè incredibilem rem polliceri, sed rationem consilij mei accipite, quò firmiore animo in prælium prodeatis. Persuasi equitibus nostris, id quod mihi se facturos confirmauerunt, vt cùm propiùs sit accessum, dextrum Cæsaris K
cornu à latere aperto aggrederentur, vt circunuenta à tergo acie, priùs perturbatum exercitum pellerent, quàm à nobis telum in hostem iaceretur. Ita sine periculo legionum, & penè sine vulnere bellum conficiemus. Id autem difficile non est, cùm tantum equitatu valeamus. Simul denunciauit, vt essent animo parati in posterum, & quoniam fieret dimicandi potestas, vt sæpè cogitauissent, ne vsu manuque reliquorum opinionem fallerent. Hunc Labienus excepit, vt cùm Cæsaris copias despiceret, Pompeij consilium summis laudibus efferret. Noli, inquit, existimare Pompei, hunc esse exercitum qui Galliam Germaniamque deuicit. Omnibus inter-

Pompeij stulta præsumptio de Cæsariano.

Labieni assentatio ad Pompeium.

A interfui prælijs, neque temerè incognitam rem pronuncio. Perexigua pars illius exercitus superest, magna pars deperijt: quod accidere tot prælijs fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consumpsit, multi domum discesserunt, multi sunt relicti in continenti. An non audistis ex ijs, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundusij factas? Hæ copiæ, quas videtis, ex delectis horum annorum in citeriore Gallia sunt refectæ, & pleræque sunt ex colonijs Transpadanis. Attamen quod fuit roboris, duobus prælijs Dyrrhachinis interijt. Hæc cùm dixisset, iurauit se nisi victorem in castra non reuersurum: reliquosque vt idem facerent, hortatus est. Hoc laudans Pompeius, idem iurauit: nec verò ex reliquis fuit quisquam, qui iurare dubitaret. Hæc cùm facta essent in concilio, magna spe & lætitia omnium discessum est: ac iam animo victoriam præcipiebāt, quòd de re tanta, & à tam perito Imperatore nihil frustra confirmari videbatur. Cæsar cùm Pompeij castris appropinquâsset, ad hunc modum aciem eius instructam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ traditæ à Cæsare initio dissensionis ex S.C. quarum vna prima, altera tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompeius: mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Cilicensis legio coniuncta cum cohortibus Hispanis, quas traductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ. has firmissimas se habere Pompeius existimabat. Reliquas inter aciem mediam, cornuaque interiecerat: numeroque cohortes C X. expleuerat, (hæc erant millia L V. Euocatorum circitèr duo millia, quæ ex beneficijs superiorum exercituum ad eum conuenerāt, quæ tota acie dispertierat. reliquas cohortes V I I. castris propinquisque castellis præsidio disposuerat. Dextrum cornu eius riuus quidam impeditis ripis muniebat: quam ob causam cunctum equitatum, sagittarios, funditoresque omnes in sinistro cornu obiecerat.

Cæsaris copiæ elevantur. *Pompeij acies.* *Euocati Pompeiani.*

CAESAR superius institutum seruans, decimam legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocauerat, tametsi erat Dyrrhachinis prælijs vehementer attenuata: huic sic adiunxit octauam, vt penè vnam ex duabus efficeret: atq; alteram alteri præsidio esse iusserat. Cohortes in acie L X X X. constitutas habebat: quæ summa erat hominum M. X X I I. Cohortes duas castris præsidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Syllam, media acie Cn. Domitium præposuerat. Ipse contra Pompeium constitit. Simul his rebus animaduersis, quas demonstrauimus, timens ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie singulas cohortes detraxit, atq; ex his quartam instituit, equitatuiq; opposuit, & quid fieri vellet, ostendit: monuitq; eius diei victoriam in earum cohortiū virtute constare. simul tertiæ aciei, totique exercitui imperauit ne iniussu suo concurrerent: se, cùm id fieri vellet, vexillo signum daturum. Exercitū cum militari more ad pugnam cohortaretur, suaque in eum perpetui temporis officia prædicaret: in primis commemorauit, testibus se militibus vti posse quanto studio pacem petisset: quæ per Vatinium in colloquijs, quæ per A. Clodium cum Scipione egisset: quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendisset: neque se vnquam abuti militum sanguine, neque Rempub. alterutro exercitu priuare voluisse. Hac habita oratione exposcentibus militibus & studio pugnæ ardentibus, tuba signum dedit. Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat, vir singulari virtute. hic signo dato, Sequimini me, inquit, manipulares mei qui fuistis, & vestro Imperato

Cæsaris acies. *Crastini fortitudo.*

ri quam constituistis, operam date. Vnum hoc prælium superest, quo F
confecto & ille suam dignitatem, & nos nostram libertatem recuperabimus. Simul respiciens Cæsarem, Faciam, inquit, hodie Imperator, vt aut viuo mihi, aut mortuo gratias agas. Hæc cùm dixisset, primus ex dextro cornu procurrit, atque eum electi milites circitèr c x x. voluntariæ eiusdem centuriæ sunt prosecuti. Inter duas acies tantum erat relictum spatij, vt satis esset ad concursum vtriusque exercitus. Sed Pompeius suis

**neu.*

C. Triarij præceptũ in re militari, de procursu militũ in pugna inutile.

prædixerat, *vt Cæsaris impetum exciperent, néue se loco mouerent: aciemque eius distrahi paterentur. idque admonitu C. Triarij fecisse dicebatur, vt primus excursus visque militum infringeretur, aciesque distenderetur, atque in suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur: le- G
uiusque casura pila sperabat in loco retentis militibus, quàm si ipsi immissis telis occurrissent. Simul fore, vt duplicato cursu Cæsaris milites exanimarentur, & lassitudine conficerentur. Quod nobis quidem nulla ra-

Pompeius imperitiæ in re bellica taxatur

tione factùm à Pompeio videtur, propterea quòd est quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur. hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. Neque

Signorum cantus & clamoris in bellu vsus.

frustrà antiquitùs institutum est, vt signa vndique concinerent, clamoremque vniuersi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari
18 existimauerunt. † Sed nostri milites dato signo cùm infestis pilis procur-

Nouissimum inter Cæsarem & Pompeium prælium.

rissent, atque animaduertissent non concurri à Pompeianis, vsu periti, ac H
superiorib. pugnis exercitati, sua sponte cursum represserũt, & ad medium ferè spatium constiterunt, vt ne consumptis viribus appropinquarent: paruoque intermisso temporis spatio, ac rursus renouato cursu pila miserunt, celeriterque, vt erat præceptum à Cæsare, gladios strinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. Nam & tela missa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conseruauerunt: pilisq; missis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à sinistro Pompeij cornu intenti, vt erat imperatum, vniuersi procurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit: quorum impetum noster equitatus non tulit, sed paulùm loco motus cessit: equitesque Pompeiani hoc acriùs in- I
stare, & se turmatim explicare, aciemque nostram à latere aperto circumire cœperunt. Quod vbi Cæsar animaduertit, quartæ aciei, quam instituerat ex cohortium numero, signum dedit. Illi celeriter procurrerunt,

Equitum Pompeij fuga, et sagittariorum funditorumq; cædes.

infestisque signis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo consisteret, omnesq; conuersi non solùm loco excederent, sed protinùs incitati, fuga montes altissimos peterent. quibus summotis, omnes sagittarij, funditoresq; destituti inermes sine præsidio interfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistro cornu pugnantes etiam tum ac resistentes in acie Pompeianos circumierunt, eosque à tergo sunt adorti. Eodem tempore tertiam aciem Cæsar, quæ quieta fuerat, & se ad id tempus loco K
tenuerat, procurrere iussit. Ita cùm recentes atque integri defessis successissent, alij autem à tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt,

Cæsaris prouidentia

atque vniuersi terga verterunt. Neque verò Cæsarem fefellit, quin ab ijs cohortibus quæ contra equitatum in quarta acie collocatæ essent, initium victoriæ oriretur, vt ipse in cohortandis militibus pronunciauerat. Ab his enim primùm equitatus est pulsus: ab ijsdem facta cædes sagittariorum, atque funditorum: ab ijsdem acies Pompeiana à sinistra parte circumita, atque initium fugæ factum. Sed Pompeius vt equitatum suum pulsum vidit, atque eam partem cui maximè confidebat, perterritam

A tam animaduertit, alijs quammaximè diffisus, acie excessit, protinusque *Pompeij fuga.*
se in castra equo contulit: & ijs Centurionibus, quos in statione ad prætoriam portam posuerat, clarè, vt milites exaudirent, Tuemini, inquit, castra, & defendite diligenter, si quid duriùs acciderit: ego reliquas portas circumeo, & castrorum præsidia confirmo. Hæc cùm dixisset, se in prætorium contulit, summæ rei diffidens, & tamen euentum expectans. Cæsar Pompeianis ex fuga inter vallum compulsis, nullum spatium perterritis dari oportere existimans, milites cohortatus est, vt beneficio Fortunæ vterentur, castraq; oppugnarent. Qui, etsi magno æstu fatigati (nam ad meridiem res erat perducta) tamen ad omnem laborem animo parati,
B imperio paruerunt. Castra à cohortibus, quæ ibi præsidio erant relictæ, industriæ defendebantur, multoque etiam acriùs à Thracibus barbarisq; auxilijs. Nam qui ex acie refugerant milites, & animo perterriti, & lassitudine confecti, missis plerique armis, signisque militaribus, magis de reliqua fuga, quàm de castrorum defensione cogitabant. Neque verò diutiùs *Castra Pompeij à*
qui in vallo constiterant, multitudinem telorum sustinere potuerunt, *Cæsare expugnata.*
sed confecti vulneribus, locum reliquerunt, protinusque omnes ducibus vsi Centurionibus, Tribunisque militum, in altissimos montes, qui ad castra pertinebant, confugerunt. In castris Pompeij videre licuit triclinia strata, *Luxuries Pompeiani exercitus.*
magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernacu-
C la constrata, L. etiam Lentuli & nonnullorum tabernacula protecta edera, multa prætereà quæ nimiam luxuriam, & victoriæ fiduciam designarent: vt facilè existimari posset, nihil eos de euentu eius diei timuisse, quin non necessarias conquirerent voluptates: atque hi miserrimo ac patientissimo exercitui Cæsaris luxuriem obijciebant, cui semper omnia ad necessarium vsum defuissent. Pompeius iam cùm intra vallum nostri versaren- *Pompeij ignominiosa fuga.*
tur, equum nactus, detractis insignibus Imperatorijs, decumana porta se ex castris eiecit, protinusque equo citato, Larissam contendit. Neque ibi constitit, sed eadem celeritate paucos suos ex fuga nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum x x x. ad mare peruenit, nauemq;
D frumentariam conscendit: sæpè, vt dicebatur, querens suam se opinionem fefellisse, vt à quo genere hominum victoriam sperâsset, ab eo initio fugæ facto penè proditus videretur. Cæsar castris potitus, à militibus contendit, ne in præda occupati, reliqui negocij gerendi facultatem dimitterent. Qua re impetrata, montem opere circummunire instituit, Pompeiani, quòd is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto monte vniuersi simul Larissam versus se recipere cœperunt. Qua re animaduersa, Cæsar copias suas diuisit, partemque legionum in castris Pompeij remanere iussit, partem in sua castra remisit, quatuor secum legiones duxit, commodioreque itinere Pompeianis occurrere cœpit, & progressus millia passuum
E v i. aciem instruxit. Quare animaduersa, Pompeiani in quodam monte constiterunt. Hunc montem flumen subluebat. Cæsar milites cohortatus, etsi totius diei continenti labore erant confecti, noxque iam subetat, tamen munitione flumen à monte seclusit, ne noctu aquari Pompeiani possent: quo perfecto opere, illi de deditione missis legatis agere cœpe- *Pompeianorum deditio.*
runt. Pauci ordinis Senatorij, qui se cum ijs coniunxerant, nocte fuga salutem petierunt. Cæsar prima luce omnes eos qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma proijcere iussit. quod vbi sine recusatione fecerunt, passisque palmis proiecti ad terram flentes ab eo salutem petierunt, consolatus consurgere iussit: & pauca

R 2 apud

Cæsaris lenitas & clementia. apud eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes con- F
seruauit: militibusque suis iussit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui
desiderarent. Hac adhibita diligentia, ex castris sibi legiones alias occur-
rere, & eas, quas secum duxerat, inuicem requiescere, atque in castra re-
Pharsalici exercitus cædes. uerti iussit: eodemque die Larissam peruenit. In eo prælio non amplius
Desideratorum numerus ex Cæsarianis. ducentos milites desiderauit, sed Centuriones fortes viros circiter XXX.
amisit. Interfectus est etiam fortissimè pugnans Crastinus, cuius men-
Crastini casus. tionem suprà fecimus, gladio in os aduersum coniecto. Neque id fuit
falsum, quod ille in pugnam proficiscens dixerat. Sic enim Cæsar existima-
Pompeianorum in clade Pharsalica cæsorum numerus. bat, eo prælio excellentissimam virtutem Crastini fuisse, optimeque eum
de se meritum iudicabat. Ex Pompeiano exercitu circiter millia XV. ceci- G
disse videbantur. Sed in deditionem venerunt amplius millia XXIIII.
namque etiam cohortes, quæ præsidio in castellis fuerant, sese Syllæ si-
militer dediderunt. Multi prætereà in finitimas ciuitates refugerunt. Si-
** IX.* gnaq; militaria ex prælio ad Cæsarem sunt relata CLXXX. & aquilæ * LIX.
L. Domitius cæsus. L. Domitius ex castris in montem refugiens, cùm vires eum lassitudine
19 defecissent, ab equitibus est interfectus. † Eodem tempore D. Lælius
D. Lælius. cum classe ad Brundusium venit, eademque ratione, qua factum à Li-
bone anteà demonstrauimus, Insulam obiectam portui Brundusino te-
Vatinius. nuit. Similiter Vatinius, qui Brundusio præerat, tectis instructisque sca-
phis elicuit naues Lælianas, atque ex his longiùs productam vnam quin- H
queremem, & minores duas in angustijs portus cepit. Itemque per e-
quites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. Sed Lælius tempo-
re anni commodiore vsus ad nauigandum, onerarijs nauibus Corcyra
Dyrrhachioque aquam suis supportabat, neque à proposito deterreba-
tur: neque ante prælium in Thessalia factum cognitum, aut ignominia
amissarum nauium, aut necessariarum rerum inopia ex portu Insulaque
Cassius. expelli potuit. Iisdem ferè temporibus Cassius cum classe Syrorum & Phœ-
nicum & Cilicum in Siciliam venit: & cùm esset Cæsaris classis diuisa in
P. Sulpitius. duas partes, & dimidiæ parti præesset P. Sulpitius prætor Vibone ad fre-
M. Pomponius. tum, dimidiæ M. Pomponius ad Messanam: priùs Cassius ad Messanam I
nauibus aduolauit, quàm Pomponius de eius aduentu cognosceret: per-
turbatumque eum nactus, nullis custodijs, neque ordinibus certis, ma-
gno vento & secundo completas onerarias naues tæda & pice & stupa, re-
Cæsariana classis incendium. liquisque rebus quæ sunt aptæ ad incendia, in Pomponianam classem im-
** al. è quibus 35. erant aperta, 20. constrata.* misit, atque omnes naues incendit * XXXV. in quibus erant XX. con-
aliàs, è quibus 30. erant rostrata. stratæ. Tantusq; eo facto timor incessit, vt cùm esset legio præsidio Mes-
sanæ, vix oppidum defenderetur: & nisi eo ipso tempore quidam nuncij
de Cæsaris victoria per dispositos equites essent allati, existimabant pleri-
que futurum fuisse vt amitteretur: sed opportunissimè nuncijs allatis op-
pidum fuit defensum: Cassiusq; ad Sulpitianam inde classem profectus est K
Vibonem: applicatisque nostris ad terram nauibus, propter eundem timo-
** egit.* rem pari atque antea ratione * egerunt. Cassius secundum nactus ven-
tum, onerarias naues circiter XL. præparatas ad incendium immisit: &
flamma ab vtroque cornu comprehensa, naues sunt combustæ quinque.
Cumque ignis magnitudine ventilatiùs serperet, milites qui ex veteribus
legionibus erant relicti præsidio nauibus ex numero ægrorum, ignomi-
niam non tulerunt, sed sua sponte naues conscenderunt, & à terra solue-
runt, impetuq; facto in Cassianā classem, quinqueremes duas, in quarum
Cassij fuga. altera erat Cassius, ceperunt: sed Cassius exceptus scapha refugit. Prætereà
duæ

A duæ sunt *reprehensæ triremes: neque multò pòst de prælio facto in Thessalia cognitum est, vt ipsis Pompeianis fides fieret. nam ante id tempus fingi hoc à legatis amicisque Cæsaris arbitrabantur. Quibus rebus cognitis, ex ijs locis Cassius cum classe discessit. Cæsar omnibus rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimauit, quascunque in partes ex fuga se recepisset: ne rursus copias comparare alias, & bellum renouare posset. Et quantum itineris equitatu efficere poterat, quotidiè progrediebatur, legionemque vnam minoribus itineribus subsequi iussit. Erat edictum Pompeij nomine Amphipoli propositum, vti omnes eius prouinciæ iuniores, Græci, ciuesque Ro. iurandi causa conuenirent. Sed vtrùm B auertendæ suspicionis causa Pompeius proposuisset, vt quàmdiutissimè longioris fugæ consilium occultaret, an nouis delectibus, si nemo premeret, Macedoniam tenere conatetur, existimari non poterat. Ipse ad anchoram vna nocte constitit, & vocatis ad se Amphipoli hospitibus, & pecunia ad necessarios sumptus corrogata, cognitu Cæsaris aduentu ex eo loco discessit, & Mitylenas paucis diebus venit. Biduum tempestate retentus, nauibusq; alijs additis actuarijs, in Ciliciam atque inde Cyprum péruenit. Ibi cognoscit, consensu omnium Antiochensium, ciuiumque Ro. qui illic negociarentur, arcem Antiochenam captam esse excludendi sui causa, nunciosque dimissos ad eos, qui se ex fuga in finitimas ciuitates recepisse C dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui superiore anno Consul fuerat, & P. Lentulo consulari, ac nonnullis alijs acciderat Rhodi. Nam quicunque ex fuga Pompeium sequerentur, atque in Insulam venissent, oppido ac portu recepti non erant: missisque ad eos nuncijs, vt ex his locis discederent, contra voluntatem suam naues soluerant. Iamque de Cæsaris aduentu fama ad ciuitates perferebatur. Quibus cognitis rebus, Pompeius deposito adeundæ Syriæ consilio, pecunia societatis sublata, & à quibusdam priuatis sumpta, & æris magno pondere ad militarem vsum in naues imposito, duobusque millibus hominum armatis, partim quos D ex familijs societatum delegerat, partim à negociatoribus coëgerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium peruenit. ibi casu Rex erat Ptolemæus, puer ætate, magnis copijs cum sorore Cleopatra bellum gerens, quam paucis antè mensibus per suos propinquos atque amicos regno expulerat: castraque Cleopatræ non longo spatio ab eius castris distabant. Ad eum Pompeius misit, vt pro hospitio atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberiùs cum militibus Regis colloqui cœperunt: eosque hortari, vt suum officium Pompeio præstarent, neue eius fortunam despicerent. In hoc E erant numero complures Pompeij milites, quos ex eius exercitu acceptos in Syria Gabinius Alexandriam traduxerat, belloque confecto apud Ptolemæum patrem pueri reliquerat. His tunc cognitis rebus amici regis, qui propter ætatem eius in procuratione erant regni, siue timore adducti (vt posteà prædicabant) ne solicitato exercitu regio Pompeius Alexandriam Aegyptumque occuparet: siue despecta eius fortuna (vt plerunque in calamitate ex amicis inimici existunt) ijs qui erant ab eo missi, palàm liberaliter responderunt, cumque ad regem venire iusserunt: ipsi clàm consilio inito Achillam præfectum regium, singulari hominem audacia, & L. Septimium Tribunum militum, ad interficiendum Pompeium

deprehensæ. / *Cæsar Pompeiũ persequitur.* / *Edictum Pompeij.* / *Amphipolis.* / *Mitylenæ.* / *Cilicia.* / *Cyprus.* / *L. Lentulus.* / *P. Lentulus.* / *Pomp. Pelusium peruenit ad Ptolemæũ regem.* / *Cleopatra.* / *Gabinius.* / *Calamitas inimicos ex amicis facit.* / *Achillas.* / *L. Septimius.*

peium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus, & quadam notitia Se- F
ptimij productus, quòd bello prædonum apud eum ordinem duxerat,
Pompeij cædes. nauiculam paruulam conscendit, cum paucis suis, & ibi ab Achilla & Se-
L. Lentuli mors. ptimio interficitur. Item L. Lentulus comprehenditur à Rege, & in cu-
20 stodia necatur. † Cæsar cùm in Asiam venisset, reperiebat T. Appium
T. Appius. conatum esse pecunias tollere Epheso ex fano Dianæ, eiusque rei causa
Senatores omnes ex Prouincia euocâsse, vt his testibus ea summa pecu-
niæ vteretur: sed interpellatum aduentu Cæsaris profugisse. Ita duobus
Portenta. temporibus Ephesiæ pecuniæ Cæsar auxilium tulit. Item constabat Elide
in templo Mineruæ, repetitis atque enumeratis diebus, quo die prælium
secundum Cæsar fecisset, simulacrum Victoriæ, quod ante ipsam Miner- G
uam collocatum erat, & ad simulacrum Mineruæ spectabat, ad valuas se
templi, limenque conuertisse. Eodemq; die Antiochiæ in Syria bis tan-
tus exercitus clamor, & signorum sonus exauditus est, vt in muris arma-
ta ciuitas discurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit: Pergamique in oc-
cultis ac remotis templis, quò præter sacerdotes adire fas non est, quæ
Ἄδυτα. Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt. Item Trallibus in templo Vi-
ctoriæ, vbi Cæsari statuam consecrauerant, palma per eos dies in tecto
inter coagmenta lapidum ex pauimento extitisse ostendebatur. Cæsar
paucos dies in Asia moratus, cùm audìsset Pompeium Cypri visum, con-
iectans eum in Aegyptum iter habere, propter necessitudines regni, re- H
liquasq; eius loci opportunitates, cum legionibus, vna, quam se ex Thes-
salia sequi iusserat, & altera quam ex Achaia à Q. Fusio legato euocauerat,
equitibusque octingentis, & nauibus longis Rhodijs decem, & Asiaticis
Cæsar Alexandriam peruenit. paucis, Alexandriam peruenit. In his erant *legionariorum hominum
**legionibus.* tria millia ducenti. Reliqui vulneribus ex prælijs & labore ac magnitu-
dine itineris confecti, consequi non poterant. Sed Cæsar confisus fama
Cæsaris audacia. rerum gestarum, infirmis auxilijs proficisci non dubitauerat: atque om-
nem sibi locum tutum fore existimans, Alexandriæ de Pompeij morte co-
gnoscit: atque ibi primùm è naui egrediens, clamorem militum audit,
Fascium prælationis inuidia. quos Rex in oppido præsidij causa reliquerat: & concursum ad se fieri vi- I
det, quòd fasces anteferrentur. In hoc omnis multitudo maiestatem Re-
giam minui prædicabat. Hoc sedato tumultu, crebræ continuis diebus
ex concursu multitudinis concitationes fiebant, compluresque milites
eius vrbis omnibus partibus interficiebantur. Quibus rebus animaduer-
sis, legiones sibi alias ex Asia adduci iussit, quas ex Pompeianis militibus
Etesiæ venti. confecerat. Ipse enim necessariò Etesijs tenebatur, qui Alexandria naui-
gantibus sunt aduersissimi venti. Interim controuersias Regum ad po-
pulum Romanum, & ad se, quòd esset consul, pertinere existimans, at-
que eò magis officio suo conuenire, quòd superiore consulatu cum patre
Ptolemæo & lege & Senatusconsulto societas erat facta, ostendit sibi pla- K
cere, Regem Ptolemæum atque sororem eius Cleopatram, exercitus quos
haberent, dimittere, & de controuersijs iure apud se potiùs quàm inter se
armis disceptare. Erat in procuratione regni propter ætatem pueri, nu-
Photinus eunuchus. tricius eius eunuchus nomine Photinus. Is primùm inter suos queri at-
que indignari cœpit, Regem ad dicendam causam euocari. Deinde adiu-
tores quosdam conscios sui nactus ex regijs amicis, exercitum à Pelusio
Achillas exercitus Alexandrini dux. clàm Alexandriam euocauit: atque eundem Achillam, cuius suprà me-
minimus, omnibus copijs præfecit. Hunc incitatum suis, & Regis in-
flatum pollicitationibus, quæ fieri vellet, literis nuncijsque edocuit. In
testa-

A teſtamento Ptolemæi patris hęredes erant ſcripti, ex duobus filijs maior, & *Ptolemæi regis teſtamentum.*
ex duabus ea quæ ætate antecedebat. hæc vti fierent, per omnes deos, perq́;
fœdera quæ Romæ feciſſet, eodem teſtamento Ptolemæus populum Ro-
manum obteſtabatur. Tabulæ teſtamenti vnæ per legatos eius Romam
erant allatæ, vt in ærario ponerentur. eæ cùm propter publicas occupatio-
nes poni non potuiſſent, apud Pompeium ſunt depoſitæ. Alteræ eodem
exemplo relictæ, atque obſignatæ Alexandriæ proferebantur. De his rebus
cùm ageretur apud Cæſarem, iſq́; maximè vellet pro communi amico at-
que arbitro controuerſias Regum componere, ſubitò exercitus regius
equitatuſque omnis venire Alexandriam nunciatur. Cæſaris copiæ ne-
B quaquam erant tantæ, vt eis extra oppidum, ſi eſſet dimicandum, confi-
deret: relinquebatur, vt ſe ſuis locis oppido teneret tutè, conſiliumq́; Achil
læ cognoſceret. milites tamen omnes in armis eſſe iuſſit: Regemq́; hor-
tatus eſt, vt ex ſuis neceſſarijs, quos haberet maximæ authoritatis, legatos
ad Achillam mitteret, & quid eſſet ſuæ voluntatis, oſtenderet. A quo miſ-
ſi Dioſcorides & Serapion, qui ambo legati Romæ fuerant, magnamq́ue *Dioſcorides et Serapion legati.*
apud patrem Ptolemæum authoritatem habuerant, ad Achillam perue-
nerunt. quos ille, cùm in conſpectum eius veniſſent, priùs quàm audiret,
aut cuius rei cauſa miſſi eſſent cognoſceret, corripi ac interfici iuſſit. Quo-
rum alter accepto vulnere occupatus, per ſuos pro occiſo ſublatus, alter in-
C terfectus eſt. Quo facto, Regem in ſua poteſtate vt haberet, Cæſar effecit,
magnam regium nomen apud ſuos authoritatem habere exiſtimans, & vt
priuato paucorum & latronum potiùs quàm regio conſilio ſuſceptum
bellum videretur. † Erant cum Achilla copiæ, vt neque numero, neque 21
genere hominum, neque vſu rei militaris contemnendæ viderentur. mil- *Copiæ Achillæ.*
lia enim viginti in armis habebat. Hæ conſtabant ex Gabinianis militi- *Gabiniani milites.*
bus, qui iam in conſuetudinem Alexandrinæ vitæ atque licentiæ vene- *Alexandrina licentia.*
rant, & nomen diſciplinamq́ue populi Romani dedidicerant, vxoreſq́ue
duxerant, ex quibus plerique liberos habebant. Huc accedebant collecti
ex prædonibus latronibuſque Syriæ Ciliciæq́; prouinciæ, finitimarumq́;
D regionum. Multi prætereà capitis damnati, exuleſque conuenerant: fu-
gitiuiſq́ue omnibus noſtris certus erat Alexandriæ receptus, certaq́ue vi-
tæ conditio, vt dato nomine, militum eſſent numero: quorum ſi quis à
domino comprehenderetur, concurſu militum eripiebatur, qui vim ſuo-
rum, quòd in ſimili culpa verſabantur, ipſi pro ſuo periculo defendebant.
Hi regum amicos ad mortem depoſcere: hi bona locupletum diripere:
ſtipendij augendi cauſa Regis domum obſidere: regno expellere alios,
alios arceſſere vetere quodam Alexandrini exercitus inſtituto conſueue-
rant. Erant prætereà equitum millia duo, qui inueterauerant. Hi om-
nes complutibus Alexandriæ bellis Ptolemæum patrem in regnum redu-
E xerant, Bibuli filios duos interfecerant, bella cum Aegyptijs geſſerant.
hunc vſum rei militaris habebant. His copijs fidens Achillas, paucitatem-
q́ue militum Cæſaris deſpiciens, occupabat Alexandriam, prætereà oppidi
partem quam Cæſar cum militibus tenebat: & primo impetu domũ eius
irrumpere conatus eſt. Sed Cæſar diſpoſitis per vias cohortibus, impetum
eius ſuſtinuit: eodemq́; tempore pugnatum eſt ad portum: ac longè maxi-
mam attulit ea res dimicationem. Simul enim deductis copijs, pluri-
bus vijs pugnabatur: & magna multitudine naues longas occupare ho-
ſtes conabantur: quarum erant L. auxilio miſſæ ad Pompeium, prælio-
que in Theſſalia facto domum redierant. Illæ triremes omnes & quin-

queremes erant aptæ instructæq; omnibus rebus ad nauigandum. Præter F
*XII. has * XXII. erant quæ præsidij causa Alexandriæ esse consueuerant, * con-
*rostrata. stratæ omnes: quas si occupassent, classe Cæsaris erepta, portum ac mare totum in sua potestate haberent, commeatu auxilijsque Cæsarem prohiberent. Itaque tanta est contentione actum, quanta agi debuit, cùm ille celerem in ea re victoriam, hi salutem suam consistere viderent. Sed rem obtinuit Cæsar, omnesque eas naues, & reliquas quæ erant in naualibus, incendit, quòd tàm latè tueri tàm parua manu non poterat: confestimque ad Pharum nauibus milites exposuit. Pharus est in insula turris
Pharus.

A. Alexandria.
B. Pharus.
C. Mare.

G



H

I

magna altitudine mirificis operibus extructa, quæ nomen ab insula cepit. Hæc insula obiecta Alexandriæ, portum efficit. Sed à superioribus regionibus in longitudinem passuum nongentorum in mare iactis molibus, K angusto itinere & ponte cum oppido coniungitur. In hac sunt insula domicilia Aegyptiorum, & vicus oppidi magnitudine: quæque vbique naues imprudentia aut tempestate paululùm suo cursu decesserint, has more prædonum diripere consueuerunt. His autem inuitis à quibus Pharus tenetur, non potest esse propter angustias nauibus introitus in portum. Hoc tùm veritus Cæsar, hostibus in pugna occupatis, militibusque expositis, Pharum apprehendit, atque ibi præsidium posuit. quibus est rebus effectum, vti tutò frumentum auxiliaque nauibus ad eum supportari possent. Deduxit enim circum omnes propinquas regiones, atque inde au-

A de auxilia euocauit. Reliquis oppidi partibus sic est pugnatum, vt æquo prælio discederetur, & neutri pellerentur (id efficiebant angustiæ loci) paucisq; vtrinque interfectis, Cæsar loca maximè necessaria complexus,



A. Alexandria.
B. Pharus.
C. Mare.

noctu præmunit. Nec tractu oppidi pars erat Regiæ exigua, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus: & theatrum coniunctum domui, quod arcis tenebat locum, aditus habebat ad portum, & ad reliqua nauialia. Has munitiones insequentibus auxit diebus, vt pro muro obiectas haberet, neu dimicare inuitus cogeretur. Interim filia minor Ptolemæi Regis vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam se ex Regia traiecit, vnaq; bellum administrare cœpit. Sed celeriter est inter eos de principatu controuersia orta. quæ res apud milites largitiones auxit. Magnis enim iacturis sibi quisq; eorum animos conciliabat. Hæc dum apud hostes geruntur, Photinus nutricius pueri, & procurator regni in parte Cæsaris, cùm ad Achillam nuncios mitteret, hortareturq; ne à negocio desisteret, néue animo deficeret, indicatis deprehensisq; internuncijs à Cæsare est interfectus. Hæc initia belli Alexandrini fuerunt.

Photinus interfectus.

A. HIR-

A. HIRTII, SIVE OPPII, DE BELLO ALEXANDRINO C. IVLII CAESARIS LIBER VNVS. G

Libri de bello Alexandrino capita.

1 *Alexandrinorum apparatus contra Cæsarem: & huius diligentia in aqua dulci qua ferè prohibebatur, inuenienda.*

2 *Cæsaris naualia duo prælia secunda cum Alexandrinis.*

3 *Cæsar Pharo per vim potitus magna clade ab Alexandrinis afficitur.*

4 *Rex Ptolemæus à Cæsare per blanditias dimissus nauali eum prælio superat, statimq; à Mithridate duce qui magna Cæsari auxilia adduxit, &* H *postea à Cæsare ipso superatur.*

5 *Rege nauali prælio interempto Cæsar Aegypto & Alexandria potitus nouos reges substituit.*

6 *Domitius Asiæ à Cæsare præfectus Deiotari impulsu cum Pharnace prælium committit, ab eoq; superatur.*

7 *Illyricum à Cæsarianis post aliquot prælia, quorum in vno Gabinius perijt, pacatur.*

8 *Odium Cassij in Hispania, vbi prætor à Cæsare relictus, & coniuratione facta vulneratus supplicium de coniuratis sumit.*

9 *Cassij & Marcelli, quorum vterque Cæsaris nomine abutebatur, contentiones in Hispania, & illius in Iberi ostio interitus.* I

10 *Cæsar in Syriam profectus res omnium illarum prouinciarum constituit, Deiotaroq; Regi abiecto & supplici vestitum restituit.*

11 *Pharnacis Regis blanda legatio ad Cæsarem, & fuga ex prælio aduerso. Cæsaris victoris post receptum Pontum & prouincias constitutas in vrbem reditus.*

Malcus Nabatæorū Rex.

1 BELLO Alexandrino conflato, Cæsar Rhodo, atq; ex Syria Ciliciaq; omnem classem arcessit: ex Creta sagittarios, equites à Rege Nabatæorum Malco euocat: tormenta vndique conquiri, & frumentum mitti, auxiliaque adduci iubet. Interim munitiones quotidie operibus augentur, atque omnes oppidi partes quæ minùs firmæ esse viderentur, testudinibus atq; musculis aptantur: ex ædificijs autem per foramina in proxima ædificia arietes immittuntur: quantumque aut ruinis deijcitur, aut per vim recipitur loci, in tantum munitiones proferuntur. nam incendio ferè tuta est Alexandria, quòd sine contignatione ac materia sunt ædificia, & structuris atque fornicibus continentur, tectaque sunt rudere, aut pauimentis. Cæsar maximè studebat vt quam angu- K

Alexandria ab incendio tuta.

A angustissimam partem oppidi palus à meridie interiecta efficiebat, hanc operibus vineisq; agendis à reliqua parte vrbis excluderet, illud spectans ptimùm, vt cùm in duas partes esset vrbs diuisa, acies vno consilio atq; imperio administraretur. Deinde vt laborantibus succurri, atq; ex altera oppidi parte auxilium ferri posset. In primis verò, vt aqua pabuloq; abundaret, quarum alterius rei copiam exiguam, alterius nullam omnino facultatem habebat: quod vtrunq; palus largè præbere poterat. Neq; verò Alexandrinis in gerendis negocijs cunctatio vlla aut mora inferebatur. Nam in omnes partes per quas fines Aegypti, regnūq; pertinet, legatos conquisitoresq; delectus habendi causa miserant, magnumq; numerum in oppidum telo-
B rum ac tormentorum conuexerant, & innumerabilem multitudinem adduxerant. Nec minùs in vrbe maximæ armorum erant institutæ officinæ. Seruos prætereà puberes armauerant, quibus domini locupletiores victum quotidianū stipendiumq; præbebant. Hac multitudine disposita * munitiones semotarum partium tuebantur. Veteranas cohortes vacuas in celeberrimis vrbis locis habebant, vt quacunque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opponi possent. Omnibus vijs atq; angiportis triplicem vallum obduxerant. Erat autem quadrato extructus saxo, nec minùs XL. pedes altitudinis habebat: quæq; partes vrbis inferiores erant, has altissimis turribus denorum tabulatorū munierant. *loca.
C Prætereà alias ambulatorias totidem tabulatorū confixerant, subiectisq; eas rotis, funibus iumentisq; obiectis, directis plateis in quamcunq; erat * visum partem mouebant. Vrbs fertilissima & copiosissima, omnium rerum apparatus suggerebat. Ipsi homines ingeniosissimi, atque acutissimi, quæ à nobis fieri viderant, ea solertia efficiebant, vt nostri illorū opera imitari viderentur: & sua spontè multa reperiebant: vnoq; tempore & nostras munitiones infestabant, & suas defendebant. Atq; hoc principes in concilijs concionibusq; agitabant, populum Romanum paulatim in consuetudinem eius regni occupandi venire: paucis annis anteà Gabinium cum exercitu fuisse in Aegypto: Pompeium se ex fuga eòdem recepisse: Cæsa- *visum. Alexandrinorū solertia.
D rem venisse cum copijs: neq; morte Pompeij quicquam profectū, quò minùs Cæsar apud se commoraretur: quem si non expulissent, futuram ex regno Prouinciam: idq; agendum maturè. Namq; cum interclusum tempestatibus propter anni tempus recipere transmarina auxilia non posse. Interim dissensione orta inter Achillam (qui veterano exercitui præerat) & Arsinoēn Regis Ptolemæi minorem filiam, vt suprà demonstrarum est, cùm vterq; vtriq; insidiaretur, & summā imperij ipse obtinere vellet, præoccupat Arsinoē per Ganymedem eunuchum nutricium suum, atq; Achillam interficit. Hoc occiso, ipsa sine vllo socio & custode omne imperiū obtinebat: exercitus Ganymedi traditur. Is suscepto officio largitionem in milites Arsinoe Ptolemæi filia. Ganymedes eunuchus. Achillas interficitur.
E auget: reliqua pari diligentia administrat. Alexandria est ferè tota suffossa, specusq; habet ad Nilū pertinentes, quibus aqua in priuatas domos inducitur, quæ paulatim spacio temporis liquescit, ac subsidet: hac vti domini ædificiorū atq; eorū familiæ consueuerunt. Nam quę flumine Nilo fertur, adeò est limosa, atq; turbida, vt multos variosq; morbos efficiat: sed ea plebes ac multitudo cōtēta est necessariò, quòd fons vrbe tota nullus est. hoc tamē flumen in ea parte vrbis erat, quę ab Alexandrinis tenebatur. Quo facto est admonitus Ganymedes, posse nostros aqua intercludi, qui distributi munitionū tuendarū causa, vicatim ex priuatis ædificijs specubus & puteis extracta aqua vtebantur. Hoc probato consilio, magnum ac difficile opus Nili aqua.

opus aggreditur. Interseptis enim specubus, atque omnibus vrbis partibus F
exclusis quæ ab ipso tenebantur, aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere contendit. hanc locis superioribus fundere in partem Cæsaris non intermittebat. Quamobrem salsior paulò præter consuetudinem aqua trahebatur ex proximis ædificijs, magnamque hominibus admirationem præbebat, quam ob causam id accidisset: nec satis sibi ipsi credebant, cùm se inferiores eiusdem generis ac saporis aqua dicerent vti, atq; antè consueßent, vulgoque inter se conferebant, & degustando, quantum inter se differrent aquæ, cognoscebant. Paruo verò temporis spacio hæc propior bibi omnino non poterat, illa inferior corruptior iam salsiorq; reperiebatur. quo facto dubitatione sublata, tantus incessit timor, G
vt ad extremum casum periculi omnes deducti viderentur: atq; alij morari Cæsarem dicerent, quin naues conscendere iuberet: alij multò grauiùs extimescerent casum, quòd neq; celari Alexandrinis possent in apparanda fuga, cùm hi tam paruo spacio distarent ab ipsis: neq; illis imminentibus atq; insequentibus vllus in naues receptus daretur. Erat autẽ magna multitudo oppidanorum in parte Cæsaris, quam domicilijs ipsorum non mouerat, quòd ea se fidelem palàm nostris esse simulabat, & desciuisse à suis videbatur: vt mihi defendendi essent Alexandrini quòd neq; fallaces essent, neq; temerarij, multaq; oratio frustrà absumeretur. Cùm verò vno tempore & natio eorũ & natura cognoscatur, aptissimum esse hoc genus ad pro- H
ditionem dubitare nemo potest. Cæsar suorum timorem consolatione & ratione minuebat. Nam puteis fossis aquam dulcem reperiri posse affirmabat. omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis venas habere. quòd si alia esset littoris Aegyptij natura, atq; omnium reliquorum, tamen quoniam mare liberè tenerent, neque hostes classem haberent, prohiberi sese non posse quò minùs quotidie nauibus aquam peterent vel à sinistra parte à Parætonio, vel à dextra ab insula: quæ diuersæ nauigationes nunquã vno tempore aduersis ventis præcluderentur. Fugæ verò nullum esse consilium, non solùm ijs qui primam dignitatem haberent, sed ne ijs quidem qui nihil præterquàm de vita cogitarent. Magno negotio im- I
petus hostium aduersos ex munitionibus sustineri, quibus relictis nec loco nec numero pares esse posse. Magnam autem moram & difficultatem ascensum in naues habere, præsertim ex scaphis. Summam esse contrà in Alexandrinis velocitatem locorum & ædificiorum notitia. Hos præcipuè in victoria insolentes, præcursuros, & loca excelsiora atque ædificia occupaturos. ita fuga nauibusq; nostros prohibituros. Proinde eius consilij obliuiscerentur, atq; omni ratione esse vincendum cogitarent. Hac oratione apud suos habita, atq; omnium mentibus excitatis, dat Centurionibus negocium, vt reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant, néue quam partem nocturni temporis intermittãt. Quo K
suscepto negocio, atq; omniũ animis ad laborem incitatis, magna vna nocte vis aquæ dulcis inuenta est. Ita operosis Alexandrinorum machinationibus, maximisq; conatibus, nõ longi temporis labore occursum est. † Eo
2 biduo legio trigesimaseptima ex dedititijs Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis, imposita in naues à Domitio Caluino, ad littora Africę paulò supra Alexandriam delata est. Hæ naues Euro, qui multos dies continenter flabat, porrũ capere prohibebãtur. Sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. Hi cùm diu retinerentur, atq; aquæ inopia premerentur, nauigio actuario Cæsarem faciunt certiorem.

Cæsaris ad suos oratio.

Littora omnia venas aquæ dulcis habent.

Magna vis aquæ dulcis inuenta.

Cæsar

A Cæſar vt per ſe conſilium caperet quid faciendum videretur, nauim conſcendit, ſeq; omnem claſſem ſequi iuſſit, nullis noſtris militibus impoſitis, quòd cùm longiùs paulo diſcederet, munitiones nudare nolebat. Cumq; ad eum locum acceſſiſſet qui appellatur Cherrhoneſus, aquandique cauſa remiges in terram expoſuiſſet, nonnulli ex eo numero cùm longiùs à nauibus prędatum proceſſiſſent, ab equiribus hoſtium ſunt excepti. ex his cognouerunt Cæſarem ipſum in claſſe veniſſe, nec vllos milites in nauibus habere. Qua re comperta magnam ſibi facultatem fortunam obtuliſſe benegerendæ rei crediderunt. Itaq; naues omnes quas paratas habuerant ad nauigandum, propugnatoribus inſtruxerunt. Cæſariq; redeunti cum claſſe occurrerunt. qui duabus de cauſis eo die dimicare nolebat, quòd & nullos milites in nauibus habebat, & poſt horam decimam diei reș agebarur: nox autem allatura videbatur maiorem fiduciam illis qui locorum notitia confidebant: ſibi etiam hortandi ſuos auxilium defuturum, quòd nulla ſatis idonea eſſet hortatio, quæ neq; virtutem poſſet notare, neq; inertiā. Quibus de cauſis naues quas potuit Cæſar ad terram detraxit, quem in locum illos ſucceſſuros non exiſtimabat. Erat vna nauis Rhodia in dextro Cæſaris cornu longè à reliquis collocata. hanc cōſpicati hoſtes, non tenuerunt ſeſe, magnoq; impetu quatuor ad eam conſtratæ naues, & complures apertæ contenderunt: cui coactus eſt Cæſar ferre ſubſidium, ne turpem in conſpectu hoſtium contumeliam acciperet: quanquam ſi quid grauiùs accidiſſet, meritò caſurum iudicabat. Prælium commiſſum eſt magna contentione Rhodiorum: qui cùm in omnibus dimicationibus & ſcientia & virtute præſtitiſſent, tùm maximè illo tempore totum onus ſuſtinere non recuſabant, ne quod ſuorum culpa detrimentum acceptum videretur. Ita prælium ſecundiſſimum eſt factum. capta eſt vna hoſtium quadriremis, depreſſa eſt altera, alteraq; perturbata: deinde omnes epibatis nudatæ. magna præterea multitudo in reliquis nauibus propugnatorum eſt interfecta. Quòd niſi nox prælium diremiſſet, tota claſſe hoſtium Cæſar potitus eſſet. Hac calamitate perterritiș hoſtibus, aduerſo vento leniter flante, naues onerarias Cæſar remulco victricibus ſuis nauibus Alexandriam deducit. Eo detrimento adeò ſunt fracti Alexandrini, cùm iam non virtute propugnatorum, ſed ſcientia claſſiariorum & nauigatorum ſe victos viderenr, quibus & ſuperioribus locis ſubleuabātur, vt vix ædificijs defendi poſſent, & materiā cunctam obijcerent, quòd noſtræ claſſis oppugnationem etiā ad terram verebantur. Iidem poſteà quàm Ganymedes in concilio confirmauit, ſeſe & eas quæ eſſent amiſſæ, reſtituturū, & numerum adaucturum, magna ſpe & fiducia veteres reficere naues, accuratiuſq; huic rei ſtudere atque inſeruire inſtituerunt. Ac tametſi ampliùs centū decem nauibus longis in portu naualibuſque amiſeranr, non tamen reparandæ claſſis cogitationem depoſuerunt. Videbant enim non auxilia Cæſaris, non commeatus ſupportari poſſe, ſi claſſe ipſi valerent. Præterea nautici homines & vrbis & regionis maritimæ quotidiano vſu à pueris exercitati, ad naturalem ac domeſticum vſum refugere cupiebant: & quantū paruulis nauigijs profeciſſent, ſentiebant. Itaq; omni ſtudio ad parandam claſſem incubuerunt. Erant in omnibus oſtijs Nili cuſtodiæ exigendi portorij cauſa diſpoſitæ. Naues veteres eranr in occultis * Regiæ naualibus, quibus multis annis ad nauigandum non erant vſi. Has reficiebant, illas Alexandriam reuocabāt. Deerant remi. porticus, gymnaſia, ædificia publica detegebant. aſſeres remorum vſum obtinebant. Aliud naturalis ſolertia, aliud vrbis copia ſubmini-

[Margin notes: Cherrhoneſus. — Prælium nauale. — Rhodiorum virtus. — *regionis.]

S

ministrabat. Postremò non longam nauigationem parabant, sed præsentis F
temporis necessitati seruiebant, & in ipso portu confligendum videbant.
Itaq; paucis diebus contra omniũ opinionem quadriremes vigintiduas,
quinqueremes quinque confecerunt: ad has minores apertasq; complu-
res adiecerunt: & in portu periclitati remigio quid quæque earum efficere
posset, idoneos milites imposuerunt, seq; ad confligendum omnibus re-
Cæsaris classis.
bus parauerunt. Cæsar Rhodias naues nouem habebat (nam decem mis-
sis, vna in cursu littore Aegyptio defecerat) Ponticas octo: Lycias quinq;
ex Asia XII. ex his erant quinqueremes & quadriremes X. reliquæ infra hanc
magnitudinem, & pleræque apertæ. tamen virtute militum confisus, co-
gnitis hostium copijs, se ad dimicandum parabat. Postquàm eò ventum G
est, vt sibi vterque eorum confideret: Cæsar Pharum classe circumuehi-
tur, aduersasque naues hostibus constituit. In dextro cornu Rhodias col-
locat, in sinistro Ponticas. Inter has spacium quadringentorum passuum
relinquit, quod satis esse ad explicandas naues videbatur. Post hunc ordi-
nem reliquas naues subsidio distribuit. quæ quanque earum sequatur, &
Alexandrinorũ classis.
cui subueniat, constituit atque imperat. Non dubitanter Alexandrini
classem producunt, atq; instruunt. In fronte collocant XXII. reliquas sub-
sidiarias in secundo ordine constituunt. Magnum præterea numerum mi-
norum nauigiorum & scapharum producunt cum malleolis ignibusq;, si
quid ipsa multitudo, & clamor, & flamma nostris terroris afferre possent. H
Erant inter duas classes vada transitu angusto, quæ pertinent ad regionem
Alexandria pars dimidia Africæ est.
Africæ. sic enim prædicant, partem esse Alexandriæ dimidiam Africæ. Sa-
tisq; diu inter ipsos est expectatum, ab vtris transeundi fieret initium, pro-
** intrassent.*
pterea quòd ij qui * transissent, & ad explicandam classem, & ad receptum
si durior accidisset casus, impeditiores fore videbantur. Rhodijs nauibus
Euphranor Rhodius.
præerat Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum nostris ho-
minibus quàm cum Græcis comparandus. Hic ob notissimam scientiam
atque animi magnitudinem delectus est à Rhodijs qui imperium classis
obtineret. Qui vbi Cæsaris animum aduertit, Videris mihi, inquit, Cæ-
sar vereri, si hæc vada primus nauibus intraueris, ne priùs dimicare coga- I
ris, quàm reliquam classem possis explicare. nobis rem committe. nos præ-
lium sustinebimus, neque tuum iudiciũ fallemus, dum reliqui subsequan-
tur. Hostes quidem diutiùs in nostro conspectu gloriari, magno nobis
& dedecori & dolori est. Cæsar illum adhortatus, atque omnibus laudi-
Prælium nauale.
bus prosecutus, dat signum pugnæ. Progressas vltra vadum quatuor Rho-
dias naues circunsistunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt. Su-
stinent illi, atque arte solertiaque se explicant. Ac tantum doctrina po-
tuit, vt in dispari numero, nulla transuersa hosti obijceretur, nullæq; remis
detergerentur, sed semper venientibus aduersæ occurrerent. Interim sunt
reliquæ subsecutæ. Tum necessariò discessum ab arte est, propter angustias K
loci: atque omne certamen in virtute constitit. Neque verò Alexandriæ
fuit quisquam aut nostrorum aut oppidanorum, qui aut in opere aut in
oppugnatione occupatum animum haberet, quin altissima tecta peteret,
atque ex omni prospectu locum spectaculo caperet, precibusque & votis
victoriam suis à Dijs immortalibus exposceret. Minimè autem par erat
prælij certamen. Nostris enim pulsis, neq; terra neq; mari effugium daba-
tur vllum, omniaq; erant futura in incerto. Illi si superâssent nauibus, om-
** reliqua cum fortuna pericl.*
nia tenerent: si inferiores fuissent, * reliquam tamen fortunam pericli-
tarentur. Simul illud graue ac miserum videbatur, perpaucos de summa
rerum

A rerum & de salute omnium decertare: quorum si quis aut animo aut virtute cessisset, reliquis etiam esset cadendum, quibus pro se pugnandi facultas non fuisset. Hæc superioribus diebus sæpenumero Cæsar suis exposuerat, vt hoc maiore animo contenderent, quòd omnium salutem sibi commendatam viderent. Eadem suum quisque contubernalem, amicum, notumq; prosequens, erat obtestatus, ne suam atque omnium falleret opinionem, quorum iudicio delectus ad pugnam proficisceretur. Itaque hoc animo est decertatum, vt neq; maritimis nauticisq; solertia atque ars præsidium ferret, neque numero nauium præstantibus multitudo prodesset, neq; flexi ad virtutem ex tanta multitudine viri, virtuti nostrorum possent

B adæquari. * Capitur hoc prælio quinqueremis vnà cum defensoribus suis remigibusq;, & deprimuntur tres, nostris incolumibus omnibus. Reliquæ propinquam fugam ad oppidum capiunt, quas protexerũt hostes ex molibus atque ædificijs imminentibus, & nostros adire propiùs prohibuerunt. *capiũtur hoc prælio x. biremes cum def.

† Hoc ne sibi sæpiùs accidere posset, omni ratione Cæsar contendendum existimauit, vt insulam, molemq; ad insulam pertinentem, in suam redigeret potestatem. Perfectis enim magna ex parte munitionibus: & oppidum, & illam, & vrbem vno tempore tentari posse confidebat. Quo capto consilio, cohortes x. & leuis armaturæ electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur, in nauigia minora scaphasq; imponit: alteramque insulæ

C partem distinendæ manus causa cum constratis nauibus aggreditur, præmijs magnis propositis, qui primus insulam cepisset. Ac primò impetum nostrorum pariter sustinuerunt. Vno enim tempore & ex tectis ædificiorum propugnabant, & littora armati defendebant: quò, propter asperitatem loci, non facilis nostris aditus dabatur: & scaphis nauibusq; longis v. mobiliter & scienter angustias loci tuebantur. Sed vbi primùm locis cognitis, vadisq; prætentatis, pauci nostri in littore constiterunt, illosq; sunt alij subsecuti, constanterq; in eos qui in littore æquo constiterant, impetum fecerunt, omnes Pharitæ terga verterunt. Hi pulsi, custodia portus relicta naues ad littora & vicum applicarunt, seq; ex nauibus ad tuenda ædi-

D ficia eiecerunt. Neque verò diutiùs ipsi ex munitione se continere potuerunt: * quamuis esset dissimile aliorum atque Alexandriæ genus ædificiorum, vt minora maioribus conferantur: turresque editæ & coniunctæ, muri locum obtinebant: neque nostri aut scalis aut cratibus aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum: sed terror hominibus mentem consiliumq; eripit, & membra debilitat: vt tum accidit. Nam qui se in æquo loco ac plano pares esse confidebant, ijdem perterriti fuga suorum, & cæde paucorum, triginta pedum altitudine in ædificijs consistere ausi non sunt, seq; per molem in mare præcipitauerunt, & octingentorum passuum interuallo ad oppidum enatauerunt. Multi tamen ex his capti, inter- *et si erat non dissimile atque Alex. Terror mentem & consilium hominib. eripit.

E fectique sunt. Sed numerus captiuorum omnino fuit sexcenti. Cæsar præda militibus concessa, ædificia diripi iussit, castellumque ad pontem qui propior erat Pharo, communiuit, atque ibi præsidium posuit. Hunc fuga Pharitæ reliquerant: fortiorem illum, propioremque oppido Alexandrini tuebantur. Sed eum postero die simili ratione aggreditur, quòd his obtentis duobus, omnem nauigiorum excursum, & repentina latrocinia sublatum iri videbantur. Iamque eos qui præsidio eum locum tenebant, tormentis è nauibus sagittisq; depulerat, atq; in oppidum redegerat, & cohortium trium instar in terram exposuerat. Non enim plures consistere angustiæ loci patiebantur. reliquæ copiæ in nauibus stationem obtine-

bant. quo facto imperat pontem aduersus hostem prꝫuallari, & quà exitus F
nauibus erat, fornice exructo, quo pons sustinebatur, lapidibus oppleri,
atq; obstrui. quorum altero opere effecto, vt nulla omnino scapha egredi
posset, altero instituto, omnes Alexandrinorum copiæ ex oppido se eiece-
re, & contra munitiones pontis latiore loco constiterunt: eodemq; tem-
pore, quæ consueuerant nauigia per pontes ad incendia onerariarũ emit-
tere, ad molem constituerunt. Pugnabatur à nostris ex ponte, ex mole: ab
illis ex area quæ erat aduersus pontem, & ex nauibus contra molem. In his
rebus occupato Cæsare, militesq; hortante, remigum magnus numerus &
classiariorum ex longis nauibus nostris in molem se eiecit. Pars eorum stu-
dio spectandi ferebatur, pars etiam cupiditate pugnandi. Hi primùm na- G
uigia hostium lapidibus ac fundis à mole repellebant: ac multum profice-
re multitudine telorum videbantur: sed postquàm vltra eum locum à la-
tere eorum aperto ausi sunt egredi ex nauibus Alexandrini pauci, vt sine si-
gnis certisq; ordinibus sineq; ratione prodierant, sic temerè in naues re-
fugere cœperunt. Quorum fuga incitati Alexandrini plures ex nauibus
egrediebantur, nostrosque acriùs perturbatos insequebantur. Simul qui
in nauibus longis remanserant, scalas rapere, nauesq; à terra repellere pro-
perabant, ne hostes nauibus potirentur. Quibus omnibus rebus pertur-
bati milites nostri cohortium trium quæ in ponte ac prima mole consti-
terant, cùm post se clamorem exaudirent, fugam suorum viderent, ma- H
gnam vim telorum aduersi sustinerent, veriti ne à tergo circunueniren-
tur, & discessu nauium omnino reditu intercluderentur, munitionem
in pontem institutam reliquerunt, & magno cursu incitati ad naues con-
tenderunt. Quorum pars proximas nacta naues, multitudine hominum
atque onere depressa est: pars resistens, & dubitans quid esset capiendum
consilij, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli feliciore exitu expeditas
ad anchoras naues consecuti, incolumes discesserunt. Pauci alleuati scu-
tis, & animo ad conandum nixi, ad proxima nauigia adnatàrunt. Cæsar
quoad potuit cohortando suos ad pontem & munitiones contendere,
eodem in periculo versatus, postquàm vniuersos cedere animaduertit, I
in suum nauigium se recepit: quò multitudo hominum insecuta cùm ir-
rumperet, neque administrandi neque repellendi à terra facultas daretur,
Cæsar se in mare abijcit, & nando euadit. fore quod accidit, suspicatus, sese ex nauigio eiecit, & ad eas quæ lon-
giùs constiterant naues, adnatauit. Hinc suis laborantibus subsidio sca-
phas mittens, nonnullos conseruauit. nauigium quidem eius multitudi-
Cæsaris clades. ne militum depressum, vnà cum hominibus interijt. Hoc prælio desy-
derati sunt ex numero legionariorum militum circiter cccc. & paulò post
eum numerum classiarij, & remiges. Alexandrini eo loco castellum ma-
gnis munitionibus, multisq; tormentis confirmàrunt, atq; egestis ex ma-
Cæsarianorum militum promptitudo. ri lapidibus, liberè sunt vsi posteà ad mittenda nauigia. Hoc detrimento K
milites nostri tantùm abfuerunt vt perturbarentur, vt incensi potiùs atq;
incitati magnas accessiones fecerint: in operibus hostium expugnandis, in
prælijsque quotidianis, quandocunq; sors obtulerat, procurrentibus & e-
rumpentibus studijs militum. Nec diuulgata Cæsaris hortatio subsequi le-
gionum aut laborem, aut pugnandi poterat cupiditatem: vt magis deter-
rendi & continendi à periculosissimis essent dimicationibus, quàm inci-
4 tandi ad pugnandum. † Alexandrini cùm Romanos & secundis rebus con-
firmari, & aduersis incitari viderent, neque vllum belli tertium casum nos-
sent, quo possent esse firmiores, vt coniectura consequi possumus, aut ad-
moniti

A monitià Regis amicis, qui in Cæsaris erant præsidijs, aut suopte consilio
per occultos nuncios Regis probato, legatos ad Cæsarem miserunt, vt di-
mitteret Regem, transireque ad suos pateretur. Paratam enim omnem
multitudinem esse, confectam tædio puellæ, fiduciario regno, dominatio- *Fiduciarium regnum.*
ne crudelissima Ganymedis, facere id quod Rex imperâsset. Quo si autho-
re in Cæsaris fidem amicitiamq; venturi essent, nullius periculi timorem
multitudini fore impedimento quò minùs se dederent. Cæsar etsi falla- *Alexandrinorum vetera fallia.*
cem gentem, semperq; alia cogitantem, alia simulantem, bene cognitam
habebat, tamen petentibus dare veniam vtile esse statuit. Quòd si quo
facto sentirent eâ quæ postularent, mansurum in fide dimissum Regem
B credebat. Sin (id quod magis illorum naturæ conueniebat) ducem ad
bellum gerendũ Regem habere vellent, splendidiùs atq; honestiùs se con-
tra Regem, quàm contra conuenarum ac fugitiuorum manum bellum es-
se gesturum. Itaq; Regem cohortatus vt consuleret regno paterno, parce-
ret præclarissimæ patriæ, quæ turpissimis incendijs & ruinis esset deforma-
ta, ciues suos primùm ad sanitatem reuocaret, deinde conseruaret, fidem
populo Rom. sibiq; præstaret, cùm ipse tantùm ei crederet, vt ad hostes ar-
matos eum mitteret, dextera dexteram tenẽs, dimittere cœpit adulta iam
ętate puerum. At Regis animus disciplinis fallacissimis eruditus, ne à gentis *Ptolemæi regis ficta*
suæ moribus degeneraret, flens orare contra Cæsarem cœpit ne se dimit- *lachryma.*
C teret. non enim sibi regnũ ipsum conspectu Cæsaris esse iucundius. Com-
pressisque pueri lachrymis, Cæsar ipse commotus, celeriter, si illa sentiret,
fore eum secum affirmans, ad suos dimisit. Ille, vt è carceribus in liberum
cursum emissus, adeò contra Cæsarem acriter bellum gerere cœpit, vt la-
chrymas quas in colloquio proiecerat, gaudio videretur profudisse. Acci-
disse hoc complures Cæsaris legati, amici, Centuriones, militesque læta-
bantur, quòd nimia bonitas eius fallacijs pueri elusa esset. quasi verò id Cę- *Cæsaris nimia bonitas.*
sar bonitate tantùm adductus, & non prudentissimo consilio fecisset.
Cùm duce assumpto Alexandrini nihilo se firmiores factos, aut langui-
diores Romanos animaduerterent, eludentibusque militibus Regis eius
D ætatem atque infirmitatem, magnum dolorem acciperent, neque se quic-
quam proficere viderent, rumoresq; existerent magna Cæsari præsidia ter-
restri itinere Syria Ciliciaque adduci (quod nondum Cæsari auditum erat)
commeatum qui nostris mari supportabatur, intercipere statuerunt. Itaq;
expeditis nauigijs, locis idoneis ad Canopum in statione dispositis naui- *Canopus.*
bus, insidiabantur nostris commeatibus. Quod vbi Cæsari nunciatum
est, classem iubet expediri, atque instrui. Præficit huic Tiberium Neronem. *Tiberius Nero.*
proficiscuntur in ea classe Rhodiæ naues, atque in his Euphranor, sine quo *Euphranor.*
nulla vnquam dimicatio maritima parum etiam feliciter confecta erat. At *Fortunæ mutabilitas.*
fortuna, quæ plerunq; eos quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem
E casum reseruat, superiorum temporum dissimilis, Euphranorem perseque-
batur. Nam cùm ad Canopum ventum esset, instructaque vtrinque classis
conflixisset, & sua consuetudine Euphranor primus prælium commisisset,
& illic triremem hostium perforâsset, ac demersisset, proximam longiùs in
secutus, parùm celeriter insequentibus reliquis, circunuentus ab Alexan-
drinis est. cui subsidium nemo tulit, siue quòd in ipso satis præsidij pro vir-
tute ac felicitate eius putarent esse, siue quòd ipsi * sibi timebant. Ita- **formidabant.*
que vnus ex omnibus eo prælio bene rem gessit, solus cum sua quadrire- *Euphranor Rhodius perit.*
mi victrice perijt. Sub idem tempus Mithridates Pergamenus magnæ no- *Mithridates Pergamenus.*
bilitatis domi, scientiæque in bello, & virtutis, fidei, dignitatisque in

amicitia Cæsaris, missus in Syriam Ciliciamq; initio belli Alexandrini ad F
auxilia accersenda, magnas copias (quas celeriter, & propensissima ciuitatum voluntate & sua diligentia confecerat) itinere pedestri, quo coniun-

Pelusium à Mithridate capitur.

gitur Aegyptus Syriæ, Pelusium adducit: idq; oppidum firmo præsidio occupatum ab Achilla propter opportunitatem loci (nanq; tota Aegyptus

Aegypti munimenta.

maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris munita existimatur) repentè magnis circundatum copijs, multiplici præsidio pertinaciter propugnantibus, & copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defessisq; subijciebat, & perseuerantia constantiaq; oppugnandi, quo die est aggressus, in suam redegit potestatem, præsidiumque ibi suum colloca-

Authoritas victori adest.

uit. inde re bene gesta Alexandriam ad Cæsarem contendit, omnesque G
eas regiones per quas iter faciebat, authoritate ea quæ plerunque adest victori, pacárat, atque in amicitiam Cæsaris redegerat. Locus est ferè regionum illarum nobilissimus, non ita longè ab Alexandria, qui no-

Delta.

minatur Delta, quod nomen à similitudine literæ cepit. Nam pars quædam fluminis Nili mirè deriuata inter se duobus itineribus paulatim medium inter se spacium relinquens, diuersissimo ad littus interuallo à mari coniungitur. Cui loco cùm appropinquare Mithridatem Rex cognouisset, & transeundum ei flumen sciret, magnas aduersus eum copias misit, quibus vel superari delerique Mithridatem, vel sine dubio retineri posse credebat. Quemadmodum autem optabat eum vinci, sic satis ha- H
bebat interclusum à Cæsare à se retineri. Quæ primæ copiæ flumen à Delta transire, & Mithridati occurrere potuerunt, prælium commiserunt, festinantes præripere subsequentibus victoriæ societatem. Quorum

** in vetustis quibusdam codicibus sic legitur, mag. cũ prudentia constantiaq; virtutum, & Alexandrinorum imprudentia consu.no.*

impetum Mithridates magna cum prudentia * consuetudine nostra castris vallatis sustinuit. Cùm verò incautè atque insolenter succedere eos munitionibus videret, eruptione vndique facta magnum numerum eorum interfecit. Quòd nisi locorum notitia reliqui se texissent, partimq; in naues quibus flumen transierant, recepissent, funditùs deleti essent. Qui vt paulùlum ab illo timore se recreârunt, adiunctis ijs qui subsequebantur, rursus Mithridatem oppugnare cœperunt. Mittitur à Mithrida- I
te nuncius Cæsari, qui rem gestam perferret. cognoscit ex suis eadem hæc accidisse Rex. Ita penè sub idem tempus & Rex ad opprimendum Mithridatem proficiscitur, & Cæsar ad recipiendum. Celeriore fluminis Nili nauigatione Rex est vsus, in quo magnam & paratam classem habebat. Cæsar eodem itinere vti noluit, ne nauibus in flumine dimicaret: sed circunuectus eo mari quod Africæ partis esse dicitur, sicuti suprà demonstrauimus,

Mithridates Cæsari iungitur.

priùs tamen Regis copijs occurrit, quàm is Mithridatem aggredi posset, eumq; ad se victorem incolumi exercitu recepit. Consederat cum copijs Rex loco natura munito, quòd erat ipse excelsior, planitie ex omnibus partibus subiecta. Tribus autem ex lateribus varijs genere munitionibus te- K
gebatur. vnum latus erat obiectum flumini Nilo: alterum editissimo loco ductum, vt partem castrorum obtineret: tertium palude cingebatur. Inter castra Regis, & Cæsaris iter, flumen intercedebat angustum, altissimis ripis, quod in Nilum influebat: aberat autem ab Regis castris millia passuũ circiter septem. Rex cùm hoc itinere Cæsarem venire comperisset, equitatum omnem, expeditosque delectos pedites ad id flumen misit, qui transitu Cæsarem prohiberent, & eminùs ex ripis prælium impar inirent. Nullum autem processum virtus habebat, aut periculum ignauia subibat. Quæ res incendit dolore milites equitesque nostros, quòd tandiu pari

prælio

A prælio cum Alexandrinis certarent. Itaque eodem tempore equites Germani dispersi vada fluminis quærentes, partim demissioribus ripis flumen tranârunt: & legionarij magnis arboribus excisis, quæ longitudine vtranque ripam contingerent, proiectis, repentinoque aggere iniecto, flumen transierunt. quorum imperum adeò pertimuerunt hostes, vt in fuga spem salutis collocarent. Sed id frustra: nanque ex ea fuga pauci ad Regem refugerunt, penè omni reliqua multitudine interfecta. † Cæsar 5 re præclarissimè gesta, cùm subitum aduentum suum iudicaret magnum terrorem Alexandrinis iniecturum, protinùs victor ad Regis castra contendit. Hæc cùm & opere magno vallata, & loci natura munita animad-

Alexandrinorum fuga & cædes.

B uerteret, confertamque armatorum multitudinem collocatam in vallo videret, lassos itinere ac præliando milites ad oppugnanda castra succedere noluit. Itaque non magno interuallo relicto ab hoste, castra posuit. Postero die castellum quod Rex in proximo vico non longè à suis castris muniuerat, brachijsque cum opere castrorum coniunxerat, vici obtinendi causa Cæsar aggressus omnibus copijs, expugnat: non quòd id minore numèro militum consequi difficile factu putaret, sed vt ab ea victoria perterritis Alexandrinis, protinùs castra Regis oppugnaret. Itaque eo cursu quo refugientes Alexandrinos ex castello in castra sunt milites insecuti, munitionibus successerunt, acerrimeque eminùs præliari cœpe-

Castra regis oppugnantur.

C runt. Duabus ex partibus aditus oppugnationis nostris dabatur: vna, qua liberum accessum haberi demonstraui: altera, quæ mediocre interuallum inter castra & flumen Nilum habebat. Maxima & electissima Alexandrinorum multitudo defendebat eam partem, quæ facillimum aditum habebat. Plurimum autem proficiebanr hostes in repellendis vulnerandisque nostris, qui in regione fluminis Nili propugnabant. diuersis enim telis nostri figebantur: aduersi, ex vallo castrorum: auersi, ex flumine, in quo multæ naues instructæ funditoribus & sagittarijs nostros impugnabanr. Cæsar cùm videret milites acriùs præliari non posse, nec tamen mulrùm profici propter locorum difficultatem, cùmque animad-

D uerteret excelsissimum locum castrorum relictum esse ab Alexandrinis, quòd & per se munitus esset, & studio partim pugnandi, partim spectandi decurrissent in eum locum in quo pugnabatur, cohortes illò circumire castra, & summum locum aggredi iussit: hisque Carfulenum præfecit, & animi magnitudine, & rei militaris scientia virum præstantem. Quò vt ventum est, paucis defendentibus munitionem, nostris contrà mitibus acerrimè pugnantibus, diuerso clamore & prælio perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. Quorum perturbatione nostrorum animi adeò sunt incitati, vt penè eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum locum castrorum

Carfulenus.

E caperent: ex quo decurrentes, magnam multitudinem hostium interfecerunt. quod periculum plerique Alexandrini fugientes, aceruatim se de vallo præcipitauerunt in eam partem, quæ flumini erat adiuncta. horum primis in ipsa fossa munitionis magna * vi oppressis, cæteri faciliorem fugam habuerunt. Constat fugisse ex castris Regem ipsum, receptumque in nauem, multitudine eorum, qui ad proximas naues adnatabant, demerso nauigio perisse. Re felicissimè celerrimeque gesta, Cæsar magnæ victoriæ fiducia proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit, atque ea parte oppidi victor introijt, quæ præsidio hostium tenebatur. Neque eum consilium suum fefellit, quin hostes eo prælio

** ruina.*

Ptolemæi Regis mors.

audito nihil iam de bello essent cogitaturi. Dignum adueniens fructum F
Alexandrinorum deditio. virtutis, & animi magnitudinis tulit. Omnis enim multitudo oppidanorum, armis proiectis, munitionibusque suis relictis, veste ea sumpta qua supplices dominanteis deprecari consueuerunt, sacrisque omnibus prolatis, quorum religione precari offensos iratosque animos Regum erant soliti, aduenienti Cæsari occurrerunt, seque ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones in suam partem oppidi magna gratulatione suorum venit, qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem aduentum eius felicem fuisse lætabantur. Cæsar
Cæsar Alexandriæ Reges constituit. Aegypto atque Alexandria potitus, Reges constituit, quos Ptolemæus testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Romanum ne muta- G
** à regno pulso minu.* rentur. Nam maiore ex duobus pueris * Rege amisso, minori tradidit regnum, maiorique ex duabus filijs Cleopatræ, quæ manserat in fide: *Arsinoe.* præsidijsque eius minorem Arsinoen, cuius nomine diu regnâsse impotenter Ganymedem docuimus, deducere ex regno statuit, ne qua rursus noua dissensio, priùs quàm diuturnitate confirmaretur Regis imperium, per homines seditiosos nasceretur. Legione veterana sexta secum reducta, cæteras ibi reliquit, quò firmius esset eorum Regum imperium, qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permanserant in Cæsa-
** veteratam.* ris amicitia: neque * vetustatis authoritatem, paucis diebus Reges constituti. Simul ad imperij nostri dignitatem, vtilitatemque publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide Reges, præsidijs eos nostris H esse tutos: & hos, si essent ingrati, posse ijsdem præsidijs coërceri. Sic rebus omnibus confectis & collatis, ipse itinere terrestri profectus est in
6 Syriam. † Dum hæc in Aegypto geruntur, Rex Deiotarus ad Domitium
Deiotarus rex. Domitius Caluinus. Caluinum, cui Cæsar Asiam finitimasque prouincias administrandas tradiderat, venit oratum ne Armeniam minorem regnum suum, néve Cappadociam regnum Ariobarzanis, possideri vastarique à Pharnace pateretur: quo malo nisi liberarentur, imperata se facere, pecuniamque promissam Cæsari non posse persoluere. Domitius non tantùm ad explicandos sumptus rei militaris, cùm pecuniam necessariam esse iudicaret, I sed etiam turpe populo Romano, & Cæsari victori sibique infame esse statueret, regna sociorum atque amicorum ab externo Rege occupari,
Domitij ad Pharnacem nuncij. nuncios confestim ad Pharnacem misit, Armenia Cappadociaque dece-
** potestatemque.* deret: néue occupatione belli ciuilis, populi Romani ius * maiestatemque tentaret. Hanc denunciationem cùm maiorem vim habituram existimaret, si propius eas regiones cum exercitu accessisset, ad legiones profectus, vnam ex tribus tricesimamsextam ipse secum ducit, duas in Aegyptum ad Cæsarem mittit, literis eius euocatas: quarum altera in bello Alexandrino non occurrit, quòd itinere terrestri per Syriam erat missa. Adiungit Cn. Domitius legioni tricesimæsextæ duas à Deiotaro, quas K ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat, equitesque centum: totidemque ab Ariobarzane sumit. Mittit P. Sextium ad C. Plętorium Quæstorem, vt legionem adduceret, quæ ex tumultuarijs militibus in Ponto confecta erat, Q. que Paciscium in Ciliciam ad auxilia accersenda. quæ copiæ celeriter omnes iussu Domi-
Comana. tij Comana conuenerunt. Interim legati à Pharnace responsum referunt, Cappadocia se decessisse, Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine iure obtinere deberet: denique eius regni causa integra Cæsari seruaretur, paratum enim se facere quod is statueret. P. Domi-

rius

A tius cùm animaduerteret eum Cappadocia decessisse non voluntate adductum, sed necessitate, quòd faciliùs Armeniam defendere posset, subiectam suo regno, quàm Cappadociam longiùs remotam, quodque omnes tres legiones adducturum Domitium putaret, ex quibus cùm duas ad Cæsarem missas audisset, audaciùs in Armenia substitisset, perseuerare cœpit, vt eo quoque regno decederet. Neque enim aliud ius esse Cappadociæ atque Armeniæ, nec iustè eum postulare, vt in Cæsaris aduentum res integra differretur: Id enim esse integrum, quod ita esset, vt fuisset. His responsis datis, cum ijs copijs, quas suprà scripsi, profectus est in Armeniam; locisque superioribus iter facere instituit. Nam ex Ponto à Comanis iugum

B edirum syluestre est pertingens in Armeniam minorem, quo Cappadocia finitur ab Armenia. cuius itineris hæ erant certæ opportunitates, quòd in locis superioribus nullus impetus repentinus accidere hostium poterat, & quòd Cappadocia his iugis subiecta magnam commeatus copiam erat subministratura. Complures interim legationes Pharnaces ad Domitium mittit, quę de pace agerent, regiaq; munera Domitio ferrent. ea constanter omnia aspernabatur, nec sibi quicquam fore antiquitùs, quàm dignitatem populi Romani, & regna sociorum recuperare, legatis respondebat. Magnis & continuis itineribus confectis, cùm aduentaret ad Nicopolim (quod oppidum in Armenia minore positum est plano ipsum loco, *Munera regia aspernatur Domitius.* *Nicopolis.*

C montibus tamen altis ab duobus lateribus obiectis satis magno interuallo ab oppido remotis) castra posuit longè à Nicopoli circiter millia passuum septem. Quibus ex castris cùm locus angustus atque impeditus esset transeundus, Pharnaces in insidijs delectos pedites, omnesque penè disposuit equites: magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces dissipari iussit, paganosque & oppidanos in his locis obuersari, vt si amicus Domitius eas angustias transiret, nihil de insidijs suspicaretur, quum in agris & pecora & homines animaduerteret obuersari tanquam amicorum aduentu. Sin verò vt in hostium fines veniret, præda diripienda milites dissiparentur, dispersique cæderentur. Hæc cùm *Castra Domitij.* *Fraus barbara.*

D administraret, nunquam tamen intermittebat legatos de pace atq; amicitia mittere ad Domitium, cùm hoc ipso crederet eum faciliùs decipi posse. At contra spes pacis Domitio in eisdem castris morandi attulit causam. Ita Pharnaces amissa proximi temporis occasione, veritus ne cognoscerentur insidiæ, suos in castra reuocauit. Domitius postero die propius Nicopolim accessit, castraque oppido contulit. quæ dum muniunt nostri, Pharnaces aciem instruxit suo more, atque instituto. In fronte enim simplici directa acie cornua trinis firmabantur subsidijs. eadem ratione mediæ collocabantur acies, duobus dextra sinistraque interuallis simplicibus ordinibus instructis. Perfecit inceptum castrorum opus

E Domitius, parte copiarum pro vallo instructa. Proxima nocte Pharnaces interceptis tabellarijs, qui de Alexandrinis rebus literas ad Domitium ferebant, cognoscit Cæsarem magno in periculo versari, flagitareque à Domitio, vt quamprimùm sibi subsidia mitteret, *propiusque ipse Alexandriam per Syriam accederet. Qua cognita re Pharnaces victoriæ loco ducebat, si trahere tempus posset, cùm discedendum celeriter Domitio putaret. Itaque ab oppido quà facillimum accessum & æquissimum ad dimicandum nostris videbat, fossas duas directas, non ita magno medio interuallo relicto, quatuor pedum altitudinis in eum locum deduxit, quo longiùs constituerat, suam non producere aciem. Inter has fossas *Tabellarij Cæsaris à Pharnace intercepti* **priùs quàm ip.*

aciem

aciem semper instruebat: equitatum autem omnem à lateribus extra fos- F
sam collocabat, qui neque aliter vtilis esse poterat, & multum numero an-
tecibat nostrum equitatum. Domitius autem cùm Cæsaris magis pericu-
lo quàm suo commoueretur, neque se tutò discessurum arbitraretur, si
conditiones quas reiecerat, rursus appeteret, aut sine causa discederet, ex
propinquis castris in aciem exercitum eduxit. tricesimamsextam legio-
nem in dextro cornu collocauit, Ponticam in sinistro, Deiotari legiones
in mediam aciem contulit, quibus tamen angustissimum frontis reli-
quit interuallum, reliquis cohortibus in insidijs collocatis. Sic vtrin-

Pugna inter Pharnacem & Domitium.

que acie instructa, processum est ad dimicandum. Signo sub idem tem-
pus ab vtroque dato concurritur, acriter varieque pugnatur. Nam tri- G
cesimasexta legio cùm extra fossam in equitatum Regis impetum fecis-
set, adeò secundum prælium fecit, vt mœnibus oppidi succederet, fos-
samque transiret, aduersosque hostes aggrederetur. At Pontica ex alte-
ra parte legio cùm paulùlum auersa hostibus cessisset, fossam autem cir-
cumire acies secundò conata esset, vt aperto latere aggrederetur hostem,
in ipso transitu fossæ confixa & oppressa est. Deiotari verò legiones vix
impetum sustinuerunt. Ita victrices Regis copiæ cornu suo dextro me-
diaque acie conuerterunt se ad tricesimamsextam legionem, quæ tamen
fortiter vincentium impetum sustinuit: magnisque copijs hostium cir-
cundata, præsentissimo animo pugnans in orbem se recepit ad radices H
montium, quò Pharnaces insequi propter iniquitatem loci noluit. Ita
Pontica legione penè tota amissa, magna parte Deiotari militum inter-
fecta, tricesimasexta legio in loca se superiora contulit, non amplius
ducentis quinquaginta desideratis. Ceciderunt eo prælio splendidi ac
illustres viri, nonnulli equites Romani. Quo tamen incommodo Do-
mitius accepto, reliquias exercitus dissipati collegit, itineribusque tutis
7 per Cappadociam se in Asiam recepit. † Pharnaces rebus secundis ela-

Pharnaces Pontum occupat.

tus, cùm de Cæsare ea quæ optabat, speraret, Pontum omnibus copijs
occupauit: ibique & victor, & crudelissimus Rex, cùm sibi fortunam
paternam feliciore euentu destinaret, multa oppida expugnauit, bona I
ciuium Romanorum, Ponticorumque diripuit. Supplicia constituit in

Forma et ætate commendabiles periclitati.

In Illyrico gesta.

eos, qui aliquam formæ atque ætatis commendationem habebant, ea-
que, quæ morte essent miseriora: Pontumque nullo defendente, pater-
num regnum se recepisse glorians, obtinebat. Sub idem tempus in Illy-
rico est incommodum acceptum, quæ prouincia superioribus mensibus
retenta non tantùm sine ignominia, sed etiam cum laude erat. Nan-

Q. Cornificius.

que eò missus æstate cum duabus legionibus Q. Cornificius Cæsaris
quæstor pro prætore, quanquam erat prouincia minimè copiosa ad exer-
citus alendos, & finitimo bello ac dissensionibus vastata & confecta, ta-
men prudentia ac diligentia sua, quòd magnam curam suscipiebat, ne quò K
temerè progrederetur, & recepit, & defendit. Nanque & castella complura
locis editis posita, quorum opportunitas castella nos impellebat ad decur-
siones faciendas, & bellum inferendum, expugnauit, eaque præda milites
donauit. Quæ etsi erat tenuis, tamen in tanta prouinciæ desperatione

Octauius.

erat grata, præsertim virtute parta. Et cùm Octauius ex fuga Pharsalici

Iadertini in po. Ro. officiosi.

prælij magna classe in illum se sinum contulisset, paucis nauibus Iadertino
rum (quorum semper in Rempublicam singulare constiterat officium) di-
spersis Octauianis nauibus erat potitus, vt vel classe dimicare posset adiun-
ctis captiuis nauibus sociorum. Et cùm in diuersissima parte orbis terra-
rum

A rum Cn. Pompeium Cæsar victor sequeretur, compluresq; aduersarios in Illyricum propter Macedoniæ propinquitatem se, reliquis ex fuga collectis, contulisse audiret, literas ad Gabinium mittit, vti cum legionibus tyronum, quæ nuper erant conscriptæ, proficisceretur in Illyricum, coniunctisque copijs cum Qu. Cornificio, si quod periculum prouinciæ inferretur, depelleret. Sin ea non magnis copijs tuta esse posset, in Macedoniam legiones adduceret. omnem enim illam partem regionemque viuo Cn. Pompeio bellum instauraturam esse credebat. Gabinius vt in Il- *Gabinius.* lyricum venit, hyberno tempore anni, ac difficili, siue copiosiorem prouinciam existimans, siue multum fortunæ victoris Cæsaris tribuens, siue *Fortuna Cæsaris.*
B virtute & scientia sua confisus, qua sæpe in bellis periclitatus, magnas res & secundas ductu ausuque suo gesserat, neq; prouinciæ facultatibus subleuabatur, quæ partim erat exinanita, partim infidelis: neque nauibus, intercluso mari tempestatibus, commeatus supportari poterat: magnisq; difficultatibus coactus, non vt volebat, sed vt necesse erat, bellum gerebat. Ita cùm durissimis tempestatibus propter inopiam castella aut oppida expugnare cogeretur, crebra incommoda accipiebat: adeoque est à barbaris contemptus, vt Salonam se recipiens in oppidum maritimum, *Salona.* quod ciues Romani fortissimi fidelissimique incolebant, in agmine dimicare sit coactus. Quo prælio duobus millibus militum ampliùs amissis,
C Centurionibus XXXVIII. Tribunis IIII. cum reliquis copijs Salonam se recepit: summaque ibi difficultate rerum omnium pressus, paucis mensibus morbo perijt: cuius & infelicitas viui, & subita mors in magnam *Gabinij mors.* spem Octauium adduxit prouinciæ potiundæ: quem tamen diutiùs in rebus secundis, & Fortuna, quæ plurimùm in bellis potest, diligentiaq; Cor- *Fortuna plurimum in bellis potest.* nificij, & virtus Vatinij versari passa non est. Vatinius Brundusij cùm esset, *Vatinij virtus.* cognitis rebus quæ gesta erant in Illyrico, cum crebris literis Cornificij ad auxilium prouinciæ ferendum euocaretur, & M. Octauium audiret cum barbaris fœdera percussisse, compluribusque locis nostrorum tyronum & militum oppugnare præsidia, partim classe per se, partim pedestribus co-
D pijs per barbaros, etsi graui valetudine affectus, vix corporis viribus animum sequebatur, tamen virtute vicit incommodum naturæ, difficultatesque hyemis, & subitæ præparationis. Nam cùm ipse paucas in portu naues longas haberet, literas in Achaiam ad Calenum, vti sibi classem mitteret, destinauit. quod cùm tardiùs fieret, quàm periculum nostrorum flagitabat, qui sustinere impetum Octauij non poterant, nauib. actuarijs (quarum numerus erat satis magnus, magnitudine quanquam non satis iusta *Rostra nauibus actuarijs imposita.* ad præliandum) rostra imposuit. His adiunctis nauibus longis, & numero classis aucto, militibusq; veteranis impositis, quorum magnam copiam habebat, & omnibus legionarijs qui numero ægrorum relicti erant Brundu-
E sij, cùm exercitus in Græciam transportaretur, profectus est in Illyricum: maritimasq; nonnullas ciuitates quæ defecerant, Octauioque se tradiderant, partim recipiebat, partim remanentes in suo consilio, prætereuehebatur: nec sibi vllius rei moram necessitatemq; iniungebat, quin quàm celerrimè posset, ipsum Octauium persequeretur. Hunc oppugnantem Epidau- *Epidaurus.* rum terra mariq;, vbi nostrũ erat præsidium, aduentu suo discedere ab oppugnatione coëgit, præsidiumq; nostrum recepit. Octauius cùm Vatinium classem magna ex parte confectam ex *nauiculis actuarijs habere cogno- **nauibus.* sceret, confisus sua classe, substitit ad Insulam Tauridem, qua regione Va- *Tauris insula.* tinius insequens nauigabat: non quòd Octauium ibi restitisse sciret, sed

quòd

quòd eum longiùs progressum insequi decreuerat; Cùm propius Tauridem accessisset distensis suis nauibus, quòd & tempestas erat turbulenta, & nulla * suspicio hostis, repentè aduersam ad se venientem nauem antennis ad medium malum demissis, instructam propugnatoribus animaduertit. Quod vbi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas iubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naues subsequebantur, idem vt facerent, significabat. Parabant se Vatiniani repentè oppressi: parari deinceps Octauiani ex portu procedebant. Instruitur vtrinque acies, ordine disposita magis Octauiana, paratior militum animis Vatiniana. Vatinius cùm animaduerteret neque nauium se magnitudine, neque numero parem esse futuræ dimicationi. Fortunæ rem committere maluit. Itaque primus sua quinqueremi in quadriremem ipsius Octauij impetum fecit. celerrimè fortissimeque contrà illo remigante. naues aduersæ rostris concurrunt adeò vehementer, vt nauis Octauiana rostro discusso, ligno contineretur. Committitur acriter reliquis locis prælium, concurriturque ad duces maximè. nam cùm suo quisque auxilium ferret, magnum comminùs in angusto mari prælium factum est: quantoque coniunctis magis nauibus confligendi potestas dabatur, tanto superiores erant Vatiniani, qui admiranda virtute ex suis nauibus in hostium naues transilire non dubitabant: & * dimicatione æquata longè superiores virtute, rem feliciter gerebant. Deprimitur ipsius Octauij quadriremis, multæ prætereà capiuntur, aut rostris perforatæ merguntur. Propugnatores Octauiani partim in nauibus iugulantur, partim in mare præcipitantur: ipse Octauius se in scapham confert: in quam plures cùm confugerent, depressa scapha, vulneratus tamen adnatat ad suum myoparonem. Eò receptus, cùm prælium nox dirimeret, tempestate magna velis vix profugit. sequuntur hunc suæ naues nonnullæ, quas casus ab illo periculo vindicârat. At Vatinius re benè gesta receptui cecinit, suisque omnibus incolumibus in eum se portum victor recepit, quo ex portu classis Octauiana ad dimicandum processerat. Capit eo prælio pentiremem vnam, triremes duas, * dyerotas octo, compluresque remiges Octauianos. Posteroq; ibi die fuit, dum suas captiuasq; naues reficeret. post diem tertium contendit in Insulam Issam, quòd eò se recepisse ex fuga credebat Octauium. Erat in ea regione nobilissimum oppidum, & coniunctissimum Octauio. quò vt peruenit, oppidani supplices se Vatinio dediderunt: comperitque ipsum Octauium paucis paruisque nauigijs vento secundo regionem Græciæ petisse, inde vt Siciliam, deinde Africam caperet. Ita breui spatio re præclarissimè gesta, prouincia recepta, & Cornificio reddita, classe aduersariorum ex illo toto sinu expulsa, victor se Brundusium

8 incolumi exercitu & classe recepit. † His autem temporibus quibus Cęsar ad Dyrrhachium Pompeium obsidebat, & Palæopharsali rem feliciter gerebat, Alexandriæque cum periculo magno, tum etiam maiore periculi fama dimicabat, Q. Cassius Longinus in Hispania pro prætore prouinciæ vlterioris obtinendæ causa relictus, siue consuetudine naturæ suæ, siue odio quod in illam prouinciā susceperat quæstor, ex insidijs ibi vulneratus, magnas odij sui fecerat accessiones: quod vel ex conscientia sua, cùm de se mutuò sentire prouinciam crederet, vel mutuis signis & testimonijs eorum, qui difficulter odia dissimulabant, animaduertere poterat, & compensare offensionem prouincię exercitus amore cupiebat. Itaque cùm primùm in vnum locum exercitum conduxit, sestertia c. militibus est pollicitus:

Marginal notes:

* suspicio hostis accessisset, repentè ad.

Nauale prælium Vatinij & Octauij.

* dimicādo quidem longè su.

Octauij fuga.

Myoparo.

* dyeres.

Issa Insula.

Q. Cassius longinus.

Odium Cassij in Hispanos.

Right margin section letters: F, G, H, L, K

A tus: nec multò pòst cùm in Lusitania Medobregam oppidum, montem- *Medobrega oppid.*
que Herminium expugnâsset, quò Medobregenses confugerant, ibique *Herminius mons.*
Imperator esset appellatus, iterum sestertijs c. milites donauit. Multa præ- *Largitione nimia,*
tereà & magna præmia singulis concedebat, quæ speciosum reddebant *disciplina militaris*
præsentem exercitus amorem, paulatim tamen & occultè militarem di- *soluitur.*
sciplinam seueritatemque minuebant. Cassius legionibus in hyberna dis-
positis, ad ius dicendum Cordubam se recepit: contractumque in ea æs
alienum, grauissimis oneribus prouinciæ constituit exoluere: &, vt largi-
tionis postulat consuetudo, per causam liberalitatis * speciosam, plura lar- ** speciosa exempla*
gitori quærebantur. pecuniæ locupletibus imperabantur, quas Longinus *Largitionum quæs.*
B sibi expensas ferri non tantùm patiebatur, sed etiam cogebat. in gregem
locupletum, simultatum causæ tenues conijciebantur. neq; vllum genus
quæstus aut magni & euidentis, aut minimi & sordidi, prætermittebatur,
quo domus & tribunal Imperatoris vacaret. nemo erat qui modò aliquam *Pecunia cogenda vel*
iacturam facere posset, quin aut vadimonio teneretur, aut in reos refer- *frumentum.*
retur. Ita magna etiam solicitudo periculorum ad iacturas & detrimenta
rei familiaris adiungebatur. Quibus de causis accidit, vt cùm Longinus
Imperator eadem faceret, quæ fecerat quæstor, similia rursus de morte
eius prouinciales consilia inirent. Horum odium confirmabant nonnul- *Exactorum odium.*
li familiares eius, qui cùm in illa societate versarentur rapinarum, nihilo
C minùs tamen oderant eum, cuius nomine peccabant: sibiq; quod rapue-
rant, acceptum ferebant: quod interciderat, aut erat interpellatum, Cassio
assignabant. Quintam legionem nouam conscribit, augetur odium &
ipso delectu, & sumptu additæ legionis. Complentur equitum tria mil-
lia, maximisque onerantur impensis: nec prouinciæ datur vlla requies.
Interim literas accepit à Cæsare, vt in Africam exercitum traijceret, perq;
Mauritaniam ad fines Numidiæ perueniret, quòd magna Cn. Pompeio Iu-
ba Rex miserat auxilia, maioraque missurus existimabatur. Quibus lite-
ris acceptis, insolenti voluptate efferebatur, quòd sibi nouarum prouin-
ciarum, & fertilissimi regni tanta oblata esset facultas. Itaque ipse in Lusi-
D taniam proficiscitur ad legiones accersendas, auxiliaque adducenda. cer-
tis hominibus dat negocium, vt frumentum nauesq; centum pararen-
tur, pecuniæque describerentur, atque imperarentur, ne qua res, cùm redis-
set, moraretur. Reditus eius fuit celerior omnium opinione. non enim la-
bor aut vigilantia, cupienti præsertim aliquid, Cassio deerat. Exercitu coa-
cto in vnum locum, castris ad Cordubam positis, pro concione militibus
exponit, quas res Cæsaris iussu gerere deberet: polliceturq; ijs, cùm in Mau
ritaniam traiecisset, * sestertia se daturum: quintam fore in Hispania le- ** sestertios.*
gionem. Ex concione se Cordubam recepit, eoque ipso die * meridiana ** tempore pomeri-*
hora cùm in Basilicam iret, quidam Minutius Silo cliens L. Racilij, libel- *diano.* *Minutius Silo.*
E lum, quasi aliquid ab eo postularet vt miles, ei tradit: deinde post Racilium *Racilius.*
(nam is latus Cassij tegebat) quasi responsum ab eo peteret, celeriter dato
loco cùm se insinuâsset, sinistra corripit eum, dextraque bis ferit pugione.
clamore sublato, fit à coniuratis impetus vniuersis. Munatius Flaccus
proximum gladio traijcit lictorem. Hoc interfecto, Q. Cassium legatum *Cassius à coniuratis*
vulnerat. Ibi T. Vasius, & L. Mergilio simili confidentia Flaccũ municipem *vulneratur.*
suum adiuuant. erant enim omnes Italicenses. Ad ipsum Longinum L. Li-
cinius Squillus inuolat, iacentemq; leuibus sauciat plagis. Concurritur ad
Cassium defendẽdum. Semper enim Berones, compluresq; euocatos cum *Berones;*
telis secum habere consueuerat: à quibus cæteri intercluduntur, qui ad cæ-

T dem

dem faciendam subsequebantur. Quo in numero fuit Calpurnius Saluianus, & Manilius Tusculus. Minutius inter saxa, quæ iaciebantur, in itinere fugiens opprimitur, & relato domum Cassio, ad eum deducitur. Racilius in proximam se domum familiaris sui confert, dum certum cognosceret confectúsne Cassius esset. L. Laterensis cùm id non dubitaret, accurrit lætus in castra, militibusque vernaculis, & secundæ legionis, quibus odio sciebat præcipuè Cassium esse, gratulatur. Tollitur à multitudine in tribunal, prætor appellatur. Nemo enim aut in prouincia natus, aut vernaculæ legionis miles, aut diuturnitate iam factus prouincialis (quo in numero erat secunda legio) non cum omni prouincia consenserat in odio Cassij. Nam legiones trigesimam & vigesimamprimam paucis mensibus in Italia scriptas, Cæsar attribuerat Longino: quinta legio ibi nuper erat confecta. Interim nunciatur Laterensi viuere Cassium. Quo nuncio dolore magis permotus, quàm animo perturbatus, reficit celeriter se, & ad Cassium visendum proficiscitur. Re cognita, trigesima legio signa Cordubam infert ad auxilium ferendum Imperatori suo. Facit hoc idem vigesimaprima. subsequitur has quinta. Cùm duæ legiones reliquæ essent in castris, secundarij veriti, ne soli relinquerentur, atque ex eo, quid sensissent, iudicaretur, secuti sunt factum superiorum. permansit in sententia legio vernacula, nec vllo timore de gradu deiecta est. Cassius eos qui nominati erant conscij cædis, iubet comprehendi. Legionem quintam in castra remittit, cohortibus x x x. retentis. Indicio Minutij cognoscit L. Racilium, & L. Laterensem, & Annium Scapulam maximæ dignitatis & gratiæ prouincialem hominem, sibique tam familiarem, quàm Lateranensem & Racilium, in eadem fuisse coniuratione: nec diu moratur dolorem suum, quin eos interfici iubeat. Minutium libertis tradit excruciandum: item Calpurnium Saluianum, qui profitetur indicium, coniuratorumq; numerum auget, verè, vt quidam existimant, vt nonnulli queruntur, coactus. Iisdem cruciatibus affectus à L. Mercelio Squillus nominat plures, quos Cassius interfici iubet, exceptis ijs, qui se pecunia redemerunt. Nam palàm sestertijs decem cum Calpurnio paciscitur, & cum Q. Sextio quinquaginta: qui si maximè nocentes sunt mulctati, tamen periculum vitæ, dolorq; vulnerum pecunia remissus, crudelitatem cum auaritia certâsse significabat. † Aliquot pòst diebus literas à Cæsare missas accipit, quibus cognoscit Pompeium in acie victum, amissis copijs fugisse. Qua re cognita, mistam dolore voluptatem capiebat. Victoriæ nuncius lætitiam exprimebat, confectum bellum licentiam temporum intercludebat. Sic erat dubius animus, verùm nihil timere, an omnia licere mallet. Sanatis vulneribus, accersit omnes qui sibi pecunias expensas tulerant, acceptasq; eas iubet referri. Quibus parum videbatur imposuisse oneris, ampliorem pecuniam imperat. * Aequa autem ratione delectum instituit: quos ex omnibus conuentibus colonijsque conscriptos, transmarina militia perterritos, ad sacramenti redemptionem vocabat: Magnum hoc fuit vectigal, maius tamen creabat odium. His rebus confectis, totum exercitum lustrat. Legiones quas in Africam ducturus erat, & auxilia mittit ad traiectum. Ipse classem quam parabat, vt inspiceret, Hispalim accedit: ibiq; moratur, propterea quòd edictum tota prouincia proposuerat, vt quibus pecunias imperâsset, neq; contulissent, se adirent. quæ euocatio vehementer omnes turbauit. Interim L. Titius, qui eo tempore Tribunus militum legionis vernaculæ fuerat, nunciat fama, legionem trigesimam, quam Qu. Cassius

Marginal notes: *Diuturnitas prouincialem facit.* — *Cædis Conscij mulctantur.* — *Pecuniaria.* — *Crudelitas cum auaritia certans.* — ** Quem autem Roma delec. instituit, quosque, &c.* — *L. Titius trib. mil.*

Margin letters: F, G, H, I, K; 9

A Asius legatus simul ducebat, cùm ad oppidum Leptim castra haberet, seditione facta, Centurionibus aliquot occisis, qui signa tolli non patiebantur, discessisse, & ad secundam legionem contendisse, quæ ad fretum alio itinere ducebatur. Cognita re, noctu cum v. cohortibus vndeuicesimanorum egreditur, mane peruenit. Ibi cum diem, vt quid ageretur, perspiceret, moratus, Carbonam contendit. Hic, cùm legio trigesima, & vigesimaprima cohortes * quatuor, & quinta legio, totusque conuenisset equitatus, audit quatuor cohortes à vernaculis oppressas ad Obuculam, cum his ad secundam peruenisse legionem, omnesque ibi se coniunxisse, & T. Torium Italicensem ducem delegisse. Celeriter habito consilio,

Leptis opp. *Carbona.* ** tres ex quinta legione, to.* *Obucula.* *T. Torius.*

B Marcellum Cordubam, vt eam in potestate retineret, Q. Cassium legatum Hispalim mittit. Paucisque ei diebus affertur, conuentum Cordubensem ab eo defecisse, Marcellumque aut voluntate aut necessitate adductum (nanque id variè nunciabatur) consentire cum Cordubensibus: duasque cohortes legionis quintæ, quæ fuerant Cordubæ in præsidio, idem facere. Cassius his rebus incensus, mouet castra, & postero die Segouiam ad flumen Silicense venit. ibi habita concione, militum rentat animos: quos cognoscit non sua, sed Cæsaris absentis causa sibi fidissimos esse, nullumque periculum deprecaturos, dum per eos Cęsari prouincia restitueretur. Interim Torius ad Cordubam veteres legiones adducit: ac ne dissensionis initium

Marcellus. *Segouia.* *Silicense flu.*

C natum seditiosa militum suaque natura videretur, simul vt contra Q. Cassium, qui Cæsaris nomine maioribus viribus vti videbatur, æquè potentem opponeret dignitatem, Cn. Pompeio se prouinciam recuperare velle palàm dictitabat. Et forsitan etiam hoc fecerit odio Cæsaris, & amore Pompeij, cuius nomen multùm poterat apud eas legiones, quas M. Varro obtinuerat: sed id qua mente commotus fecerit, coniectura sciri potest: certè hoc præ se Torius ferebat: milites adeò fatebantur, vt Cn. Pompeij nomen in scutis inscriptum haberent: *eique frequens regionũ conuentus obuiam prodit, neque tantum virorum: sed etiam matrum familiàs, ac prætextatorum: deprecaturque ne hostili aduentu Cordubam diriperẽt. Nam se con-

T. Torius Pompeianus. ** frequens legionib. conuen. ob.*

D tra Cassium consentire cum omnibus: contra Cæsarem ne facere cogerentur, orare. Tantę multitudinis precibus & lachrymis exercitus commotus, cùm videret ad Cassium persequendum nihil opus esse Cn. Pompeij nomine & memoria, tamque omnibus Cæsarianis quàm Pompeianis Longinum esse in odio, neque se conuentum, neque M. Marcellum contra Cæsaris causam posse perducere, nomen Pompeij ex scutis detraxerunt: Marcellum, qui Cæsaris causam se defensurum profitebatur, ducem adsciuerunt, prętoremque appellàrunt, & conuentum sibi adiunxerunt, castraque ad Cordubam posuerunt. Cassius eo biduo circitèr quatuor millia passuum à Corduba citra flumen Bętim in oppidi conspectu loco excelso facit castra: literas

M. Marcellus pr. appellatus. *Betis flu.*

E ad Regem Bogudem in Mauritaniam, & ad M. Lepidum proconſ. in Hispaniam citeriorem mittit, subsidio sibi prouinciæque Cæsaris causa quamprimùm veniret. ipse hostili modo Cordubẽsium agros vastat, ædificia incendit. Cuius rei deformitate atque indignitate legiones quæ sibi Marcellum ducem ceperant, ad eum concurrerunt: vt in aciem educerentur, orant, priusque confligendi sibi potestas fieret, quàm cum tanta contumelia nobilissimæ charissimæque possessiones Cordubensium in conspectu suo rapinis, ferro, flammaque consumerentur. Marcellus cùm confligere miserrimum putaret, quòd & victoris & victi detrimentum ad eundem Cæsarem esset redundaturum, neque suæ potestatis esset, legiones Bætim traducit,

Bogud rex. *Lepidus proconsul.*

 aciem-

aciemque instruit. Cùm Cassium contrà pro castris suis aciem instruxisse F
loco superiore videret, causa interposita, quòd is in æquum non descende-
ret, Marcellus militibus persuadet, vt se in castra recipiant. Itaque copias re-
ducere cœpit. Cassius (quo bono valebat, Marcellumq; infirmum esse scie-
bat) aggressus equitatu legionarios se recipientes, complures nouissimos
in fluminis ripis interficit. Quum hoc detrimento, quid transitus fluminis
vitij difficultatisq; haberet, cognitum esset, Marcellus castra Bætim trans-
fert: crebroque vterq; legiones in aciem educit, neque tamen confligitur,
propter locorum difficultates. Erat copijs pedestribus multò firmior Mar-
cellus. habebat enim veteranas multisq; prælijs expertas legiones. Cassius
fidei magis quàm virtuti legionū cōfidebat. Itaq; cùm castra castris collata G
essent, & Marcellus locum idoneum castello cepisset, quo prohibere aqua
Cassianos posset, Longinus veritus ne genere quodam obsidionis claude-
retur in regionibus alienis, sibiq; infestis, noctu silentiò è castris proficisci-
Vlla opp. tur, celeriq; itinere Vllam contendit, quod sibi fidele esse oppidum crede-
bat. Ibi adeò coniuncta ponit mœnibus castra, vt & loci natura (nanq; Vl-
la in edito monte posita est) & ipsa munitione vrbis, vndiq; ab oppugna-
tione tutus esset. Hunc Marcellus insequitur, & quamproximè potest Vl-
lam, castra castris confert: locorumq; cognita natura, quo maximè rem de-
ducere volebat, necessitate est adductus, vt neq; confligeret (cuius si rei fa-
cultas esset, resistere incitatis militibus non poterat) neq; vagari Cassium H
latiùs pateretur, ne plures ciuitates ea paterentur, quæ passi erant Cordu-
benses. Castellisque idoneis locis collocatis, operibusq; in circuitu oppidi
continuatis, Vllam Cassiumq; munitionibus clausit. quæ priusquàm per-
ficerentur, Longinus omnem suum equitatum emisit: quem magno sibi
vsui fore credebat, si pabulari frumentariq; Marcellum non pateretur: ma-
gno autem impedimento, si clausus obsidione & inutilis necessarium con-
Bogud rex. sumeret frumentum. Paucis diebus literis Cassi acceptis, Rex Bogud cum
copijs venit, adiungitque ei legionem quam secum adduxerat, compluresq;
que cohortes auxiliarias Hispanorum. nanque vt in ciuilibus dissensioni-
bus accidere consueuit, ita temporibus illis in Hispania nonnullæ ciuita- I
tes rebus Cassi studebant, plures Marcello fauebant. Accedit cum copijs Bo-
gud ad exteriores Marcelli munitiones. pugnatur vtrinq; acriter: crebroq;
vt accidit, fortuna sæpè ad vtrunq; victoriam transferente: nec tamen vn-
Lepidus. quam ab operibus depellitur Marcellus. Interim Lepidus ex citeriore pro-
uincia cum cohortibus legionarijs trigintaquinque, magnoque numero
equitum & reliquorum auxiliorum venit ea mente Vllam, vt sine vllo stu-
dio contentiones Cassij Marcelliq; componeret. Huic venienti sine dubi-
tatione Marcellus se credit, atq; offert: Cassius contrà suis se tenet præsidijs,
siue eò quòd plus sibi iuris deberi, quā Marcello existimabat, siue eò quòd
ne præoccupatus animus Lepidi esset obsequio aduersarij, verebatur. Ponit K
ad Vllam castra Lepidus, neque habet à Marcello quicquam diuisi. Ne pu-
gnetur, interdicit. Ad exeundum Cassium inuitat, fidemque suam in omni
re interponit. Cùm diu dubitásset Cassius quid sibi faciendum, quídue Le-
pido esset credendum, neq; vllum exitum consilij sui reperiret, si permane-
ret in sententia, postulat vti munitiones disijcerentur, sibiq; liber exitus da-
retur. Et cùm non tantùm inducias facerent, sed propè iam constituta ope-
ra complanarent, custodiæq; munitionum essent deductæ, auxilia Regis in
id castellum Marcelli, quod proximum erat regijs castris, neq; opinantibus
omnibus (si tamen in omnibus fuit Cassius, nam de huius conscientia du-

 bita-

A bitabatur) impetũ fecerunt, cõpluresq́; ibi milites oppresserunt. Quòd nisi celeriter indignatione & auxilio Lepidi prælium esset diremptũ, maior calamitas esset accepta. Cùm iter Cassio patefactum esset, castra Marcellus cum Lepido coniungit. Lepidus eodem tempore Marcellusq́; Cordubam cum suis proficiscitur.* Narbonem sub idem tempus Trebonius procon- *Norbam.
sul ad prouinciam obtinendam venit. De cuius aduentu vt cognouit Cas- Trebonius.
sius, legiones quas secum habuerat, equitatumque in hyberna distribuit. Ipse omnibus suis rebus celeriter correptis, Malacam contendit, ibiq́; ad- Malaca.
uerso tempore nauigandi naues conscendit, vt ipse prædicabat, ne se Trebonio & Lepido & Marcello committeret: vt amici eius dictitabant, ne
B per eam prouinciam minore cum dignitate iter faceret, cuius magna pars ab eo defecerat: vt cæteri existimabant, ne pecunia illa ex infinitis rapinis confecta, in potestatem cuiusquam veniret. Progressus secunda, vt hyberna, tempestate, cùm in Iberum flumen noctis vitandæ causa se contulisset, inde paulò vehementiore tempestate nihilo periculosius se nauigaturum credens, profectus aduersis fluctibus occurrentibus ostio fluminis in ipsis faucibus, cùm neque flectere nauem propter vim fluminis, neq́; directam Cassij mors.
tantis fluctibus tenere posset, demersa naue perit. † Cùm in Syriam Cæsar 10
ex Aegypto venisset, atq́; ab his qui Roma venerant ad eum, cognosceret, Cæsaris in Syria gesta.
literisque vrbanis animaduerteret multa Romæ malè & inutiliter admi-
C nistrari, neque vllam partem Reip. satis commodè geri, quòd & contentionibus tribunitijs perniciosæ seditiones orirentur, & ambitione atque *indulgentia Tribunorum militum, & qui legionibus præerãt, multa con *indiligentia.
tra morem consuetudinemque militarem fierent, quæ dissoluendæ disciplinæ seueritatisque essent, eaque omnia flagitare aduentum suum videret, tamen præferendum existimauit, quas in prouincias regionesq́; venisset, eas ita relinquere cõstitutas, vt domesticis dissensionibus liberarentur, iura legesque acciperent, & externorum hostium metum deponerent. Hęc in Syria, Cilicia, Asia celeriter se confecturum sperabat, quòd hæ prouincię nullo bello premebantur. In Bithynia ac Ponto plus oneris sibi videbat im-
D pendere. non enim excessisse tum Ponto Pharnacem audiebat, neq́; excessurum putabat, cùm secundo prælio vehementer esset inflatus, quod contra Domitium Caluinum fecerat. Commoratus ferè in omnibus ciuitatibus, quæ maiores sunt dignitate, præmia benemeritis & viritim & publicè tribuit. De controuersijs veteribus cognoscit, ac statuit. Reges, Tyrannos, Dynastas prouinciæ, finitimosque omnes qui ad eum concurrerant, receptos in fidem, conditionibus impositis, prouinciæ tuendæ ac defendendæ dimittit, & sibi populo Ro. amicissimos. Paucis diebus in ea prouincia consumptis, Sex. Cæsarem amicum & necessarium suum legionibus Syrię pre- Sex. Cæsar.
ficit: ipse eadem classe qua venerat, proficiscitur in Ciliciam: cuius prouin- Cilicia.
E ciæ ciuitates omnes euocat Tarsum, quod oppidum ferè totius Ciliciæ no- Tarsus.
bilissimum fortissimumque est. Ibi rebus omnibus prouinciæ & finitimarum ciuitatum constitutis, cupiditate proficiscendi ad bellum gerendum, non diutiùs moratur: magnisque itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazacæ commoratus, venit Comana vetustissimum & sanctissi- Mazaca.
mum in Cappadocia Bellonæ templum: quod tanta religione colitur, vt Comana.
sacerdos eius Deæ, maiestate, imperio, & potentia secundus à Rege, consensu gentis illius habeatur. id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio Nicomedes.
adiudicauit, qui Regio Cappadocum genere ortus, propter aduersam fortunam maiorum suorum, mutationemque generis, iure minimè dubio,

vetuſtate tamen intermiſſo, ſacerdotium id repetebat. Fratrem autem A- F

Ariarates. riobarzanis Ariaratem, cùm benemeritus vterque eorum de Republica eſſet, ne aut regni hæreditas Ariaratem ſolicitaret, aut hæres regni terreret, Ariobarzani attribuit, qui ſub eius imperio ac ditione eſſet: ipſe iter inceptum ſimili velocitate conficere cœpit. Cùm propius Pontum fineſque

Deiotarus Cæſari ſupplex. Gallogræciæ acceſſiſſet, Deiotarus Tetrarches Gallogræciæ tunc quidem penè totius, quod ei neque legibus neque moribus conceſſum eſſe cæteri Tetrarchæ contendebant: ſine dubio autem Rex Armeniæ minoris à Senatu appellatus, depoſitis Regijs inſignibus, neque tantùm priuato veſtitu, ſed etiam reorum habitu ſupplex ad Cæſarem venit, oratum vt ſibi ignoſceret, quòd in ea parte poſitus terrarum quæ nulla præſidia Cæ G ſaris habuiſſet, exercitibus imperijſque in Cn. Pompeij caſtris affuiſſet. neque enim ſe debuiſſe iudicem eſſe controuerſiarum populi Romani, ſed parère præſentibus imperijs. Contra quem Cæſar, cùm plurima ſua commemoraſſet officia, quæ conſul ei decretis publicis tribuiſſet, cumque defenſionem eius nullam poſſe excuſationem imprudentiæ recipere coarguiſſet, quòd homo tantæ prudentiæ ac diligentiæ ſcire potuiſſet, quis vrbem Italiamque teneret, vbi Senatus, populuſque Romanus, vbi

*c. Reſpublica eſſet, quis deinde poſt L. Lentulum * & M. Marcellum conſul eſſet: tamen ſe concedere id factum ſuperioribus ſuis beneficijs, veteri hoſpitio & amicitiæ, ac dignitate ætatique hominis, precibus eorum qui H frequentes concurriſſent hoſpites atque amici Deiotari ad deprecandum. De controuerſijs Tetrarcharum poſteà ſe cogniturum eſſe dixit. regium veſtitum ei reſtituit. Legionem autem vnam quam ex genere ciuium ſuorum Deiotarus natura diſciplinaque noſtra conſtitutam habebat, equi-

11 tatumque omnem ad bellum gerendum adducere iuſſit. † Cùm in Pontum veniſſet, copiaſque omnes in vnum locum coëgiſſet, quæ numero atque exercitatione bellorum mediocres erant (excepta enim legione ſexta, quam ſecum adduxerat Alexandria, veteranam, multis laboribus periculiſque functam, multiſque militibus partim difficultate itinerum ac nauigationum, partim crebritate bellorum adeò diminutam, vt minùs I mille hominum in ea eſſet, reliquæ erant tres legiones, vna Deiotari,

Pharnacis legati ad Cæſarem. duæ quæ in eo prælio quod Cn. Domitium feciſſe cum Pharnace ſcripſimus, fuerant) legati à Pharnace miſſi Cæſarem adeunt, atque in primis deprecantur ne eius aduentus hoſtilis eſſet. facturum enim omnia Pharnacem quæ imperata eſſent. maximeque commemorabant nulla Pharnacem auxilia contra Cæſarem Pompeio dare voluiſſe, cùm Deiotarus qui dediſſet, tamen ei ſatisfeciſſet. Cæſar reſpondit ſe fore æquiſſimum Pharnaci, ſi quæ polliceretur, repræſentaturus eſſet. Monuit autem, vt ſolebat, mitibus verbis legatos, ne aut Deiotarum ſibi obijcerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quòd auxilia Pompeio non miſiſſent. K

Cæſar ſupplicibus libentiſſime ignoſcit. nam ſi neque libentiùs facere quicquam, quàm ſupplicibus ignoſcere: neque prouinciarum publicas iniurias condonare ijs poſſe, qui fuiſſent in ſe officioſi. Id ipſum quod commemoraſſent officium, vtilius Pharnaci fuiſſe, qui prouidiſſet ne vinceretur: quàm ſibi, cui Dij immortales victoriam tribuiſſent. Itaque ſe magnas & graues iniurias ciuium Romanorum, qui in Ponto negociati eſſent, quoniam in integrũ reſtituere

Sententia Imperatore digna. non poſſet, concedere Pharnaci. Nam neque interfectis amiſſam vitam,

Virilitas exſecta, ſupplicium morte grauius. neque exectis virilitatem reſtituere poſſe: quod quidem ſupplicium grauius morte ciues Romani ſubiſſent. Ponto verò decederet confeſtim, fami-

A familiasq; publicanorum remitteret, cæteraq; restitueret socijs ciuibusq; Romanis quæ penes eum essent. Si fecisset, iam tunc sibi remitteret munera ac dona quæ bene rebus gestis Imperatores ab amicis accipere consuêssent. Miserat enim Pharnaces coronam auream. His responsis datis, legatos remisit. At Pharnaces omnia liberaliter pollicitus, cùm festinantem ac properantem Cæsarem speraret libentùs etiam crediturū suis promissis quàm res pateretur, quò celeriùs honestiusque ad res magis necessarias proficisceretur (nemini enim erat ignotum plurimis de causis ad Vrbem Cæsarem reuocari) lentiùs agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones interponere, in summa frustrari cœpit. Cæsar cognita calliB ditate hominis, quod alijs temporibus natura facere cōsueuerat, tunc necessitate fecit adductus, vt celeriùs omnium opinione manum conferet. Zela est oppidum in Ponto, positu ipso, vt plano loco, satis munitū. tumulus enim naturalis velut manu factus, excelsiore vndique fastigio sustinet murum, circumpositi sunt huic oppido magni multique intercisi vallibus colles: quorum editissimus vnus, qui propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarij, detrimentumq; exercitus nostri, superioribus locis atque itineribus penè coniunctus oppido, magnam in illis partibus habet nobilitatem, nec multò longiùs millibus passuum tribus abest à Zela. *Zela oppidum.* Hunc locum Pharnaces veteribus paternorum felicium castrorum refeC ctum operibus, copijs omnibus suis occupauit. Cæsar cùm ab hoste millia passuum quinque castra posuisset, videretque eas valles quibus regia castra munirentur, eodem interuallo sua castra munituras, si modò ea loca hostes priores non cepissent, quæ multò erant propiora Regis castris, aggerem comportari iubet intra munitiones: quo celeriter collato, proxima nocte vigilia quarta legionibus omnibus expeditis, impedimentisque in castris relictis, prima luce non opinantibus hostibus eum ipsum locum cepit, in quo Mithridates secundum prælium aduersus Triarium fecerat. Huc omnem comportari aggerem è castris, seruitiaque agi iussit, ne quis ab opere miles discederet, cùm spacio non ampliùs mille D passuum intercisa vallis castra hostium diuideret ab opere incepto Cæsaris castrorum. Pharnaces cùm id repentè prima luce animaduertisset, copias suas omnes pro castris instruxit: quas interposita tanta locorum iniquitate, consuetudine magis peruulgata militari credebat instrui Cæsar, vel ad opus suum tardandum, quò plures in armis tenerentur: vel ad ostentationem regiæ fiduciæ, ne munitione magis quàm manu defendere locum Pharnaces videretur. Itaque deterritus non est quò minùs prima acie pro vallo instructa, reliqua pars exercitus opus faceret. At Pharnaces impulsus siue loci felicitate, siue auspicijs & religionibus inductus, quibus obtemperâsse eum posteà audiebamus, siue paucitate noE strorū qui in armis erant, comperta cum more operis quotidiani, magnā illam seruorum multitudinem quæ aggerem portabat, milites esse credidisset, siue etiam fiducia veterani exercitus sui, quem cum legione XXII. in acie conflixisse & vicisse legati eius gloriabantur: simul contemptu exercitus nostri, quem pulsum à se Domitio duce sciebat: inito cōsilio dimicandi, descendere prærupta valle cœpit. Cuius aliquandiu Cæsar irridebat inanem ostentationem, & eo loco militū cohortationem, quem in locū nemo sanus hostis subiturus esset. Cùm interim Pharnaces eodem gradu quo in præruptā descenderat vallem, ascendere aduersus arduū collem instructis copijs cœpit, Cæsar incredibili eius vel temeritate vel fiducia motus,

T 4 neque

*neq; opinantes im paratosq; oppressos eo.

neque * opinans imparatuſque oppreſſus, eodem tempore milites ab ope- B
ribus vocat, arma capere iubet, legiones opponit, aciem inſtruit. Cuius

Prælium inter Pharnacem & Cæſarem.

rei ſubita trepidatio magnum terrorem attulit noſtris. Nondum ordini-
bus inſtructis, falcatæ regiæ quadrigæ permiſtos milites perturbant: quæ
tamen celeriter multitudine telorum opprimuntur. Inſequitur has, acies

Dij immortales omnibus caſibus belli interſunt.

hoſtium, & clamore ſublato confligit, multum adiuuante natura loci, plu-
rimum Deorum immortalium benignitate, qui cùm omnibus caſibus
bellis interſunt, tùm præcipuè eis quibus nihil ratione potuit adminiſtra-
ri. Magno atque acri prælio comminùs facto, dextro cornu quo vetera-
na legio ſexta erat collocata, initium victoriæ natum eſt. Ab ea parte cùm
in procliui detruderentur hoſtes, multò tardiùs, ſed tamen iiſdem dijs ad- G
iuuantibus, ſiniſtro cornu, mediaq; acie totæ profligantur copiæ Regis:
quæ quàm facilè ſubierant iniquum locum, tam celeriter gradu pulſæ,
premebantur loci iniquitate. Itaque multis militibus partim interfectis,
partim ſuorum ruina oppreſſis, qui velocitate effugere poterant, armis ta-
men proiectis vallem tranſgreſſi, nihil ex loco ſuperiore inermes profice-
re poterant. At noſtri victoria elati, ſubire iniquum locum, munitionéſ-
que aggredi non dubitârunt. Defendentibus autem his cohortibus ca-
ſtra, quas Pharnaces præſidio reliquerat, celeriter caſtris hoſtium ſunt po-

Pharnacis fuga.

titi. Interfecta multitudine omni ſuorum, aut capta, Pharnaces cum pau-
cis equitibus profugit: cui niſi caſtrorum oppugnatio facultatem attuliſ- H
ſet liberiùs profugiendi, viuus in Cæſaris poteſtatem adductus eſſet. Tali
victoria toties victor Cæſar incredibili eſt lætitia affectus, quòd maximū
bellum tanta celeritate confecerat: eoque ſubiti periculi recordatione læ-
tior, quòd victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat. Ponto recepto,
præda omni regia militibus condonata, poſtero die cum expeditis equiti-
bus ipſe proficiſcitur. Legionem ſextam decedere ad præmia atque ho-
nores accipiendos in Italiam iubet. Auxilia Deiotari domum remittit,

Cælius Vinianus. * Minutio.

duas legiones cum Cœlio * Vintiano in Ponto relinquit. Ita per Gallo-
græciam Bithyniamque in Aſiam iter facit: omniumq; earum prouincia-
rum de controuerſijs cognoſcit, & ſtatuit. Iura in Tetrarchas, Reges, ciui- I
tates, diſtribuit. Mithridatem Pergamenum, à quo rem feliciter celeri-
terque geſtam in Aegypto ſuprà ſcripſimus, regio genere ortum, diſciplinis

Mithridates rex Boſphori conſtituitur.

etiam regijs educatum (nam eum Mithridates Rex Aſiæ totius propter
nobilitatem Pergamo ſecum paruulum aſportauerat in caſtra, multoſq;
tenuerat annos) Regem Boſphori conſtituit, quod ſub imperio Pharnacis
fuerat: prouinciaſque populi Romani à barbaris atque inimicis Regibus
interpoſito amiciſſimo Rege muniuit. Eidem Tetrarchiam legibus Gal-
logræcorum, iure gentis & cognationis adiudicauit, occupatam &
poſſeſſam paucis antè annis à Deiotaro. Neque tamen vſquam
diutiùs moratus eſt, quàm neceſſitas vrbanarum ſedi- K
tionum pati videbatur. Rebus feliciſſimè

Cæſaris in Italiā reditus.

celerrimeq; confectis, in Italiam
celeriùs omnium opi-
nione venit.

A. HIR-

A

B A. HIRTII, AVT OPPII, DE BELLO AFRICO COMMENTARIVS.

Libri de Bello Africano capita.

1 *Cæsaris in Africam reditus ex Sicilia & leues aliquot pugnæ ad oppidum Adrumetum, cui Considius præerat.*

2 *Cæsaris calliditas in fiducia simulanda, eiusdemq; secundum cum Labieno, Petreio & Pisone prælium.*

C 3 *Scipionis & Pompeij filij apparatus contra Cæsarem: & Labieni Petreiq; cum Scipione coniunctio.*

4 *Regnum Iubæ à Cæsarianis inuaditur. Cæsar dum Africæ vastatæ auxilium accersit, sese in castris continet.*

5 *Labienianorum aliquot defectio ad Cæsarem, & eiusdem secunda cum aduersarijs pugna. & fortitudo centurionis cuiusdam Cæsariani.*

6 *Grando saxea in Cæsaris castris, eiusdemq; binæ aduersus Labienum pugnæ secundæ.*

7 *Adductis ex Sicilia auxilijs Cæsar disciplinã militarem restituit: equestriq; prælio infeliciter primùm, postridie feliciter cum Scipione depugnauit.*

D 8 *Cæsaris celeritas in persequendis hostibus, & eiusdem in castris tuto loco ponendis prudentia.*

9 *Cæsaris diligentia in suis exercendis, eiusdemq; fœlicitas in prælio aduersus Labienum, & altero aduersus Scipionem.*

10 *Prælij à Cæsaris militibus iniussu Imperatoris initi fœlix euentus, & illustris de Scipione victoria.*

11 *Vticæ vrbis clades. Catonis voluntaria nex. Iubæ Regis, itemq; Petreij, Considij, Fausti, & Scipionis interitus, Cæsarisq; in Italiam profectio.*

E CAESAR itineribus iustis confectis, nullo die intermisso, ad XIIII. Calendas Ianuarias Lilybæum peruenit, 1 statimque ostendit sese naues velle conscendere, cùm non ampliùs legionem tyronũ haberet vnam, equites vix sexcentos. Tabernaculum secundum littus ipsum constituit, vt prope fluctus verberaret. Hoc eo consilio fecit, ne quis moræ quicquam fore speraret, & vt omnes in dies horasque parari essent. Incidit per id tempus, vt tempestates ad nauigandum idoneas non haberet. Nihilo tamen minùs in nauibus remiges militesq; continere, & nullam prætermittere occasionem profectionis, cùm præsertim ab incolis eius prouinciæ nunciarentur aduersariorum copiæ, equi-

tatus

tatus infinitus, legiones regiæ quatuor, leuis armaturæ magna vis, Scipio- F
Cæsaris ingens confidentia. nis legiones decem, elephanti centum viginti, classesque esse complures:
tamen non deterrebatur, animoque & spe confidebat. Interim in dies
& naues longæ adaugeri, & onerariæ complures eódem concurrere, & le-
giones tyronum conuenire. In his veterana legio quinta, equitum ad duo
millia, legionibus collectis sex, & equitum duobus millibus, vt quæque
prima legio venerat, in naues longas imponebatur, equites autem in one-
rarias. ita maiorem partem nauium antecedere iussit, & insulam petere
** Paconiam legit Rhellicanus.* * Aponianam, quæ abest à Lilybæo: ibique commoratus, bona pauco-
rum vendit publicè. Deinde Alieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de
Alienus prætor Siciliæ. omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo da- G
tis mandatis, ipse nauem conscendit ad VI. Calendas Ianuarias, & reli-
quas naues statim est consecutus. ita vento certo, celerique nauigio ve-
ctus, post diem quartum cum longis paucis nauibus in conspectum Afri-
cæ venit. Nanque onerariæ reliquæ præter paucas vento dispersæ atque
Clupea. errabundæ diuersa loca petierunt. Clupeam classe præteruehitur, deinde
Neapolis. Neapolim: complura præterea castella & oppida non longè à mari relin-
Adrumetum. quit. Postquam Adrumetum accessit, vbi præsidium erat aduersariorum,
C. Considius. cui præerat C. Considius, & à Clupea secundum oram maritimam cum
Cn. Piso. equitatu Adrumeti Cn. Piso cum Mauris circitèr rribus millibus apparuit:
ibi paulisper Cæsar ante portum commoratus, dum reliquæ naues con- H
uenirent, exponit exercitum: cuius numerus in præsentia fuit peditum
** quing. ucorum.* trium millium, equitum * centum quinquaginta. Castrisq; ante oppidum
positis, sine iniuria cuiusquam consedit: cohibetq; omnes à præda. Oppi-
dani interim muros armatis complent, ante portum frequentes considũt
ad se defendendum, quorum numerus duarum legionum intus erat. Cæ-
sar circum oppidum vectus, natura loci perspecta, redit in castra. Non ne-
** circum loca.* mo culpæ eius imprudentiæq; assignabat, quòd neq; * certum locum gu-
bernatoribus præfectisq;, quid peterent, præceperat: neq; vt mos ipsius
consuetudoq; superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat,
vt in tempore his perlectis locum certum peterent vniuersi. quod minimè I
Cæsarem fefellerat. nanq; nullum portum terræ Africæ, quòd classes de-
currerent, pro certo tutum ab hostium præsidio fore suspicabatur, sed for-
L. Plancus. tuitu oblatam occasionem egressus aucupabatur. L. Plancus interim lega-
tus petit à Cæsare, vt sibi daret facultatem cum Considio agendi, si posset
aliqua ratione perduci ad sanitatem. Itaq; data facultate literas conscribit,
& eas captiuo dat perferendas in oppidum ad Considium. Quò simul atq;
captiuus cùm peruenisset, literasq;, vt erat mandatum, Considio porrigere
cœpisset: priùs quàm acciperet ille, Vnde, inquit, istas? Tum captiuus, Ve-
nio à Cæsare. Tum Considius, Vnus est, inquit, Scipio imperator hoc tem-
Considij crudelitas. pore populi Romani. Deinde in conspectu suo captiuũ statim interfici iu- K
bet: literasq; nondum perlectas, sicut erant signatæ, dat homini certo ad
Scipionem perferendas. Postquam vna nocte & die ad oppidum consum-
pta, neq; responsum vllum à Considio dabatur, neq; ei reliquæ copiæ suc-
currebant, neq; equitatu abundabat, & ad oppidum oppugnandum non
satis copiarum habebat, & eas tyronum, neq; primo aduentu conuulnera-
ri exercitum volebat, & oppidi egregia munitio, difficilisq; ad oppugnan-
** ascensus.* dum erat * accessus, & nunciabantur auxilia magna equitatus oppidanis
suppetias venire, non est visa ratio ad oppugnandum oppidum commo-
randi: nedum in ea re Cæsar esset occupatus, circumuentus à tergo ab equi-
tatu

A tatu hostium laboraret. Itaque castra cùm mouere vellet, subitò ex oppido erupit multitudo, atq; equitatus subsidio vno tempore eis casu succurrit, qui erat missus à Iuba ad stipendium accipiendum: castraque vnde Cæsar egressus iter facere cœperat, occupant, & eius agmen extremum insequi cœperunt. Quæ res cùm animaduersa esset, subitò legionarij consistunt, & equites, quanquam erant pauci, tamen contra tantam multitudinem audacissimè concurrunt. Accidit res incredibilis, vt equites minùs triginta Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerent, refugarentq; in oppidum. Postquàm repulsi & coniecti erant intra munitiones, Cæsar iter constiturum ire contendit. Quod cùm sæpiùs facerent, & modò insequerentur,
B modò rursus ab equitibus in oppidum repellerentur, cohortibus paucis ex veteranis quas secum habebat, in extremo agmine collocatis, & parte equitatus, iter leniter cum reliquis facere cœpit. Ita quantò longiùs ab oppido discedebant, tantò tardiores ad insequendum erant Numidæ. Interim in itinere ex oppidis & castellis legationes venire, polliceri frumentum, paratosq; esse, quæ imperâsset, facere. † Itaq; eo die castra posuit ad oppidum Ruspinam. Cal. Ian. inde mouit, & peruenit ad oppidum Leptim liberam ciuitatem, & immunem. Legati ex oppido veniunt obuiam, libenter se omnia facturos quæ vellet, pollicentur. Itaq; Centurionibus ad portas oppidi & custodijs impositis, ne quis miles in oppidum introiret, aut
C iniuriam faceret cuipiam incolæ, non longè ab oppido secundum littus facit castra. Eòdem naues onerariæ & longæ nonnullæ casu aduenerunt. Reliquæ, vt est ei nunciatum, incertæ locorum, Vticam versus petere visæ sunt. Interim Cæsar à mari non digredi, neque mediterranea petere propter nauium errorem, equitatumque in nauibus omnem continere, vt arbitror, ne agri vastarentur, aquamq; in naues iubet comportari. Remiges interim qui aquatum è nauibus exierant, subitò equites Mauri nec opinantibus Cæsarianis adorti, multos iaculis conuulnerauerunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidijs cum equis inter conualles, & subitò exeunt, non vt in campo comminùs depugnent. Cæsar interim
D in Sardiniam nuncios cum literis, & in reliquas prouincias finitimas dimisit, vt sibi auxilia, commeatus, frumentumque, simul atque literas legissent, mittenda curarent: exoneratisque partim nauibus longis, Rabirium Posthumum in Siciliam ad secundum commeatum accersendum mittit. Interim cum x. nauibus longis ad reliquas naues onerarias conquirendas quæ deerrâssent, & simul mare tuendum ab hostibus, iubet proficisci. Item C. Sallustium Crispum prætorem ad Cercinnam insulam versus, quam aduersarij tenebant, cum parte nauiũ ire iubet, quòd ibi magnum numerum frumenti esse audiebat. Hæc ita imperabat vnicuiq;, præcipiebatq;, vt si fieri posset, nec locum vllũ excusatio haberet, nec moram
E tergiuersatio. Ipse interea ex perfugis & incolis cognitis cõditionibus Scipionis, & qui cum eo contra se bellum gerebant, miserari. Regium enim equitatum Scipio in prouincia Africa alebat. Tanta hominũ erat dementia, vt mallent Regis esse vectigales, quàm cum ciuibus in patria in suis fortunis esse incolumes. Cæsar ad III. Nonas Ianuarias castra mouet. Leptiq; sex cohortium præsidio cum Saserna relicto, ipse rursus vnde pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copijs conuertit: ibiq; sarcinis exercitus relictis, ipse cum expedita manu proficiscitur circum villas frumentatum: oppidanisq; imperat, vt plaustra iumentaque omnia sequantur. Itaque magno numero frumenti inuẽto, Ruspinam redit. Hoc eum idcirco existimo fecisse,

Margin notes: Gallorum equitum mira fortitudo. — 2 — Ruspina opp. — Leptis ciuitas. — Mauri equites. — Rabirius Posthumus. — C. Sallustius Crispus. — Cercinna insula. — Saserna.

fecisse, ne maritima oppida post se vacua relinqueret. præsidioque firmata F
P. Saserna. ad classis receptacula muniret. Itaq; ibi relicto P. Saserna, fratre eius quem Lepti proximo oppido reliquerat cum legione, iubet comportari ligna in oppidum quàmplurima. Ipse cum cohortibus septem quæ ex veteranis legionibus in classe cum Sulpitio & Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum, qui abest ab oppido millia passuũ duo. Ibiq; classem sub vesperum cum ea copia conscendit. Omnibus in exercitu inscijs, & requirẽtibus imperatoris consilium, magno metu ac tristitia sollicitabantur. parua enim cum copia, & ea tyronum, neq; omni exposita in Africa contra magnas copias, & insidiosæ nationis, equitatumq; innumerabilem, se expositos videbant: neq; quicquam solatij in præsentia, neque G auxilium in suorum consilio animaduertebant. nisi in ipsius imperatoris
Animus Cæsaris altus & erectus. vultu, vigore, mirabiliq; hilaritate. Animum enim altum & erectum præ se gerebat. Huic acquiescebãt homines, & in eius scientia & cõsilio omnia sibi procliuia omnes fore sperabant. Cæsar vna nocte in nauibus consumpta, iam cœlo albescente, cùm proficisci conaretur, subitò nauium pars de qua timebat, ex errore eodem conferebatur. Hac re cognita, Cæsar celeriter de nauibus imperat omnes egredi, atq; armatos in littore reliquos aduenientes milites expectare. Itaque sine mora nauibus eis in portum receptis, & aduectis militum equitumq; copijs, rursus ad oppidum Ruspinam redit: atque ibi castris constitutis, ipse cum cohortibus expeditis xxx. fru- H
Cæsaris consiliũ arcanum. mentatum est profectus. Ex eo est cognitum Cæsaris consilium, illũ cum classe nauibus onerarijs quæ deerrãssent, subsidio ire clam hostibus voluisse, ne casu imprudentes suæ naues in classem aduersariorum inciderent: neq; eam rem eos voluisse scire, qui in præsidijs relicti milites fuissent, ne propter suorum paucitatem, & hostiũ multitudinem metu deficerent. Interim cùm iam Cæsar progressus esset è castris circiter millia passuum tria, per speculatores & antecessores equites nunciatur ei, copias hostiũ haud longè á sese visas. & herclè cum eo nuncio puluis ingens conspici cœptus est. Hac re cognita, Cæsar celeriter iubet equitatum vniuersum (cuius copiam habuit in præsentia non magnam) & sagittarios (quo- I rum paruus è castris secum exierat numerus) accersi, atque ordinatim signa se leniter consequi: ipse antecedere cum paucis armatis. Iamque
Galeari. cùm procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari, & ad pugnam parari, quorum omnino numerus fuit xxx. cohortium cum
Labieni & Pacidij acies contra Cæsarem. equitibus cccc. & sagittarijs. Et hostes interim, quorum dux erat Labienus, & duo Pacidij, aciem dirigunt mirabili longitudine non peditum, sed equitum confertam: & inter eos leuis armaturæ Numidas, & sagittarios pedites interposuerant, & ita condensauerant, vt procul Cæsariani pedestres copias arbitrarentur: & dextrum ac sinistrum cornu magnis equitum copijs firmauerant. Interim Cæsar aciem dirigit simplicem, vt po- K terat, propter paucitatem: sagittarios ante aciem constituit, equites dextro sinistroq; cornu opponit: & ita præcipit, vt prouiderent ne multitudine equitatus hostium circunuenirentur. Existimabat enim se cum pedestribus copijs acie instructa dimicaturum. Cùm vtrinq; expectatio fieret, neque Cæsar se remoueret, & cùm suorum paucitate contra magnam vim hostium artificio magis quàm viribus decernendum videret, subitò aduersariorum equitatus sese extendere, & in latitudinem promouere, collesque complecti, & Cæsaris equitatum extenuare, simulq; ad circumeundum comparare se cœperant. Cæsariani equites eorum multitudinem ægrè susti-

A sustinebant. Acies interim mediæ cùm concurrere conarentur, subitò ex condensis turmis Numidæ leuis armaturæ cum equitibus procurrunt, & inter legionarios pedites iacula conijciũt. Hic cùm Cæsariani in eos impetum fecissent, illorum equites refugiebant, pedites interim resistebãt, dum equites rursus concursu renouato peditibus suis succurrerent. Cæsar nouo genere pugnæ oblato, cùm animaduerteret ordines suorum in procurrendo turbari (pedites enim, dum equites longiùs à signis persequuntur, latere nudato à proximis Numidis iaculis vulnerabantur: equites autem hostium pilum cursu facilè vitabant) edicit per ordines, ne quis miles à signis quatuor pedes longiùs procederet. Equitatus interim Labieni suorũ mul-

Prælium inter Cæsarem & Labienũ.

B titudine confisus, Cæsaris paucitatem circumire conatur. Equites Iuliani pauci, multitudine hostium defessi, equis conuulneratis, paulatim cedere, hostis magis magisq; instare. Ita puncto temporis omnibus legionarijs ab hostium equitatu circumuentis, Cæsarisq; copijs in orbem compulsis, intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebantur. Labienus in equo capite nudo versari in prima acie, simul suos cohortari, nonnunquam legionarios Cæsaris ita appellare: Quid tu, inquit, miles tyro, tam feroculus es? vos quoq; iste verbis infatuauit? In magnum me hercule vos periculum impulit. misereor vestri. Tum miles, Non sum, inquit, tyro Labiene, sed de legione decima veteranus. Tum Labienus, Non agnosco, inquit, signa de-

Verba Labieni ad Cæsaris veteranos.

C cumanorum. Tum miles, Iam me, qui sim, intelliges. Simul cassidem de capite deiecit, vt cognosci ab eo posset: atque ita pilum viribus contortum dum in Labienum mittere contendit, equi grauiter aduerso pectori affixit, & ait, Labiene, decumanum militem, qui te petit, scito esse. Omniũ tamen animi in terrorem coniecti, & maximè tyronum. Circunspicere enim Cæsarem, neq; ampliùs facere, nisi hostium iacula vitare. Cæsar interim consilio hostium cognito, iubet aciem in longitudinem quàmmaximam porrigi, alternis conuersis cohortibus, vt vna post alteram ante signa tenderet. Ita coronam hostium dextro sinistroq; cornu mediam diuidit, & vnã partem ab altera exclusam, * equitibus intrinsecus adortus, cum peditatu te-

** equit. eq; int.*

D lis coniectis in fugam vertit: neq; longiùs progressus, veritus insidias, se ad suos recipit. Idem altera pars equitum peditumq; Cæsaris facit. His rebus gestis, & procul hostibus repulsis, conuulneratisque, ad sua præsidia sese, vt erat instructus, recipere cœpit. Interim M. Petreius & Cn. Piso cum equitibus Numidis * M C. electis, peditatuq; eiusdem generis satis grandi, ex itinere rectà subsidio suis occurrunt. At * hostes suis ex terrore firmatis, rursusque renouatis animis, legionarios conuersis equitibus recipientes, nouissimos adoriri, & impedire cœperunt quò minùs se in castra reciperent. Hac re animaduersa, Cæsar iubet signa conuerti, & medio campo redintegrari prælium. Cùm ab hostibus eodẽ modo pugnaretur, nec com-

M. Petreius.
Cn. Piso.
** CCC.*
** cohortes.*

E minùs ad manus rediretur, Cæsarisq; equites & iumenta ex nausea recenti, siti, languore, paucitate, vulneribusq; defatigati, ad insequendum hostem, perseuerandumq;, cursum tardiorem haberent, dieiq; pars exigua iam reliqua esset: cohortibus equitibusq; circundatis imperat vt vno ictu contenderent, neq; remitterent donec vltra vltimos colles hostes repulissent, atq; eorum essent potiti. Itaq; signo dato, cùm iam hostes languidè negligenterq; tela mitterent, subitò immittit cohortes turmasq; suorum: atq; puncto temporis hostibus nullo negocio campo pulsis, post collemque deiectis, nacti locum, atque ibi paulisper commorati ita vt erant instructi, leniter se ad suas recipiũt munitiones. Itemq; aduersarij malè accepti, tum demum

mum se ad sua præsidia contulerunt. Interim ea re gesta, & prælio direm- F
pto, ex aduersarijs perfugæ plures ex omni hominum genere, & prætereà
intercepti hostium complures equites peditesque: ex quibus cognitum est
hostium consilium, eos hac mente & conatu venisse, vt nouo atque inu-
sitato genere prælij tyrones legionarijq; pauci perturbati, Curionis exem-
plo ab equitatu circunuenti opprimerentur. Et ita * Labienum dixisse pro
*Iubam. concione, tantam sese multitudinem auxiliorum * aduersarijs submi-
*aduer. Cæsaris. nistraturum, vt etiam cædendo in ipsa victoria defatigati vincerentur, at-
que à suis superarentur. Quippe qui in nullo illorum sibi confideret: Pri-
mùm, quòd audierat Romæ legiones veteranas dissentire, neque in Afri-
cam velle transire: deinde quòd triennio in Africa suos milites consuetu- G
dine retentos, fideles sibi iam effecisset: maxima autē auxilia haberet Nu-
midarum, equitumq; leuis armaturæ: Prætereà ex fuga prælioq; Pompeia-
no Labienus quos secum à Brundusio transportauerat equites Germanos
Hybride à Labieno conscripti. Gallosq; ibi posteà ex Hybridis libertinis seruisq; conscripserat, armaue-
rat, equoq; frenato vti condocuerat. Prætereà regia auxilia, elephanti cxx.
equitatusque innumerabilis: deinde legiones conscriptæ ex cuiusque-
modi generisque ampliùs xii. millibus. Hac spe atq; ea audacia inflam-
*M.D.C. matus Labienus cum equitibus Gallis Germanisq; * DCCC. Numidarū
sine frenis VIII. millibus, prætereà Petreiano auxilio adhibito equitibus
MC. peditum, ac leuis armaturæ quater tantis, sagittarijs ac funditoribus, H
hippotoxotisq; compluribus: his copijs pridie Nonas Ian. post diem ter-
tium quám Africam attigit, in campis planissimis purissimisq; ab hora diei
quinta vsq; ad solis occasum est decertatum. In eo prælio Petreius grauiter
3 ictus ex acie recessit. † Cæsar interim castra munire diligentiùs, præsidia
firmare maioribus copijs, vallúmq; ab oppido Ruspina vsq; ad mare, dedu-
*commeatus. cere, & à castris alterum eodem, quò tutiùs vltro citróq; * commeare, au-
xiliáq; sine periculo sibi succurrere possent. Tela tormentáq; ex nauibus in
castra comportare, remigum partem ex classe Gallorum Rhodiorumq; &
epibatarum armare, & in castra euocare, vti si posset, eadē ratione qua ad-
uersarij, leuis armatura interiecta inter equites suos interponeretur: sagit- I
tarijsq; ex omnibus nauibus Ithyreis, Syrijs, & cuiusque generis ductis in
castra compluribus, frequentabat suas copias. Audiebat enim Scipionem
post diem tertium eius diei quo prælium factum erat, appropinquare, co-
pias suas cum Labieno & Petreio coniungere: quorum copiæ legionum
octo, & equitum quatuor millium esse nunciabantur: officinas ferrarias
instruere, sagittæq; & tela vti fierent complura, curare, glandes fundere, su-
des comparare, literas in Siciliam nunciósque mittere, vt sibi crates ma-
Materia inopia in Africa. teriémque congererent ad arietes, cuius inopia in Africa esset. Prætereà
ferrum plumbumque mitteretur. Etiam animaduertebat frumento se in
Africa nisi importato vti non posse. Priore enim anno propter aduersa- K
Aratores milites facti. riorum delectus, quòd stipendiarij aratores milites essent facti, messem
non esse factam. Prætereà ex omni Africa frumentum aduersarios in pau-
ca oppida & bene munita comportâsse, omnémque regionem Africæ
exinanisse frumento. oppida, præter pauca quæ ipsi suis præsidijs tueri
poterant, reliqua dirui atque deleri, & eorum incolas intra sua præsidia
coëgisse commigrare. agros desertos ac vastatos esse. Hac necessitate Cæsar
coactus, priuatos ambiendo, & blandè appellando, aliquantum frumen-
ti numerum in sua præsidia congesserat, & eo parcè vtebatur. Opera in-
terim ipse quotidie circumire, & alteras cohortes in statione habere pro-

A pter hostium multitudinem. Labienus saucios suos, quorum numerus maximus fuit, iubet in plaustris deligatos Adrumetum deportari. Naues interim Cæsaris onerariæ errabundæ malè vagabantur, incertæ locorum atque castrorum suorum: quas singulas scaphæ aduersariorum complures adortæ incenderant atque expugnauerant. Hac re nunciata, Cæsar classes circum insulas portusque disposuit, quò tutiùs commeatus supportari posset. M. Cato interim, qui Vticæ præerat, Cn. Pompeium filium multis verbis, assiduequè obiurgare non desistebat: Tuus, inquit, pater, istius ætatis cùm esset, & animaduertisset Rempub. ab audacibus sceleratisque ciuibus oppressam, bonosq; aut interfectos, aut exilio multatos,

Naues Cæsaris onerariæ incensæ.

M. Catonis ad Cn. Pompeium filium verba.

B patria ciuitateque carere: gloria & animi magnitudine elatus, priuatus atque adolescentulus paterni exercitus reliquijs collectis, penè oppressam funditùs & deletam Italiam vrbemq; Romanam in libertatem vindicauit: idemq; Siciliam, Africam, Numidiam, Mauritaniam, mirabili celeritate armis recepit: quibus ex rebus sibi eam dignitatem, quæ est per gentes clarissima notissimaq;, conciliauit, adolescentulusq; atq; eques Romanus triumphauit. Atque ille non ita amplis rebus patris gestis, neque tam excellenti maiorum dignitate parta, neque tantis clientelis, nominisque claritate præditus, in Remp. est ingressus. Tu contrà & patris nobilitate & dignitate, & per te ipse satis animi magnitudine diligentiáq;

C præditus, nónne eniteris, & proficiscetis ad paternas clientelas, & auxiliu tibi, reiq; publicæ, atq; optimo cuique efflagitatum? His verbis hominis grauissimi incitatus adolescentulus, cum nauiculis cuiusque modi generisque XXX. inibi, paucis rostratis, profectus ab Vtica est in Mauritaniam, regnumq; Bogudis est ingressus. Expeditóque exercitu numero seruorum liberorumq; duorum millium, cuius partem inermem, partem armatam habuerat, ad oppidum Ascurum accedere cœpit, in quo oppido præsidium fuit regium. Pompeio adueniente, oppidani vsque eò passi propius eum accedere, donec ad ipsas portas ac murum appropinquaret, subitò eruptione facta prostratos perterritósque Pompeianos in mare passim nauesque

Bogudis regnum.

Ascurum oppidum.

D compulerunt. Ita re malè gesta, Cn. Pompeius filius naues inde auertit, neque posteà littus attigit, classémque ad insulas Baleares versus conuertit. Scipio interim cum his copijs quas paulò antè demonstrauimus, Vticæ grandi præsidio relicto, profectus, primùm Adrumeti castra ponit: deinde ibi paucos dies commoratus, noctu itinere facto, cùm Petrei & Labieni se copijs coniungit: atque vnis castris factis, III. millia passuum longè considunt. Equitatus interim eorum circum Cæsaris munitiones vagari, atque eos qui pabulandi aut aquandi gratia extra vallum progressi essent, excipere, & ita omnes aduersarios intra munitiones continere. Qua re Cæsariani graui annona sunt conflictati, ideo quòd nondum neque à

Baleares insulæ.

E Sicilia, neque à Sardinia commeatus supportatus erat, neque per anni tempus in mari classes sine periculo vagari poterant, neque ampliùs millia passuum sex terræ Africæ quoquouersus tenebant, pabulique inopia premebantur. Qua necessitate coacti veterani milites equitesq; qui multa terra mariq; bella confecissent, & periculis inopiaq; tali sæpe essent conflictati, alga è littore collecta, & aqua dulci elota, iumentis esurientibus data, vitam eorum producebant. † Dum hæc ità fierent, Rex Iuba cognitis 4
Cæsaris difficultatibus, copiarumq; paucitate, non est visum dari spacium conualescendi, * augendarumque eius opum. itaque comparatis equitum magnis peditumq; copijs, subsidio suis egressus, è regno ire contendit.

Alga iumentis data.

** augendiq; eius opes.*

P. Sitius & Bogud rex Iubæ regnū inuadunt. P. Sitius interim, & rex Bogud coniunctis suis copijs, cognito Regis Iubæ F
egressu, propius eius regnum copias suas admouere: Cirtámq; oppidum
Cirta oppid. eius regni opulentissimum adorti, paucis diebus pugnando capiunt, &
præterea duo oppida Getulorum: quibus cùm conditionem ferrent, vt oppido
excederent, idq; sibi vacuum traderent, conditionémque repudiassent,
postea ab eis capti interfectíque sunt omnes. Inde progressi, agros oppidáque
vexare non desistunt. Quibus rebus cognitis, Iuba cùm iam non
Iuba in suum regnū redit. longè à Scipione atq; eius ducibus abesset, capit consilium, satius esse, sibi
suóque regno subsidio ire, quàm dum alios adiuturus proficisceretur, ipse
suo regno expulsus, forsitan vtraque re expelleretur. Itaq; rursus se recepit,
atque auxilia etiam à Scipione abduxit, sibi suisq; rebus timens: elephan- G
tisq; triginta relictis, suis finibus oppidisq; suppetias profectus est. Cæsar
interim cùm de suo aduentu dubitatio in prouincia esset, nec quisquam
crederet ipsum, sed aliquem legatum cum copijs in Africam venisse, conscriptis
literis circum prouinciam omnes ciuitates facit de suo aduētu certiores.
Interim nobiles homines è suis oppidis profugere, & in castra Cæsaris
deuenire, & de aduersariorum eius acerbitate crudelitateq; commemorare
cœperunt. Quorum lachrymis querelísque Cæsar commotus,
** stare constituisset.* cùm antea * constitisset in statiuis castris, æstate inira cunctis copijs auxilijsque
coactis, bellum cum aduersarijs suis gerere instituit: literísque celeriter
in Siciliam ad Allienum & Rabirium Posthumum conscriptis, & H
Catascopus. per Catascopum missis, vt sine mora, aut vlla excusatione hyemis ventorumque,
exercitus sibi quàm celerrimè transportaretur: Africam prouinciam
perire, funditúsque euerti à suis inimicis: quòd nisi celeriter socijs
Africa calamitas. foret subuentum, præter ipsam Africam terram, nihil, ne tectum quidem
quò se reciperent, ab illorum scelere insidijsq; reliquum futurum: ipse in
Cæsaris festinatio. tanta erat festinatione, & expectatione, vt postero die quàm misisset literas
nunciúmque in Siciliam, classem exercitúmque morari diceret: noctes
diésque oculos mentémque ad mare dispositos directósque haberet.
Nec mirum. Animaduertebat enim villas exuri, agros vastari, pecus diripi,
trucidaríque, oppida castelláque dirui, deserique, principes ciuita- I
tum aut interfici, aut in catenis teneri, liberos eorum obsidum nomine
in seruitutem abripi. His se miseris, suámque fidem implorantibus,
auxilio propter copiarum paucitatem esse non posse. Milites interim in
opere exercere, castra munire, turres & castella facere, molésque iacere in
Scipio elephantos instruit. mare non intermittere. Scipio interim elephantos hoc modo condocefacere
instituit. duas instruxit acies, vnam funditorū contra elephantos, quæ
quasi aduersariorum locum obtineret, & cōtra eorum frontem aduersam
lapillos minutos mitteret: deinde in ordinem elephantos constituit. Post
illos autem aciem suam instruxit, vt cùm ab aduersarijs lapides mitti cœpissent,
& elephanti perterriti se ad suos conuertissent, rursus à sua acie lapidi- K
bus missis eos conuerterent aduersus hostem. quod ægrè tardeque fiebat.
Elephanti communi periculo in aciem educuntur. Audere enim elephanti multorum annorum doctrina vsuque vetusto vix
edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur. Dum hæc ad Ru-
C. Vergilius Petronius. spinam ab vtrisq; ducibus administrantur, C. Vergilius Petronius, qui Thapso
oppido maritimo præerat, cùm animaduertisset naues singulas cum
exercitu Cæsaris incertas locorum atq; castrorum suorum vagari: occasionem
nactus, nauim quam ibi habuit actuariam, complet militibus & sagittarijs.
eidem scaphas de nauibus adiungit, ac singulas naues Cæsarianas
consectari cœpit: & cùm plures adortus, pulsus fugatúsque inde
discess-

A disceßisset, nec tamen desisteret periclitari, fortè incidit in nauem in qua erant duo Titi Hispani adolescentes tribuni legionis v. quorum patrem *Titi duo Hispani.* Cæsar in senatum legerat: & cum his T. Salienus Centurio legionis eius- *T. Salienus cēturio.* dem, qui M. Messalam legatum obsederat Messanæ, & seditiosissima ora- *M. Messala.* tione apud eum est vsus: idemq; & pecuniam & ornamenta triumphi Cæsaris retinenda & custodienda curauerat, & ob has causas sibi timebat. Hic propter conscientiam peccatorum suorum persuasit adolescentibus, ne repugnarent, seseq; Vergilio traderent. Itaque deducti à Vergilio ad Scipionem, custodibus traditi, & post diem tertium sunt interfecti. Qui cùm du- *Fraterna commiseratio.* cerentur ad necē, petisse dicitur maior Titus à Centurionibus, vti se prio-
B rem quàm fratrem interficerent: idque ab eis facilè impetrâsse: atque ita esse interfectos. Turmæ interim equitum qui pro vallo in stationibus esse solebant, ab vtrisque ducibus quotidie mutuis prælijs inter se pugnare non intermittunt. Nonnunquam etiam Germani Gallique Labieniani cum Cæsaris equitibus fide data inter se colloquebantur. Labienus interim cum parte equitatus Leptim oppidum, cui præerat Saserna, cum *Saserna.* cohortibus tribus oppugnare, ac vi irrumpere conabatur: quod à defensoribus propter egregiam munitionem oppidi, & tormentorum multitudinem facilè & sine periculo defendebatur. Quod vbi sæpiùs facere equitatus eius non intermittebat, & cùm fortè ante portam turma densa asti-
C tisset, scorpione accuratiùs misso, atq; eorum decurione percusso, & ad * decumanam defixo, reliqui perterriti fuga se in castra recipiunt. Quo fa- ** ad terram.* cto posteà sunt deterriti oppidum tentare. Scipio interim ferè quotidie non longè à suis castris passibus ccc. instruere aciem, ac maiore diei parte consumpta, rursus se in castra recipere. Quod cùm sæpiùs fieret, neq; ex Cæsaris castris quisquam prodiret, neque propius eius copias accederet, despecta patientia Cæsaris, exercitusque eius, vniuersis copijs productis, elephantisque turritis xxx. ante aciem instructis, quàm latissimè potuit porrecta equitum peditumque multitudine, vno tempore progressus, haud ita longè à Cæsaris castris constitit in campo. Quibus rebus cogni-
D tis, Cæsar iubet milites qui extra munitiones processerant, quique pabulandi aut lignandi, aut etiam muniendi gratia vallum petierant, quæque ad eam rem opus erant, omnes intra munitiones minutatim modesteque sine tumultu aut terrore se recipere, atque in opere consistere. Equitibus autem qui in statione fuerant, præcipit vt vsque eò locum obtinerent, in quo paulò antè constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perueniret. quòd si propiùs accederetur, quàm honestissimè se intra munitiones reciperent. Alij quoque equitatui edicit, vti suo quisque loco paratus armatusq; præstò esset. Ad hæc non ipse per se coràm, cùm de vallo prospe- *Cæsaris peritia bellandi.*
E culatores & nuncios imperabat quæ fieri volebat. Animaduertebat enim, quanquā magnis essent copijs aduersarij freti, tamen sæpe à se fugatis, pulsis, perterritisq;, & concessam vitam, & ignota peccata: quibus rebus nunquam tanta suppeteret ex ipsorum inertia, conscientiaq; animi, victoriæ fiducia, vt castra sua adoriri auderent. Prætereà ipsius nomen authoritasq; *Cæsaris nomen & authoritas.* magna ex parte eorum exercitus minuebat audaciam. Tum egregiæ munitiones castrorum, & valli fossarumq; altitudo, & extra vallum styli cæci mirabilem in modum consiti, vel sine defensoribus aditū aduersarijs prohibebant. Scorpionum, catapultarum, cæterorúmque telorum, quæ ad defendendum solent parari, magnam copiam habebat. Atque hæc propter

exercitus sui præsentis paucitatem & tyrocinium præparauerat: non ho- F
stium vi & metu commotus, sapientem se, timidumq; hostium opinio-
ni præbebat. Neque idcirco copias, quanquam erant paucæ, tyronumq;
non educebat in aciem, quòd victoriæ suorum diffideret, sed referre arbi-
trabatur cuiusmodi victoria esset futura. Turpe enim sibi existimabat,
tot rebus gestis, tantisque exercitibus deuictis, tot tàm claris victorijs par-
tis, ab reliquis copijs aduersariorum suorum ex fuga collectis, se cruen-
tam adeptum existimari victoriam. Itaque constituerat gloriam exulta-
tionemque eorum pati, donec sibi veteranarum legionum pars aliqua in
secundo commeatu occurrisset. Scipio interim paulisper (vt antè dixi)
in eo loco commoratus, vt quasi despexisse Cæsarem videretur, paulatim G
reducit suas copias in castra: & concione aduocata, de terrore suo, despe-
ratione que exercitus Cæsaris verba facit: & cohortatus suos, victoriam
propriam se eis breui daturum pollicetur. Cæsar iubet milites rursus ad
opus redire, & per causam munitionum tyrones in labore defatigare non
intermittit. Interim Numidæ Getulique diffugere quotidie ex castris
Scipionis, & partim in regnum se conferre, partim quòd ipsi maioresq;
Cæsar Marij affinis. eorum beneficio C. Marij vsi fuissent, Cæsaremque eius affinem esse au-
diebant, in eius castra perfugere cateruatim non intermittunt. Quo-
rum ex numero electos homines illustriores Getulos literis ad suos ci-
ues datis, cohortatus vt manu facta se suosque defenderent, & ne suis ini- H
micis aduersarijsq; dicto audientes essent, mittit. Dum hæc ad Ruspinam
Acilla ciuitas. fiunt, legati ex Acilla ciuitate libera etiam vndique ad Cæsarem veniunt,
seq; paratos quæcunque imperâsset, & libenti animo facturos pollicen-
tur: tantum orare & petere ab eo, vt sibi præsidium daret, quò tutiùs id &
sine periculo facere possent: se & frumentum, & quæcunque res eis sup-
peteret, communis salutis gratia subministraturos. Quibus rebus facilè à
C. Messius. Cæsare impetratis, præsidioque dato, C. Messium ædilitia potestate fun-
** Longinus Consi-dius Longus.* ctum, Acillam iubet proficisci. Quibus rebus cognitis Considius *Lon-
gus, qui Adrumeti cum duabus legionibus & equitibus DCC. præerat, ce-
leriter ibi parte præsidij relicta, cum octo cohortibus Acillam ire conten- I
dit. Messius celerius itinere confecto, prior Acillam cum cohortibus
peruenit. Considius interim cùm ad vrbem cum copijs accessisset, &
animaduertisset præsidium Cæsaris ibi esse, non ausus periculo suo rem
facere, nulla re gesta pro multitudine hominum, rursus se Adrumetum re-
cipit. Deinde paucis pòst diebus equestribus copijs à Labieno adductis,
C. Sallustij apud Cercinnam insulam gesta. rursus Acillitanos castris positis obsidere cœpit. Per id tempus C. Sallu-
stius Crispus, quem paucis antè diebus missum à Cæsare cum classe de-
monstrauimus, Cercinnam peruenit: cuius aduentu C. Decius quæsto-
rius vir, qui ibi cum grandi familiæ suæ præsidio præerat commeatui, par-
uulum nauigium nactus conscendit, ac se fugæ commendat. Sallustius in- K
terim prætor à Cercinnatibus receptus, magno numero frumenti inuen-
to, naues onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet, atq; in ca-
Allienus Cæsari exercitum in Africam transmittit. stra ad Cæsarem mittit. Allienus interim proconsul è Lilybæo in naues o-
nerarias imponit legiones decimamtertiam & decimamquartam, & equi-
tes Gallos DCCC. funditorum sagittariorumque mille, ac secundum
commeatum in Africam mittit ad Cæsarem. Quæ naues ventum secun-
dum nactæ, quarto die in portum ad Ruspinam, vbi Cæsar castra habue-
rat, incolumes peruenerunt. Ita Cęsar duplici lętitia ac voluptate vno tem-
pore auctus, frumento, auxilijsque, tandem suis exhilaratis animo, atque
leuata

A leuata solicitudine deponit legiones: equitesque ex nauibus egressos iubet ex languore nauseáque reficere. dimissos, in castella munitionesq; disponit. † Quibus rebus Scipio, quique cum eo essent comites, mirari, & requirere. C. Cæsarem, qui vltrò consuêsset bellum inferre, ac lacessere prælio, subitò commutatum non sine magno consilio suspicabantur. Itaque ex eius patientia in magnum timorem coniecti, ex Getulis duos, quos arbitrabantur suis rebus amicissimos, magnis præmijs pollicitationibusque propositis, pro perfugis speculandi gratia in Cæsaris castra mittunt. qui simul atque ad eum sunt deducti, petierunt vt sibi liceret sine periculo vera proloqui. Potestate facta, Sæpenumero, inquiunt, Imperator, complures Getuli, qui sumus clientes C. Marij, & propemodum omnes ciues Romani, qui sunt in legione quarta & sexta, ad te voluimus in tuaque præsidia confugere: sed custodijs equitum Numidarum, quò id sine periculo minùs faceremus, impediebamur. Nunc data facultate, pro speculatoribus missi à Scipione, ad te cupidissimè venimus, vt perspiceremus num quæ fossæ aut insidiæ elephantis ante castra portasque valli factæ essent: simulque consilia vestra contra easdem bestias, comparationemque pugnæ cognosceremus, atque ei renunciaremus. Qui collaudati à Cæsare, stipendioque donati, ad reliquos perfugas deducuntur: quorum orationem celeriter veritas comprobauit. Nanque postero die ex legionibus ijs quas Getuli nominauerant, milites legionarij complures à Scipione in castra Cæsaris perfugerunt. Dum hæc ad Ruspinam geruntur, M. Cato, qui Vticæ præerat, delectus quotidie libertinorum Afrorum, seruorum denique, & cuiusque modi generis hominum, qui modò per ætatem arma ferre poterant, habere, atque sub manum Scipioni in castra submittere non intermittit. Legati interim ex oppido Tisdre, in quo tritici modia millia ccc. comportata fuerant à negociatoribus Italicis aratoribusque, ad Cæsarem venêre: quantaque copia frumenti apud se sit, docent: simulque orant, vt sibi præsidium mittat, quò faciliùs & frumentum & copiæ suæ conseruentur. Quibus Cæsar in præsentia gratias agit, præsidiumq; breui tempore se missurum dixit, cohortatusque ad suos ciues iubet proficisci. P.* Sitius interim cum copijs Numidiæ fines ingressus, castello in montis loco munito locato, in quod Iuba belli gerendi gratia & frumentum, & res cæteras quæ ad bellum vsui solent esse, comportauerat, vi expugnando, est potitus. Cæsar postquàm legionibus veteranis duabus, equitatu, leuique armatura, copias suas ex secundo commeatu auxerat, naues sex onerarias statim iubet Lilybæum ad reliquum exercitum transportandum proficisci. Ipse vi. Calendas Februarias circitèr vigilia prima imperat speculatores apparitoresque omnes, vt sibi præstò essent. Itaque omnibus inscijs, neque suspicantibus, vigilia tertia iubet omnes legiones ex castris educi, atque se consequi ad oppidum Ruspinam versus, in quo ipse præsidium habuit, & quod primùm ad amicitiam eius accessit. inde paruulam decliuitatem digressus, sinistra parte campi propter mare legiones educit. Hic campus mirabili planicie patet millia passuum xv. quem iugum ingens à mari ortum, neque ita prædaltum, velut theatri efficit speciem. In hoc iugo colles sunt excelsi pauci, in quibus singulæ turres speculæque singulæ peruetetes erant collocatæ, quarum apud vltimam præsidium & statio fuit Scipionis. Postquàm Cæsar ad iugum de quo docui, ascendit, in vnumquenque collem turres castellaque facere cœpit, atq; ea minùs semihora effecit. Et postquàm non ita longè ab vltimo colle tur-

[Margin notes: B — *Getuli perfugæ.*; C — *M. Cato.*; *Tisdre opp.*; D — ** Siccius.* *P. Sitius Numidiam Iubæ regnum inuadit.*; E]

turriq; fuit, quæ proxima fuit castris aduersariorum, in qua docui esse præ- F
sidium stationemque Numidarum, Cæsar paulisper commotatus, perspectaq; natura loci, equitatu in statione disposito, legionibus opus attribuit: brachiumque medio iugo ab eo loco ad quem peruenerat, vsque ad eum vnde egressus erat, iubet dirigi ac muniri. Quod postquàm Scipio Labienusque animaduerterunt, equitatu omni ex castris educto, acieque equestri instructa, à suis munitionibus circiter passus mille progrediuntur, pedestremque copiam in secunda acie minùs passus cccc. à castris suis constituunt. Cæsar in opere milites adhortari, neq; aduersariorum copijs moueri. Iam cùm non ampliùs * passibus mille quingentis inter hostium aciem suasque munitiones esse animaduertisset, intellexissetque ad impe- G
diendos milites suos, & ab opere depellendos, hostem propius accedere, necesseque haberet legiones à munitionibus deducere, imperat turmę Hispanorum, vt ad proximum collem properè accurrerent, præsidiumq; inde deturbarent, locumque caperent: eodemq; iubet leuis armaturæ paucos consequi subsidio. Qui missi celeriter Numidas adorti, partim viuos capiunt, nonnullos equites fugientes conuulnerauerunt, locoq; sunt potiti. Postquàm id Labienus animaduertit, quò celeriùs ijs auxilium ferret, ex acie instructa equitatus sui propè totum dextrum cornu auertit, atque suis fugientibus suppetias ire contendit. Quod vbi Cæsar conspexit, Labienum ab suis copijs longiùs iam abscessisse, equitatus sui alam sinistram H
ad intercludendos hostes immisit. Erat in eo campo vbi ea res gerebatur, villa permagna quatuor turribus extructa, quæ Labieni prospectum impediebat, ne posset animaduertere ab equitatu Cæsaris se intercludi. Itaque non priùs vidit turmas Iulianas, quàm suos cædi à tergo sensit. Ex qua re subitò in terrorem conuerso equitatu Numidarum, rectà in castra fugere contendit. Galli Germanique qui restiterant, ex superiore loco & post tergum circumuenti, fortiterque resistentes, conciduntur vniuersi. Quod vbi legiones Scipionis, quæ pro castris erant instructæ, animaduerterunt: metu ac terrore obcæcatæ, omnibus portis in sua castra fugere cœperunt. Posteà Scipione, eiusque copijs campo collibusque exturba- I
tis, atque in castra compulsis, cùm receptui Cæsar cani iussisset, equitatumque omnem intra suas munitiones recepisset, campo purgato animaduertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque, qui partim eius authoritatem erant ex Gallia secuti, partim precio pollicitationibusque adducti, ad eum se contulerant, nõnulli qui ex Curionis prælio capti conseruatique, parem gratiam in fide partienda præstare voluerant. Horum corpora mirifica specie amplitudineque, cæsa toto campo ac prostrata diuersa iacebant. His rebus gestis, postero die Cæsar ex omnibus præsidijs cohortes eduxit, atque omnes suas copias in campo instruxit. Scipio suis malè acceptis, occisis, vulneratisque, intra suas continere se munitiones K
cœpit. Cæsar instructa acie secundum infimas iugi radices propius munitiones leniter accessit: iamq; minùs mille passuum ab oppido Vzita, quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianæ, cùm Scipio veritus ne oppidum amitteret, vnde aquari, reliquisque rebus subleuari eius exercitus consueuerat, eductis omnibus copijs, quadruplici acie instructa, ex instituto suo prima equestri turmatim directa, elephantisque turritis interpositis, armatisque, suppetias ire contendit. Quod vbi Cæsar animaduertit, arbitratus Scipionem ad dimicandum paratum ad se certo animo venire, in eo loco quem paulò antè commemoraui, ante oppidum constitit, suam-

Marginal notes: * ampliùs pass. CC. al. ampl. pass. D. — Gallorum Germanorumq. cades. — Legionum Scipionis fuga. — Gallorum Germanorum mirifica corpora. — Vzita opp.

A suamque aciem mediam eo oppido texit. Dextrum sinistrumque cornu, vbi elephanti erant, in conspectu patenti aduersariorum constituit. Cùm iam prope solis occasum Cęsar expectauisset, neque ex eo loco quo constiterat, Scipionem progredi propiùs se animaduertisset, locóque se magis defendere, si res coëgisset, quàm in campo comminùs consistere audere, non est visa ratio propiùs accedendi eo die ad oppidum, quoniam ibi præsidium grande Numidarum esse cognouerat, hostesque mediam aciem suam oppido texisse: sibique difficile factu esse intellexit, simul & oppidum vno tempore oppugnare, & in acie in cornu dextrum & sinistrum ex iniquiore loco pugnare, præsertim cùm milites à mane diei ieiuni sub armis
B stetissent defatigati. Itaque reductis suis copijs in castra, postero die propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones. Interim Considius, *Considius.* qui Acillam & octo cohortes stipendiarias Numidis Getulisque obsidebat, vbi C. Messius cohortibus præerat, diu multumque expertus, magnisque operibus sæpè admotis, & ijs ab oppidanis incensis, cùm proficeret nihil, subito nuncio de equestri prælio allato commotus, frumento, cuius in castris copiam habuerat, incenso, vino, oleo, cæterisque rebus quæ ad victum parari solent, corruptis, Acillam quam obsidebat, deseruit, atque itinere per regnum Iubæ facto, copias cum Scipione partitus, Adrumetum se recepit. Interea ex secundo commeatu, quem à Sicilia mi- *Naues duæ Cæsarianæ captæ.*
C serat Allienus, nauis vna, in qua fuerat Q. Cominius, & L. Ticida eques Romanus, ab residua classe cùm errauisset, delatáque esset vento ad Thapsum, à Vergilio scaphis nauiculisque actuarijs excepta est, & ad Scipionem deducta. *Q. Cominius. L. Ticida. Vergilius.* Item altera nauis triremis ex eadem classe errabunda, ac tempestate ad Egimurum delata, à classe Vari & M. Octauij est capta, in qua milites veterani cum vno Centurione, & nonnulli tyrones fuerunt, *Varus. M. Octauius.* quos Varus asseruatos sine contumelia deducẽdos curauit ad Scipionem: qui postquàm ad eum peruenerunt, & ante suggestum eius constiterunt: Non vestra, inquit, sponte vos certò scio, sed illius scelerati, vestri Imperatoris impulsu & imperio coactos, ciues & optimum quenque nefariè *Scipionis oratio ad captiuos Cæsarianos*
D consectati: quos quoniam fortuna in nostram detulit potestatem, si (id quod facere debetis) rempublicam cum optimo quoque defenditis, certum est vobis vitam & pecuniam donare. quapropter quid sentiatis, proloquimini. Hac habita oratione, Scipio cùm existimasset pro suo beneficio sine dubio ab ijs gratias sibi actum iri, potestatem ijs dicendi fecit. Ex eis Centurio legionis XIIII. Pro tuo, inquit, summo beneficio Scipio tibi gratias ago (non enim Imperatorem te appello) quòd mihi vitam incolumitatemque, belli iure capto, polliceris. *Centurionis captiui ad Scipionem responsum.* Et forsan isto vterer beneficio, si non ei summum scelus adiungeretur. Egóne contra Cæsarem Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiusque exercitum, pro *Pertinacissima Cæsarianorum militũ fides.*
E cuius dignitate victoriaque ampliùs *XXXVI. annis depugnaui, aduersus, armatusque consistam? *XVI. Neque ego istud facturus sum, & te magnopere, vt de negocio desistas, adhortor. Contra cuius enim copias contendas, si minùs anteà expertus es, licèt nunc cognoscas: Elige ex tuis cohortem vnam, quam putas esse firmissimam, & constitue contra me: ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua tenes potestate, non ampliùs X. sumam. tunc ex virtute nostra intelliges, quid ex tuis copijs sperare debeas. Postquàm hæc Centurio præsenti animo aduersus opinionem eius est locutus, ira percitus Scipio, atq; animi dolore incensus, annuit Centurionibus quid fieri vellet, atque ante pedes Centurionem *Scipionis crudelitas*

nem interfecit:reliquosq́ue veteranos à tyronibus iubet secerni.Abducite, F
inquit, istos nefario scelere contaminatos, & cæde ciuium saginatos. Sic
extra vallum deducti sunt,& cruciabiliter interfecti. Tyrones autem iubet
inter legiones dispertiri, & Cominium cum Ticida in conspectum suum
prohibet adduci. Qua ex re Cæsar commotus, eos quos in stationibus
cum longis nauibus apud Thapsum custodiæ causa esse iusserat,vt suis one
Ignominiosa missio. tarijs longisq́ue nauibus præsidio essent,ob negligentiam ignominiæ cau-
sa dimittendos ab exercitu, grauissimumq́; in eos edictum proponendum
6 curauit. † Per id tempus ferè Cæsaris exercitui res accidit incredibilis audi-
Prodigium. tu. nanque Vergiliarum signo confecto, circiter vigilia secunda noctis,
Nimbus cum saxorum grandine. nimbus cum saxorum grandine subitò est exortus ingens. Ad hoc autem G
incommodum accesserat, quòd Cæsar non more superiorum imperato-
rum in hybernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die proce-
dendo,propiusq́; hostem accedendo,castra communiebat:opereq́; facien-
do milites se circunspiciendi non habebant facultatem. Præterea ita ex Si-
cilia exercitum transportauerat,vt præter ipsum militem & arma, neq́; vas,
neq́; mancipium,neque vllam rem quæ militi vsui esse consueuit,in naues
imponi pateretur.In Africa autem non modò sibi quidquam non acquisie
rant aut parauerant, sed etiam propter annonæ caritatem antè parta con-
sumpserant. Quibus rebus attenuati, oppidò perquàm pauci sub pellibus
acquiescebant:reliqui ex vestimentis tentoriolis factis,atque arundinibus H
corijsq́ue contextis protegebantur. Itaque subito nimbo grandineq́; con-
secuta, grauati pondere,tenebris aquáque omnes subruti, disiectiq́; nocte
intempesta, ignibus extinctis, rebúsq́; ad victum pertinentibus omnibus
corruptis, per castra passim vagabantur, scutísq́; capita contegebant. Ea-
Pilorum cacumina ardentia. dem nocte v. legiones pilorum cacumina sua sponte arserunt. Rex interim
Iuba de equestri prælio Scipionis certior factus, euocatúsque ab eodem li-
teris, præfecto Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, vt secum
Iuba ad Scipionem cum exercitu proficiscitur. ipse aliquid authoritatis haberet exercitus Scipionis à terrore Cæsaris,cum
tribus legionibus,equitibúsque frenatis D. CCC. Numidis sine frenis, pe-
ditibúsq́; eius armaturæ grandi numero, elephantísq́; XXX. egressus è re- I
gno ad Scipionem est profectus. Postquàm ad eum peruenit, castris re-
gijs seorsum positis, cum eis copijs quas commemoraui, haud ita longè à
**Scipionis.* Scipione consedit. Erat in castris * Cæsaris superiori tempore magnus ter-
ror, & expectatione copiarum regiarum exercitus eius magna suspensio-
ne animi ante aduentum Iubæ commouebatur. Postquàm verò castra ca-
stris contulit,despectis eius copijs, omnem timorem deponit.Ita quam an
teà absens habuerat authoritatem, eam omnem præsens dimiserat. Quo
facto facilè fuit intellectum, Scipioni additum animum fiduciámq́; Re-
gis aduentu. Nam postero die vniuersas suas Regisq́ue copias cum ele-
Scipionis acies. phantis LX. productas in aciem, quàm speciosissime posuit, instruxit: K
ac paulò longiùs progressus à suis munitionibus, haud ita diu commo-
ratus, se recepit in castra. Cæsar postquàm animaduertit Scipioni auxi-
lia ferè quæ expectâsset, omnia conuenisse, neque moram pugnandi vl-
lam fore, per iugum summum cum copijs progredi cœpit & brachia
protinùs deducere, & castella munire, propiúsque Scipionem capien-
do loca excelsa occupare contendit. Aduersarij magnitudine copia-
rum confisi, proximum collem occupauerunt, atque ita longiùs sibi
progrediendi eripuerunt facultatem. Eiusdem collis occupandi gratia
Labienus consilium ceperat: & quo propiore loco fuerat, eò celeriùs oc-
currerat.

A curreret. Erat conuallis satis magna latitudine, altitudine prærupta, crebris locis speluncæ in modum subrutis, quæ erat transcunda Cæsari antè quàm ad eum collem quem capere volebat, perueniretur: vltraque eam conuallem oliuetum vetus crebris arboribus condensum. Hic cùm Labienus animaduertisset, Cæsarem, si vellet eum locum occupare, priùs oportere conuallem oliuetumque transgredi: eorum locorum peritus, in insidijs cum parte equitatus leuiś; armaturæ consedit: & præterea post montem collemque equites in occulto collocauerat, vt cùm ipse ex improuiso legionarios adortus esset, ex colle equitatus se ostenderet: vt re duplici perturbatus Cæsar, eiusque exercitus, neque retrò regrediendi, neque vl- *Insidiæ Labieni.*
B trà procedendi ablata facultate, circumuentus concideretur. Cæsar equitatu antè præmisso, inscius insidiarum cùm ad eum locum venisset, abusi siue obliti præceptorum Labieni, siue veriti ne in fossa ab equitibus opprimerentur. rari ac singuli de rupe prodire, & summa petere collis: quos Cæsaris equites consecuti, partim interfecerunt, partim viuis sunt potiti. Deinde protinùs collem petere contenderunt, atque eum decusso Labieni præsidio, celeriter occupauerunt. Labienus cum parte equitum vix fuga sibi peperit salutem. Hac re per equites gesta, Cæsar legionibus opera distribuit, atque in eo colle quo erat potitus, castra munit. Deinde à suis maximis castris per medium campum è regione oppidi Vzitæ, quod in- *Labieni fuga.* *Vzita opp.*
C ter sua castra & Scipionis in planicie positum erat, tenebaturque à Scipione, duo brachia instituit duci, & ita erigere, vt ad angulum dextrum sinistrúmq; eius oppidi conuenirent. hoc hac ratione opus instruebat, vt cùm propius oppidum copias admouisset, oppugnaréque cœpisset, tecta latera suis munitionibus haberet, ne ab equitatus multitudine circunuentus, ab oppugnatione deterreretur. Præterea quò faciliùs colloquia fieri possent, & si qui perfugere vellent (id quod anteà sæpe accidebat magno cum eorum periculo) tum facilè & sine periculo fieret. Voluit etiam experiri, cùm propius hostem accessisset, haberétne in animo dimicare. Accedebat etiam ad reliquas causas, quòd is locus depressus erat, puteique
D ibi nonnulli fieri poterant. aquatione enim longa & angusta vtebatur. Dum hæc opera quæ antè dixi, fiebant à legionibus, interim pars aciei ante opus instructa sub hoste stabat: equites barbari, leuisque armaturæ, prælijs minutis comminùs dimicabant. Cæsar ab eo opere cùm iam sub vesperum copias in castra reduceret, magno incursu cum omni equitatu leuique armatura, Iuba, Scipio, Labienus, in legionarios impetum fecerunt. Equites Cæsariani ex vi vniuersæ subitæq; hostium multitudinis pulsi, parumper cesserunt: quæ res aliter aduersarijs cecidit. nanque Cæsar ex medio itinere copijs reductis, equitibus suis auxilium tulit: equites autem aduentu legionum animo addito, conuersis equis in Numidas cupidè inse- *Prælium equestre.*
E quentes dispersosque impetum fecerunt, atque eos conuulneratos vsque in castra regia repulerunt. multosque ex his interfecerunt. Quòd ni in noctem prælium esset coniectum, puluisque vento flatus omnium prospectibus offecisset, Iuba cum Labieno capti in potestatem Cæsaris venissent, equitatusque cum leui armatura funditùs ad internecionem deletus esset. Interim incredibiliter ex legionibus quarta & sexta Scipionis milites diffugere, partim in castra Cæsaris, partim in quam quisque poterat regionem peruenire. Itemque equites Curiani diffisi Scipioni, eiusque copijs, complures se eòdem conferebant. † Dum hæc circum Vzitam ab vtrisque ducibus administrantur, legiones duæ IX. & X. ex Sicilia nauibus onerarijs *Iubæ & Labieni fuga.* 7

pro-

profectæ, cùm iam non longè à portu Ruspinæ abessent, conspicatæ na- F
ues Cæsarianas, quæ in statione apud Thapsum stabant, veriti ne in aduer-
sariorum, vt insidiandi gratia ibi commorantium, classem inciderent, im-
prudentes vela in altum dederunt, ac diu multumq; iactati, tandem mul-
tis pòst diebus siti inopiaque confecti, ad Cæsarem peruenerunt. Quibus
legionibus expositis, memor in Italia pristinæ licentiæ militaris, ac rapina-
rum certorum hominum, paruulam modò causulam nactus Cæsar, quòd
Auienus trib. mil. C. Auienus Tribunus militum x. legionis nauem commeatu familiaque
sua atque iumentis occupauisset, neque militem vnum à Sicilia sustulis-
set, postero die de suggestu conuocatis omnium legionum Tribunis, Cen-
Cæsar ignauos & inutiles ignominia mittit. turionibusque: Maximè vellem, inquit, homines suæ petulantiæ, nimiæ- G
que libertatis aliquando finem fecissent, meæque lenitatis, modestiæ, pa-
tientiæque rationem habuissent. Sed quoniam ipsi sibi neque modum ne-
que terminum constituunt, quo cæteri dissimiliter se gerant, egometipse
documentum more militari constituam. Quapropter C. Auiene, quòd in
Italia milites populi Ro. contra Remp. instigâsti, rapinasque per municipia
fecisti, quòdque mihi reique pub. inutilis fuisti, & pro militibus tuam fa-
miliam iumentaque in naues imposuisti, tuaque opera militibusque tem-
pore necessario Respublica caret, ob eas res ignominiæ causa ab exercitu
meo te remoueo, hodieque ex Africa abesse, & quantum potes, profici-
sci iubeo. Itemque te A. Fontei, quòd Tribunus militum seditiosus, ma- H
lusque ciuis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tyro, C. Clusiane,
cùm ordines in meo exercitu beneficio non virtute consecuti, ita vos ges-
seritis, vt neque bello fortes, neque pace boni aut vtiles fueritis, & ma-
gis in seditione, concitandisque militibus aduersariorum nostrorum im-
peratoris, quàm pudoris modestiæque fueritis studiosiores, indignos vos
esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis: missosque facio, &
quantum potestis, abesse ex Africa iubeo. Itaque tradidit eos Centurio-
nibus, & ad singulos non ampliùs singulis additis seruis, in nauim impo-
nendos separatim curauit. Getuli interim perfugæ, quos cùm literis man-
datisq; à Cæsare missos suprà docuimus, ad suos ciues perueniunt: quorum I
Getuli à Iuba desciunt. authoritate facilè adducti, Cæsarisque nomine persuasi, à Rege Iuba de-
sciscunt, celeriterque cuncti arma capiunt, contraque regem facere non
dubitant. Quibus rebus cognitis, Iuba distentus triplici bello, necessi-
tateque coactus, de suis copijs quas contra Cæsarem adduxerat, sex co-
hortes in fines regni sui mittit, quæ essent præsidio contra Getulos. Cæ-
sar brachijs perfectis, promotisque eò vsque, quò telum ex oppido adijci
non posset, castra munit. ballistis scorpionibusque crebris ante frontem
castrorum, contraque oppidum collocatis, defensores muri deterrere
non intermittit, eoque quinque legiones ex superioribus castris dedu-
cit. Qua facultate oblata, illustriores notissimique conspectum amico- K
rum propinquorumque efflagitabant, atque inter se colloquebantur. quæ
res quid vtilitatis haberet, Cæsarem non fallebat. Nanque Getuli ex e-
quitatu regio nobiliores, equitumque præfecti, quorum patres cum Ma-
rio antè meruerant, eiusque beneficio agris finibusque donati post Syl-
Hyempsal rex. læ victoriam, sub Hyempsalis regis erant potestate dati, occasione ca-
pta, nocte iam luminibus accensis, cum equis calonibusq; suis circitèr mil-
le perfugiunt in Cæsaris castra, quæ erant in campo proximè Vzitæ lo-
cata. Quod postquàm Scipio, quique cum eo erant, cognouerunt, cùm
M. Aquinius. commoti ex tali incommodo essent, ferè per id tempus M. Aquinium
cum

A cum C. Saserna colloquentem viderunt. Scipio mittit ad Aquinium, nihil attinere cum cum aduersarijs colloqui. Cùm autem eius sermonem nuncius ad illum referret, diceretque, vt reliqua quæ vellet, ipse perageret: viator præterea ab Iuba ad eum est missus, qui diceret audiente Saserna, Vetat te Rex colloqui. Quo nuncio perterritus, discessit, & dicto audiens fuit Regi. Vsu venisse hoc ciui Romano miror, & ei qui à populo Romano honores accepisset, incolumi patria, fortunisque omnibus, Iubæ barbaro potius obedientē fuisse, quàm aut Scipionis obtemperâsse nuncio, aut cæsis eiusdem partis ciuibus incolumem reuerti malle. Atque etiam superbiùs Iubæ factum non in M. Aquinium, hominem nouum, paruumque Senatorem, sed in Scipionem, hominem illa familia, dignitate, honoribusque præstantem. Nam cùm Scipio sagulo purpureo ante Regis aduentum vti solitus esset, dicitur Iuba cum eo egisse, non oportere illum eodem vti vestitu, atque ipse vteretur. Itaque factum esse illicò, vt Scipio ad album sese vestitum transferret, & Iubæ homini superbissimo inertissimoque obtemperaret. Postero die vniuersas hominum copias de castris omnibus educunt, & supercilium quoddam excelsum nacti, non longè à Cæsaris castris aciem constituunt, atque ibi consistunt. Cæsar item producit copias, celeriterque his instructis, ante suas munitiones quæ erant in campo, constitit, sine dubio existimans, vltrò aduersarios, cum tam C magnis copijs auxilijsque regis essent prædicti, promptiúsque prosiluissent, ante concursuros, propiúsque se accessuros: & equo circumuectus, legionésque cohortatus, signo dato accessum hostium aucupabatur. Ipse enim à suis munitionibus longiùs sine ratione non procedebat, quòd in oppido Vzita, quod Scipio tenebat, hostium erant cohortes armatæ. Eidem autem oppido ad dextrum latus eius cornu erat oppositum: verebatúrque ne si prætergressus esset, ex oppido eruptione facta, ab latere eum adorti conciderent. Præterea hæc quoque eum causa tardauit, quòd erat locus quidam perimpeditus ante aciem Scipionis, quem suis impedimento ad vltrò occurrendum fore existimabat. Non arbitror esse prætermittendū quemad- D modum exercitus vtriusque fuerint in aciem instructi. Scipio hoc modo aciem direxit: Collocabat in fronte suas & Iubæ legiones: posteà autem Numidas in subsidiaria acie ita extenuatos, & in longitudinem directos, vt procul simplex esse acies media à legionarijs militibus videretur. in cornibus autem duplex esse existimabatur. Elephantos dextro sinistróque cornu collocauerat, æqualibus inter eos interuallis interiectis. Post autem elephantes armaturas leues Numidásque substituerat auxiliarios. Equitatum frenatum vniuersum in suo dextro cornu disposuerat. sinistrum enim cornu oppido Vzita claudebatur, neque erat spatium equitatus explicandi. Præterea Numidas leuísque armaturæ infinitam multitudinem ad dextram E partem suæ aciei opposuerat, ferè interiecto non minùs mille passuum spatio, & ad collis radices magis appulerat, longiúsque ab aduersariorum suísque copijs promouebat. Id hoc consilio, vt cùm acies duæ inter se concurrissent, initio certaminis paulò longiùs eius equitatus circumuectus, ex improuiso clauderet multitudine sua exercitum Cæsaris, atque perturbatum iaculis configeret. Hæc fuit ratio Scipionis eo die præliandi. Cæsaris autem acies hoc modo fuit collocata, vt à sinistro eius cornu ordiar, & ad dextrum perueniam: Habuit in sinistro cornu legionem nonam & octauam, in dextro cornu trigesimam & vigesimam octauam: quartamdecimam, decimamtertiam, trigesimamtertiam & vigesimamsextam, in

Iuba regis superbia.

Scipio Iubæ superbissimo obtemperās.

Scipionis acies instructa ad pugnam.

Acies Cæsaris.

media acie. Ipsum autem dextrum cornu, secundum aciem ferè, in earum F
legionum parte cohortium collocauerat. Præterea ex tyronum legionibus
paucas adiecerat. Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu contu-
lerat, & vsque ad aciei suæ mediam legionem porrexerat, & ita collocaue-
rat, vt sinistrum suum cornu triplex esset. Id eo consilio fecerat, vt suum
dextrum latus munitionibus adiuuaretur: sinistrum autem equitatus ho-
stium multitudini resistere posset: eodemque suum omnem contulerat
equitatum: & quòd ei parum confidebat, præsidio his equitibus legio-
nem quintam præmiserat, leuemque armaturam inter equites interpo-
suerat. Sagittarios variè passimque locis certis, maximeque in cornibus
collocauerat. Sic vtrorunque exercitus instructi, non plus passuum tre- G
centorum interiecto spatio, quod forsitan ante id tempus acciderat nun-
quam, quin dimicaretur, à manè vsque ad horam decimam diei perstite-
runt. Itaque Cæsar dum exercitum suum intra munitiones suas reducere
cœpisset, subitò vniuersus equitatus vlterior Numidarum Getulorumque
sine frænis ad dextram partem se mouere, propiusque Cæsaris castra, quæ
erant in colle, se conferre cœpit. Frænati autem Labieni equites in loco
permanere, legionesque distinere, cùm subitò pars equitatus Cæsaris cum
Equestre prælium. leui armatura contra Getulos iniussu ac temerè longiùs progressi, palu-
demque transgressi, multitudinem hostium sustinere pauci non potue-
runt: leuique armatura deserti, ac pulsi, conuulneratiq;, vno equite amis- H
so, multis equis saucijs, leuis armaturæ vigintisex occisis, ad suos refuge-
runt. Quo secundo equestri prælio facto Scipio lætus in castra nocte
Fortunæ instabilitas copias reduxit. Quod proprium gaudium bellantibus Fortuna tribue-
re non decreuit. Nanque postero die Cæsar cùm partem equitatus sui Le-
ptim frumenti gratia misisset, in itinere prædatores equites Numidas Ge-
tulosque ex improuiso adorti, circitèr centum partim occiderunt, partim
8 viuorum potiti sunt. † Cæsar interim quotidie legiones in campum dedu-
cere, atque opus facere, vallumque & fossam per medium campum duce-
re, aduersariorumq; excursionibus officere non intermittit. Scipio itē mu-
nitiones contrà facere, & in iugo, ne à Cæsare excluderetur, approperare. I
Ita duces vtrique & in operibus occupati erant, & nihilominus equestri-
Varus. bus prælijs inter se quotidie dimicabant. Interim Varus classem quam an-
teà Vticæ hyemis gratia subduxerat, cognito legionis septimæ & octauæ
ex Sicilia aduentu, celeriter deducit, ibique Getulis remigibus epibatis-
que complet: insidiandique gratia ab Vtica progressus, Adrumetum cum
quinquagintaquinque nauibus peruenit. Cuius aduentus inscius Cæsar,
L. Cispius. L.Cispium cum classe XXVII. nauium ad Thapsum versus in stationem
Q. Aquila. præsidij gratia commeatusque sui mittit. Itemq; Q. Aquilam cum trede-
cim nauibus longis Adrumetum eadem de causa præmittit. Cispius quò e-
rat missus, celeriter peruenit. Aquila tempestate iactatus, promontorium K
superare non potuit: atq; angulum quendam tutum à tempestate nactus,
cum classe se longiùs à prospectu remouit. Reliqua classis in salo ad Leptim
egressis remigibus, passimque in littore vagantibus, partim in oppidum
victus sui mercandi gratia progressis, vacua à defensoribus stabat. Qui-
bus rebus Varus ex perfugis cognitis, occasionem nactus, vigilia secun-
da Adrumeto ex Cothone egressus, primo mane Leptim cum vniuersa
classe vectus, naues onerarias, quæ longiùs à portu in salo stabant, incen-
dit, & pentiremes duas vacuas à defensoribus nullo repugnante cepit. Cæ-
sar interim celeriter per nuncios in castris cum opera circumiret, certior
factus,

A factus: quæ aberant à portu millia passuum V I. equo admisso, omissis o- *Mira Cæsaris terra mariq; fiducia.*
mnibus rebus celeriter peruenit Leptim: ibique moratus, omnes vt se na-
ues consequerentur, primùm ipse nauigiolum paruum conscendit. in cur-
su Aquilam multitudine nauigiorum perterritum atque trepidantem na-
ctus, hostium classem sequi cœpit. Interim Varus celeritate Cæsaris au- *Vari fuga.*
daciaque motus, cùm vniuersa classe conuersis nauibus Adrumetum ver-
sus fugere contendit: quem Cæsar in millibus passuum quatuor consecu-
tus, recuperata quinqueremi, cum omnibus suis epibatis, atque etiam ho-
stium custodibus C X X X. in ea naue captis, triremem hostium proximam,
quæ in repugnando erat commorata, onustam remigum epibatarumq; *Onustam remigum.*
B cœpit. Reliquæ naues hostium promontorium superarunt, atque Adru-
metum in Cothonem se vniuersæ contulerunt. Cæsar eodem vento pro-
montorium superare non potuit; atque in salo in anchoris ea nocte com-
moratus, prima luce Adrumetum accedit, ibique nauibus onerarijs, quæ
erant extra Cothonem, incensis, omnibusque reliquis alijs aut subductis,
aut in Cothonem compulsis, paulisper commoratus, si fortè vellent clas-
se dimicare, rursus se recepit in castra. In ea naue captus est P. Vestrius eques *P. Vestrius.*
Romanus, & P. Ligarius Afranianus, quem Cæsar in Hispania cum reliquis *P. Ligarius Afranianus iussu Cæsaris necatus.*
dimiserat, & posteà se ad Pompeium contulerat: inde ex prælio effugerat,
in Africamque ad Varum venerat: quem ob periurij perfidiam Cæsar iussit
C necari. P. Vestrio autem, quòd eius frater Romæ pecuniam imperatam nu-
merauerat, & quòd ipse suam causam Cæsari probauerat, se in Nasidij clas-
se captum, cùm ad necem duceretur, beneficio Vari esse seruatum, posteà
facultatem sibi nullam datam transeundi, ignouit. Est in Africa consuetu-
do incolarum, vt in agris, & in omnibus ferè villis sub terra specus conden- *Frumenti condendi modus.*
di frumenti gratia clàm habeant, atque id propter bella maximè, hostium-
que subitum aduentum præparent. Qua de re Cæsar per indicem certior
factus, tertia vigilia legiones duas cum equitatu mittit à castris suis millia
passuum decem, atque inde magno numero frumenti onustos recipit in
castra. Quibus rebus cognitis, Labienus progressus à suis castris millia
D passuum V I I. per iugum & collem, per quem Cæsar pridie iter fecerat, ibi
castra duarum legionum facit: atque ibi ipse quotidie existimans Cęsarem
eadem sæpè frumentandi gratia commeaturum, cum magno equitatu, le-
uique armatura insidiaturus locis idoneis consedit. Cæsar interim de insi-
dijs Labieni ex perfugis certior factus, paucos dies ibi commoratus, dum
hostes quotidiano instituto sæpè idem faciendo in negligentiam adduce- *Negligentia ex diuturnitate.*
rentur, subitò manè imperat porta decumana legiones se octo veteranas
cum parte equitatus sequi: atque equitibus præmissis, neque opinantes in-
sidiatores subitò in conuallibus latentes leui armatura concidit circiter D.
reliquos in fugam turpissimam coniecit. Interim Labienus cum vniuer-
E so equitatu fugientibus suis suppetias occurrit: cuius vim multitudiném-
que cùm equites pauci Cæsariani iam sustinere non possent, Cæsar in-
structas legiones hostium copijs ostendit. Quo facto perterrito Labieno,
ac retardato, suos equites recepit incolumes. Postero die Iuba Numidas *Numidas in cruce suffixit.*
eos qui loco amisso fuga se receperant in castra, in cruce omnes suffixit.
Cæsar interim quoniam frumenti inopia premebatur, copias omnes in
castra conducit, atque præsidio Lepti, Ruspinæ, & Acillæ relicto, Cispio
Aquilæque classe tradita, vt alter Adrumetum, alter Thapsum mari ob-
sideret, ipse castris incensis quarta noctis vigilia acie instructa impedi-
mentis in sinistra parte collocatis, ex eo loco proficiscitur, & peruenit

 ad oppi-

Agar opp. ad oppidum Agar, quod à Getulis sæpè anteà oppugnatum, summaque F
vi per ipsos oppidanos erat defensum. Ibi in campo castris vnis positis,
ipse frumentatum circum villas cum parte exercitus profectus, magno
inuento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici; atque recreato exercitu,
redit in castra. Scipio interim cognito Cæsaris discessu, cum vniuersis
copijs per iugum Cæsarem subsequi cœpit: atque ab eius castris
millia passuum v i. longè trinis castris dispartitis copijs consedit. Oppidum
Zetta opp. erat Zetta, quod aberat à Scipione millia passuum decem, ad eius
regionum, & partem castrorum collocatum: à Cæsare autem diuersum
ac remotum, quod erat ab eo longè millia passuum x v i i i. Huc Scipio
legiones duas frumentandi gratia miserat. Quod postquàm Cæsar ex per- G
fugis cognouit, castris ex campo in collem ac tutiora loca collocatis,
atque ibi præsidio relicto, ipse quarta vigilia egressus præter hostium castra
proficiscitur cum copijs, & oppido potitur. Legiones Scipionis comperit
longiùs in agris frumentari: & cùm eò contendere conaretur, animaduertit
copias hostium ijs legionibus occurrere suppetias. quæ res
C. Biotius Rhegyn. eques Romanus. P. Atrius equ. Rom. eius impetum retardauit. Itaque capto C. Biotio Rhegyno equite Romano
Scipionis familiarissimo, qui ei oppido præerat, & P. Atrio equite
Romano de conuentu Vticensi, & camelis x x i i. Regis adductis, præsidio
ibi cum Oppio legato relicto, ipse se recipere cœpit ad castra. Cùm
iam non longè à castris Scipionis abesset, quæ eum necesse erat præter- H
gredi, Labienus Afraniusque cum omni equitatu leuique armatura ex
insidijs adorti, agmini eius extremo se offerunt, atque ex collibus primis
existunt. Quod postquàm Cæsar animaduertit, equitibus suis hostium
vi oppositis, sarcinas legionarios in aceruum iubet comportare, atque
celeriter signa hostibus inferre. quod postquàm cœptum est fieri, primo
impetu legionum equitatus & leuis armatura hostium nullo negocio loco
pulsa, & deiecta est de colle. Cùm iam Cæsar existimàsset hostes pulsos
deterritosque finem lacessendi facturos, & iter cœptum pergere cœpisset,
iterum celeriter ex proximis collibus erumpunt, atque eadem ratione,
qua antè dixi, in Cæsaris legionarios impetum faciunt Numidæ, I
leuisq; armaturæ, mirabili velocitate præditi, qui inter equites pugnabant,
& vna pariterq; cum equitibus accurrere & refugere consueuerant. Cùm
hoc sæpiùs facerent, & proficiscentes Iulianos insequerentur, & refugerent
stantes, propius non accederent, & singulari genere pugnæ vterentur,
eosque iaculis conuulnerare satis esse crederent: Cæsar intellexit nihil
aliud illos conari, nisi vt se cogerent castra in eo loco ponere, vbi omninò
aquæ nihil esset, vt exercitus eius ieiunus, qui à quarta vigilia vsque ad
horam decimam diei nihil gustàsset, ac iumenta, siti perirent. Cùm iam
ad solis occasum esset, & non totos centum passus horis quatuor esset progressus,
equitatu suo propter equorum interitum extremo agmine remo- K
to, legiones inuicem ad extremum agmen euocabat. ita vim hostium placidè
leniterq; procedens, per legionarium militem commodiùs sustinebat.
Interim equitum Numidarum copię dextra sinistraq; per colles percurrere,
coronæq; in modũ cingere multitudine sua Cęsaris copias, pars agmẽ
Cæsarianorum militum fortitudo. extremum insequi. Cæsariani interim nõ ampliùs tres aut quatuor milites
veterani si se conuertissent, & pila viribus contorta in Numidas infestos
coniecissent, ampliùs duûm millium numero ad vnum terga vertebant,
ac rursus ad aciem passim conuersis equis se colligebant, atque in spatio
consequebantur, & iacula in legionarios conijciebant. Ita Cæsar modò
pro-

A procedendo, modò resistendo, tardiùs itinere confecto, noctis hora prima omnes suos ad vnum in castra incolumes saucijs x. factis reduxit. Labienus circitèr ccc. amissis, multis vulneratis, ac defessis instando omnibus, ad suos se recepit. Scipio interim legiones productas cum elephantis, quos ante castra in acie terroris gratia in conspectu Cæsaris collocauerat, reducit in castra. † Cæsar contra eiusmodi hostium genera, copias suas non vt Imperator exercitum veteranum, victoremque maximis rebus gestis, sed vt lanista tyrones gladiatores condocefaceret, quo pede se reciperent ab hoste, & quemadmodum obuersi in aduersarios, & in quantulo spatio resisterent, modò procurrerent, modò recederent, comminarenturque impetum, ac propè quo loco, & quemadmodum tela mitterent, præcipit. Mirificè enim hostium leuis armatura anxium exercitum nostrum atque solicitum habebat: quia & equites deterrebat prelium inire, propter equorum interitum, quòd eos iaculis interficiebant: & legionarium militem defatigabant, propter velocitatem. Grauis enim armaturæ miles simul atque ab his insectatus constiterat, in eosque impetum fecerat, illi veloci cursu facilè periculum vitabant. Quibus ex rebus Cæsar vehementer commouebatur, quia quodcunque prælium quoties erat commissum, equitatu suo sine legionario milite, hostium equitatui, leuique armaturæ eorum nullo modo par esse poterat. Solicitabatur autem his rebus, quòd C nondum legiones hostium cognouerat, & quónam modo sustinere se posset ab eorum equitatu, leuique armatura, quæ erat mirifica, si legiones quoque accessissent. Accedebat eò etiam hæc causa, quòd elephantorum magnitudo multitudoque, militum animos detinebat in terrore. Cui vni rei tamen inuenerat remedium. Nanque elephantos in Italiam transportari iusserat, quò & miles noster speciem & virtutem bestiæ cognosceret, & cui parti corporis eius telum facilè adigi posset, * oneratusque ac loricatus elephantus cùm esset, quæ pars corporis eius nuda sine tegmine relinqueretur, vt eò tela conijcerentur. Prætereà vt iumenta bestiarum odorem, stridorem, & speciem, consuetudine captarum, non D reformidarent. quibus ex rebus largiter erat consecutus. Nam & milites bestias manibus pertractabant, earumque tarditatem cognoscebant: equitesque in eos pila præpilata conijciebant, atque in consuetudinem equos ipsarum bestiarum adduxerant. Ob has causas, quas suprà commemoraui, solicitabatur Cæsar, tardiorque & consideratior erat factus, & ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Nec mirum. copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis campestribus, & contra Gallos homines apertos, minimeque insidiosos: qui per virtutem, non per dolum dimicare consueuerunt. Tum autem erat ei laborandum, vt consuefaceret milites hostium dolos, insidias artificiaque cognoscere: E & quid sequi, quid vitare conueniret. Itaque quò hæc celeriùs conciperent, dabat operam, vt legiones non vno loco contineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc raptaret, ideò quòd hostium copias à se suoque vestigio non discessuras existimabat: atque post diem tertium productas accuratiùs suas copias, sicut instruxerat, propter hostium castra prætergressus, æquo loco inuitat ad dimicandum. Postquàm eos abhorrere videt, reducit sub vesperum legiones in castra. Legati interim ex oppido Vacca, quod finitimum fuit Vzitæ, cuius Cæsarem potitum esse demonstrauimus, veniunt: petunt & obsecrant, vt sibi præsidium mittat: se res complures, quæ vtiles bello sint, administraturos. Per id tempus

Elephantorum terror minuendi ratio.

* *oneratusq.*

Cæsar tardior factus.

Galli homines aperti, non insidiosi.

Vacca opp.

decorum voluntate studioque erga Cæsarem, transfuga suos ciues facit F
certiores, Iubam regem celeritercum copijs suis, antequàm Cæsaris præsidium eò perueniret, ad oppidum accurrisse, atque aduenientem multitudine circundata eo potitum, omnibusque eius oppidi incolis ad vnum interfectis, dedisse oppidum diripiendum delendumque militibus. Cæsar interim lustrato exercitu, ad XII. Calendarum Aprilis postero die productis vniuersis copijs progressus à suis castris millia passuum V. à Scipionis circitèr duûm millium interiecto spatio in acie constitit. Postquàm satis diuq; aduersarios à se ad dimicandum inuitatos, supersedere pugnæ animaduertit, reducit copias. Postero die castra mouet, atque iter ad oppidum Sarsuram, vbi Scipio Numidarum habuerat præsidium, frumentumque comportauerat, ire contendit. Quod vbi Labienus animaduertit, cum equitatu leuique armatura agmen eius extremum carpere cœpit: atque ita lixarum mercatorumque qui plaustris merces portabant, interceptis sarcinis, addito animo propius audaciusque accedit ad legiones, quòd existimabat milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. Quæ res Cæsarem non fefellit. nanque expeditos ex singulis legionibus tricenos milites esse iusserat. itaque eos in equitatum Labieni immissos, turmis suorum suppetias mittit. Tum Labienus conuersis equis signorum conspectu perterritus, turpissimè fugere contendit. Multis eius occisis, compluribus vulneratis, milites legionarij ad sua se recipiunt signa, atque iter inceptum ire cœperunt. Labienus per iugum summum collis dextrorsus procul subsequi non desistit. Postquàm Cæsar ad oppidum Sarsuram venit, inspectantibus aduersarijs interfecto præsidio Scipionis, cum suis auxilium ferre non auderent, fortiter repugnante P. Cornelio Scipione euocato, qui ibi præerat, atque à multitudine circunuento interfectoque, oppido potitur, atque ibi frumento exercitui dato, postero die ad oppidum * Thebennam peruenit: in quo consi dius per id tempus fuerat cum grandi præsidio, cohorteque sua gladiatorum. Cæsar oppidi natura perspecta, atque inopia, ab oppugnatione eius deterritus, protinùs profectus circitèr millia passuum quatuor, ad aquam facit castra, atque inde quarta * die egressus, redit rursus ad ea castra, quæ ad Agar habuerat. Idem facit Scipio, atque in antiqua castra copias reducit. Thebennenses interim, qui sub ditione & potestate Iubæ esse consuêssent, in extrema eius regni regione maritima locati, interfecto regio præsidio legatos ad Cæsarem mittunt, rem à se gestam docent, petunt orantque, vt suis fortunis pop. Rom. quòd benemeriti essent, auxilium ferret. Cæsar eorum consilio probato, Marcium Crispum tribunum cum cohorte, & sagittarijs tormentisque compluribus præsidio Thebennam mittit. Eodem tempore ex legionibus omnibus milites qui aut morbo impediti, aut commeatu dato cum signis non potuerant antè transire in Africam, ad millia quatuor, equites CCCC. funditores sagittarijq; * mille vno commeatu Cæsari occurrerunt. Itaque cum his copijs & omnibus legionibus eductis, sicut erat instructus, VIII. millibus passuum à suis castris, à Scipionis verò quatuor millibus passuum longè constitit. In campo erat oppidum infra castra Scipionis nomine Tegea, vbi præsidium equestre circitèr CCCC. habere consueuerat. Eo equitatu dextra sinistraque directo ab oppidi lateribus, ipse legionibus ex castris eductis, atque in iugo inferiore instructis, non longiùs ferè mille passus à suis munitionibus progressus, in acie constitit. Postquàm diutiùs in vno loco

Margin notes: Sarsura opp. — G — H — P. Cornelius Scipio. — * Tisdram. — I — * vigiliæ. — Thebennenses. — K — * CC. — Tegea opp.

A Scipio commorabatur, & tempus diei in ocio consumebatur, Cæsar equitum turmas suorum iubet in hostium equitatum, qui ad oppidum in statione erat, facere impressionem: leuemq; armaturam, sagittarios funditoresq; eodem summittit. Quod vbi cœptum est fieri, & equis concitatis Iuliani impetum fecissent, Pacidius suos equites exporrigere cœpit in longitudinem, vt haberent facultatem turmas Iulianas circunfundere, & nihilo minùs fortissimè acerrimeq; pugnare. Quod vbi Cæsar animaduertit, trecentos quos ex legionibus habere expeditos consueuerat, ex proxima legione quæ ei prælio in acie constiterat, iubet equitatui succurrere. Labienus interim suis equitibus auxilia equestria summittere, saucijsque ac B defatigatis integros, recentioribusque viribus equites subministrare. Postquàm equites Iuliani CCCC. vim hostium ad quatuor millia numero sustinere non poterant, & à leui armatura Numidarum vulnerabantur, minutatimq; cedebant, Cęsar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter occurrerent. Quo facto sui sublati vniuersi in hostes impressione facta, in fugam aduersarios dederunt. multis occisis, compluribus vulneratis, insecuti per tria millia passuum, vsq; in colles hostibus adactis, se ad suos recipiunt. Cæsar in horam x. commoratus sicut erat instructus, sę ad sua castra recepit omnibus incolumibus. In quo prælio Pacidius grauiter pilo per cassidem caput ictus, compluresq; duces, ac fortissimus quisque interfecti C vulneratiq; sunt. † Postquàm nulla conditione cogere aduersarios poterat vt in æquum locum descenderent, legionumq; periculum facerent, neque ipse propius hostem castra ponere propter aquę penuriam se posse animaduerteret, aduersarios non eorū virtute confidere, sed aquarum inopia fretos, despicere se intellexit, pridie Nonarum Aprilis tertia vigilia egressus ab Agar XVI. millia passuum nocte progressus, ad Thapsum, vbi Vergilius cum grandi præsidio præerat, castra ponit, oppidumque eo die circummunire cœpit, locaque idonea opportunáque complura præsidijs occupare, ne hostes intrare ad se, aut loca interiora capere possent. Scipio interim cognitis Cæsaris consilijs, ad necessitatem adductus dimicandi, D ne per summum dedecus fidissimos suis rebus Thapsitanos & Vergilium amitteret, confestim Cæsarem per superiora loca consecutus, millia passuum octo à Thapso binis castris consedit. Erat stagnum salinarum, inter quod, & mare, angustiæ quædam non ampliùs mille & quingentos passus intererant, quas Scipio intrare, & Thapsitanis auxilium ferre conabatur: quod futurum Cæsarem non fefellerat. Nanque pridie in eo loco castello munito, ibique magno præsidio relicto, ipse cum reliquis copijs lunatis castris Thapsum operibus circummuniuit. Scipio interim exclusus ab incepto itinere, supra stagnum postero die & nocte confecta, cœlo albescente non longè à castris, præsidióque quod suprà commemo-E rauimus, mille quingentis passibus ad mare versus consedit, & castra munire cœpit. Quod postquàm Cæsari nunciatum est, milites ab opere deductos, castris præsidio Asprenate procōsule cum legionibus duabus relicto, ipse cum expedita copia in eum locum citatim contendit, classisque parte ad Thapsum relicta, reliquas naues iubet post hostium tergum quàmmaximè ad littus appelli, signumque suum obseruare: quo signo dato, subitò clamore facto, ex improuiso hostibus auersis incuterent terrorem, vt perturbati ac perterriti respicere post terga cogerentur. Quò postquam Cæsar peruenit, & animaduertit aciem pro vallo Scipionis castris elephantisq; dextro sinistróque cornu collocatis, & nihilo minùs partem

Pacidius.

Pacidij mors.

10

Thapsus.
Vergilius.

Stagnum salinarū.

Lunata castra.

Asprenas proconsul.

militum castra non ignauiter munire: ipse acie triplici collocata, legione F decima secundaq; dextro cornu, octaua & nona sinistro, oppositis quinq; legionibus, in quarta acie ante ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis, sagittarijs funditoribus in vtrisque cornibus dispositis, leuique armatura inter equites interiecta, ipse pedibus circum milites concursans, virtutesque veteranorum præliaque superiora commemorans, blandeq; appellans, animos eorum excitabat. Tyrones autem, qui nunquam in acie dimicassent, hortabatur vt veteranorum virtutem æmularentur, eorumq; famam, nomen, locumque victoria parta cuperent possidere. Itaque circumeundo exercitum, animaduertit hostes circa vallum trepidare, atque vltro citroque pauidos concursare, & modo se intra portas recipere, modo inconstanter immoderatéque prodire. Cumq; idem à G pluribus animaduerti cœptũ esset, subito legati euocatiq; obsecrare Cæsarem, ne dubitaret signum dare, victoriam sibi propriam à Dijs immortalibus portendi. Dubitante Cæsare, atque eorum studio cupiditatique resistente, sibiq; eruptione pugnari non placere clamitante, & etiam atque etiam aciem sustentante, subito dextro cornu iniussu Cęsaris tubicen à militibus coactus canere cœpit. Quo facto, ab vniuersis cohortibus signa in hostem cœpêre inferri, cùm Centuriones pectore aduerso resisterent, viq; continerent milites, ne iniussu imperatoris concurrerent, nec quicquam proficerent. Quod postquàm Cæsar intellexit, incitatis militum animis H resisti nullo modo posse, signo felicitatis dato, equo admisso in hostem contra principes ire contendit. A dextro interim cornu funditores sagittarijq; concita tela in elephantos frequentes inijciunt: quo facto, bestiæ stridore fundarum lapidumque perterritæ, sese conuertere, & suos post se frequentes stipatósque proterere, & in portas valli semifactas ruere contendunt. Item Mauri equites, qui in eodem cornu elephantis erant præsidio, deserti, principes fugiunt. Ita celeriter bestijs circumitis, legiones vallo hostium sunt potitæ: & paucis acriter repugnantibus interfectis, reliqui concitati in castra vnde pridie erant egressi, confugiunt. Non videtur esse prætermittendum de virtute militis veterani quintæ legio- I nis. nam cùm in sinistro cornu elephantus vulnere ictus, & dolore concitatus, in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum, genu innixus, pondere suo, proboscide erecta vibrantique stridore maximo premeret, atque enecaret, miles hic non potuit pati quin se armatum bestiæ offerret: quem postquàm elephantus ad se telo infesto vęnire animaduertit, relicto cadauere militem proboscide circundat, atque in sublime extollit armatum: qui in eiusmodi periculo cùm constanter agendum sibi videret, gladio proboscidem quo erat circundatus, cædere quantum viribus poterat, non destitit: quo dolore adductus elephantus, milite abiecto, maximo cum stridore cursuque conuersus ad re- K liquas bestias se recepit. Interim Thapso qui erant præsidio, ex oppido eruptionem porta maritima faciunt, & siue vt suis subsidio occurrerent, siue vt oppido deserto fuga salutem sibi pararent, egrediuntur: atque ita per mare vmbilici fine ingressi, terram petebant. Qui à seruis puerisq; qui in castris erant, lapidibus pilisque prohibiti terram attingere, rursus se in oppidum receperunt. Interim Scipionis copijs prostratis, passimque toto campo fugientibus, confestim Cæsaris legiones consequi, spaciumq; se non dare colligendi: qui postquàm ad ea castra quæ petebant, perfugerunt, vt refectis castris rursus sese defenderent, ducem aliquem requirunt, quem

Cæsaris in hortandis militibus industria.

Milites Cæsariani iniussu prælium committunt.

Elephantorum fuga.

Militis cuiusdam veterani virtus eximia aduersus elephantum.

Egregium facinus.

A quem respicerent, cuiusq; authoritate imperioq; rem gererent. Qui post-
quàm animaduerterunt neminem ibi esse præsidio, protinus armis abie-
ctis in regia castra fugere contendunt. Quò postquàm peruenerunt, eaq;
ipsi ab Iulianis teneri vident, desperata salute in quodam colle consistunt,
atque armis dimissis salutationem more militari faciunt. quibus miseris
ea res paruo præsidio fuit. nanque milites veterani ira & dolore incensi,
non modò vt parcerent hosti, non poterant adduci, sed etiam ex suo exer-
citu illustres vrbanos, quos authores appellabant, complures aut vulne-
rârunt, aut interfecerunt: in quo numero fuit Tullius Rufus Quæstorius, *Tullius Rufus Quæstorius.*
qui pilo traiectus consultò à milite, interijt. Item Pompeius Rufus bra-
B chium gladio percussus, nisi celeriter ad Cæsarem accurrisset, interfectus *Pompeius Rufus.*
esset. Quo facto complures equites Romani Senatoresque perterriti, ex
prælio se receperunt, ne à militibus, qui ex tanta victoria licentiam sibi
assumpsissent immoderatè peccandi impunitatis propter maximas res ge-
stas, ipsi quoque interficerentur. Itaque omnes Scipionis milites cùm
fidem Cæsaris implorarent, inspectante ipso Cæsare, & à militibus depre-
cante vti eis parcerent, ad vnum sunt interfecti. Cæsar trinis castris potitus, *Scipionis milites ad vnum interfecti.*
occisisque hostium decem millibus, fugatisque compluribus, se recepit,
quinquaginta militibus amissis, paucis saucijs, in castra. † Ac statim ex 17
itinere ante oppidum Thapsum constitit, elephantósque sexaginta qua- *Elephanti 64. à Cæsare capti.*
C tuor ornatos armatósque cum turribus ornamentísque capit, captos an-
te oppidum instructos constituit. Id hoc consilio, si posset Vergilius, quí-
que cum eo obsidebantur, rei malè gestæ suorum iudicio, à pertinacia de-
duci. Deinde ipse Vergilium appellauit, inuitauitque ad deditionem su-
amque lenitatem & clementiam commemorauit. Quem postquàm ani-
maduertit responsum sibi non dare, ab oppido recessit. Postero die di-
uina re facta, concione aduocata, in conspectu oppidanorum milites
collaudat, totúmque exercitum veteranum donauit præmijs: ac fortis-
simo cuique ac benemerenti pro suggestu tribuit. Ac statim inde digres-
sus, T. Rebillo proconsule cum tribus legionibus ad Thapsum, & Cn. *T. Rebillus proconsul.*
D Domitio cum duabus Tisdræ, vbi Considius præerat, ad obsidendum *M. Messala.*
relictis, M. Messala Vticam antè præmisso, cum equitatu ipse eôdem iter
facere contendit. Equites interim Scipionis, qui ex prælio fugerant, cùm
Vticam versus iter facerent, perueniunt ad oppidum Paradam. Vbi cùm *Parada oppidum.*
ab incolis non reciperentur, ideò quòd fama de victoria Cæsaris præ-
currisset, vi oppido potiti, in medio foro lignis coaceruatis, omnibús-
que rebus eorum congestis, ignem subijciunt, atque eius oppidi inco- *Scipionis equitum crudelitas.*
las cuiusque generis ætatísque viuos constrictósque in flammam conij-
ciunt, atque ita acerbissimo afficiunt supplicio. Deinde protinus Vti-
cam perueniunt. Superiore tempore M. Cato, quòd Vticensibus pro- *M. Cato.*
E pter beneficium legis Iuliæ parùm in suis partibus præsidij esse existima-
uerat, plebem inermem oppido eiecerat, & ante portam belli causa, ca-
stris, fossaq; paruula duntaxat, munierat, ibiq; custodijs circundatis habi-
tare coëgerat. Senatū autem oppidi custodia tenebat. Eorū castra i. equi-
tes adorti expugnare cœperūt, ideo quòd eos Cæsaris partibus fauisse scie-
bant, vt eis interfectis, eorum pernicie dolorem suum vlciscerentur. Vti-
censes animo addito ex Cæsaris victoria, lapidibus fustibusq; equites re-
pulerunt. Itaq; postquàm castris non potuerant potiri, Vticam se in oppi- *Vtica diripitur.*
dum coniecerunt, atque ibi multos Vticenses interfecerunt, domosq; eo-
rum expugnauerunt, ac diripuerunt: quibus cùm Cato persuadere nulla
ratione

ratione quiret vt ſecum oppidum defenderent, & cæde rapiniſq́ue deſiſte- F
rent,& quid ſibi vellent,ſciret,ſedandæ eorum importunitatis gratia, ſin-
Sylla Fauſtus. gulis C.diuiſit.Idem etiam Sylla Fauſtus fecit,ac de ſua pecunia largitus eſt,
vnàq; cum ijs ab Vtica proficiſcitur,atque in regnum ire contendit. Com-
plures interim ex fuga Vticam perueniunt. quos omneis Cato conuoca-
tos, vnà cum trecentis qui pecuniam Scipioni ad bellum faciendum con-
tulerant, hortatur vt ſeruitia manumitterent, oppidumq́ue defenderent.
quorum cùm partem aſſentire, partem animum mentémq; perterritam,
atque in fugam deſtinatam habere intellexiſſet, ampliùs de ea re agere de-
ſtitit,nauéſque ijs attribuit, vt in quas quiſque partes vellet proficiſceretur.
Ipſe omnibus rebus diligentiſſimè conſtitutis, liberis ſuis L. Cæſari, qui G
tum ibi pro quæſtore fuerat, commendatis; & ſine ſuſpicione, vultu at-
que ſermone quo ſuperiore tempore vſus fuerat, cùm dormitum iſſet,
Cato ſibi manũ infert. ferrum intrò clàm in cubiculum tulit, atque ita ſe traiecit. Qui dum ani-
ma nondum expirata concidiſſet, impetuq́ue facto in cubiculum ex ſu-
ſpicione medicus familiaréſque continere; atque vulnus obligare cœpiſ-
ſent, ipſe ſuis manibus vulnus crudeliſſimè diuellit, atque animo præſen-
ti ſe interemit. Quem Vticenſes, quanquam oderant partium gratia; ta-
men propter eius ſingularem integritatem, & quòd diſſimilimus reliquo-
rum ducum fuerat, quodq́ue Vticam mirificis operibus munierat, turréſ-
L. Cæſar. que auxerat, ſepultura afficiunt. Quo interfecto L. Cæſar, vt aliquod ſibi H
ex ea re auxilium pararet, conuocaro populo, concione habita, cohorta-
tur omneis vr portæ aperirenrur, ſe in Cæſaris clemenriam magnam ſpem
habere. Itaque portis patefactis, Vtica egreſſus Cæſari imperatori obuiam
Meſſala. proficiſcitur. Meſſala, vt erar imperatum, Vticam peruenit, omnibúſque
Vzita. portis cuſtodias ponit. Cæſar interim à Thapſo progreſſus, Vzitam per-
uenir, vbi Scipio magnum frumenti numerum, armorum, telorum, cæ-
terarumq; rerum cum paruo præſidio habuerat. hoc adueniens potitur.
Adrumetum. Deinde Adrumetum peruenit: quò cùm ſine mora introîſſet, armis, fru-
Q. Ligario Cæſar ignoſcit. mento, pecuniáq; cõſiderata, Q. Ligario C. Conſidij filio, qui tum ibi fue-
rat, vitam conceſſit. Deinde eodem die Adrumeto egreſſus, Luncio Regulo I
ibi cum legione relicto, Vticam ire contendit: cui in itinere fit obuius L.
Cæſaris clementia. Cæſar, & ſubitò ſe ad genua proiecit, vitámq; ſibi, nec ampliùs quicquam
deprecatur. cui Cæſar facilè pro ſua natura & inſtiruto conceſſit. Idem Ce-
cinnæ, Cetcio, P. Atrio, L. Cælæ patri & filio, M. Epio, M. Aquinio Catonis
filio, Damaſippíque liberis, ex ſua conſuetudine tribuit: circitérque no-
ctem luminibus accenſis Vticam peruenit, atque extra oppidum ea no-
cte manſit. Poſtero die manè oppidum introijt: concionéque aduoca-
ta, Vticenſes incolas cohortatus, gratias pro eorum erga ſe ſtudio agit: ci-
ues autem Romanos negociatores, & eos qui inter ccc. pecunias contu-
lerant Varo & Scipioni, multis verbis accuſaros, & de eorum ſceleribus K
longiore habita oratione, ad extremũ vt ſine metu prodirent, edicit ſe eis
duntaxat vitam conceſſurum, bona quidem eorum ſe vendirurum: ita ta-
men, vt qui eorum bona ſua redemiſſet, ſe bonorum venditionem indu-
cturum, & pecuniam mulctæ nomine relaturum, vt incolumitatem reti-
nere poſſent. Quibus metu exanguibus, de vitáque ex ſuo merito deſpe-
rantibus, ſubitò oblata ſalute, libentes cupidíque conditionem accepe-
runt, petierúntque à Cæſare vt vniuerſis trecentis vno nomine pecuniam
imperaret. Itaq; bis mille ſeſtertiûm his impoſito, vt per trienniũ ſex pen-
ſionibus populo Rom. ſoluerent, nullo eorum recuſante, ac ſe eo die de-
mum

A mum natos prædicantes, læti gratias agunt Cæsari. Rex interim Iuba, vt
ex prælio fugerat, vnà cum Petreio interdiu in villis latitando, tandem no-
cturnis itineribus confectis in regnum peruenit, atque ad oppidum Za- *Zama oppidum.*
mam, vbi ipse domicilium, coniuges, liberosque habebat, quò ex cun-
cto regno omnem pecuniam, charissimasq; res comportauerat, quodq;
inito bello operibus maximis munierat, accedit. Quem oppidani anteà *Iuba rex oppido suo*
rumore exoptato de Cæsaris victoria audito, ob has causas oppido pro- *prohibetur.*
hibuerunt, quòd bello contra populum Rom. suscepto, in oppido Zama
lignis congestis maximam in medio foro pyram construxerat, vt si fortè
bello esset superatus, omnibus rebus eò coaceruatis, deinde ciuibus cun-
B ctis interfectis, eodemque proiectis, igne subiecto, tum demum se ipse in-
super interficeret, atque vnà cum liberis, coniugibus, ciuibus, cunctaque
gaza regia cremaretur. Postquàm Iuba ante portas diu multumq; primò
minis pro imperio egisset cum Zamensibus, deinde cùm se parùm pro-
ficere intellexisset, precibus quoq; orâsset vti se ad suos Deos penates ad-
mitterent: vbi eos in sententia perstare animaduertit, nec minis nec pre-
cibus suis moueri quò magis se reciperent: tertiò petit ab eis, vt sibi coniu-
ges liberosq; redderent, vt secum eos asportaret. Postquàm sibi nihil omni-
nò oppidanos responsi reddere animaduertit, nulla re ab his impetrata, ab
Zama discedit, atq; ad villam suam cum M. Petreio paucisque equitibus se
C confert. Zamenses interim legatos de his rebus ad Cæsarem Vticam mit-
tunt, petuntq; ab eo, vti antè quàm Rex manum colligeret, seseq; oppu-
gnaret, sibi auxilium mitteret: se tamen paratos esse, sibi quoad vita sup-
peteret, oppidum seq; ei reseruare. Legatos collaudatos Cæsar domum
iubet antecedere, ac suum aduentum prænunciare. Ipse postero die Vti-
ca egressus cum equitatu in regnum ire contendit. Interim in itinere ex
regijs copijs duces complures ad Cæsarem veniunt, orantque vt sibi igno-
scat. Quibus supplicibus venia data, Zamam perueniunt. Rumore inte- *Cæsaris lenitas &*
rim perlato de eius lenitate clementiaq;, propemodum omnes regni equi- *clementia.*
tes Zamam perueniunt ad Cæsarem, ab eoque sunt metu periculoque li-
D berati. Dum hæc vtrobique geruntur, Considius, qui Tisdræ cum fa-
milia sua, gladiatoria manu; Getulisq; præerat, cognita cæde suorum, Do-
mitijq;, & legionum aduentu perterritus, desperata salute oppidum de-
serit, seque clàm cum paucis barbaris pecunia onustus subducit: atque
in regnum fugere contendit: quem Getuli sui comites in itinere prædæ cu- *Considij mors.*
pidi concidunt, seq; in quascunque potuêre partes conferunt. C. interim
Vergilius, postquàm terra mariq; clausus se nihil proficere intellexit, suosq; *C. Vergilius.*
interfectos aut fugatos, M. Catonem Vticæ sibi ipsi manus intulisse, Regē
vagum, à suis desertum, ab omnibus aspernari, Saburam eiusq; copias ab
Sitio esse deletas, Vticæ Cæsarem sine mora receptū: de tanto exercitu re-
E liquias esse nullas, quæ sibi suisq; liberis prodessent: à Caninio proconsule, *C. Vergilij deditio.*
qui eum obsidebat, fide accepta, seq; & sua omnia & oppidum proconsuli
tradit. Rex interim Iuba ab omnibus ciuitatibus exclusus, desperata salute,
cùm iam conatus esset cum Petreio, vt per virtutem interfecti esse vide-
rentur, ferro inter se depugnant, atque firmior imbecilliorem Iuba Petre- *Iubæ regis et Petreij*
ium facilè ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cùm conaretur gladio traij- *mors.*
cere pectus, nec posset, precibus à seruo suo impetrauit vt se interficeret,
idq; obtinuit. P. Sitius interim pulso exercitu Saburæ præfecti Iubæ, ipsó- *P. Sitius.*
que interfecto, cùm iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæsarem face-
ret, fortè incidit in Faustum Afraniúmque, qui eam manum habebant

qua

qua Vticam diripuerant, iterq; in Hispaniam intendebant, & erant numero circiter M D. itaque nocturno tempore celeriter insidijs dispositis, eos prima luce adortus, præter paucos equites, qui ex primo agmine fugerant, reliquos aut interficit, aut in deditionem accipit, Afranium & Faustum cum coniuge & liberis viuos capit. Paucis pòst diebus dissensione in exercitu orta, Faustus & Afranius interficiuntur. Pompeiæ cum Fausti liberis Cæsar incolumitatem suaq; omnia concessit. Scipio interim cum Damasippo & Torquato & Pletorio Rustiano nauibus longis diu multumq; iactati, cùm Hispaniam peterent, ad Hipponem regium deferuntur, vbi classis P. Sitij per id tempus erat, à qua pauciora ab amplioribus circumuenta nauigia deprimuntur. Ibiq; Scipio cum ijs quos paulò antè nominaui, interijt. Cæsar interim Zamæ auctione regia facta, bonisq; eorum venditis qui ciues Romani contra populum Romanū arma tulerant, præmijsq; Zamensibus qui de Rege excludendo consilium ceperant, tributis, vectigalibúsque regijs irrogatis, ex regnoq; prouincia facta, atque ibi Crispo Sallustio proconsule cum imperio relicto, ipse Zama egressus Vticam se recepit. Ibi bonis venditis eorum qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant: Thapsitanis H-S viginti millia, conuentui eorum H-S triginta millia, Adrumetanis H-S triginta millia, conuentui eorum H-S quinquaginta millia, mulctæ nomine imponit. Ciuitates, bonaq; eorum, ab omni iniuria rapinisq; defendit. Leptitanos, quorum superioribus annis bona Iuba diripuerat, & qui ad Senatum questi, per legatos atque arbitros à Senatu datos sua receperant, tricies centenis millibus ponderibus olei in annos singulos mulctat ideo, quòd initio per dissensionem principum, societatem cum Iuba inierant, eumq; armis militibus, pecunia iuuerant. Tisdritanos, propter humilitatem ciuitatis, certo numero frumenti mulctat. His rebus gestis, Idibus Iunijs Vticæ classem conscendit, & post diem tertium Caraleis in Sardiniam peruenit. Ibi Sulchitanos, quòd Nasidiū eiusq; classem receperant, copijsq; iuuerant, H-S centum millibus mulctat, & pro decumis octauas pendere iubet, bonaque paucorum vendit, & ante diem III. Calendarum Quintilis naues conscendit. Et à Caralibus secundum terram prouectus, duodetrigesimo die, eò quòd tempestatibus in portubus cohibebatur, ad vrbem Romam venit.

Fausti & Afranij mors. *Hippo regius.* *Scipionis interitus.* *Crispus Sallustius Zamensis proconsul.* *Cæsaris in Italiam profectio.*

A. HIRTII, AVT OPPII, DE BELLO HISPANIENSI C. IVLII CAESARIS, LIBER VNVS.

Libri de Bello Hispaniensi capita.

1 *Reditus Cæsaris in Hispaniam, & eius liberandæ initium ab eodem factum aduersus Cn. Pompeij filios.*

2 *Cæsar leuibus aliquot prælijs ad oppidum Ateguam factis, tandem oppidanos in deditionem recipit, & vrbe potitur.*

3 *Ateguanorum perfidia, & pœna: leuis pugna Cæsaris secunda, itemq; altera à duello instituta.*

4 *Cæsaris victoria ex prælio, & cædes Pompeianorum magna, Labieniq; & Vari interitus.*

5 Cn. Pom-

A 5 *Cn. Pompeij adolescentis interitus, & caput ludibrio prolatum: oppidorúmque multorum deditio.*

PHARNACE superato, Africa recepta, qui ex his præ- 1
lijs cum adolescente Cn. Pompeio profugissent, cùm *Cn. Pompeius adolescens.*
& vlterioris Hispaniæ potitus esset, dum Cæsar mu-
neribus dandis in Italia distineretur, quò faciliùs præ-
sidia compararet, Pompeius in fidem vniuscuiusque
ciuitatis confugere cœpit. Itaque partim precibus,
partim vi, bene magna comparata manu prouinciam
vastare cœpit. Quibus in rebus nonnullæ ciuitates
B sua sponte auxilia mittebant: item nonnullæ contrà
portas claudebant: ex quibus si qua oppida vi ceperat, cùm aliquis ex ea
ciuitate optimè de Cn. Pompeio meritus ciuis esset, propter pecuniæ ma-
gnitudinem aliqua ei inferebatur causa, vt eo de medio sublato, ex eius
pecunia latronum largitio fieret. Ita paucis commodis hoste hortato,
maiores augebantur copiæ. Ideoque crebris nuncijs in Italiam missis, ci-
uitates contrariæ Pompeio, auxilia sibi depostulabant. C. Cæsar dicta- *C. Cæsar quartò designatus dictator.*
tor tertiò, designatus quartò, multis itineribus antè confectis, cùm ce-
leri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam venisset, legati *Cordubenses legati ad Cæsarem.*
Cordubenses, qui à Cn. Pompeio discesserant, Cæsari obuiam veniunt,
C à quibus nunciabatur, nocturno tempore oppidum Cordubam capi pos-
se, quòd nec opinantibus aduersarijs eius prouinciæ potitus esset, si-
múlque quòd tabellarij à Cn. Pompeio dispositi omnibus locis essent,
qui certiorem Cn. Pompeium de Cæsaris aduentu facerent. multa præ-
tereà verisimilia proponebant. Quibus rebus adductus, quos legatos
exercitui antè præfecerat, Q. Pedium, & Quintum Fabium Maximum, *Q. Pedius.*
de suo aduentu facit certiores, vt quem sibi equitatum ex prouincia fe- *Q. Fabius.*
cissent, præsidio mitterent. Ad quos celeriùs quàm ipsi opinati sunt, ap-
propinquauit: atque vt ipse voluit, equitatum sibi præsidio habuit. Erat
per idem tempus Sext. Pompeius frater, qui cum præsidio Cordubam *Sex. Pompeius.*
D tenebat, quod eius prouinciæ caput esse existimabatur. Ipse autem Cn. *Corduba Hispaniæ caput.*
Pompeius adolescens Vllam oppidum oppugnabat, & ferè iam aliquot *Vlia opp.*
mensibus ibi distinebatur: quo ex oppido, cognito Cæsaris aduentu, le-
gati clàm præter præsidia Cn. Pompeij Cæsarem cùm adissent, petere
cœperunt vt sibi primo quoque tempore subsidium mitteret. Cæsar
eam ciuitatem omni tempore optimè de populo Romano meritam esse
sciens, celeriter * sex cohortes secunda vigilia iubet proficisci, parique *sedecim.*
equites numero, quibus præfecit hominem eius prouinciæ notum, &
non parùm scientem, L. Iunium Paciecum: qui cùm ad Cn. Pompeij *L. Iunius Paciecus.*
præsidia venisset, incidit idem temporis vt tempestate aduersa, vehemen-
E tiq; vento afflictaretur, qua vi tempestatis ita obscurabatur, vt vix pro-
ximum cognoscere posset. cuius incommodum summam vtilitatem ipsis *Tempestatis incommodum in bonum versum.*
præbebat. Ita cùm ad eum venerunt, iubet binos equites incedere, & re-
ctà per aduersariorum præsidia ad oppidum contendere: medijsque ex
præsidijs cùm quæreretur qui essent, vnus ex nostris respondit, vt sileat
verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, vt oppi-
dum capiant. Et partim tempestate impediti vigiles non poterant dili-
gentiam præstare, partim illo responso deterrebantur. Cùm ad portam
appropinquassent, signo dato ab oppidanis sunt recepti: & pedites equi-
tesque clamore facto, dispositis ibi partim qui remansere, eruptionem in

Y aduersa-

aduersariorum castra fecerunt. Sic illud cùm inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum qui in ijs castris fuissent, se propè captos esse. Hoc misso ad Vllam præsidio, Cæsar vt Pompeium ab ea oppugnatione deduceret, ad Cordubam contendit, exq; itinere loricatos viros fortes cum equitatu antè præmisit: qui simul in conspectum oppidi se dederunt in equis, recipiuntur. hoc à Cordubensibus nequaquam poterat animaduerti. Appropinquantibus, ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum cùm exisset, loricati, vt suprà scripsimus, ex equis descenderunt, & magnum prælium fecerunt, sicut ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent. Hoc timore adductus Sex. Pompeius, literas fratri misit, vt celeriter sibi subsidio veniret, ne priùs Cæsar Cordubam caperet, quàm ipse illò venisset. Itaque Cn. Pompeius Vlla propè capta, literis fratris excitus, cum copijs ad Cordubam iter facere cœpit. Cæsar cùm ad flumen Bætim venisset, neq; propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit. ita insuper ponte facto, copias ad castra tripartitò traduxit. Tendebant aduersus oppidum è regione pontis trabes, vt suprà scripsimus, bipartitò. Huc cùm Pompeius cum suis copijs venisset, ex aduerso pari ratione castra ponit. Cæsar vt eum ab oppido commeatuque excluderet, brachium ad pontem ducere cœpit. Pari idem conditione Pompeius. Hic inter duces duos fit contentio, vter priùs pontem occuparet: ex qua contentione quotidiana minuta prælia fiebant, vt modò hi, modò illi superiores discederent. Quæ res cùm ad maiorem contentionem venisset, ab vtrisq; comminùs pugna inita, dum cupidiùs locum student tenere, propter pontem coangustabantur, & fluminis ripis appropinquãtes coangustati præcipitabantur. Hic alteri alteris non solùm mortibus mortes exaggerabant, sed tumulos tumulis exæquabãt. Ita diebus compluribus cupiebat Cæsar, si qua conditione posset, aduersarios in æquum locum deducere, & primo quoque tempore de bello decernere. Id cùm animaduerteret aduersarios minimè velle, quos ideo à via retraxerat, vt in æquum deduceret: copijs flumen traductis, noctu iubet ignes fieri magnos. Ita firmissimum eius præsidium Ateguam proficiscitur. Id cùm Pompeius ex perfugis rescisset, ea die per viatum angustias carra complura, multosq; lanistas retraxit, & ad Cordubam se recepit. Cæsar munitionibus Ateguam oppugnare, & brachia circunducere cœpit. cuius rei Pompeio cùm nuncius esset allatus, eo die proficiscitur. cuius in aduentum, præsidij causa Cæsar complura castella occupauit, partim vbi equitatus, partim vbi pedestres copiæ in statione & in excubitu castris præsidio esse possent. Hic in aduentu Pompeij incidit vt matutino tempore nebula esset crassissima. Itaque in illa obscuratione cum aliquot cohortibus & equitum turmis circuncludunt Cæsaris equites, & concidunt, sic vt vix in ea cæde pauci effugerent. Insequenti nocte castra sua incẽdit Pompeius, & trans flumen Salsum per conualles castra inter duo oppida Ateguam & Vcubim in monte constituit. Cæsar in munitionibus, cæterisq; quæ ad oppidum oppugnandum opus fuerunt, aggerem vineasq; agere instituit. Hæc loca sunt montosa, & natura edita ad rem militarem, quæ planicie diuiduntur Salso flumine, proxime tamen Ateguam, vt ad flumen sint circiter passuum duo millia. Ex ea regione oppidi in montibus castra habuit posita Pompeius in conspectu vtrorumque oppidorum, neque suis ausus est subsidio venire. Aquilas & signa habuit posita tredecim legionum: sed ex quibus aliquid firma-

Bætis flu. Ategua. Salsum flu. Vcubis opp.

F G H I K

A firmamenti se existimabat habere; duæ fuerunt vernaculæ, quæ à Trebo- *Vernaculæ legiones.*
nio transfugerant: & vna facta ex colonijs quæ fuerunt in his regionibus:
quarta fuit Afraniana ex Africa, quam secum adduxerat. Reliquæ ex fu-
gitiuis auxiliares consistebant. Nam & leui armatura & equitatu longè &
virtute & numero nostri erant superiores. Accedebat huc, vt longiùs bel-
lum duceret Pompeius, quòd loca sunt edita, & ad castrorum munitiones
non parùm idonea. Nam ferè totius vlterioris Hispaniæ regio propter *vlterioris Hispaniæ*
terræ fœcunditatem, inopem difficilemque habet oppugnationē, & non *fecunditas & situs.*
minùs copiosam aquationem. Hic etiam propter barbarorum crebras
excursiones omnia loca quæ sunt ab oppidis remota, turribus & muni-
B tionibus retinentur, sicut in Africa: rudere, non tegulis teguntur, simúl-
que in his habent speculas, & propter altitudinem longè latéque prospici- *Speculæ Hispaniæ.*
unt. Item oppidorum magna pars eius prouinciæ montibus ferè muni-
ta, & natura excellentibus locis est constituta, vt simul aditus ascensúsq;
habeat difficiles. Ita ab oppugnationibus natura loci distinentur, vt ci-
uitates Hispaniæ non facilè ab hostibus capiantur. quod in hoc contigit
bello. Nam vbi inter Ateguam & Vcubim, quæ oppida suprà sunt scripta,
Pompeius tunc habuit castra constituta in conspectu duorum oppido-
rum, à suis castris circiter millia passuum quatuor grumus est excellens
natura, qui appellatur Castra Posthumiana. ibi præsidij causa castellum *Castra Posthumia-*
C Cæsar habuit constitutum. Pompeius qui eodem iugo tenebatur loci *na.*
natura, & quòd remotum erat à castris Cæsaris, animaduertebat, loci
difficultate, & quòd flumine Salso intercludebatur, non esse commis-
surum Cæsarem, vt in tanta loci difficultate ad subsidium committen-
dum se mitteret. ista fretus opinione, tertia vigilia profectus, castellum
oppugnare cœpit, vt laborantibus succurreret. Nostri cùm appropin-
quassent, clamore repentino, telorúmque multitudine iactus facere cœ-
perunt, vti magnam partem hominum vulneribus afficerent. Quo per-
acto, cùm ex castello repugnare cœpissent, & maioribus castris Cæsaris
nuncius esset allatus, cum tribus legionibus est profectus. Et cùm ad eos
D appropinquasset, fuga perterriti multi sunt interfecti, complures capti,
in quibus multi prætereà armis exuti fugerunt, quorum scuta sunt rela-
ta octoginta. Insequenti luce Arguetius ex Italia cum equitatu venit. Is *Arguetius.*
signa Saguntinorum retulit quinque, quæ ab oppidanis cepit. Suo lo-
co perterritus est, quòd equites ex Italia cum Asprenate ad Cæsarem ve-
nissent. Ea nocte Pompeius castra incendit, & ad Cordubam versus iter
facere cœpit. Rex nomine Indo, qui cum equitatu suas copias adduxe- *Indo rex.*
rat, dum cupidiùs agmen aduersariorum insequitur, à vernaculis legio-
narijs exceptus est & interfectus. † Postero die equites nostri longiùs ad 2
Cordubam versus prosecuti sunt eos qui commeatus ad castra Pompeij ex
E oppido portabant. ex his capti quinquaginta cum iumentis ad nostra ad-
ducti sunt castra. Eodem die Qu. Martius Trib. mil. qui fuisset Pompeij, ad *Qu. Martius Trib.*
nos transfugit: & noctis tertia vigilia in oppido acerrimè pugnatum est, *mil.*
ignemq; multum miserunt, sicut & omne genus quibus ignis per iactus
solitus est mitti. Hoc præterito tempore, C. Fundanius eques Romanus ex *C. Fundanius.*
castris aduersariorum ad nos transfugit. Postero die ex legione vernacula
milites sunt capti ab equitibus nostris duo, qui dixerunt se seruos esse: cùm
venirent, cogniti sunt à militibus, qui anteà cum Babilio & Pedio fuerant,
& à Trebonio transfugerant. Eis ad ignoscendum nulla facultas est data,
& à militibus nostris interfecti sunt. Eodem tempore capti tabellarij qui à

Manus tabellarijs captis præcisæ.

Corduba ad Pompeium missi erant, perperamque ad castra nostra peruenerant, præcisis manibus missi sunt facti. Pari consuetudine vigilia secunda ex oppido ignem multum, telorumque multitudinem iactando, bene magnum tempus consumpserunt, compluresque vulneribus affecerunt. Præterito noctis tempore eruptionem in legionem sextam fecerunt, cùm in opere nostri distenti essent: acriterque pugnare cœperunt. Quorum vis repressa à nostris, etsi oppidani superiore loco defendebantur. Quinquaginta cùm eruptionem facere cœpissent, tamen virtute militum nostrorum, qui etsi inferiore loco premebantur, tamen repulsis aduersarijs, bene multis vulneribus affecti in oppidū se contulerunt. Postero die Pompeius ex castris suis brachium cœpit ad flumen Salsum facere: & cùm nostri equites pauci in statione fuissent à pluribus reperti, de statione sunt deiecti, & occisi tres. eo die A. Valgius Senatoris filius, cuius frater in castris Pompeij fuisset, omnibus suis rebus relictis equum conscendit, & fugit. Speculator de legione secunda Pompeiana captus à militibus, & interfectus est. Per idem tempus glans missa est inscripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, sese scutum esse positurum. Qua spe nonnulli dum sine periculo murum ascendere, & oppido potiri posse se sperarent, postero die ad murum opus facere cœperunt: & bene magna prioris muri pars deiecta est. Quo facto ab oppidanis, ac si suarum partium essent conseruati, missos facere loricatos, quiq; præsidij causa præpositi oppido à Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Cæsar, se conditiones dare, non accipere consuesse. Illi cùm in oppidum reuersi essent, relato responso, clamore sublato, omni genere telorum emisso pugnare pro muro toto cœperunt. Propter quod ferè magna pars hominum qui in castris nostris essent, non dubitârunt quin eruptionem eo die essent facturi. Ita corona circundata pugnatum est aliquandiu vehementissimè. Simulq; ballista missa à nostris turrem deiecit, qua aduersariorum qui in ea turre fuerant, quinque deiecti sunt, & puer qui ballistam solitus erat obseruare. Eo præterito tempore, Pompeius castellum trans flumen Salsum constituit, neque à nostris prohibitus: falsaque illa opinione gloriatus est, quòd propè in nostris partibus locum tenuisset. Item insequenti die eadem consuetudine dum longiùs prosequitur, quo loco equites nostri stationem habuerant, aliquot turmæ cum leui armatura impetu facto, loco sunt deiectæ, & propter paucitatem nostrorum equitum simul cum leui armatura inter turmas aduersariorum protritæ. Hoc in conspectu vtrorunque castrorum gerebatur, & maiore Pompeiani exultabant gloria, longiùs quòd nostris cedentibus prosequi cœpissent: qui cùm aliquo loco à nostris recepti essent, vt consuêssent, ex simili virtute clamore facto auersati sunt prælium facere. Ferè apud exercitus hæc est equestris prælij consuetudo, cùm eques ad dimicandum dimisso equo cum pedite progreditur, nequaquam par habetur. id quod in hoc accidit certamine. cùm pedites ex leui armatura lecti ad pugnam equitibus nostris necopinantibus venissent, idque in prælio animaduersum esset, complures ex equis descenderunt. Ita exiguo tempore eques pedestre, pedes equestre prælium facere cœpit, vsque eò, vt cædem proximè à vallo fecerint. In quo prælio aduersariorum ceciderunt centum viginti tres, complures q; armis exuti, multi vulneribus affecti in castra sunt redacti: nostri ceciderunt tres, saucij XII. pedites, & equites quinque. Eius diei insequenti tempore pristina consuetudine pro muro pugnari cœptum est. Cùm bene magnam multitudinem telorum ignem-

A. Valgius.

Cæsar conditiones dare nō accipere solitus.

Equestris prælij consuetudo.

A ignémque nostris defendentibus iniecissent, nefandum crudelissimumq; facinus sunt aggressi, in conspectúque nostro hospites qui in oppido erant, iugulare, & de muro præcipites mittere cœperunt, sicut apud barbaros, quod post hominum memoriam nunquam est factum. Huius diei extremo tempore à Pompeianis clàm ad nostros tabellarius est missus, vt ea nocte turres aggerémque incenderent, & tertia vigilia eruptionem facerent. Ita igne, relorúmque multitudine iacta, cùm bene magnam partem muri consumpsissent, portam quæ è regione & in conspectu castrorum Pompeij fuerat, aperuerunt, copiæq; totæ eruptionem fecerunt, secúmque extulerunt calcatas ad fossas complendas, & harpagones ad ca-

Hospitum violatio.

Calcatæ ad fossas complendas.

B sas, quæ stramentis à nostris hybernorum causa ædificatæ erant, diruendas, & incendendas. Præterea argentum, & vestimenta: vt dum nostri in præda distinerentur, illi cæde facta ad præsidia Pompeij se reciperent. Nam, quòd existimabat eos posse conatum efficere, nocte tota vltra ibat flumen Salsum in acie. Quod factum licèt nec opinantibus nostris esset gestum, tamen virtute freti, repulsos, multísque vulneribus affectos, oppido represserunt: prædaque & armis eorum sunt potiti, viuósque aliquos ceperunt, qui postero die sunt interfecti. Eodemque tempore transfuga nunciauit ex oppido, Iunium qui in cuniculo fuisset, iugulatione oppidanorum facta, clamâsse facinus se nefandum & scelus fecisse.

Iunius.

C Nam eos nihil meruisse quare tali pœna afficerentur, qui eos ad aras & focos suos recepissent, eósque hospitium scelere contaminâsse: multa prætereà dixisse: qua oratione deterritos ampliùs iugulationem non fecisse. Ita postero die Tullius legatus cum Catone Lusitano venit, & apud Cæsarem verba fecit: Vtinam quidem Dij immortales fecissent, vt tuus potiùs miles, quàm Cn. Pompeij factus essem, & hanc virtutis constantiam in tua victoria, non in illius calamitate præstarem: cuius funestæ laudes, quippe ad hanc fortunam reciderunt, vt ciues Romani indigentes præsidij, & propter patriæ luctuosam perniciem dedamur hostium numero, qui neque in illius prospera acie primam fortunam, neq; in ad-

Tullius.

Catonis Lusitani oratio ad Cæsarem.

D uersa secundam obtinuimus victoriam: qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisq; operibus gladiorum ictus, telorumque missus expectantes, victi & deserti à Pompei, tua virrute superati, salutem à rua clementia deposcimus: petimusq;, vt qualem te alijs gentibus præstitisti, similem in ciuium deditione præstes. Remissis legatis, cùm ad portam venisset Tiberius Tullius, & eum introeuntem C. Antonius insecurus non esset, reuertit ad portam, & hominem apprehendit. Quod Tiberius cùm fieri animaduertit, simul & pugionem eduxit, & manũ eius incidit. ita refugerunt ad Cæsarem. Eodemq; tempore signifer de legione prima transfugit, & nunciauit, quo die equestre prælium factum esset, suo signo perisse homi-

Signifer Pompeianus ad Cæsare transfugit.

E nes trigintaquinq;, neq; licere in castris Cn. Pompeij nunciari neq; dici perisse quenquam. Seruus, cuius dominus in Cæsaris castris fuisset, vxoremq; & filium in oppido reliquerat, dominum iugulauit, & ita clàm à Cæsaris præsidijs in Pompeij castra discessit, & indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Cæsar, quæ in oppido ad defendendũ compararentur. Ita literis acceptis, cùm in oppidum reuertissent qui mittere glandem scriptam solebant, insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugæ nunciârunt quam Pompeius concionem habuisset: quoniam oppido subsidio non posset venire, noctu ex aduersariorum conspectu se deducerent ad mare versum. Vnum respondisse, vt potiùs ad dimicandum descen-

Seruus domini iugulans.

derent, quàm signum fugæ ostenderent. Tum, qui ita locutus esset, iugu- F
latum. Eodem tempore tabellarij eius deprehensi, qui ad oppidum venie-
bant, quorum literas Cæsar oppidanis obiecit: & qui vitam sibi peteret,
iussit turrem ligneam oppidanorum incendere: id si fecisset, ei se promi-
sit omnia concessurum. Quod difficile erat factu, vt eam turrem sine pe-
riculo quis incenderet: ita facturus de ligno, cùm propiùs accessisset, ab
oppidanis est occisus. Eadem nocte transfuga nunciauit, Pompeium &
Labienum de iugulatione oppidanorum indignatos esse. Vigilia secunda
propter multitudinem telorum turris lignea, quæ nostra fuisset, ab imo vi-
Vitium facere. tium fecit vsq; ad tabulatum secundum & tertium. Eodem tempore pro
muro pugnarum acerrimè, & turrim nostram, vt superiorem, incenderunt G
Materfam. de muro se deyciens. idcirco, quòd ventum oppidani secundum habuerunt. Insequenti luce
materfamiliàs de muro se deiecit, & ad nos transilijt, dixitq; se cum fami-
lia constitutum habuisse vt vnà transfugerent ad Cæsarem, illam oppres-
sam, & iugulatam. Hoc prætereà tempore tabellæ de muro sunt deiectæ, in
L. Minutius. quibus scriptum est inuentum: L. Minutius Cæsari. Si mihi vitam tribuis,
quoniam à Cn. Pompeio sum desertus, qualem me illi præstiti, tali virtute
& constantia futurum me in te esse præstabo. Eodem tempore oppidano-
rum legati, qui anteà exierant, Cæsarem adierunt, si sibi vitam concede-
ret, sese insequenti die oppidum esse dedituros. Quibus respondit, se Cæ-
3 sarem esse, fidemq; præstaturum. † Ita ante diem XI. Calendarum Martij H
Cæsarem se esse respondet Cæsar. Ategua capta. oppido potitus, imperator est appellatus. Et Pompeius ex perfugis cùm de-
ditionem oppidi factam esse scisset, castra mouit Vcubim versus: sed cir-
cum ea loca castella disposuit, & munitionibus se continere cœpit. Cæsar
mouit, & propius castra castris contulit. Eodem tempore manè loricatus
vnus ex legione vernacula ad nos transfugit, & nunciauit Pompeium op-
pidanos Vcubenses conuocasse, eisq; ita imperauisse, vt diligentia adhibi-
ta perquirerent qui essent suarum partium, itemque aduersariorum victo-
riæ fautores. Hoc præterito tempore, in oppido quod fuit captum, seruus
est deprehensus in cuniculo, quem suprà demonstrauimus dominum iu-
gulâsse. is viuus est combustus. Eodemq; tempore Centuriones loricati I
octo ad Cæsarem transfugerunt ex legione vernacula, & equites nostri
cum aduersariorum equitibus congressi sunt, & saucij aliquot occiderunt
ex leui armatura. Ea nocte speculatores prehensi serui tres, & vnus ex le-
gione vernacula. Serui sunt in crucem sublati, militi ceruices abscissæ. Po-
stero die equites cum leui armatura ex aduersariorum castris ad nos trans-
fugerunt. Et eo tempore circiter vndecim equites ad aquatores nostros
excurrerunt, nonnullos interfecerunt, item alios viuos abduxerunt. Ex
Fautores Cæsaris 74. à Pompeio securi percussi. equitibus capti sunt equites octo. Insequenti die Pompeius securi per-
cussit homines septuaginta quatuor, qui dicebantur esse fautores Cæsaris
victoriæ: reliquos in oppidum iussit deduci: ex quibus effugerunt centum K
viginti, & ad Cæsarem venerunt. Hoc præterito tempore, qui in oppido
Ategua Bursauolenses capti sunt, legati profecti sunt cum nostris, vti rem
gestam Bursauolensibus referrent, quid sperarent de Cn. Pompeio, cùm
viderent hospites iugulari? Prætereà multa scelera ab ijs fieri, qui præsi-
dij causa ab his reciperentur: qui cùm ad oppidum venissent, nostri, qui
fuissent equites Romani, & Senatores, non sunt ausi introire in oppi-
dum, præterquàm qui eius ciuitatis fuissent. Quorum responsis vl-
tro citroque acceptis & redditis, cùm ad nostros se reciperent, qui ex-
tra oppidum fuissent: illi de præsidio insecuti, ex auersione legatos iugu-
lârunt.

A larunt. Duo reliqui, qui ex eis fugerunt, Cæsari rem gestam detulerunt, & speculatores ad oppidum Ateguam miserunt. Qui cùm certum compertissent legatorum responsa ita esse gesta quemadmodum illi retulissent, ab oppidanis concursu facto, eum qui legatos iugulâsset, lapidare, & ei manus intentare cœperunt: illius opera se periisse. Ita vix periculo liberatus, petijt ab oppidanis vt ei liceret legatum ad Cæsarem proficisci, illi se satis facturum. Potestate data, cùm inde esset profectus, præsidio comparato cùm bene magnam manum fecisset, & nocturno tempore per falaciam in oppidum esset receptus, iugulationem magnam facit. principibus qui sibi contrarij fuissent, interfectis, oppidum in suam potestatem

B recipit. Hoc præterito tempore, serui transfugæ nunciauerunt oppidanorum bona vendere, ne cui extra vallum liceret exire, nisi discinctum: idcircoque ex quo die oppidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in Bæturiam, neque sibi vllam spem victoriæ propositam habere, & si qui ex nostris transfugerent, in leuem armaturam conijci, eosq; non ampliùs sexdecim accipere. Insequenti tempore Cæsar castra castris contulit, & brachium ad flumen Salsum ducere cœpit. Hic dum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco aduersariorum decurrerunt: nec desinentibus nostris, multis telis iniectis complures vulneribus affecere. Hic tamen, vt ait Ennius, nostri cessêre paEnnius.

C rumper. Itaque præter consuetudinem cùm à nostris animaduersum esset cedere Centuriones, ex legione quinta flumen transgressi duo restituerunt aciem, acriterque eximia virtute plures cùm agerent, ex superiore loco multitudine telorum alter eorum cóncidit. Ita cùm is compar prælium facere cœpisset, & cùm vndique se circumueniri animaduertisset, parumper ingressus, pedem offendit. Huius concidentis viri casu passim audito, cùm complures aduersariorum concursum facerent, equites nostri transgressi ex interiore loco aduersarios ad vallum agere cœperunt. Ita, dum cupidiùs intra præsidia illorum student cædem facere, à turmis & leui armatura sunt interclusi: quorum nisi summa virtus fuisset, viui ca-

D pti essent. Nam & munitione præsidij ita coangustabantur, vt equites spacio intercluso vix se defendere possent. Ex vtroque genere pugnæ complures sunt vulneribus affecti, in queis etiam Clodius Arquitius. Inter *Clodius Arquitius.* quos ita comminùs est pugnatum, vt ex nostris præter duos Centuriones sit nemo desideratus, gloria se efferentes. Postero die ab Soricaria *Soricaria oppidum.* vtræque conuenêre copiæ. Nostri brachia ducere cœperunt. Pompeius cùm animaduerteret castello se excludi Aspauia, quod ab Vcubi millia *Aspauia castellum.* passuum quinque distat, huc res necessariò vocabat, vt ad dimicandum descenderet: neque tamen æquo loco sui potestatem faciebat, sed ex Grumo excelsum tumulum capiebat, vsque eò, vt necessariò cogeretur ini-

E quum locum subire. Quo facto, cum vtrorunq; copiæ tumulum excellentem petissent, prohibiti à nostris sunt, deiectique planicie. Quæ res secundum nostris efficiebat prælium. Vndique autem cedentibus aduersarijs, nostri magna in cæde versabantur: quibus mons, non virtus saluti fuit: qui subitò tunc, nisi aduesperâsset, à paucioribus nostris omni auxilio priuati essent. Nam ceciderunt ex leui armatura trecenti vigintiquatuor, ex legionarijs centum triginta octo, præterquàm quorum arma & spolia sunt ablata. Ita pridie duorum Centurionum internecio, hac aduersariorum pœna est litata. Insequenti die pari consuetudine cùm ad eundem locum eius præsidium venisset, pristino illo suo vtebantur instituto.

 Nam

Nam præter equites nullo æquo loco se committere audebant. Cùm nostri in opere essent, equitum copiæ concursus facere cœperunt. Simulque vociferantibus legionarijs, cùm locum efflagitarent, vt consueti insequi, existimare possent paratissimos se esse ad dimicandū, nostri ex humili conualle bene longè sunt egressi, & in planicie in æquo loco constiterunt. Illi tamen procul dubio ad congrediendum in æquum locum non sunt ausi descendere, præter vnum Antistium Turpionem, qui fidens viribus, ex aduersarijs sibi parem esse neminem cogitare cœpit. hic (vt fertur) Achillis Memnonisq; congressus fuit. Q. Pompeius Niger eques Romanus Italicensis ex acie nostra ad congrediendum progressus est. quoniam ferocitas Antistij omnium mentes conuerterat ab opere ad spectandum, acies sunt dispositæ. Nam inter bellatores principesque dubia erat posita victoria, vt propè videretur finem bellandi duorum dirimere pugna. Ita auidi cupidiq; suarum quisque partium, expertorum virorum fautorumq; voluntas habebatur. Quorum virtute alacri cùm ad dimicandum in planiciem se contulissent, scutorumq; laudis insignis præfulgens opus cælatum opponerent: (quorum pugna esset propè profectò dirempta, nisi propter equitum confessum, vt suprà demonstrauimus, leuem armaturam præsidij causa non longè ab opere castrorum constituissent) vt nostros equites in receptu, dum ad castra redeunt, aduersarij cupidiùs insecuti, vniuersi clamore facto impetum dederunt: ita metu perterriti cùm in fuga essent, multis amissis in castra se recipiunt. Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ donauit millia XIII. & præfecto torques aureos duos, & leui armaturæ millia X. Hoc die A. Bebius, & C. Flauius, & A. Trebellius equites Romani Astenses argento propè tecti ad Cæsarem transfugerunt, qui nunciauerunt equites Romanos coniurâsse omnes qui in castris Pompeij essent, vt transitionem facerent: serui indicio omnes in custodiam esse coniectos, è quibus occasione capta se transfugisse. Item hoc die literæ sunt deprehensæ, quas mittebat. Saonem Cn. Pompeius, S. V. G. E. V. Etsi, prout nostra felicitas, ex sententia aduersarios adhuc propulsos habemus, tamen si æquo loco sui potestatem facerent, celeriùs quàm vestra opinio est, bellum confecissem. Sed exercitum tyronum non audent in campum deducere, nostrisque adhuc freti præsidijs bellum ducunt. Nam singulas ciuitates circunsident, inde sibi commeatus capiunt. Quare & ciuitates nostrarum partium conseruabo, & bellum primo quoque tempore conficiam. Cohortes in animo habeo ad vos mittere. Profectò nostro commeatu priuati necessariò ad dimicandum descendent. Insequenti tempore cùm nostri temerè in opere distenti essent, equites in oliueto dum lignantur, interfecti sunt. aliquot serui transfugerunt, qui nunciauerunt ad tert. Nonas Martias prælium affore ad Soritiam: quo factum est ex eo tempore metum esse magnum, & Actium Varum circum castella præesse. † Eo die Pompeius castra mouit, & circa Hispalim in oliueto constitit. Cæsar priùs quàm eòdem est profectus, luna hora circiter sexta visa est. Ita castris motis, Vcubim præsidium quod Pompeius reliquit, iussit vt incenderent; & deusto oppido in castra maiora se reciperent. Insequenti tempore Ventisponte oppidum cùm oppugnare cœpisset, deditione facta, iter fecit in Carrucam, contraque Pompeium castra posuit. Pompeius oppidum, quod contra sua præsidia portas clausisset, incendit: milites que qui fratrem suum in castris iugulâsset, interceptus est à nostris, & fuste percussus. Hinc itinere facto, in campum Mun-

Margin notes: *Antistij Turpionis & Q. Pompeij congressus.* (at "si descendere") — *A. Bebius. C. Flauius. A. Trebellius.* (at "millia X. Hoc die") — *Sao.* (at "deprehensæ") — *Actius Varus. Hispalis.* (at "lim in oliueto") — *Ventisponte opp. Carruca oppidum.* (at "ra se reciperent")

Marginal section letters: F (at "Cùm nostri"), G (at "ad spectandum"), H (at "in fuga essent"), I (at "quàm vestra"), K (at "Actium Varum cir-"); margin number 4 (at "cum castella præesse").

A Mundensem cùm esset ventum, castra contra Pompeium constituit. Se-
Mundensis campus.
quenti die cùm iter facere Cæsar cum copijs vellet, renunciatum est à speculatoribus Pompeium de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuncio allato, vexillum proposuit. Idcircò enim copias eduxerat, quòd Versao-
Versaonenses.
nensium ciuitati fuissent fautores. Fausto anteà literas miserat, Cæsarem nolle in conuallem descendere, quòd maiorem partem exercitus tyronum haberet. Hæ literæ vehementer confirmabant mentes oppidanorum. Ita hac opinione fretus, totum se facere posse existimabat. Etenim & natura loci defendebatur, & ipsius oppidi munitione, vbi castra habuit constituta. Nanque (vt superiùs demonstrauimus) loca ex-
B cellentia tumulus continet, interuallum prouinciam diuidit. Sed ratione nulla placuit tacere id quod eo incidit tempore. Planicies inter vtraque castra intercedebat circitèr millia passuum quinque, vt auxilia Pompeij duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi, & loci natura: hinc dirigens proxima planicies æquabatur, cuius decursum antecedebat riuus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem. Nam palustri & voraginoso solo currebat ad dextram partem: & Cæsar cùm aciem directam vidisset, non habuit dubium quin media planicie in æquum ad dimicandum aduersarij procederet. hoc erat in omnium conspectu. huc accedebat, vt locus ea planicie equitatum ornaret, & diei
C Solisque serenitas: vt mirificum & optandum tempus propè à dijs immortalibus illud attributum esset ad prælium committendum. Nostri lætari, nonnulli etiam timere, quòd in eum locum res fortunæque omnium deducerentur, vt quicquid post horam castris fieret, in dubio poneretur. Itaque nostri ad dimicandum procedunt, id quod aduersarios existimabamus esse facturos. Qui tamen à munitione oppidi mille passibus longiùs non audebant procedere; in quo sibi prope murum aduersarij constituebant. Itaque nostri procedunt. Interdum æquitas loci aduersarios efflagitabat vt tali conditione contenderent ad victoriam: neque tamen illi à sua consuetudine discedebant, vt aut ab excelso loco, aut
D ab oppido discederent. Nostri pede presso propius riuum cùm appropinquassent, aduersarij patrocinari loco iniquo non desinunt. Erat acies XIII. aquilis constituta, quæ à lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus sex. Præterea auxiliares accedebant prope *alterum
**totidem.*
tantum. Nostra præsidia LXXX. cohortes, & octo millia equitum. Ita cùm in extrema planicie iniquum in locum nostri appropinquassent, paratus hostis erat superior: vt transeundi superius iter vehementer esset periculosum. Quod cùm à Cæsare esset animaduersum, ne quid temere culpa sua secus admitteretur, eum locum definire cœpit. Quod cùm hominum auribus esset obiectum, molestè & acerbè accipiebant se impediri quò minùs
E prælium conficere possent. Hæc mora aduersarios alacriores efficiebat, Cæsaris copias timore impediri ad committendum prælium. Ita se efferentes, iniquo loco sui potestatem faciebant, vt magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hic decumani suum locum cornu dextrum tenebant,
Prælium inter Cæsarem & Cn. Pompeium.
sinistrum tertia & quinta legio, itemq; cætera auxilia, & equitatus. Prælium clamore facto committitur. Hic etsi virtute nostri antecedebant, aduersarij loco superiore defendebant acerrimè, & vehemens fiebat ab vtrisque clamor, telorumque missu concursus, sic vt propè nostri diffiderent victoriæ. Congressus enim, & clamor, quibus rebus maximè hostes
Congressu & clamore hostes maximè terrentur.
conterrentur, in collatu pari erant conditione. Itaque ex vtroq; genere pu-

gnæ cùm parem virtutem ad bellandum contulissent, pilorum missu fixa F cumulatur & côncidit aduersariorum multitudo. Dextrum demonstrauimus decumanos cornu tenuisse, qui etsi erant pauci, tamen propter virtutem magno aduersarios timore eorum opera afficiebant, quòd à suo loco hostes vehementer premere cœperunt, vt ad subsidium, ne ab latere nostri occuparentur, legio aduersariorum traduci cœpta sit ad dextrum: quæ simul est mota, equitatus Cæsaris sinistrum cornu premere cœpit. at ij eximia virtute prælium facere incipiunt, vt locus in acie ad subsidium veniendi non daretur. Ita cùm clamori esset intermixtus gemitus, gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timor præpediebat. Hic, vt ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma. aduer- G sariosque vehementissimè pugnantes nostri agere cœperunt: quibus oppidum fuit subsidio. ita ipsi fusi fugatique non superfuissent, nisi in eum locum confugissent, ex quo erant egressi. In quo prælio ceciderunt millia hominum circiter triginta, & si quid amplius, præterea Labienus & Actius Varus: quibus occisis, vtrisque funus est factum. Itemque equites Romani partim ex vrbe, partim ex prouincia ad millia tria. Nostri desiderati ad hominum mille, partim peditum, partim equitum: saucij ad quingentos. Aduersariorum aquilæ sunt ablatæ XIII. & signa, & fasces. Præterea duces belli XVII. capti sunt. Hos habuit res exitus. Ex fuga hac cùm oppidum Mundam sibi constituissent præsidium, nostri cogebantur ne- H cessariò eos circunuallare ex hostium armis. Pro cespite cadauera collocabantur, scuta & pila pro vallo insuper occisis, & gladij & mucrones & capita hominum ordinata ad oppidum hostium conuersa vniuersa, vt timorem, virtutisque insignia proposita viderent, & vallo circuncluderentur aduersarij. Ita Galli tragulis iaculisque oppidum ex hostium cadaueribus complexi, oppugnare cœperunt. Ex hoc prælio Valerius adolescens Cordubam cum paucis equitibus fugiens, Sexto Pompeio, qui Cordubæ fuisset, rem gestam refert. Cognito hoc negotio, quos equites, quod pecuniæ secum habuit, eis distribuit, & oppidanis dixit se de pace ad Cæsarem proficisci: & secunda vigilia ab oppido discessit. Cn. Pompeius au- I tem cum equitibus paucis, nonnullisque peditibus ad naualem præsidium parte altera Carteiam contendit, quod oppidum abest à Corduba millia passuum CLXX. Quò cùm ad octauum milliarium venisset, P. Caluitius, qui castris anteà Pompeij præpositus esset, eius verbis nuncium mittit, cùm minùs bellè haberet, vt mitteret lecticam, qua in oppidum deferri posset. Literis missis Pompeius Carteiam defertur. Qui illarum partium fautores essent, conueniunt in domum quò erat delatus, qui arbitrati sunt clanculum venisse, vt ab eo, quæ vellent, de bello requirerent. cùm frequentia conuenisset, de lectica Pompeius in eorum fidem confugit. Cæsar ex prælio munitione circundata Cordubam venit. Qui ex cæde eò K refugerant, pontem occupauerunt. cùm eò ventum esset, conuitiari cœperunt, nos ex prælio paucos superesse, quò confugeremus? ita pugnare cœperunt de ponte. Cæsar flumen traiecit, & castra posuit. Scapula totius seditionis familiæ & libertinorum caput, ex prælio Cordubam cùm venisset, familiam & libertos cœnam afferri quàm optimam imperauit. item optimis superadditis vestimentis, pecuniam & argentum in præsentia familiæ donauit. Ipse de tempore cœnauit: vinum & nardū identidem sibi infudit. ita nouissimo tempore seruum iussit, & libertum qui fuisset eius concubinus, alterum citò se iugu-

Ennius.

Pompeianorum clades.

Labieni & Actij Vari mors.

Munda opp.

Carteia.

P. Caluitius.

Scapula rogo extructo sibi exitum parat.

A iugulare, alterum pyram incendere. Oppidani autem simul ac Cæsar castra contra id oppidum posuit, discordare cœperunt, vsque eò, vt clamor in castra nostra perueniret, quæ ferè inter Cæsarianos & Pompeianos erant. Hic legiones quæ ex perfugis conscriptæ, partim oppidanorum serui, qui erant à Sex. Pompeio manumissi, tunc in Cæsaris aduentum descendere cœperunt. Legio XIII. oppidum defendere cœpit. nam cùm iam repugnârunt, turres ex parte & murum occupârunt. Denuò legatos ad Cæsarem mittunt, vt sibi legiones subsidio intromitteret. Hoc cùm animaduerterent homines fugitiui, oppidum incendere cœperunt: qui superati à nostris sunt, & interfecti, hominum millia XXII. præterquam qui ex-

B tra murum perierunt. Ita Cæsar oppido potitus, dum hic distinetur ex prælio, quos circummunitos superiùs demonstrauimus, eruptionem fecerunt, & benè multis interfectis, in oppidum sunt redacti. Cæsar Hispalim cùm contendisset, legati deprecatum venerunt. Ita cùm oppidum sese tueri dixisset, Caninium legatum cum præsidio intromittit. Ipse castra ad oppidum ponit. Erat benè magnum intus Pompeianarum partium præsidium, quòd Cæsaris præsidium receptum indignabatur, clàm quidem Philo ille qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus. Is tota Lusitania notissimus erat. Hic clam præsidio Lusitaniam proficiscitur, & Cæcilium Nigrum nomine Barbarum ad Lenium conuenit, qui benè ma- *Caninius.* *Philo.* *Cæcilius Niger.* *Lenium.*

C gnam manum Lusitanorum haberet. Reuersus in Hispalim oppidum denuò noctu per murum recipitur. præsidium vigilesque iugulant, portas præcludunt, de integro pugnare cœperunt. Dum hæc geruntur, legati Carteienses renunciârunt, quòd Pompeium in potestate haberent, quòd antè Cæsari portas præclusissent. illo beneficio suum maleficium existimabant se lucrifacere. Lusitani Hispalim oppugnare nullo tempore desistebant. Quod Cæsar cùm animaduerteret, si oppidum capere contenderet, vt homines perditi incenderent, & mœnia delerent: ita consilio habito, noctu patitur Lusitanos eruptionem facere, id quod consultò non existimabant fieri. Ita erumpendo naues quæ ad Bætim flumen *Bætis flu.*

D fuissent, incendunt. Nostri dum incendio distinentur, illi profugiunt, & ab equitibus conciduntur. Quo facto oppido recuperato Astam iter facere cœpit, ex qua ciuitate legati ad deditionem venerunt. Mundensesque qui ex prælio in oppidum confugerant, cùm diutiùs circunsiderentur, benè multi deditionem faciunt: & cùm essent in legionem distributi, coniurant inter sese, vt noctu signo dato, qui in oppido fuissent, eruptionem facerent, illi cædem in castris administrarent. Hac re cognita, insequenti nocte vigilia tertia, tessera data, omnes extra vallum sunt concisi Mundenses duces. Cæsar in itinere reliqua oppida oppugnat, quæ propter Pompeium dissentire cœperant: pars erat quæ legatos ad Cæsarem mise- *Asta opp.*

E rat: pars quæ Pompeianarum partium fautores essent. seditione concitata portas occupant, cædes fit magna, saucius Pompeius naues XXX. occupat longas, & profugit. Didius, qui Gadis classi præfuisset, ad quem simul nuncius allatus est, confestim sequi cœpit, partim peditibus, & partim equitibus ad persequendum celeriter iter faciens. Item quarto die nauigatione confecta, insequuti qui imparati à Carteia profecti sine aqua fuissent, ad terram applicant. Dùm aquantur, Didius classe occurrit, naues incendit, nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit: & locum quendam munitum natura occupat. Equites & cohortes quæ ad persequendum missæ essent, speculatoribus antè missis certiores fiunt, & diem *Didius.*

& no-

& noctem iter faciunt. Pompeius humero & sinistro crure vehementer e- F
rat saucius. huc accedebat, vt etiam talum intorsisset, quæ res maximè
impediebat. Ita lectica ad turrem, qua esset allatus, in ea ferebatur. Lusi-
tanus more militari cùm à Cæsaris præsidio fuisset conspectus, celeriter
equitatu cohortibusque circuncluditur. Erat accessus loci difficultas. Nam
idcircò quòd propter suos à nostro præsidio fuisset cōspectus, celeriter mu-
nitum locum natura ceperat sibi Pompeius, quem vix magna multitudi-
ne deducti homines ex superiore loco defendere possent. subeunt in ad-
uentu nostri, depelluntur telis. Quibus cedentibus, cupidiùs insseque-
bantur aduersarij, & confestim tardabant ab accessu. Hoc sæpiùs facto
animaduertebatur nostro magno id fieri periculo. Opere circummuni- G
re instituit. Pari autem & celeri festinatione circum munitiones in iu-
go dirigunt, vt æquo pede cum aduersarijs congredi possent. A quibus
cùm animaduersum esset, fuga sibi præsidium capiunt. Pompeius, vt
suprà demonstrauimus, saucio & intorto talo, idcirco tardabatur ad fu-
giendum. Itemque propter loci difficultatem, neque equo neque vehi-
5 culo saluti suæ præsidium parare poterat. † Cædes à nostris vndique ad-
ministrabatur, exclusa munitione, amissisque auxilijs. Ad conuallem
autem, atque exesum locum in spelunca Pompeius se occultare cœpit, vt
Cn. Pompeij cades. à nostris non facilè inueniretur, nisi captiuorum indicio. Ita ibi interfi-
citur. Cùm Cæsar gradiebatur Hispalim, pridie Idus Aprilis caput alla- H
tum, & populo datum est in conspectum. Interfecto Cn. Pompeio adole-
scente, Didius, quem suprà demonstrauimus, illa affectus lætitia, proxi-
mo se recepit castello, nonnullasque naues ad reficiendum subduxit. Lu-
sitani qui ex pugna superfuerunt, ad signum se receperunt, & benè ma-
gna manu comparata, ad Didium se reportant. Huic etsi non aberat di-
ligentia ad naues tuendas, tamen nonnunquam ex castello propter eo-
rum crebras excursiones eijciebatur. & sic propè quotidianis pugnis in-
sidias ponunt, & tripartitò signa distribuunt. Erant parati qui naues in-
cenderent, incensisque qui subsidium repeterent. Ij sic dispositi erant, vt
à nullo conspectu omnium ad pugnam contenderent. Ita cùm ex castel- I
lo Didius ad propellendum processisset cum copijs, signum à Lusitanis
tollitur, naues incenduntur, simulque qui è castello ad pugnam proces-
serant, eodem signo fugientes latrones dum persequuntur, à tergo insi-
Didij mors. diæ clamore sublato circunueniunt. Didius magna cum virtute cum com-
pluribus interficitur. nonnulli ea pugna scaphas, quæ ad littus fuerant,
occupant. Idem cōplures nando ad naues quæ in salo fuerunt, se recipiunt:
anchorisque sublatis, pelagus remis petere cœperunt: quæ res eorum vi-
Fabius Maximus. tæ subsidio fuit. Lusitani præda potiuntur. Cæsar à Gadibus rursus ad His-
palim recurrit. Fabius Maximus, quem ipse ad præsidium oppugnandum
reliquerat operib. assiduis, hostesq; circum se interclusi, inter se decernere. K
facta cæde benè magna eruptionē faciūt. Nostri ad oppidū recuperandum
occasionem non prætermittunt, & reliquos viuos capiunt, XIIII. millia:
Vrsao opp. ac deinde Vrsaonem proficiscuntur, quod oppidū magna munitione con-
tinebatur, sic vt ipse locus non solùm opere, sed etiam natura editus, ad op-
pugnandum hostem appeteret. Huc accedebat, quòd aqua præterquam in
ipso oppido, non erat: nam circumcirca riuus nusquam reperiebatur pro-
pius millia passuum octo. Quæ res magno erat adiumēto oppidanis. Tum
præterea accedebat, vt agger, materiesque vnde solitæ sunt turres agi,
propius millia passuum sex non reperiebantur: ac Pompeius, vt oppidi
oppu-

A oppugnationem tutiorem efficeret, omnem materiem circum oppidum succisam intrò congessit. Ita necessariò diducebantur nostri, vt à Munda quam proximè ceperant, materiem illò deportarent. Dùm hæc ad Mundam geruntur & Vrsaonem, Cæsar cùm à Gadibus ad Hispalim se recepisset, insequenti die concione aduocata, commemorat initio quæsturæ suæ eam prouinciam ex omnibus prouincijs peculiarem sibi constituisse, & quæ potuisset eo tempore beneficia largitum esse. Insequenti prætura ampliato honore, vectigalia quæ Metellus imposuisset, à Senatu petisse, & eis pecunijs prouinciam se liberâsse. Simulque patrocinio suscepto, multis legationibus ab se in Senatum inductis, simul publicis priuatisque causis B multorum inimicitijs susceptis defendisse. Suo item in consulatu absentem quæ potuisset commoda prouinciæ tribuisse. Eorum omnium commodorum esse immemores & ingratos eos in se & in populum Romanum hoc bello & præterito tempore cognouisse. Vos iure gentium, ciuiumque Romanorum institutis cognitis, more barbarorum, populi Romani magistratui sacrosancto manus semel & sæpiùs attulistis, & luce clara captum in medio foro nefariè interficere voluistis. Vos ita pacem semper odistis, vt nullo tempore legiones desint populi Romani in hac prouincia haberi. Apud vos beneficia pro maleficijs, maleficia pro beneficijs habentur. Ita neque in ocio concordiam, neque in bello virtutem vllo tempore retinere C potuistis. Priuatus ex fuga Cn. Pompeius adolescens à vobis receptus, fasces imperiumque sibi arripuit. Multis interfectis ciuibus, auxilia contra populum Romanum comparauit, agros prouinciamque vestro impulsu depopulatus. In quo vos victores existimabatis? An me deleto non animaduertebatis decem habere lectas quidem legiones populum Romanum, quæ non solùm vobis obsistere, sed etiam cœlum diruere possent? Quarum laudibus & virtute.

Oratio Cæsaris ad Hispalenses exposita Latoria.

Cætera desiderantur.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD GEORGIVM CORVINVM, IMPENSIS IAC. STRADAE MANTVANI, S. C. M. ANTIQVARII, CIVIS ROMANI.



M. D. LXXV.

RERVM ET VERBORVM
MAXIME MEMORABILIVM,
DIGNISSIMORVMQVE NOTATV INDEX LOCVPLETISSIMVS.

ABIES in Britannia non prouenit 54.f
absentia vehementius hominum mentes perturbat 106.k
absentis etiam perinde ac præsentis Ariouisti crudelitas timetur Sequanis. 12.f
Arcanania Cæsari subdita 181.d
Acco Senonum princeps. 68.f. eius supplicium 78.i
in Achaia & Dyrrhachio à Cæsare gesta 81.e
Achillas præfectus Regis Ptolemæi ad occidendum Pompeium missus. 177.e idem exercitus Alexandrini dux aduersus Cæsarẽ. 198.k. eius crudelitas. 199.b. copiæ. 199.c. interitus 200.f
Achillis & Memnonis congressus 260.f
Acilla ciuitas liberã se Cæs. dedit. 234.b.i
Actius Pelignus Pompeianus captus à Cæsare incolumis dimittitur 130.k
Actius Rufus L. Afranium proditionis postulat 191.b
Actij Vari Pompeiani delectus. 129.d. fuga ibid.
Actius Varus Tuberonẽ appulsu Aphricæ prohibet. 135.e. eius copiæ. 158. g. eiusdem castra 158. k
Actij Vari cũ Curione pugna. 161. c. periculũ, clades, astutiaq́. 161. e. 162. g. h
Actius Varus castellorũ præfectus. 260. k. eius mors 262.g
actuariæ naues 50.i
actuarijs nauibus rostra imposita 215. d
ad exercitum manere 65.b
Adbucillus Gallus Allobrox 182.i
aduatucũ siue Aduatucõrum rebellio ac mox deditio 37.d
adiutor valetudinario datus 183.d
adolescentes facile traducuntur 91.c
Adrumetum op. 158. h. à Cæsa. obsidetur & capitur. 226. g. h. & 250, b
Adrumetanorũ mulcta à Cæsare 152.g
Aduatici, eorumq́ res. 25. b. 29. a. b. c. d. & dein. 61. b. 66. f. 67. e
aduersarũ victori Cæsari non fuisse, non magnum esse officium 222.k
aduesperascere 259.e
ædes templorum 198.g
Ægus Gallus Allobrox apud Cæsarem accusatus. 182. i. ad Pompeium transfugit 183.a
Ægri militis ingens animus aduersus hostes 77.b
Ægypti munimenta 210.f
Ægypto & Alexandria Cæsar potitus 212.f
Ægyptia classis Pompeiana præfectus Pompeius filius 167.b
Ægyptij milites Cæsa. insidiantur. 198.i
Ænobarbus. Vide Domitius.
æquinoctialis nauigatio periculosa. 49.b 56.i
ærariæ secturæ in Aquitania 37.c
ærarium sanctius 129.e
ærei nummi, & annuli ferrei pro nummo apud Britannos 54.f
æs apud Britannos non nascitur. ibid.
æstimatio rerum & solutio arbitraria ex decreto Cæsaris æquissima 171.c
æstimationes rerum & possessionum in angustia fidei 166.f
æstus maris bis incitatus xij. horarũ spacio 34.i
æstus marini vis 52.k
æstus maritimos maiores concitat plena luna 47.e
æstum vt vicens Galli 74.k
ætas & forma in discrimẽ adducũt. 214.i
Ætolia à Cæsarianis ducib. recepta. 175.c
Afranij & Petreij res. 138.k. 139. a. b. c. 143. c. 145. c. e. 146. b. 147. a. d. 148. b. k. 149. b. d. 150. f
Afranij mors 251.e
Afraniana legio. 155. a. Vide Petreius.
Afri, insidiosa natio 228.f
Africa calamitas 232.b. 238.g
Africanæ Cæsaris copiæ 246.k
Afrorum mos in frumentis suis in speculus subterraneis condendis 243.b
Agar oppidum 244.f. 247.c
Agendicum op. 78.k. 82.b. 96.i
agger ex lateritijs muris confectus. 155.d
agger Romanorũ ad Auaricum op. 87.b
agricultura cur non studeant Germani 72.k
agri priuati olim Sueuis nulli 40.i
agros à finibus suis latissimè vacare, pulchrum ducunt Sueui 41.a
alacritas animi, pugnæ studio incenditur 144.g
Alba oppidum 130.b
albens cælum 145.b
Albici contra Cæsarem à Massiliensibus acciti 136.i. 142. b. 152.f
Albicorum feritas. 142. i. virtus. 153.a
Alces feræ 74.f
Alduasdalis fl. 13.d
Alexandriam vsq; Pompeiũ Cæsar persequitur 198.b
Alexandria receptus fugitiuorum Romanorum 199.c
Alexandriam Achillas occupat 199.a
Alexandria incendio tuta 202.k
Alexandria descriptio 203.e. 206.b
Alexandrina licentia 199.c
Alexandrini belli initia 201. e. & dein.
Alexandrinorum diligentia, solertia & industria 203. a. b. versutia 209.a
Alexandrini Romanorum potentiã suspectam habent 203.c
Alexandrinorum techna aduersus Romanos 203.e
Alexandrinorum diuisio 204.g
Alexandrinorum animi fracti 205.e
Alexandrinorum classis aduersus Cæsarem, & contra. 206. f. g. 207. e. 208.f
Alexandrinorum fuga & cædes 251.a
Alexandrini Cæsari deduntur 212.f
alexandrinum Cæsaris periculum. 216.k
Alexia Mandubiorum opp. 102.f
ad Alexiam opera Cæsaris 103.a
Alexiẽsiũ obsessorũ perplexitas. 104. g. h
Alexiæ cladis memoria 119.e
Alexiæ obsidio Cæsarian. difficilis. 180.f
alga tumentis in pastum data 231.e
Allienus Siciliæ prætor (sic enim magis placet scribi quàm Alienus) 226.f
allienus proconsul Cæsari commeatum in Africam mittit 234.k
allobrogum animus erga Romanos 3.e
Allobroges ad Cæsarem confugiunt 5.b frumentum Heluetijs dare iubentur. 10.b. solicitantur. 99.b
allobroges duo fratres viri nobiles à Cæsare ad Pompeium deficiunt. 182.i. & dein. 191.e
alpium transmittendarũ difficultas. 31.a
alteri & alteri 9.e. 254.b
amanus mons 174.b
ambacti equitum Gallorum 71.e
ambarrorum ad Cæsarem legati 5.a
ambianorum deditio. 25. a. eorum potestas. 21.e
ambiliates Galli 34.g
ambiorix & Catiuulcus Eburonũ principes 56.k. 57.b
ambiorix Cæsaris beneficiarius 57.d.e
ambiorigis fraus & perfidia aduersus Romanos. 57. d. & dein. 59. a. d. k. 61.b
ambiorigem vlcisci & debellare Cæsar statuit 38.h. 74. i. 117.d
ambiorigis mira fuga 75.a. 78.b
umbinariti 42.b
ambracia 175.e

ambruareti Heduorum clientes 103.e
amicitia pop. Romani fœderatis ornamento debet esse & præsidio, non detrimento 17.e
Amphilochi à Cæsare recepti 181.d
Ana opp. 137.c
Anartes pop. 73.e
Ancalites Britanniæ pop. 55.e
Ancona opp. 229.c
Andes opp. 30.g.33.c.80.i
Androsthenes Thessaliæ prætor 190.b
animaduersio non vbiq; exercēda 182.k
animarum immortalitas 71.d
Animus Cæsaris altus & erectus 228.g
animus indomabilis Cæsarianorum militum 84.i.
animi fortitudo, maximū hominis præsidium 137.c
animi magnitudo facilia ex difficillimis facit 28.k
animos ad audendum facientia 163.a
Annij Scapulæ mors 218.b
annonæ difficultas vt ingrauescat.142.d
annotinæ naues 53.a
annulus ferreus pro numismate 54.f
anserem Britanni non gustant ibidem
antecursores Cæsaris 130.f
antesignani equitibus immisti 189.a
Antiochi Comageni auxilia Pomp.167.a
Antisti Turpionis Q.q; Pompeij monomachia 260.f
Antonius Cæsarianus.124.f.166.k.172.b.i.173.e.177.a
Antuates Galli 31.a
Apollo 72.g
Apolloniam Cæsar recipit.169.a.b.172.k
Apollonia commoditas Cæsari 189.c
Aponiana insula 226.f
Apsus flu. 169.d.171.a
in Apuliam Cæsar proficiscitur 132.i
Apuliæ grauis autumnus 166.b
aqua dulcis ad littora marina 204.f
aquæ auertendæ labor 203.e
aquæ dulcis magna vis inuenta 204.k
aquæ & ignis interdictio 78.k
aquæ inopia Pompeiani laborāt.180.b.i
aquam vsq; ad caput subeunt Cæsariani, vt cum Britannis decertent 55.c
aquilaria locus in Africa 158.g
Aquiliferi Cæsariani moribundi fortis animus 184.& 185
aquiliferi decimæ legionis virtus.46.c.k
aquitania, tertia Galliæ pars 37.a
aquitaniæ limites 1.a.2.f
aquitaniæ pars maxima sese Crasso dedit 38.i
aquitaniam Cæsar ipse adit 122.i
aquitani in copijs Cæsaris .137.e
aquitanorum clades 38.i
aquitanorum rebellio aduersus Ro.37.e
Arar flumine 5.b
Aratores stipēdiarij, milites facti.230.k
arborum incidendarum astus in remouendis hostibus 25.d
arcana cōcilij iureiurando sanciūtur.11.a
ardor Rom. militum 85.d
arduenna sylua 41.c.74.i
arecomici Volcæ 81.c
Arelatenses naues Cæsaris 137.b
arguetius Cæsarianus 255.d
ariarates Ariobarzanis frater 222.f
ariminum op. 128.b
Ariobarzanes ccccc. equites Pompeio suppeditat 166.k
Ariouistus Germanorum rex. 11.d.e.12.a.b.c.d.& dein.14.i.k.16.k. & dein.19.a.b.e.58.b.65.a.70.b
armis cōcrepandi mos apud Gallos.86.b
armis despoliari timent Aduatici.29.d.e
armorum officina Alexādriæ instituta.203.a
armorum similitudo nonnūquam fraudulenta est 94.k
armatum concilium Gallorum 66.f
Armenia minor Deiotari regnum.212.b.222.f
armorica ciuitates 65.c.104.f.119.a
ars locorum angustijs impedita 206.k
Arsinoe Ptolemæi regis minor filia.203 c.d.212.g
Aruernorū & Heduorū factiones 11.b
Aruerni & Ruteni à Fabio max. superati 17.e
Aruernorum timor à Cæsare 81.a.d
arundinum radicibus pasti equi 182.b
in Asiam Cæsar proficiscitur 224.b
Asculum opp. à Cæsare recipitur 30.b
Ascurum opp. 231.c
Asparagum Dyrrhachinorum opp.74.g
Aspania castellum 161.d
Asprenas proconsul 147.d
Asta opp. Cæsari se dedit 163.d
Ategua op.154.i.capitur 158.b.k
Atrebates 21.e.25.b.27.c.104.g
Auaricū opp. Biturigum. 83.a.c.d.84.k 88.c.94.g.180.g
auaritia commenta 174.i
auaritia imperatorum malum 15.c
auctio bonorum Iubæ regis 252.g
audax facinus Fabij Peligni 126.f
Auienus trib. militū ignominiose à Cæsare mittitur 240.f
Aulerci Romanis dediti.30.g. rebellāt.36.f.103.e
A.Bebius eques 260.b
A.Clodius 193.e
A.Fonteij ignominiosa missio 240.b
A.Gabinius 167.a
A.Trebellius eques 160.b
A.Valgius 256.g
A.Varro Pompeianus 171.b
Aurigarum Britannorū in prælijs miræ dexteritas 48.k
aurium defectio in minoribus supplicijs 80.k
ausci Aquitan. Romanis dediti 38.i
ausecani ad Cæsarem transeunt 143.b
auspiciorū & religionū obseruans Pharnaces 123.d
autoritas victori adest 210.g
autoritas & timor Romani exercitus apud barbaros 44.g
autumnus grauis 226.f
auxiliaribus copijs Crassus non multum fidit 38.g
Auximum op. 129.d
Axona fl. 22.f.23.a

B.

BAbilius 155.e
Bacenis sylua 70.f
Bætis flu. 219.d.254.g
Baturia 259.b
Bagrada flu. 58.i
balcares insula 231.d
ballista turrem deijciens 256.b
barbarorū mos in castris fugiēdis. 120.b
Barbaros se vocant Morini 45.e
basilica 217.d
batauorum insula 42.b
belgæ 1.a.2.a.21.a.b
belgæ Gallorum fortissimi 21.c.125.b
belgarum in Romanos coniuratio. 20.k.22.i.24.f
belgarum fuga & cædes 24.g
belgarū in Britanniam cōmigratio. 53.e
belgium 56.k.57.b
bellandi cupidi Heluetij 2.g
bella paruis momentis magnos casus admittunt 130.e
belli communes casus 188.f
belli euentu milites præmia sui laboris expectant 161.b
belli exitus durissimi 83.c.d
belli ius 13.a
belli iure captos victor vitæ necisq; potestatem habet 237.d
belli de summa iudicium, ducis esse debere, non militum 1.d
belli ratio noua & inusitata. 179.e.180.i
bello ætate inutiles, Cimbrico bello apud Gallos comesti 115.a
bello inutiles eijciuntur 115.b
bellū sectantes ocij & prædæ gratia. 36.g
bellum confici nollet qui licentia peccandi gaudet 218.b
bellum sine magistratus & principū consensu geri non posse 116.k
Bellica porta Vticæ 158.k
bellica laude semper inclyti Galli. 65.d.80.f.104.f
Bellidenses Cæsari se dedunt 169.e
Bellocassi pop. 104.f
Bellonæ templum 221.e
Bellouaci, eorumq; res.21.d.24.k.97.a.b.104.f.110.k.111.a.b.113.d.114.i.k.115.a
beneficium maximum quod Romani exteris conferre possent 16.k
Berones Cassiani 217.e

Bessi

Boße in copijs Pompeij 167.a
Bibracte opp. Heduorum.8.e. incenditur .96.f
Bibrax Rhemiorum oppidum 22.g
bibracteuse Gallorum concilium 98.k
bibroci Britanniae pop. 55.e
Bibulus xxx. naues Caes. incendit.167.e. eiusdem odium in Caesarem ibi.170.g. crudelitas in Caesarianos.169.e.mort. 170.k. filij eius duo occisi 199.e
Bigerriones Romanis dedici 38.i
Bithyniae ac Ponti compositio Caesari difficilis 221.d
biturigum res 80.k.81.a.109.e.110.g
biuius Curius Caesarianus 132.k
Boduognatus Neruiorum dux 27.d
bogud Mauritaniae rex à Cassio in auxiliu vocatur. 219.e. aduersus Marcellu pugnat.220.f.g.h. à Pompeio filio infestatur 231.e
Bogud rex & P. Sitius Cirtam Iubae regis oppidum inuadunt 232.f
Bota opp. 83.b
Boij.3.a. Heluetiorum auxiliares.9.b. Heduis attributi 10.i
boiorum oppidum Gergobina 82.f
bona Iubae regis subhasta vendita 252.g
bos cerui figura 73.e
bosphori rex constituitur Mithridates Pergamenus 224.i
brachium ad flumen Salsum Pompeius facit 256.g
brannonij 103.e
brannouices ibidem.
bratuspantium Bellouacorum opp. 12.i
Britanniae descriptio, & Britannorum res.45.b.c.d.e.46.g.h.i.k.47.a.b.c. 48.f.49.b.c.d.e.52.k.53.b.c. 54.f.g. h.i.55.a.e.56.a.c
britanniam disciplinae ergô adibant Galli 71.c
brundusiũ op. circaq; res gestae.132.k.133. c.135.a.166.b.167.b.d.172.i.k
Brutus adolescens Caesarianus.81.e. eius classis aduersus Massilienses.152.b.i. 153.a.b.158.f
bullis & Amantia oppida 177.a
bursauolenses pop. 258.k
Buthrotum opp. 170.g

C.

Cabillonum & Matiscona 108.g
Caburus Allobrox 99.c
Cadauera hostium procespite 262.k
Cadetes pop. 104.f
Cadurci 103.e
Caecilius Niger Barbarus Pompeianus 263.b
Caelij praetoris iniquitas 171.e
Caelius de rep. remotus 171.e
Caelij molimina frustra cadunt 172.f
Calinus Vinitianus Caesarianus 224.b
Caeresi Germani 21.e
Caesar ad bellum à nobilibus hominibus afflictis excitatur 212.i.k
Caesar aduersariorum suorum miseretur. 227.e. eos mulctat 252.g.h
Caesar Antonio adest inauguratus petitione 124.f
Caesar cladis acceptae culpam à se remouet 188.g
Caesar condiciones dare, non accipere solitus 256.b
Caesar cum Afranio dimicat.138.k.139.a eũ ad deditionẽ cõpellere vult.148.i.k
Caesar cum paucis militibus suis aduersus ingentem multitudinem hostium pugnare non detrectat 64.g
Caesar cur è prouincia sit egressus.132.f.g
Caesar Deiotaro ignoscit 222.f
Caesar deprecans à suis militibus non exauditus 249.b
Caesar dictator à M. Lepido dictus.157.e. idẽ dictator quartò designatus. 253.b
Caesar diffidentibus suis accedentibus animum restituit.28.f. laborantibus subuenit 48.k
Caesar & Pompeius vicina castra ponunt 169.d.177.a.b.
Caesar ex loci natura consiliũ capit. 178.f
Caesar exercitũ dimittere iubetur. 126.b
Caesar fidem suam implorantibus, libenter adest 232.i.k
Caesar fortunae beneficio in victoria strenuè vtitur 195.b
Caes. in Galliam contendit. 3.e.4.k.70.b
Caesar Gallos consolatur.12.g. Gallorum equitatui non nimium fidit 37.d
Caesar hostes suos accusat, se purgat.136.f. 149.e
Caesar fugae consilio sublato, vincendum duntaxat esse persuadet 204.i
Caesar ipse corãm in praelio non adest, sed in praetorio sedens imperat quae videtur.233.d. in praelio se hostibus offert. 241.b
Caesar in mare se abijcit, & nando euadit. 208.d
Caes. legatos suos violatos vlciscitur.34.g
Caesar Marij affinis 234.g
Caesar milites suos vehementer incusat. 14.k.95.b
Caesar natura clemens, concursu militum in saeuitiam propellitur 121.a
Caesar nobilem hostem quàm ignobilem debellare mauit 209.b
Caesar non temerè milites suos hostibus obijciat 226.k.227.a
Caesar nouem annis ijsdem ferè militibus vsus 128.b
Caesar Pompeio conciliari vellet 132.k 168.b.170.k.171.a
Caesar Pompeium oppugnare semel deliberat 134.f
Caesar Pompeium ad pugnam elicere cupit 191.d.
Caesar Pompeium terris arcet, Pompeius Caesarem mari & portibus 169.d
Caesar quàm saepe & per quos pacem tentauerit 193.e
Caesar tardior factus 245.d
Caesar Rhenum traijcit 45.b
Caesar quosdam tribunos militum ignominia dimittit 240.g
Caesar quotannis in Italiam ibat 50.i
Caesar suis aduersos elephantos pugnandi rationem commonstrat 245.a
Caesar supplicibus libentissimè ignoscit. 222.b.k
Caesar vna aestate duo maxima bella conficit 20.g
Caesar vni militum scutum detrahit, & in primam aciem prouolat 28.g
timoris excusatio ac prætextus. 14.f.g. eius vanitas. 164.i. 7.e.78.f.162.f. eius simulandi astus.36.b.64.g.h.66.g.69.a
timorem à Germanis, militibus suis adimit Cæsar 14.i.k.15.a.b
Tisdra oppidum 235.c.249.d.251.d
Tisdritanorum mulcta à Cæsare 252.b

Titu-

Titurij Sabini trepidatio 58.g.h.i.& dein.59.a
Titi duo Hispani adolescentes Cæsariani ab inimicis intercepti 233.a.b
T.Allieni ignominiosa missio 240.b
T.Appij sacrilegium impeditur 198.f
T.Baluentij primipilaris mors 59.a
T.Cæcilij centurionis mors 140.b
T.Labienus Cæsaris legatus 4.k.28.b.34.b.56.k.75.c.vide Labienus.
T.Pulcio. 186.k
T.Pulsionis centurionis inimicitia cum L. Vareno, eiusdemq́ Pulsionis virtus 62.i
T.Rebillus proconsul 249.c
T.Salienus Centurio 233.a
T. Sextius 67.c.94.i.108.f
T.Silius 33.c
T.Terrasidius ibid.
T. Torius Italicensis dux à legionibus quibusdã eligitur in odiũ Cassij. 219.a
T.Vasius 217.e
Togata Gallia 117.c.124.b
tolerare equos & equitatum 180.b.182.b
Tolosa & Tolosates 4.i.37.a.81.c
*Torquatus Orici præfectus.*169.a. *eius mors* 252.f
Torques aurei duo honoris ergô præfecto Cassianæ turmæ à Cæs.dati. 260.b
tragula missa epistola 63.e
traiectus Britanniæ breuissimus 51.b
*Transrhenani pop. Galliæ domitæ fama audita legatos ad Cæsarẽ misẽrũt.*30.g
*Trebonius legatus.*137.b.*procõsul.*221.a. *vi de tribunali deturbatus.*171.e.*eiusdem mira in reficiendis operibus industria.*155.d.*humanitas* 171.e
Trecensis qui Varo ac Scipioni pecunias contulissent, vno nomine pecunia imperata Cæsar ignoscit 250.k
tres aut quatuor milites Cæsariani, duo millia Numidarũ in fugam vertunt. 244.k
*Treuiri.*13.c.34.b.*equitatu cæteris Gallis præstant.*27.c.51.b. *Germanos aduersum Ro.sollicitant.*65.d.67.d.*eorũ ferocia.* 117.d.*clades.*69.c.98.k.122.i
Triarij infelicitas 223.b
Triboces Germani 19.c
Tribuni militum & Centuriones Afraniani ad Cæsarem deficientes 147.c.d
Tribuniciæ contentiones 221.c
*Tribunitiæ intercessionis violatio.*128.f
Tribuni pl.ad Cæsarem fugiunt 127.d
Tribuni quidã militum à Cæsare ignominiose dimittuntur 240.g.
Tributum in capita singula seruorum ac liberorum impositum 174.i
triginta annos militans Centurio 237.e
triginta equites Galli duo millia Maurorum equitum repellunt 227.a
Trinobantes, Britannorũ ciuitas 55.d
Triumphi Cæsaris ornamenta 233.a
Triumphus Pompeianorum ante victoriam 191.a
tubæ soni non exauditi malum in receptu canendo 94.f
Tubero ab Actio Varo appulsu littoris Aphricani prohibetur 135.e
Tulingi pop. 3.a.9.b
Tullius legatus 257.c
Tullij Rufi quæstorij mors 249.a
Turinum opp.& Turini à Milone sollicitantur 171.e
Turios Celius sollicitans interficitur. 172.f.g
Turmæ præliares nimis densæ esse non debent 115.e
turpem causam ingressi, ne frustrà fecisse videantur, peius aliquid designant. 171.d
turris altius tutò attollendæ ratio 153.d
turris lateritia 153.c
turres bellicas Romani quò volunt promouent 29.c
turres c x x. celerrimè à Cæsarianis excitatæ 61.d
turris Phari admirabilis 200.f
Tutticani cædes 187.d
tympanorum in adytis spontaneus sonus 196.g
Tyrannos Cæsar in fidem recipit 221.d
Tyrones vt hortandi 248.f
Tyronum legio 175.b.215.a
Tyronum mollities & ignauia 173.d
*Tyronũ timiditati Cæsar prospicit.*234.f
Tyrones Cæsariani capti inter legiones Scipionis dispartiti 238.f

V.

V*Acalos insula* 42.b
Vacca opp. 245.e
vadabilem Sicorim fluuium efficit Cæsar 143.c
Valerius adolescens 262.b
Valerius Flaccus L. F. legatus Cæsaris. 135.c.*eius mors* 181.c
Valetiacus Coti Hedui frater 89.b
*vallus in masculino genere.*183.d. 203.b
Vangiones Germani 19.c
Varro legatus Pompeij 137.c
Varronis cohortes à Carmonensibus eijciuntur 157.a
Varronis fictus erga Cæsarem animus. 156.f.g.h.*deditio* 157.c
*Varus in Africa.*243.b.*Iuba resistere nõ audet.*164.k. *eius fuga.*162.f.243.a.
Varus flu. 150.g
vasa conclamare 144.k
vastitatem circum se amant Sueui 41.a
*Vatinius Cæsarianus.*196.g. *eius virtus & victoria aduersus Octauium.*215.c.d.e.216.g.h.i
*Vatinianorum militum fortitudo.*216.g
Vatuca castellum, & Vatucensis clades. 25.c.76.i
*Vbij.*41.a.*auxilium contra Sueuos à Romanis petunt.*44.g. *Sueuis vectigales.*41.b.*Cæsari conciliati.*45.a.69.d
Vcubis oppidum 254.k.*incensum.*260.k
vectigalia Hispalensibus remisit Cæsar à pop.Rom.impetrauerat 265.a
vectigalium multiplicatio 174.i
Vectones pop. 137.d
Vedeliacus Coti frater 89.b
Vellannij 103.e
Vellaunodunum oppidum deditur 82.g
Velocassium potestas 21.a
velorum nauibus inutilium reddendorũ ratio 35.d
*venaticus exercitium & laus.*72.k.74.f.*eius studiosi Sueui* 40.h.i.
Venetia vrbs Galliæ maritima 34.g
*Veneti Galli.*33.c.d.*Roman.dediti.*30.g
*Venetorũ Senatus à Cæsare necatus.*36.f
Veneti belli confectio 35.e.45.d
Ventisponte opp. 260.k
ventus Cæsari velut ad nutum seruiens. 173.b
Veragri Galli 31.a
Verbigenus pagus 10.g.
*Vercingentorix Celtilli filius.*80.b.i.83.a.*proditionis reus.*85.e.86.g.h. *eiusdem res.*88.b.90.k. 98.k.99.d.103.e. *Cæsari deditur* 107.e
vereri nauibus, hoc est malè timere 53.a
*Vergasillaunus Aruernus Gallicarum copiarum dux.*104.g.106.i. *captus.* 107.d
Vergilius Pompeianus Thapsi præfectus 247.c
Vergiliarum signum confectum 238.f
Vergobretus magistratus Heduorũ. 6.i
vernacularum legionum duarum robur 255.a
Verocasses, seu Velocasses pop. 21.a
Verodoctius 4.f
Veromandui 21.e.25.b.27.c
Versaonenses 261.a
Vertico Neruius perfuga ad Cæsarem. 63.b.& dein.
Vertiscus Rhemorum præfectus occiditur 113.e
Vesontio Sequanorum opp. 13.d
vestitus regius Deiotaro à Cæsare restitutus 222.b
vestitu insigni vtebatur Cæsar in prælijs 107.c
veteranus exercitus 249.c
veteranarum legionum fiducia 234.f
veterani militis Cæsariani ad Labienum insultabundum verba 229.b.c
veterani militis mira aduersus elephantum fortitudo 248.i.k
veterani milites Cæsariani in naue capti ad Scipionem deducti, & malè mulctati 237.c.
veteranorum hortatio 248.f
veteranorum militum irritatorum gra-

uis

uis vltio 249.a.b
veteranorum militum prudentia & fortitudo animi.173.d. tolerantia.231.e. vide milites
vetustati oppidi Massiliensiũ Cæsar defert 158.g
vexilli proponendi tessera 26.k
Vibullius Rufus Pompeianus 130. b. 132.b.136.i.168.k.
victori authoritas adest 210.g
victorum in victos potestas 13.a
victi vt à victoribus pacem supplices petant 212.f
victoria non præsumenda solùm, sed cogitandum etiam vt paretur 191.c
victoria Cæsaris nuncij terror hostibus. 196.i
victoriæ cõditio expendenda. 187.e.188.f
victoriæ gloria 116.f
victoriæ simulacrum se conuertens.198.g
victoriæ spei stimulus 38.i
victoriam non qualemcunque Cæsar volebat, sed incruentam & mitem.146.f g.234.f
victoriam certò sibi præsumit Pompeius 190.k.191.a
victũ se fatetur Afranius Cæsari. 149.c
vicorũ ac castellorum grauamina. 174.i
Vienna opp. 81.e
vinum ad se inferri nolunt Neruij. 25.a Sueui non vtuntur 41.a
vinum & nardum identidem sibi infundens Scapula mori certus 262.k
vires & magnitudo corporis vt parentur 40.i.k
virilitas Romanis negociatoribus in Ponto excusa 222.k
virorum potestas aduersus vxorẽ & liberos olim in Gallia 72.g
Viridomarus Heduus 92.f.95.d.96.f
Viridouix Vnellorum rex 36.g
virius naturæ incommodum vincens. 215.d
virtuti multa concedenda 182.k
per virtutem interfecti videri volũt Iuba & Petreius seipsos conficientes. 251.e
virtutem suorum militum Cæsar honorat 181.c.d
virtute non dolo certare soliti Galli.245. d.item Heluetij 5.e
virtute Romani Gallos superabant.35.d
vita pecunia redempta 218.b
vitam fidei posthabent Cæsariani milites capti 237.d
vitium facere 258.f
viuos homines Dijs sacrificabant Galli veteres 72.f
Vlcilles Hirrus Pompeianus 130.b
Vlla oppidum 220.g.253.d.254.f
vltio Romanorum militum 9.a
vltionis cupiditas 121.c
Vndeuicesimani, vndeuicesimæ legionis milites 219.a
Vnelli pop. 30.g.36.k
vocabulorum armamentorum imperitia malum in gubernatoribus 142.k
Vocates Aquitani Romanis dediti 38.i
Voccio Noricorum rex 19.e
Vocontij pop. 4.k.37.d
Vogesus mons 42.b
Volcatius Tullus Cæsarianus 181.b
Volcæ seu Volgæ Arecomici 81.e.99.b Tectosages 73.d
voluntatem etiam pro facto Cæsar accipit 166.g
Voraginosum solum 261.b
vota Gallorum 72.f
vrbs ciuitati præsidio 83.d
vrbes à Cæsare occupatæ 129.c
vrbes xx. Biturigũ vno die incẽsæ.83.e
Vrisera 74.g
Vrsao oppidum natura munitum.264.k
Vsipetes & Tenchteri Germani 40.b à Sueuis expulsi. 41. b. Sicambris se iungunt 44.f
vsuræ grauissimæ 176.k
vsurarum leuatio 166.f
vsus, rerum magister 153.d
Vtica opp. 158.i.162.b.249.e.250.i
Vticensis expeditio Curionis Cæsariani. 158.i.k
Vticenses Cæsaris amici.162.b.eorum erga Catonem animus 249.e.250.g
vtrium in bellis vsus 141.a
vulgi inscientia & leuitas ciuitati exitiosa esse non debet 93.a
vulnera corporis tegenda 160.b
vulneribus procumbentes milites prælium redintegrant 28.b
vultus Germanorum formidabilis Gallis visus 13.e
vultu Cæsaris imperatoris sui milites confortantur 228.g
Vxellodunum oppidum, eiusq; obsidio & expugnatio 119.b.121.b.122.g
vxores Ariouisti duæ 19.e
vxores communes apud Britannos. 54.i
vxores ducentes milites emolliuntur. 199.d
Vzita opp. 236.k.237.b.241.c.250.b

Z.

Zama, regia Iubæ, illum excludit. 251.a.b.c
Zamenses Cæsarẽ accersunt, qui se à Iuba rege suo tueatur 251.d
Zela opp. Ponti 223.b
Zetta opp. 244.f

Figurarum triginta in hoc opere positarum Index.

Folio 3. 9. 14.16. 23. 26. 31.32. 39.60.84.85. 90. 97. 100. 112.114. 115.119.133.134.138.151. 177. 178.184.185.192.200.201.

SERIES CHARTARVM.

*ß A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y. aß. abc. A B C D E F G H I K L M N O P Q R. Omnes sunt terniones, præter literam I, quæ est duernio, & literas Q, R, & Y, quæ sunt quaterniones.

F I N I S.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBROS, Henr. Glar. Heluetij, Annotationes,

In librum primum.

COMMENTArij, sunt libri, in quibus tantùm capita rerum posita sunt, ita vt videamur in ijs ad exeqnendam historiam alijs subiecisse materiam. Quàm malè verò Cæsar alijs materiam exeqnendę historiæ subiecerit, planè A. Hirtius conqueritur præfatione illa, quæ est in octauum librum derelictorum de bello Gallico. air enim: Adeoque probantur omnium iudicio, vt præcepta, non probata facultas scriptoribus videatur. Porrò cùm Liuius sit copiosissimus, Salustius breuissimus, Cæsar, vt Commentatorem decuit, mediocris est, planus, tersus, simplex, minimeque affectatus, qualem stylum ptopemodum habuisse apud Græcos Aristotelem videmus. Scripsit enim hos libros in Castris, & succisiuis quidem horis, quibus herclè vel ob hoc maior fides debetur, quòd rebus gestis ipse, qui scripsit, interfuit. Quàm verò reliquos autores in locis perscribendis diligentia ac cura vicerit, facilè videre poterit, quicunque vel apud Geographos aliquid laboris insumpserit, vel qui Galliam ipsam viderit. Cæterùm ita res suas verè laudauit, vt hostes quoque eius, inter quos erat & Cicero, verissimos hos Commentarios dicerent, autoribus & ipso Cicerone, & Suetonio. Cautior etiã in hoc quòd hostes laudârit, quò maior ipsius gloria esset, qui eos vicerit. Prudentissimè verò, cùm bellum Gallicum omnium laboriosissimum describere vellet, Galliæ diuisionem ac luculentam eius designationem præponit.

Gallia 1.

In hoc ptimo tria peragit Cæsar. Primò Galliæ Transalpinæ descriptionem ponit. Secundò, Helueticum bellum prosequitur. Tertiò, Germanicum aduersus Ariouistum Germanorum Regem. Gallia generali diuisione duplex est, Cisalpina, & Transalpina, ob situm Alpium Romanis ita vocantibus. Cisalpina (olim etiam Togata) est, quæ hodie Lombardia dicitur: extenditur autem ab Alpibus ad Rubiconem vsq; flumen, quod prope Rauennam in mare Hadriaticum decurrit, comprehenditq; Venetos, Mediolanenses, & quicquid ad Padum amnẽ est. Hæc natio olim pertinacissimè Romanis obstitit plus quingẽtis annis. Originem autem habẽt plurimi eius populi ex nostra Gallia, vt testantur vbiq; Classici scriptores, nominatim Liu. lib. 5. ab Vrbe cond. & Strabo lib. 4. Liuius enim hos cõmemorat, Bituriges, Aruernos, Sequanos, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, Cœnomãnos, Salluuios, Boios, Lingones, ac Senones. Strabo verò Venetos, Boios, ac eosdem Senones. Alij item alios. Huius Galliæ Prætor fuit Cæsar, vt citerioris Prouinciæ. De ea pauca hîc. Altera Gallia Transalpina, Bracata alio nomine & Comata est, cuius partem Romani quoque habebant, & in Prætura Cæsaris erat. Eius Cæsar hîc tres indicat partes: Aquitanicam, Belgicam, & Celticam, quæ haud dubiè fuit antiqua Galliæ diuisio. Nam posteriores omnes Geographi quatuor eius fecerunt regiones, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunẽsem, & Belgicam. Strabo lib. 4. ait: Celticam Augustum diuisisse in Lugdunensem, & Narbonensem, adiectis ad Aquitaniam populis, qui inter Garumnam & Ligerim amnes antea Celtarũ erant. Quod Ptolemæus, Plinius, Pompon. Mela, ac alij imitati sunt. Non igitur cum Ptolemæo pugnat Cęsar, sed

temporum ratio vtrinq; habita est. Porrò Celtarum nomen latè patebat, vt non modò Galliam omnem, sed vniuersum Occidentem occupâsse affirmat Strabo, à quibus Celtiberi Hispani, & Galatæ populi ad pontum Euxinum, ad quos D. Paulus scripsit, originem referunt.

Hi omnes lingua. 2.

Lingua Gallorum multis de causis creditur ea esse, qua hodie Rhenus vtitur, maximeq; Heluetij, & Sequani Rhenani. Primùm enim constat, C. Cæsarem bello Gallico per Interpretem locutũ cum Gallis. Deinde eam quidem linguam, qua hodie Francia vtitur, Romanam esse, quanquam corruptam, nemini est dubium, quippe adhuc de prisca lingua Gallica innumeras retinentem dictiones. Non igitur Francica lingua olim Galli locuti sunt, sed alia. Verisimilimũ autem est, ea loquutos lingua, qua adhuc ij Galli vtuntur, qui Francicè non loquuntur: vt omnes populi citra Rhenum, proximi tamen Rheno, Heluetij, Rauraci, Sequani, Elsatici, Tribochi, Vangiones, & ferè tota Belgica. Nec mirum hoc videri potest ei, qui considerat populum Romanum, suos exercitus frequenter in Gallia habuisse, atque adeò in Galliæ fœcundiore parte, diutiusq́. pressam (quam nunc Franci inhabitant Galliæ partem) seruitute Romanorũ. Rhenus quippe & Germania citiùs à Romanis, quàm Gallia alia defecerunt. Ideoq; factum est, vt Romani non potuerint suã in Germania, ac regionibus Rheni ita celebrem facere, ac velut propagare linguam, vt in reliqua Gallia, Hispania & Italia fecerunt. Neq; nihil ad rem facit, quòd Prætores Romani ius non dabant, nisi sua lingua: & miles Romanus ægrè cum plebe, alia quàm sua lingua loquebatur. Itaq; coacta est misera plebs Romanam discere linguam, sed malè, sed mutilatè, sed ita, vt in ea vbiq; priscæ linguæ vestigia inuenias. Latinæ verò sonum in thematis audias, imò priscę accentus aliquot, voculationem, pronunciationẽ præteritorum perfectorum, per habui periphrascis: articulos item, quos Latina lingua non habet. Denique plurima nominũ themata, qualia sunt Ignis, Puluinar, Pastillus, Scamnũ, Cancer, Caput, Campana, Mamilla, Vexillum, Calcar, Diues, Thorax, Manipulus. Et verborum, vt dimitto, ftico, occido. Sed planè ineptus videar, si ea omnia persequi velim, quæ iustum requirerent volumen. Quum ante annos aliquot Lutetię degerem, erat in sodalitio nostro Iasper Alphæus Syluanus, egregij iudicij, ac eruditionis non proletariæ vir, qui in chartula propemodum ducenta vocabula ab se notata mihi monstrabat, priscæ nostrę linguę, quę Parisienses etiámnum hodie In mutila ista lingua haberent. Vnde satis liquet, Heluetiorum linguã, ac Rheni verè Gallicã, nisi quantùm Germani quædam miscuerunt, maximè infra Argentinam. Sæpè enim Vormaciæ, Moguntiæ, ac in circumiacentibus ea Rheni parte populis mixtus est sermo ex Germanica ac Celtica linguis: neque enim purè Germanicè, neq; purè Celticè loquuntur. Heluetij autem, Rauraci, Sequani, Rheno proximi, Brisgoenses, ac Elsatici magna ex parte merè Celticè loquuntur. Non mirum igitur, quod scriptum reliquerit D. Hieronymus, Galatas, ad quos scripsit D. Paulus, quiq; à Celtis descenderunt, vt autor est Liuius lib. 8. 4. Decad. eadem loquutus suo tempore lingua, qua Treuiri vtebantur. Quis autem nescit Treuirorum linguam antiquam esse, nec multò à Germanorum lingua diuersam? Etsi concedi oportet, quod Strabo ait lib. 7. Germaniæ vocabulum Romanorum esse: quam aliã causam fuisse credimus Romanis, quod eos Germanos appellârint, quàm quòd vel lingua & moribus magnam cum Gallis haberent communionem? Vel, quod quidam non absurdè argumentantur, ab ipsa inter ipsos appellatione: fratres enim sese etiãnum hac tempestate in rebus seijs ac bellicis vocant. Id Romani siue per se de Germanis resciuerint, siue à Gallis didicerint, parum constat, neque huius est negotij. Nos enim hîc de Gallorũ linguis tractamus, inter quas, vt Cæsar ait, differẽtia aliqua fuit, vt etiámnum hodie est. Nihil tamẽ impedit, quin communi appellatione eadem ac vna nominetur, quanquam non vsquequaq; eadem, sed paululum variata: id quod in Græca quoq; lingua accidit. Porrò id non est purum argumentum, Heluetiorum linguam verè esse Gallicam, quòd Latini autores multa Gallicæ linguæ vocabula recẽsent, quæ etiámnum in Heluetiorum sunt lingua, quãquam à Romanis Scriptoribus partim malè scripta, partim malè percepta, vtpote quæ, quòd barbara, non magnoperè curarent, ac obiter dũtaxat in operibus recenserent. Quę tamen ipsa nobis argumento sunt, Gallicam linguam in aliqua apud eos fuisse existimatione. Itaq; Cæsar Gallorũ propria, & maximè Heluetiorum nomina mirè torsit, omissis sæpè ac mutatis literis aliquot, vt Latinæ declinationi apta fierent: de quibus paulò pòst dicturi sumus. Idem Plinius fecit. Ea tamen verba temporum iniuria adhuc magis deprauata apud eum leguntur, nemine de ea lingua ab mille annis curante. Ita lib. 18. Aratra rotulis instructa, Gallicum inuentum Pflugradt rectè nominauit. Vbi tamen codices Plumarat, alij Planarat habẽt. Quidam in Planetas, vt se prorsus ineptos ostenderẽt, mutârunt. Apud eundem lib. 4. c. 16. Bodicum Padum Gallica lingua à Liguribus dictum ait, quòd significet fundo carẽtem, & Bodincomagum oppidum eodem tractu esse. Heluetiorum lingua vocat Bodenmangel. Padum item à Picea arbore, quã Galli ita vocant, nominatum, Pech vult dicere, quod adhuc manet in nostra lingua. Ita apud Suetonium in Galba, præpinguis Gallicè Galb intelligitur: sed vitulus potiùs. Nam ita perpinguem ac obesum hominem per iocum vitulum vocamus. Et Beco rostrum apud eundem in Vitellio adhuc habent Belgæ nostra ætate in sua lingua. Heluetij verbum inde Becken, id est, rostro ferire. Multa his similia enumerat D. AEgidius Tschudus V. C. apud Heluetios, mihi non affinitate tantùm iunctus, sed eodem etiam studiorum amore in libro de Rhetiæ antiquitate, & tractu Alpinarum gentium. Vbi Strabonis, Plinij, Liuij, aliorumq; clas-

ſicorum ſcriptorũ locos plurimos digniſſimè tractat, quem in his Annotationibus ſæpè in teſtimonium adducemus, neque id immeritò: viſa enim tractat, & ſummo iudicio librata, maximoq; labore inuenta, quæ ab mille annis neminem tractâſſe nouimus. Accedit huc quod Plinius ait, Gallos medullam Margam vocare, & Germanos anſerem Ganzam: quæ duo vocabula adhuc manent in vtraq; lingua. Francorum autem hodierna lingua ex duabus linguis eſt, ex priſca Celtica, & Rom. in qua Romana tamen, quod ad themata attinet, dominatur.

A cultu atq; humanitate. 3.

Feſtus ait prouincias dictas, quòd populus Romanus eas prouicerit, id eſt, antè vicerit. Alij à porrò vincendo dictas voluit. Cæterùm ex regno fit prouincia, quum è regia manu in poteſtatē alicuius populi deuenit. Verùm hoc loco ea eſt Narbonenſis Galliæ portio, quę mari Liguſtico, Alpibus, & magna ex parte Rhodano concluditur.

Quæ ad effœminandos. 4.

Merces intelligit, & rerum omnium, quę ad luxum faciunt, copiā: maximè verò, ſicut ipſe poſteà, vbi de Neruijs Cæſar fatetur, vinum: hodie etiam aromata, & ſpecies, vt vocat, ad idem pertinent.

In hoc faciliùs eis perſuaſit. 5.

Non poterat Cæſar luculentiùs veriuſq; deſcribere Heluetiorum regionem, quàm tribus hiſce limitibus, Rheno, Rhodano, & Iura monte. Vt meritò pudeat quoſdam ſui erroris, qui auſi fuerint Elſatiam dicere Heluetiam: qua in re etiā Aeneas Syluius aberrat. Quod autē vndiq; Heluetiorū natio ſit tuta, vt Cæſar exiſtimat, hoc quidem verum à duabus partibus, ad Meridiem & Occaſum. Cæterùm aduerſus Germanos atq; Rhetos, hoc eſt, ad Ortum & Septentrionem, non ita verum eſt: non enim Rhenus tantus limes eſt, vt tutam defenſionem præbeat, quando ſupra lacum Conſtantienſem plerìſque in locis vado tranſitur.

Altera ex parte monte Iura. 6.

Mons Iura hodie multa habet nomina. Incipit aūt infrà Brugas oppidulum ad Arolam flumen in Heluetijs, vbi Bőtzberg dicitur. Deinde rectà ad Occaſum ſecundum Arolam ad Soloduru͂ progreditur, ibi hodie Howenſtein dicitur. Deinde ad Bipennes oppidum ad Neacrim, vulgò Nouum Caſtrum. Deinde inter Occaſum & Meridiem deflectit Geneuam vſq;, ac vltrò etiam in Sebuſianos, hodie Bellicenſes. Cæterùm in dicto iam tractu pluribus locis tranſitur.

Qui in longitudinem. 7.

Eſt autem longitudo Heluetiæ à Geneua Conſtantiam vſque, iter ſex dierum plus minùs, ſi x L. millia in vnius diei iter conſeremus. Latitudo autem ab Iura monte ad montem vſq; Gothardi, iter trium dierum, quem Cæſar aliquanto maiorem facit. Sed ea auditu habet, non viſu.

In eo itinere perſuadet Caſtigo. 8.

Non eſt dubium, omnia nomina Gallica, quæ hic Cæſar in x. nominat, apud Heluetios in χ literam Grçcam ſcriptam fuiſſe. Vtebantur enim literis Græcis, quibus literis Græcis linguam Gallicam, non autem Græcam ſcribebant. Et poteſt etiámnum lingua Heluetiorum optimè Græcis ſcribi literis, quod multi ſæpè fecerunt. Itaque quum lingua Latina nullum nomen in chi habet, & omninò Cæſari ea nomina in formam Latinam reducenda erant, aliquando deflexit ad x. literam proximam figura ad χ, vt tertiæ declinationi apta fierēt: aliquando ad c, vel g, vt in ſecundam declinationem venirent. Inuenerat ea in Heluetiorum tabulis Græcis exarata literis, vbi χ litera, Latinæ x, non eſt abſimilis. Quod Christianus vſus obtinuit in χριστ. Itaq; ex ὀργεντοριξ fecit Orgentorix, ex καστειξ, Caſtigus, omiſit r, literam, vt nos nunc ex φρειδεριξ, fecimus Fredericus: rurſus ex φεργόβρετ, fecit Cæſar Vergobretū, ablecta ε, ad ε. Ex ἄμβριξ, Ambotrix. Ex κατταμάνταλ, Catamāteles. Ex δούμνοριξ, Dumnorix, Ex λίταυιξ, Litauicū. Deniq; ex Germanico Ernſt, Erneſtum, quod nomē poſteà corruptum eſt in Ariuiſtum, ac rurſus deinde in Ariouiſtum. Nec hoc mirum videri poteſt, quum Græci ſubtiliſſimi homines, Hebraica & Barbara ad eundem modū corrupetint, ſi Romani Gallorum quoq; linguam malè tractârint: id quod ſemel nos admonuiſſe ſat fuerit. In Plinio quoq; idem accidit, vt de Bodomancis & Planaratis, pro Bodenmangel, & Pflnogradl, paulò antè diximus.

De conſtituta cauſa. 9.

Cauſam dicere eſt, quod Grçci tum κρίνεσθαι tum ἀγωνίζεσθαι dicunt, hoc eſt, iucundum ſubire, & culpas fraudeſque iudiciorum ſuorum actorumque præſtare. docuit hoc Budæus.

Oppida ſua omnia. 10.

Hic locus ſatis probat, per pagum non oportere intelligere vicum, vt quidam ineruditè expoſuerunt, & ex ſequentibus latiùs patet. Cæterùm cùm hodiè tota Heluetiorum democratia, ſiue regio in XIII. Ciuitates ſit diuiſa (vulgus Angulos vocat, Franci Cantones) quarum nomina, vt publicè in concilijs ſedent, hæc ſunt: Tigurum, Berna, Luceria, Vria, Suizia, Syluania, Tugium, Clarona, Baſilæa, Friburgum, Solodurum, Schaffhuſia, Abbatiſcella: vndecim tamen duntaxat intra veros regionis Heluetiæ limites concluduntur. Baſilæa enim nō in Heluetijs, ſed in Sequanis iacet. Schaffhuſia in Germania. Porrò ex his XIII. Vria, Suizia, Syluania, Clarona, ac Abbatiſcella, non ſunt oppida, ſed vicorum conuētus, æquata omnium libertate: & ab his maximè Vris, Suizis, ac Syluanis, Heluetiorum noſtra ætate libertas eſt orta. Ipſi tamen multis oppidis ac arcibus imperant, contrario atque in alijs regionibus, more. Rurſus ex his XIII. quinq; noſtra ætate, cùm totus Rhenus ferè, ac vniuerſa Germania ſchiſmatis plena eſſet, incōcuſſam maiorum ſuorum religionem ſeruârunt, ac armis fortiter, nec ſine ſanguine, nec ſine Dei Opt. Max. auxilio defenderunt. Qui mihi in hoc qualicunq; Commentario digni ſunt, vt honoris cauſa nominentur. Fuēre igitur Luceria, Vria, Suizia, Syluania, Tugium. Sed omninò apud autores loca

vetusta in Heluetijs sunt Auenticum, nunc paruum oppidulum prope Friburgum, vbi multę antiquitates adhuc visuntur: Vindonissa supra confluenrē Vrsæ ac Arolæ. Ciuitas equestris: Gannodurum, nunc Constantia: Vitodorū, nunc Wintterthur. Forum Tibetij, quod multi Zurzachium existimant, quidam Cæsaris sedem, oppidum Episcopi Constantiensis: vtrunq; enim peruetustum creditur. Multis prætereà indicijs, quæ Commentarij huius angustia & solita nostra breuitas enarrare non permittit, vetusta creduntur loca, Tigurum, Lucceria, Tugium, Solodurum, Aquæ Orba. Coniecta etiam Zowingen & Berona. Berna autem & Friburgū noua sunt oppida, intra quadringentos annos ædificata.

Mollita cibaria. 11.

Participium à molo, is, ere, In Supino molitum, vnde Participium molitus, a, um: atq; etiam is modus etiámnum Heluetijs manet. Farina enim ex auena densa, butyro ac sale cōdita, in magno aheno super ignem cocta, in vasis ponitur, ac cum reliquo commeatu in bellum ducitur, nec ad pulmētarium coquendum quicquam additur, quàm aqua calefacta, esuribundis militibus dulce condimentum.

Persuadent Rauracis. 12.

Rauracos supra Basilaā habuisse sedes, atq; Augustam vrbem maximam, cuius etiam hodie vestigia sunt, pertigisseq; eorum imperium rectà secundum Rhenum, vsq; ad confluentem Rheni ac Arolæ, ditionis hodie Heluetica, satis consonans veritati est. Quatuor igitur Rheni oppida supra Basilæam: I. Waldsthor/ id est, Sylvæ custodia. II. Lauffenberg/ à minore Rheni cataracte nomen habens. III. Seckingen/ à Sequanis dictum. IIII. Rinfelden elegans oppidum, & quicquid ditionis circum ea est, Iuram vsq; totam olim Rauracorum imperio suberat. Quidam aiunt, Sequanos & Rauracos superatos flumine Byrsa, quod paululum supra Basilæam Rhenum influit.

Et Tulingis & Lacobrigis.

Tulingos & Lacobrigos, qui Lotharingiæ partem putant, prorsus falluntur. Sed & qui Tigurinos aut Lausannenses, magis decipiuntur. Qui vero Germanos fuisse existimāt supra Rauracos, Heluetijs ad Septentrionem, hi demùm rectè iudicāt. Hodie nomen retinent Germanicum, Stülingen/ quod nomen Cæsar, vt cætera ob Latinam inflexionem corrupit. Admonuit nos eius rei dominus AEgidius Tschudus. Adiuuant hanc opinionem, quòd postea victi Helnetij, & Tulingi, & Lacobrigi, iussi sunt redire in suos fines, vnde profecti erant. Lacobrigi autem legendum per c. Hodie das Clackgow/ adiecta c. litera, consuetudine Celtæ linguæ, ante l.

Boiosq;. 13.

De Boijs non parum admirationis præbet id Lectori, quòd tam varias apud autores dicātur habuisse sedes, vt non facilè expedias, qui hodie verè sint dicendi Boij. Primùm certè videntur Germani esse, deinde ex Germania olim in Noricum transcendisse, Danubij loca occupâsse, Italiā quoque petijsse, atque aliquot seculis ante Cæsarē circa Padum consedisse, vt Liuius libro quinto ab Vrbe condita testatur, & libro primo de secundo bello Punico, denique multis locis quartæ Decadis, quemadmodum in quinto ab Vrbe condita libro in Annotationib. nostris in Liuium diximus. Multi eximij viri Bohemos antiquam sedem Boiorum crediderunt, & Bauaros ab illis descendisse: similiter in Francia Borbonios.

Et in agrum Noricum. 14.

Legendum puto, Et in agrum Noricum transierant, Noricumq; oppugnârant, vt in priore loco sit adiectiuum, posteriore substantiuum. Nam Noricum natio est inter Pannones & Vindelicos ad Danubium sita.

Erant omninò itinera duo. 15.

Cæsar, cùm duo itinera describeret, ea tantùm existimauit, quæ proxima ipsius prouinciæ erant, & commoda Heluetijs in Santones proficiscentibus: alioqui multa prætereà ex Heluetijs erant itinera in Celtas, maximè in Rauracos & Sequanos. Atqui vel ex hoc loco sanè constat, Cæsari Heluetiorum regionem ex relatione tantùm notā fuisse, cæterùm non visam. Notandum hoc item loco, Sequanorum longitudinem esse ab Rheno vsque ad Rhodanum, latitudinem verò ab Iura ad Lingonas.

Rhodanus fluit. 16.

Nota terminos inter Heluetios & Allobrogas. Ex quibus colligitur Heluetiorum olim fuisse quicquid intra Friburgum nobile Heluetiorum oppidum, & Geneuam terræ interiacet.

Proximus Heluetiorum finibus Geneua. 17.

Quatuor hæc nomina, Geneua, Genna, Genabum, & Gebenna, multum obscuritatis Lectori ingerunt, ac non attentum sępè fefellerunt, quę ipsa longè diuersa sunt. Genua enim Ligurum caput in Italia ad mare est nostrum: Geneua verò Allobrogum ad hostia Lemani lacus, vbi Rhodanus exit: Genabum Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie, vt quidam putant, Aurelia. Denique Gebenna mons, qui Heluetios ab Aruernis separat, vt libro septimo posteà dicet Cæsar. Cæterùm ab annis, vt puto, octingentis, literarum ac soni similitudine, Geneua ab indocto tunc seculo Gebennæ nomen inuenit, plurali numero. Vnde Generosis dominis Baronibus ad Gebennia nomen manet. Quidam ita etiam Aurelim ineptè Gebennam nominârūt, pro Genabum, & Gebennense studium, pro Genabense. Ineptiores autem hi, qui Genuam Ligurum caput Ianuam nominari putant, quasi Italiæ, & maximè Liguriæ ianua, quia maris portus esset: & fortassis alijs eò distinctius nomen esset.

L. Pi-

L. Pisone, Aulo Gabinio. 18.

Hic annus est ab vrbe condita DCXV t. atq; primus annus huius belli Gallici, quo Galliæ vtriusque citerioris ac vlterioris Prætor est factus Cæsar. Ante Christi natale LV.

L. Cassium Cos. occisum. 19.

Vide Florum in Epit. lib. 65. Nam Tigurini illi fuerunt ex Helvetijs. Cæterùm Cassius Consul fuit, Anno ab vrbe condita DCXLVII.

Qui in flumen Rhodanum. 20.

Fortassis legendum, Quem flumen Rhodanum influit. Quanquam lib. 7. de palude in Sequanam, similis habetur locutio. Lector ipse dispiciat. Porrò hoc quoque considerandum, an non idem sit, à Lacu Lemanno ad montem Iuram, quod hoc loco ait: & à Iura ad flumen Rhodanum, quod antè dixerat, cùm tamen duo diuersa itinera describere velit. certè ego me hic non explico.

Cæsari renunciatur. 21.

Ptolemæus Santones inter Garumnam & Ligerim amnes ad Mare occiduum constituit. Sanè autem suspectum est, in tam longinquam regionem proficisci conatos Heluetios. Quanquam cùm alia in hac historia Heluetiorum acta audaciæ specimen habeant, hocquoque sic intelligi potest.

Ibi Centrones & Garoceli. 22.

Centrones & Caturiges in Graijs Alpibus Ptolemæus non longè à Lepontinis ponit. Ocelum autem oppidum est ad Duriam minorē amnem, longè ab Oscela, quod Lepontiorum oppidū Ptolemæus tradit, hodieq; in ea valle, quam flumē Tosa à summis Alpibus vt Ticinus ortum, perluit, infima parte iacens, ab Dominico ibi, hoc est, Canonicorum Collegio hodie nomen Dumdoscela habēs, & Vallis de oscela, quod nos fecimus Eschenthal. In Ptolemæo igitur id erroris est, quòd Centrones vicinos facit Lepōtijs. Cùm hoc certū constet, inter Centrones ac Lepontios interiacere medios Salassios: qui Salassi Augustam Prætoriam, celebrem apud Scriptores vrbem, inhabitabant, & ipsa vrbs hodie nomen habet, & vallis ab ea Augstthal. Garocelorum non meminit Ptolemęus: sunt autem populi Alpini propè Centrones. Vocontij verò inter Isaram & Rhodanum Allobrogibus ad Orientem vicini, ab eodem describūtur, quæ cum descriptione Cæsaris optimè conueniunt.

In Sebusianos. 23.

Sebusiani inter Rhodanum & Ararim sunt, hodie Bellicenses, vt rectè Marlianus describit, à quibus hodiè Sabaudiæ nomen manet. nec enim alia apud autores veteres origo eius nominis inuenitur. Ptolemæus Sebusianorum meminit in Lugdunensi Gallia, sed nimis Occidentales facit. Sunt etiam Segusiani, siue Sebusiani in Graijs Alpibus apud Ptolemæum, si nomina non sunt corrupta. Sedusij verò Germaniæ populus est.

Eorumq; agros depopulabantur. 24.

Et hoc suspectum videri potest, cùm Dumnorix Heduus esset, & apud eos potens, qui Heluetios iuuerat per Sequanos.

In Heduorum. 25.

Hedui inter Dubidem & Aratim possessionem habuerunt, ait Strabo lib. 4. Ciuitas erat potentissima in Gallia, & Romanis semper amica: hodie Aurum nominant.

Item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos. 26.

Nō est hoc aduersum illi, quod paulò antè dixit, Rhodanum inter Allobrogas ac Heluetios limitem esse. hic enim de Allobrogum terra loquitur, quæ in Heduos tendebatur inter Occidentem ac Septentrionem, non quæ Heluetios contingit inter Septentrionem ac Ortum.

Flumen est Arar. 27.

Arar est fluuius Celtarum, de quo rectè Marlianus. Hoc autem admonendus est Lector, illū non ex Alpibus oriri, nec primo quidem cursu, quod tamen tradidit Ptolemæus, ad Septentrionem, sed ad Meridiem labi, nec cum Rhodano lineaparallela incedere. Denique nec eum esse Arolum, qui per Heluetios lapsus, hodie Ar vulgò dicitur.

Hic pagus vnus. 28.

Græci πηγὴν fontem dicunt, ὡ ἀπεικῶς παγαί. inde Latinis dictus pagus, cuiusque fluuij tractus, & vtrinque secundum flumen habitationes. Tales porrò nauigabiles etiámnum hodie sunt intra Iuram, Rhodanum, & Rhenum, veros Heluetiæ terræ limites, prorsus in Heluetijs quatuor: Vr, Limagus, Vrsa & Arola. Vr genere fœminino, opinione quorundam non temerè coniectantium, Celticè dicitur Die Vr. posteà facta elisione diphthongi, Celticè die Dur, quemadmodum Arolam die Ar, & elisa diphthongo ie, de articulo die, D'ar. Item Die Etsch. Vr autē productè dicitur, quam longā literam cùm Germanica lingua non habeat, sicut nec Græca Dur verterunt in Daur. Vnde Romani, qui nobis omnia antiqua corruperunt nomina, Taurum vocârunt. At Heluetiorum lingua Dur pronunciat, & regionem adiacentem Durgeu. Vr fluuius in immensum crescere solet, torrētis in morem, sed nauibus non admodum aptus. Limagus apud Claronenses oritur, ac in media ipsorum regione Serniphium alterum ex altera valle delapsum amnem accipit. Deinde infra Vrnas (duorum vicorum nomen est) super Latericium pontem (ita vocant) ex Lacu Vesenio accepta aqua, Marchā (qui fuit olim Heluetiorum in Rhetos finis, & Heluetij ita terminum vocant) ac castra Rhetorum (& huic loco etiámnum nomen manet Gastra) disterminat. Hinc lacum Tigurinum ingressus, ad hostia eius Tigurum amplissimam Heluetiorum vrbem diuidit: mox Aquas,

memorabilem in Heluetijs locum propter calidas illic aquas, Græci Thermas vocant, delabitur. Harum aquarum situm non omninò absurdè descripsit Poggius Florentinus, si Latinè nominare potuisset. Deinde haud ita longè Vrsæ ac Arolæ miscetur. Vrsa sanè, quem fluuium transpositis duabus prioribus literis vulgò Rusam vocant, in summis Alpibus, quibus hodie Sancti Gothardi nomen est, oritur, ac rectà ad Septentrionem labitur, quum contrà Ticinus ex eodem iugo per Lepontios in Meridiem, Vrsulam siue Vrsellam primum vallem Rhæticam, deinde Vriam Taurisco rum, gentis Gallicæ reliquias venit, vbi lacui miscetur, qui Vros, Suitios, Syluanos, ac Lucerinos, quatuor Syluę ciuitates (nam ita appellant hodie) alluit. Porrò deinde Tuginis amnibus susceptis, Bremgarten ac Mellingen (oppida sunt ditionis Heluetiæ) lapsus infra Brugas Arolæ commiscetur. Denique Arola ipse ex ijsdem summis Alpibus ortus, in Septentrionem versus, paulò plus tamen quàm Vrsa ad Occasum primùm inclinans, per lacum Thunensem Bernam lapsus, & ipsam amplissimam Heluetiorum vrbem ambit: dein paulò infra Bernam alterum accipit flumen, Sanam è valle eiusdem nominis altissimis septam montibus, ac Nicolai Vuinman docti nostra ætate viri patriam delapsum, quod Friburgum nobilem illam vrbem ambit, vt Arola Bernam. Ibi in ortum ambo conuersa flumina, sub Arolæ nomine Solodurum perueniunt. Et hoc quoque oppidum antiquissimum est non modò Heluetiæ, sed vniuersæ Celticæ. Deinde per terram nobilissimā ab ipso Arola denominatam, receptis Vrsa ac Limago, Rhenum infra Clingnow (oppidum est Episcopi Constantiensis) ingrediuntur. Confluentis nomen adhuc loco manet, sed non incorruptum, Cobolentz enim vocat Heluetiorum lingua: miserrimus hodie est viculus. Nomen à Romanis loco est inditum, cùm ibi aduersus Hercynios excubarent. Nec procul inde abest Rauracorum oppidum Waldshut, quod nomen significat sylue custodiam, Rauracorúmne aduersus Romanos munimentum, an aduersus Germanos, incertum. Ad Confluentem igitur illum tria Heluetiorum flumina, Limagus, Vrsa, ac Arola, In Rhenum exonerantur. Vr autem paulò superiùs, infra maiorem tamen Rheni cataracten, qui sub Schaffhusia est, Rhenum influit. Hęc igitur quatuor flumina quatuor Heluetiorum pagi creduntur. Hunc locum haud scio, an quisquam ante me explicuerit, cùm ego doctissimos meæ ætatis homines ea de re sæpiùs interrogauerim. Sed quale inde responsum tulerim, non est opus hìc referre.

Qui bello Caßiano dux Heluetiorum fuerat. 29.

Nota bellum à victis more Romanorum vocari.

Interim quotidie Cæsar. 30.

Digressio est paruula ab historia Heluetiorum, de dolis Dumnorigis principis Hedui, qui cum Romanis militabat, sed Heluetijs fauebat.

Propter liberalitatem. 31.

Videtur liberalitatem pro largitione accepisse: cùm liberalitas in bonam, largitio in malam accipiatur partem.

Portoria. 32.

Portorium est merces, quæ portitoribus datur, ait Nonius Marcellus. Portitor autem, qui vectigal portus conduxit, quod Portorium vocatur.

Quod Diuitiaci fratris summum. 33.

Quid amicis debeamus, eximium fuerit exemplum.

Et quotidianis interpretibus.

Vide hunc locum, vbi Cæs. per interpretes cum Gallis locutus est.

Et per fugitiuos L. AEmilij Decurionis. 34.

Vide Laurentium Vallam lib. 6. ca. 32. Quid Decurio.

Ita, vti supra se. 35.

Sex legiones Cæsar habebat, sed cum quatuor duntaxat more Romanorum prælium commisit. Erat enim cōsularis exercitus quatuor legionum, autore Polybio.

Milites è loco superiori pilis missis. 36.

Pilum Romanum hasta erat quinque pedum, sed ferrum eius sesquipedem habebat. Totius itaque Pili longitudo erat sex pedum ac semis.

Mazaras ac tragulas. 37.

Mazara apud Hesychium, est hasta Persica, genus teli, cuius formam non exprimunt autores. Tragula verò, vt ait Festus Pomp. genus teli, dicta, quòd scuto infixa trahatur.

In fines Lingonum. 38.

Apud Lingones, ait Cæsar lib. 4. oritur Mosa fluuius: vnde nō est difficilè coniecturare de eis, sunt enim noti.

Verbigenus. 39.

Per pagum fluminis tractum, & secundum eum hominem habitationes intelligi, superiùs declaratum est. Atqui tractibus hisce (vt ita loquamur) non sunt eadem quæ fluminibus nomina, cùm Limagi accolæ Tigurini dicantur. Et hic Verbigenus pagus nullius fluminis nomen est, sed tractus haud dubiè: at cuiúsnam fluuij inter treis reliquos, id demùm difficultatem nobis ingerit. Codices vetustiores non Verbigenus, sed Vrbigenus habebant. Vnde duæ coniecturæ diuersæ doctioribus sunt. Alteri putant, ad Arolam habitationem Vrbigenum pagum dici ab Orba, hodie adhuc peruetusto oppidulo, ditionis Bernatium ac Friburgensium, ad quem sanè vt proximū domicilium, sex hominū millia eius

eius pagi contenderint, quum Cæsar existimârit, eos ad Germaniam tendere. Alteri per Vrbigenũ. Durgeam hodie dictam terram designari putant, ab Vr flumine, maximè quod Germanorum Rhenũq; hic fiat mentio, cui Rheno flumini Durgeani sunt vicini. Lectori integrum sit iudicium. Reliquorum duorum pagorum siue tractuum nomina nusquam, quod sciam, inueniuntur. Itaq; cum qui ad Vrsam est tractum, cogitandum quo pacto appellemus, Tauriscúmne, à Tauriscæ gentis reliquijs, qui hodie sunt Vri. Atqui illi posterioribus seculis has sedes occupâsse videtur, vt ab illis non potuerit tempore Cæsaris esse denominatio. An potiùs Tuginum? quum Tugiorum Strabo quarto & septimo libris magnificè meminerit, & locus Tugium sanè videtur antiquissimus. Eum autem qui ad Arolam est, quidam Iurassium, quidam Antuatiũ nominandum censent: fortassis & Auenticensis nominari potuit.

Heluetios Tulingos. 40.

Mirum verò quid cum Rauracis actum sit, nam horum hic non meminit. Valde suspicor, in curia librariorum omissum nomen, & eos quoq; iussos redire in patriam, vt Heluetios, Tulingos, ac Lacobrigos, quibus erant vicini.

In castris Heluetiorum. 41.

Tabulæ hoc loco intelliguntur militares indices, nempe in quibus duces militum nomina perscripta habent. Vulgus vocat Registra. Literis autem Græcis, non lingua Græca confectæ erant. Lingua enim Gallica, qua hodie Heluetij vruntur, non minùs Græcis literis, quàm Latinis scribi potest.

Repertus est numerus. 42.

Numerus hostium à Cæsare victorum ita ponitur: primùm enim cuiusq; populi capita numerantur: deinde ex his omnibus, qui arma ferre possent, adijciuntur. Postremò summa sunt etiam ista 92. millia eorum qui arma ferre potuerunt, comprehensa.

Totius ferè Galliæ. 43.

De Gallis, hoc est, Celtis, hoc libro deinceps loquitur.

Horum primò circiter. 44.

Aruernos Ptolemæus ad fontes Ligeris amnis ponit: hodie ea regio nomen tenet. Fuerunt enim Hedui à Sequanis Aruernisq; duobus locis clausi. Porrò Sequani, cùm ad Rhenum extenderentur, perfacilè habebant Germanos in auxilium vocare. Quàm bellè verò eiusdem res illis cesserit, sequentia Diuitiaci verba declarant.

Sed peius. 45.

Vide an eam partem terræ putet, quæ hodie adhuc nomen tenet Sunggäw / & superior Elsatia: vicini enim sunt Rheno & Germanis.

Harudum. 46.

Harudes qui sint ex Germanis, non satis certò constat: quidam eos ex Eremo Heluetiorũ, quod caput Hercyniæ syluæ quando erat (nunc vulgò Schwartzwalt nominatur) fuisse cõtendunt. Porrò ea sylua transrhenana fuit, Autore Ptolemæo. Adijcitq; Corn. Taci. eam quondã ad Mœnum vsque amnẽ, suo imperio tenuisse Heluetios. Ptol. aut Carudes in Cimbrica poni Chersoneso, vnde in militiam longinquam acce̅rsiti videntur, vt ferè Germanorum est militia.

Amagetobriæ. 47.

Amagetobria, quod oppidũ sit, ignotatur. Marl. Margetobriam ponit, & Gallicè vocari ait Todut. Quidam libri habent Admagetrobtia.

Cimbri Teutoniq;. 48.

Cimbri populi in extremo angulo Germaniæ ad Septentrionẽ Chersonesum habent: hodie Dacij, sed corruptè, vocãtur. Nam Danos esse eos nominatos à rege Dano, in Chronicis eorũ scriptum est. Regem habent propriũ, cuius imperio parent Scandinauẽses, Noruegia, pars Gothiæ, & multæ præclaræ alioquin Insulæ. Vide de Cimbris Strab. lib. multis verbis differentẽ. Teutones Ptolemæus nõ longè ab Albi fluuio inter Phatooinos & Sueuos ponit. Tacit. à Tuiscone Rege nomen habere putat, & alludit vulgaris linguæ denominatio. Vicus hodie est è regione vrbis Agrippinæ trans Rhenum, nomen eius regio obtinens, vt putant. Neq; Teutones & Germani ijdem sunt, sicut neq; Alemani & Germani.

Treuiri autem pagos. 49.

Treuiri ad Mosellam fl. ciuitatẽ habent, quam aiunt ab Abrahæ filijs ædificatam: hodie Episcopatus est, ex septem Romani imperij vnius Electoris. Locus prætereà cum nomine multas antiquitates ostendit.

Pagos centum Sueuorum. 50.

Sueuos Ptol. ad Albim fl. ponit, qui tamẽ olim maximã parte Germaniæ occupârunt, latissimeq; protendebantur. Quippe quorũ erant centũ pagi. Deinde mutatis sedib. ad caput Danubij, & Hercyniæ syluæ consederunt: Retiæq; non illius veteris, sed Romanæ prouinciæ, Danubiũ, ac Rhenum aliquam partem adhuc hodie possident. De his Cæsar lib. 4. copiosissimè, vbi & nos multa alia.

Vesontionem. 51.

Vesontionem oppidũ Sequanorũ Ptol. nomina: Vesontiũ, & vulgus hodie Bisontium: fluuius qui oppidũ propemodum circumdat, à Ptolemæo Dubis nominatur: Cæsar Alduabin aut Aldudubim (nam codices mirè variant) appellat. Cæterùm qui fuerint Benesti Regis fines, nusquam nobis expressit Cæsar. At ego puto eum Herciniã Brisgoiæ terræ fuisse dominum, aut non longè ab ea.

Factum etiam nuper in Italia. 52.

Videtur de Spartaco loqui gladiatore: quanquam nihil certi affirmamus.

Ariouistum cum multis. 53.

Loquitur de pugna Amagetobriæ facta: de qua paulò superiùs mentionem fecit.

Frumentum Sequanos, Leucos, Lingonas subministrare. 54.

Leuci populi sunt ad Mosellam, nec ita longè à fontibus eius. Hodie Episcopalis vrbs est eorum Tullium in Lotharingia: vt rectè annotauit Marlianus.

Sibiq; eam prætoriam cohortem futuram. 55.

Prætoria cohors est dicta, quòd à prætore non discedebat. Scipio enim Africanus Primus fortissimum quenq; delegit, qui ab eo bello non discederent, & cætero muneri militiæ vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent. Festus Pompeius.

Heduos Romanis auxilium tulisse. 56.

Argutum argumentum est, quo Cæsarem vanitatis arguit: quippe Hedui Romanis non fuêre auxilio contra Allobrogas, nec contra Romanos Hedui, cùm aduersus Ernestum pugnarent.

Et Rutenos. 57.

Rutenos Ptolemæus inter Aquitanos ponit, quanquam ex verbis Cæsaris Aruernis propinqui videntur. Et quanquam Cæsar hic ait, non redactos in prouinciam, tamen posteà sæpe leguntur prouinciales. Quidam etiam duplices faciunt Rutenos, Prouinciales & non Prouinciales. Ciuitas eorum hodie Rhodes dicitur. Cæterùm Quintus Fabius Maximus hic fuit Cos. cum L. Opimio, anno ab Vrbe condita D. C. XXXIII. Cùm hic annus sit D. C. XCVI. ab Vrbe condita. Meminit Florus in Epitome lib. LXI.

Omnes Alarios. 58.

Alarij milites sunt nō satis solidi ac firmi, ideóque à lateribus adhibebantur tanquam alæ. Vnde & nomen inuenerunt.

Harudes. 59.

Incerta distinctio est, incertaque lectio. Nam si leges Constiterunt, necesse est sequi Nominatiuum: sin Consisterunt legas, Accusatiuū, quanquam Coniunctio, paribusq; interuallis haud scio quàm aptè hæreat. Ideoq; locum corruptum opinor, nec facilè restitui posse, nisi vetusto aliquo exemplari adiuti fuerimus. Quidam suspicantur Harudes Nominatiui esse casus (etenim illorum erat bellum) alios autem populos in Accusatiuo construi ad verbum Circundederūt, quod nescio quàm probem.

Marcomannos. 60.

Marcomānos Ptolemæus apud Gabrisam Germaniæ syluam ponit vltra Danubium, ac è regione Pannoniæ superioris. Satis constat eos esse Morauienses. Nam & Germanica vox alludit Marcten land/ à marcha, hoc est, termino.

Tribotes. 61.

Triboccos Ptolemæus locat rectà sub Rauracis ad Rhenum, Strabo lib. 4. Triboccos vocat, idq; rectiùs. Nam à tribus fagis nomen habent, Tribuchen. Plinius lib. 4. cap. 17. vocat Tribocos: & verisimile est Brisacum designari. Nam & constans fama est, oppidum illud in Gallia olim situm fuisse, quod nunc in Germania est, mutato Rheni alueo.

Vangiones. 62.

Vangiones Ptolemæus sub Triboccis, & Nemetes sub Vangionibus ponit. Quod si illic verè legitur, non erunt Nemetes Spirenses, neq; Vangiones Vormacienses. Spira quippe supra Vormaciam est, Sed in his neque oportet in omnibus codici accedere Ptolemæi, qui in particularibus, vt ita dicam, locis sæpe exorbitat: neque communibus literatorum coniecturis credere, qui sæpe priscа temerè nouis comparant.

Sedusios. 63.

Sedusij, non sunt Seduni, sed Germani, vt testatur Plinius lib. 4. capit. 17. Et quamuis Tribocci, Vangiones, & Nemetes, in Gallico littore sedes habeant: tamē aut origine, aut vicinitate, aut lingua Germani videri poterant. Ideoq; Ernesti Regis partes secuti. Andreas Althamer/ insignis nostra ætate antiquitatis indagator, Sebusios legendum putat.

Quos, Vbij qui proximi. 64.

Vbij populi transrhenani, & apud Tacitū, & C. Cæsarem, hodie eorum creditur vrbs Agrippina Colonia, quæ olim transrhenana fuisse dicitur, vt testantur illorum Chronica. Cuius rei hodie multa sunt indicia. Quippe apud diui Panthaleonis ac vndecim millium virginum templa planè veteris alnei vestigia videntur. Sed posteà Gallicæ terræ facta, Diuitense munimentum habuit, quod hodie Tuitium vocant.

Ad conuentus agendos. 65.

Conuentus quatuor modis intelligitur. Vno, cùm quemlibet hominem ab aliquo conuentum esse dicimus. Altero, quum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in vnum locum. Tertio, quum à Magistratibus iudicij causa populus congregatur. Quarto, quum aliquem in locū frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur. Hæc Festus Pompeius.

Annotat. Henr. Glarea. in lib. 1. finis.

C. IV.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELO GALLICO

LIBRVM II. HENR. GLAR. ANNOTATIONES.

I.

IN hoc secundo libro habentur quæ Cæsar bella gesserit in Belgis, tertia Galliæ parte: ac primò de origine Belgarum differit. Deinde, vt cum vniuersis congressus sit, ac vicerit: posteà in Neruijs egregia illa pugna describitur: Aduaticorum item expugnatio & perditio. Denlq; ciuitatum Armoricarum, quæ hodie Britanniæ nomen obtinent, deditio.

Cùm esset Cæsar. 2.

Secundus annus belli Gallici, Coss. P. Cornel. Lentulo, & Quint. Metello nepote, anno ab Vrbe condita, D.C.XCVII.

Calceos x. *millia.* 3.

In hac Belgarum descriptione fermè populorum nomina hodie constant vetere appellatione, quanquam correpta siue apocopata, de quibus Martianus rectè sentit. Quidam autem Caletos legunt, per t, in vltima syllaba. Quidam etiam aliqua horum populorum nomina inclinant tertia Declinatione, quæ alij Secunda. Non est autem dubium, quin Romani Gallica nomina omnia corruperint, sicut contrà nostra ætas Romanis sua deprauat.

Loco pro castris. 4.

Videtur legendum esse, Loco opportuno atque idoneo capto: alioqui nullus videtur sensus. Est autem Topographia, hoc est, loci descriptio, pro instruenda acie elegantissimè posita.

Sectionem eius oppidi vniuersam. 5.

Sector, est æstimator redemptorque bonorum damnati atque proscripti. Ascon. Pædianus. Res autem ipsa sectio dicitur.

Ad Venetos, Vnellos, Osissinos. 6.

Venetos Ptolemæus maritimos facit in Lugdunensi Gallia, à quibus putat Strabo libro quarto, Venetos in Italia suum nomen habere: quod verisimilius est, quàm quod Liuius, perpetuus Gallici nominis hostis fabulatur, ab Antenore proditore vrbis Troiæ originem traxisse Paduanos, ab Heneto Paphlagonum duce Venetos. Ositimios Ptolemæus vocat, quos Cæsar Osissinos, quanquam hoc nomē mirè variatum inuenitur. Vnelli pręterea ad mare ex aduerso Britanniæ positi sunt. Cæterùm qui hic enumerantur populi, hodie Britanniæ nomen habent: hoc enim nomen in continentem migrauit, cum priùs Insula esset. Nunc verò Britonibus eiectis, Anglia recens nomen est insulæ, quanquam eius Septentrionalem partem tenent Scoti. Mansit igitur nomen Britonũ Galliæ. Porrò Carnutes & Rhedondes populi inter Ligerem & Sequanam amnes sunt, eodem Authore Ptolemæo: & non longè ab eis Andes, vbi in hybernis fuit exercitus Cæsaris. Aulertij autem, hodie Normandię sunt populi, de quib. posteà plura.

Annotat. Henr. Glarean. in Lib. II. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIB. III. HENR. GLAR. ANNOTATIONES.

I.

TERTIVS Commentariorũ liber, tertij anni huius Belli historiā complectitur, ab Vrbe condita, an. D.C.XCVIII. Coss. Cn. Lentulo Marcellino, L. Martio Philippo. Insunt autē quātuor bella. Primum Serg. Galbæ aduersus Sedunos, Veragros, & Antuates: Secũdum ipsius Cæsaris ac Bruti in Venetis. Tertiũ Qu. Titurij Sabini in Vnellis. Quartum P. Crassi in Aquitanis. Adiungitur his expeditio Cæsaris in Marinos ac Menapios, vbi nihil dignum memoria actum est.

Sedunosq́ misit. 2.

Rectissimo ordine Cæsar hosce nominauit populos: sunt enim ex Heduis ad summas Alpes eunti, primi Antuates, medij Veragri, vltimi Seduni: sed non est tamen eadē regionis conditio: optimā Antuates, mediocrē Veragri, asperam, sed multò longiorē Seduni tenent: qui quidē Seduni à summis Alpibus initio sumpto, atq; adeò à fontibus Rhodani, secundum ipsum flumen vallem habēt extentam C X. millia passuum. Homines liberi, & quos Romani nunquam cogere potuerint, vt ipsorum discerent linguam: quod signum est, vel

nihil

nihil ibi vnquam, vel paruo tempore potuisse Romanos. Habent itaq; adhuc antiquã linguã Galliç, qua etiámnũ Heluetij vtuntur. Rhodanns sanè inundatione frequenti multa illis adfert incommoda, nec minùs ingentes illi torrentes, qui tantum saxorum, vt monteis adæquare queant, ingerunt. Ipsi hodie pristina retenta virtute, Veragris, qui Romana vtuntur lingua, dominantur, ac in prouinciam redegêre, parte etiã Antuatiũ occupata. Sedunum præcipuum eorum oppidum est, In quo Episcopum constituunt, qui regioni & vt Princeps, & vt Ecclesiasticus præsul imperat, liberis tamen, non seruis: nihil enim publicè agit absque omnium ciuium eius regionis consensu. Heluetijs sunt confœderati, vt Rhœti, maximè quatuor partibus, Luceriæ, Vriæ, Suiziæ, ac Syluaniæ, quibus cùm veterem ac maiorem suorum fidem nostra ætate egregiè defenderunt. Cæterùm Octodorus in Veragris vicus hodie Martanach dicitur, flumini adiacet quod ex Pænino monte, (maior S. Bernardi vocatur) Septentrionem versus fluens, Rhodano commiscetur. Agaunum autem locus est, qui hodie sancti Mauritij dicitur, ad Rhodanum amnem, in ipsis etiam Veragris. Antuates autẽ inter Veragros ac Allobrogas medij sunt, sed magis à latere lacus Lemani, qua ad Heluetios pertinet. Hæc ferè ex Diui AEgidij Tschudi ciuis nostri Rheticæ veteris descriptione. Antuatibus nostra ætate præfuit generosus Baro, Lulini dominus Aymo à Gebennis cum filijs, Georgio, Guidone, ac Prospero. Porrò summis alpibus, qui Pæninas esse Alpes astruunt ad Octodorum, egregiè decipiuntur. Nam Cæsar hoc loco Sedunorum, Veragrorum, atque Antuatium longitudinem exprimere volens, ait eos à finibus Allobrogum & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinere: qua descriptione nihil luculentius dici potest. Cæterùm vbi potiùs summas Alpes dixerimus, quàm vbi in omnes mundi plagas flumina eximia fluunt, ac originem habent? Sunt autem hac Alpium parte septem hæc, Ticinus, qui ad Meridiem, Tosa ac Madia ad eundem, Rhodanus ad Occasum, Arola ac Vrsa ad Septentrionem, Rhenus ad Ortum duobus fontibus, vt posteà dicemus libro sequenti.

Concisa æstuarijs. 3.

AEstuaria, loca sunt marinis aquis referta.

Socios sibi ad id bellum. 4.

Qui hoc in loco numerantur populi, partim sunt Celtæ, ciuitatum maximè Armoricarum, hodie Britanniæ ducatus: partim sunt Belgæ, hodie Normaniæ Comitatus Morini.

Quas ex Pictonibus. 5.

Santonibus puto legendum. Nam libro primo tertia vtitur declinatione, Iter (inquit) in Santonum fines facere. Rursus de eisdem: Dum omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santones Heluetij peruenirent. Nisi quis putet Cæsarem eo nomine vtraque vsum declinatione, sicut Mediomatricum nomine, libro quarto, vbi ad Rheni fluuium, tertia: & libro septimo, vbi de Gallorum copiis, secunda vtitur. Codicum fidem vbique in dubium adducere nimium solenne est. Sed iudicet Lector.

Carina. 6.

Carina infima nauis pars.

Transtra ex pedalibus in altitudinem. 7.

Transtra & tabulæ nauium dicuntur: & tigna, quæ pro pariete in parietem porriguntur, Autore Festo.

Pelles pro velis. 8.

Pellis postquàm est concinnata ad calceos, & cætera opera facienda, aluta dicitur. Varro.

His cum fines. 9.

Antennæ sunt ligna per transuersum in malo posita, in quibus velum alligatur.

Tanta subitò malacia. 10.

Malacia est maris quies, cùm fluctus omnino quiescunt. Suidas [illegible] exponit.

Atque his paucis diebus Aulerci Eburonices. 11.

Ptolemæus triplices ponit Aulercos In ipsa adeò Lugdunensi Gallia, quæ inter Sequanam ac Ligerim. Primos Diabolitas, aut Diaulitas, vt alij habent codices, quos Cæsar paulò antè hoc in libro Diablinres vocâsse videtur. Hi proximi sunt Venetis. Alteros Cœnomãnos, Andibus ad Ortum. Tertios Eburaicos à Ligeri ad Sequanam protensos, quos hîc Cæsar Eburonices vocat. Vnus igitur hic populus Aulerci Eburonices, non duo. Aulerci Gallica lingua videntur dici Owlercher/ & Diaulitæ die ouuluot. Cœnomanni verò Künmenner/ quos Græcè Thrasyandros dicere possis.

Sontiates in magnis copijs. 12.

Sontiates populi Aquitaniæ, quos Plinius libro quarto, cap. 19. Sotiates vocat, vbi de Auscis.

Alia ex parte oppidi Adcantuanus. 13.

Hîc suspensus est sermo per longius Hyperbaton, sed ea tamen verba posteà repetit. Exemplum simile est Egloga 8. Vergilij ab initio:

Pastorum Musam Damonis & Alphesibæi.

Crassus in fines Vocontiorum. 14.

Vocates, vel, vt alij vocant, Vocatij, populus Aquitaniæ, sicut & Tarusates, vicini Sontiatibus, qui non longè à Tolosa & Narbone absunt. Vocontij verò Galliæ prouinciæ, proximi Allobrogibus, vt ex libro primo paret. Hîc igitur legendum est, aut Vocotiorum, aut Vocatium, non Vocontiorum.

Quæ ex Aquitania, Cantabrisq́. 15.

Cantabri sunt populi Hispaniæ ad Septentrionem

nemaťq; Oceanum Britannicũ Gallicumq́; ſpectantes, qui & mari & terra facilè in auxiliũ Aquitanis venire poſſunt. Tarbellos porrò Ptolemæus Aquitaniæ populos itidem ad mare collocauit. Bigerrones, non longè abſunt à Turſa in Vaſconia. Tum Preciani, Vocates (à quibus putant Vaſcones dictos & Vaſconiam) Taruſates (Turſiani hodie) Fluſtates (quorũ & hodie nomen manet) Garites, his finitimi fuerunt, omnes hodie ſub nomine Vaſconiæ. Auſcorum meminit Mela & Ptolemæus, hodie nomen quoq; manet. Cæterùm Garumni qui eſſe poſſunt alij, quã qui Garumnã flumen circumhabitant: Sibutzates verò & Cocoſates, qui hodie ſint, parùm conſtat: certum tamen eſt Aquitanos eſſe.

Morini Menapijq́; ſupererant. 16.

Morinos & Menapios Cæſar hoc loco coniunxit, quaſi vicini ſint hi populi: rurſus libro ſequente, vbi iturus in Britanniam. Quint. Titurum, & L. Aurunculeium in Morinos atq; Menapios miſit. Ad finem autem eiuſdem libri eos ex Menapijs veniſſe ait, quum ipſe Morinos domuerit per T. Labienum illuc miſſum. Veriſimile eſt, aut latum habuiſſe imperium vel Morinos, vel Menapios, aut hic ineptè librariorum errore coniunctos, vel alium quempiam populum alterutrius loco ſuppoſitum: quod equidem Lectori diſcutiendum relinquo.

Annot. Henr. Glar. in lib. 3. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO Librum IIIJ. Henrici Glareani Annotationes.

I.

SVnt in hoc quarto libro hæc ordine: Bellum contra Vſipetes & Tenchtheros Germanos, qui à Sueuis pulſi, in Gallia armis ſedes ſibi quęſierant. Vbi obiter Germanorum mores deſcribuntur. Deinde tranſitus exercitus Cæſariani per Rhenum in Germaniam: vbi difficillima pontis deſcriptio habetur. Vltimò nauigatio in Britanniam inſulam, quæ hodie Anglia dicitur, & reditus mediocriter felix.

Vſipetes Germani, & itẽ Tenchtheri. 2.

Vſipetes & Tenchtheri, quas olim habuerint ſedes apud Germanos, apud pleroſq; dubiũ. Althametus tamen inſignis noſtra ætate rerum Germanicarum indagator, Vſipetes ad Rhenũ fuiſſe putat, maximè in eo tractu, vbi nunc Franci ac Heſſi colũt, nempe à Franciuado nobili Emporio, Mœni oſtio, ad Occidentalem, vulgò vocatam Syluã Weſterwalt/ & Confluẽtes vſq;. In qua plaga Ringoia eſt infra Maguntiacum ad dexteram Rheni ripam. Tenchtheros verò infra illos ad Vbios vſque eadem Rheni ripa collocatos aſſerit. Heſſi hodie eas regiones tenent. Hæc ex illo. Tacitus hoſce duos populos aut proximo Cattis colere Rhenũ, certũ iam alueo quiq; terminus eſſe ſufficiat. Cæterùm ipſe Vſipios appellâſſe videtur, ſecunda declinatione. Ptolemæus Viſpios. Tenchtheros verò Tingeros. τιγγέρων enim Græcus habet codex. Hoc autem Lectorem meritò moretur, ſi Vſipetes & Tenchtheri Rhenani fuerunt, vt ex Tacito ac Ptolemæo colligitur, quónam pacto trienniũ vagati, vt hic ait Cæſar, Rhenum peruenerint, qua regione (nam ita legendũ puto, non, quas regiones, vt etiam ipſius tranſitus locus deſcribatur) Menapij incolebant, quod vtiq; Lectori cogitandum relinquo. Niſi fortè Cæſaris tempore alias quàm Cornelij ac Ptolemæi habuerint ſedes. Sed hæc de his. Sueuos autem Ptolemæus triplices facit, Longobardos Auſtraliores Sycambris à parte Rheni (quanquã eo in loco Oquebos ineptè alij legunt: Bilibaldus Pirckheymer eximius rerũ antiquarum, dum viueret, ſcrutator ac iudex, & nobis amicus, Silebos traduxit: ac miror Ptolemæi mentem id loci non exactiùs animaduerſam.) Alteros Angelos magis Orientales Longobardis, & in Septentrionẽ ad medium Albis extentos. Tertios Semnones à medio Albi Orientem verſus ad Sueuum vſq; fluuium. Quo ſanè ex ſitu, quàm latè olim patuerit Sueuorum natio, ſatis liquet. Ptolemæus inter Germanos, quos Rheno propinquos facit, & Sueuos, Longobardos ponit. Poſtcà verò, cùm Germanos Mediterraneos numeraret, qui ipſorum lingua Hertuoner nominantur (Plinius corruptè aliquando Hernuones vocat:) ibi verò treis ingẽtes commemorat populos, Sueuos, Angelos, Sueuos Semnonas, & Buguntas. Verba ipſius Græca ſubiungam: τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν, μέγιστα μὲν ἐστὶ τό, τε τῶν Συήβων τῶν Ἀγγειλῶν, οἳ εἰσὶν ἀνατολικώτεροι, τῶν Λαγγοβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ ἄλβιος ποταμοῦ. Καὶ τὸ τῶν Συήβων τῶν Σεμνόνων, οἵτινες διήκουσι μετὰ τὸν ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολάς, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ. Καὶ τὸ τῶν Βουγουντῶν τὰ ἐφεξῆς, καὶ μέχρι τοῦ Οὐιστούλα κατεχόντων. Quæ verba ita vertenda erant: Interiores autem & mediterraneæ Gentes maximæ ſunt, tum Sueui, Angli, qui Longobardis magis Orientales ſunt, in Septentrionem protenſi, ad medium vſque Albis fluuij. Tum Sueui Semnones, qui habitant poſt Albim à prædicta parte ad Ortum ad Sueuum vſque fluuium. Denique Buguntæ, qui reliqua

deinde

deinde sequentia, ad Vistulam vsque flumen tenent. Buguntas puto à Ptolemæo dictos, quos postera ætas Burgundos vocauit. Nostra ætate Sueuorum natio de vetere sede nihil possidet. Nam hæ gentes, vbi illi olim sederunt, ne nomen quidem Sueuorum ferant, si quis fortè Sueuos appellârit.

Ii centum pagos habere dicuntur. 3.

Centum horum pagorum lib. 1. antè mentio facta est. Sed pagum haud dubiè alia significatione dixit, quàm cùm de Heluetijs loqueretur. Ibi enim pagus minimum xx. millia hominum continebat: hic verò pro ditinncula binorum aut ternûm millium virorum accipitur, quemadmodũ posteà, cùm de Moriuis in hoc libro loquitur: Reliquum, inquit, Exercitum Qu. Titurio Sabino, & L. Auruneuleio Cottæ legatis in Menapios, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, ducendum dedit. Verùm hoc sciendum, quemadmodum omissâde Vsipetibus ac Tenchtheris cœpta narratione ad Sueuos Cæsar diuertit, ita mox relicta de Sueuorum centum pagis cœpta historia, ad omnium Germanorũ mores enarrãdos statim sermonem conuertit. Quod ex his manifestum est. Nam quæ hic de equestribus prælijs scribit, mox in Vsipetum, ac Tenchtherorum pugna eadem commemorat. Item, quæ de priuato nullo agro, de victu ex lacte, de corporum nuditate, eadem omnia sunt lib. v i. de Germanis. Deniq; cùm de iumentis hîc loquitur, quibus maximè Galli delectentur, quæq; impenso parent precio, continuò non Sueuos, sed Germanos subnectit: Germani (inquiẽs) importatis nõ vtuntur, &c. Atqui Cæsar ipse, vt hoc loco & lib. vi. sibi constet, vix equidẽ expedio. Hic enim per millenũ virorum apud Sueuos commutationem neq; belli, neq; agriculturæ rationem intermitti scribit. In sexto verò, Germani, inquit, agriculturæ non student. Rursus hoc in loco: Neque longiùs, inquit, anno remanere vno in loco incolendi causa licet. Paulò verò pòst, in hoc adeò libro, Sueuos oppida habere commemorat, de quibus iussi sint, missis nuncijs, posthabitum concilium, demigrare. Ad quid autem oppida habent, si non liceat longiùs anno remanere vno in loco incolendi causa? Sed habent hercules, habent inquam historici Romani, vbi haud dubiæ negligentiæ accusari queant. Quidam nostra ætate de Sueuis sermonem ingressi, ita latos eorum faciunt fines, vt totam ferè Germaniam occupent. Vnde planè euenisse credo, cùm Germanũ dicere vellent, Sueuum dicerent. Quæ consuetudo etiámnum apud Heluetios, vnicas veteris Galliæ reliquias, manet.

Et in fines Eburonum & Condrusorum. 4.

Condrusorum & Eburonum suprà etiam meminit libro secũdo, vbi à Germanis originem eos ducere dixit. Quidam Eburones hodie putant Leodienses esse. Condrusos verò Aquenses, vnius diei ab Agrippina itinere.

Mosa profluit ex monte Vogeso. 5.

Mosam fluuium Cęsar luculenter describit, seruat autem etiámnum nomen: sed pars Rheni, quæ ipsum excipit, hodie Valis dicitur, allusione ad Cæsaris vocem, qui Vacalon appellat, quanquam vetustiores codices Vualin habent. Vosepus autem mons, ab alijs Vogesus, latè patet. Separat enim Burgundos hodie & Lotharingos, deinde Elsatiam ab eisdem Lotharingis. Meminit eius Lucanus in primo Pharsaliæ:

Deseruêre cauo tentoria fixa Lemanno,
Castraq́, quæ Vogesi curuam super ardua ripam
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

Quæ carmina, vt mẽdosa, Antonius Sabellicus aliter legit, maximè duo frequentia:

Castraq́, Vogesi curuam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibentia Lingonas armis.

Vnde de huius nominis syllabis quantę sint, nihil definire quimus: quando in vulgata lectione priores vtraq; correptæ, in Sabellici productæ leguntur. Quanquam si vulgata lectio vera esset, Vopesus siue Vogesus flumen potiùs quàm mons videri poterat. Quare hoc Lectori neutiquam negligendum: nos certè nullum alium autorem habemus, quantum equidem meminisse possum, ex quo certiora adferemus.

Rhenus autem oritur ex Lepontijs. 6.

Neminem ducat admiratio, si veteres Geographi, quando omnia vel hostilia, vel inaccessa, incognitáve erant, de Rheni ortu tractuq; adeò exiguam nobis aperuerunt notitiam, quando nostra hac ætate, cùm omnia pacata, omnia lustrata sint, quidam ex professo de fluuiorum tractu scribere aggressi, nobis & Rhenum & Danubium, duo maxima celeberrimaq; Europæ flumina, non satis luculenter, imò valdè accisè descripserunt. Inter veteres tamen Scriptores Latini, quorum imperium ad vtrunque flumen finiebatur, multò magis quàm Græci mihi visi sunt negligentes. Nam Strabo atque Ptolemæus, dij boni quàm multis stadijs, diligentia, ac sedula cura præcurrunt Plinium, Tacitumq́; vtrumq; rei scribendæ oculatum (si dijs placet) testem. Plinius libro tertio, capite vigesimo, Sarunetes ortum Rheni accolunt, inquit. Item libro quarto, capite decimoquinto ostiorum Rheni meminit, originis nihil. Tacitus in Germaniæ descriptione: Rhenus, inquit, Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, Septentrionali Oceano miscetur. Hæc ille adeò breuiter de Rheno. De Danubio non minùs accisus est. Sed quum de modico Rheni in Occidentem flexu mentionem faciat, vt quid non & de eius modico in Orientem flexu aliquid commemorat: Nulla herclè causa dari potest, nisi quia nõ norat, alioqui neutiquam taciturus. Luculentiùs aliquantò Pomponius Mela, quem vetustiorem aliquantò vtroque existimo, vtpote sub Claudio Imperatore, vt quidam non imperitè ex eo ipso colli-

colligunt, Rhenus (inquit libro quarto) ab Alpibus decidens, propè à capite duos efficit lacus, Venetum & Acronium: mox diu solidus, & certo alueo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur. Hæc ille. At lõgè clarius Strabo Autor Græcus, hæc libro quarto ac septimo differit. Vbi etiã populos, lacus, accolas, iter longitudinisq; terminos commemorare non est grauatus. Sed operæprecium videtur, quando propè ad caput eius fluminis nati sumus, ac toties ipsum totum penè flumen nauigauimus, vt certiora de hoc, sed maximè quod ad caput attinet, ex certa ac indubitata descriptione Domini AEgidij Tschudi tradamus. Meminisse autem oportet Lectorem, summas Alpes esse, qui hodie mons Sancti Gothardi dicitur, ob causam mox de Lepontijs explicandam: cui Adulas mons ab ortu connectitur, cõtinenti quidem iugo, vt summarũ Alpium velut brachium, aut mauis cornu dici queat. Rhenus igitur initio ex his Alpibus sumpto, ab Orientali quidem earũ parte, vbi Adulæ monti coniunguntur, populiq; Lepontij habitãt, duobus nascitur fontibus, vnius vt minimum diei itinere, propter montium iuga distantibus. Altero magis occiduo magisque Septentrionali, haud ita longè à Ticini fontibus, qui paulò Occidentaliores sunt. Ad eũm Aætuatij propè (hodie Tauetsch) pertingunt. Per quorum vallẽ rectè ad Ortũ non ad Septentrionẽ, vt falsò veteres credidêre, currit. Hodie propriè Cauini dicuntur à canis, siue Grisones, vt vulgus appellat. Oppidum Iliantum, nunc Ilantz habent. Sub quo Glenuer flumen ex valle Luguitia descendens, ab hoc Rheni fonte à dextris suscipitur. Hic fons anterior Rhenus vulgò nominatur. Altero magisq; Orientali, magisq; Australi ex Adula monte, è regione fluminis Muesæ, quod ad Misaucorum vallem abluit, & paulò supra Bellizonam Ticino coniungitur. Hic fons posterior Rhenus ab accolis dicitur, sicut alter, anterior. Labitur etiam rectà in Ortum, ac insignem pagum Speluncam, deinde ad Schams, & ad altam Rhætiam (ita nominant arcem in excelsissimo monte sitam) prope pagum Tuscanum, vbi fluuium Abellam, ab ortu cõtrario cursu lapsum, à dextris suscipit. Vallis insignis sub eo confluente est Tumiliasca. Hic veræ Rhætiæ amœnissimus situs, hic innumera, vt nusquam aliàs viderim, multitudo arcium fuit, quarum vestigia etiámnum visuntur: plerasque vel bella, vel alius casus assumpsit. Hæc vitifera regio est. Hîc prorsus in Septentrionem conuertitur, curritque Rhenus ad Rhætium arcem, vbi Anteriorẽ Rhenum suscipit, qui cum eo in Ortum prope parallela decurrerat linea. Hîc ambo iam vnum flumen Rhætorum Curiam petunt, & hîc quoq; sunt veri Rhæti & Canini. Curia ipsa ad Plessuram flumen, elegans sanè oppidum est. Sub eo Rhenus tortuosior ingressus, Ciceres pagum adit. Ibi ad viginti millia passuum rectà in Occasum tendit. Rhucantij (quorum Plinius meminit) vallum obtinent. Langarus est flumen, ex Rhæticone monte (cuius mentio est apud Melam) Ortum, & per Rhæticam vallẽ delapsum, quod hoc loco à dextris Rhenus suscipit: mox Lupinum oppidum peruenit. Maij campum hodie vocant. Toto hoc tractu vitifera est regio. Hic Sarunetes, qui nominati sunt apud Plinium, à sinistris relinquit, elegantissimam sanè vallem, quæ lacum Rinatium attingit, vulgò Valense, nos superiùs alicubi etiam Vasenũ nominauimus. Hic Rhenus inter duos monteis (Alberg & Shalberg vulgò vocantur) ad Estiones rectà in Septentrionem delabitur. Meminit Estionum diligenter lib. 4. Strabo: adhuc nomen retinent. Hinc ad locum Benedurum à dextris Campum S. Petri (Feldkilch nominant) oppidũ sanè elegans, aliquot millibus passuum distans, habet à sinistris Comitatum Werdenberg/ Clatonensis ditionis. Sub Beneduro à dextris suscipit fluuium Illũ, qui è Rheticone monte ortus, ac per vallem Drusianam (vulgò Walgaw) lapsus, oppidum Feldkilch alluit. Sub hoc confluente Ruguscos à sinistris habet (Rintal nunc nominant) ditionis Helueticæ. Porrò & Estionum & Rugusceorum regio vitifera est. Hinc lacum Brigantinum, vt Plinius ac Solinus: vel Acronium, vt Mela: vel Constantiensem Potmicumq;, vt vulgus nostra ætate vocat, ingreditur. Circuitus eius lacus à Strabone lib. 7. supra CCC. stadia proditur, longitudo circiter CC. latitudo dimidio minor. Nihil hoc lacu elegantius. Ad caput eius Brigantum oppidum est. Vnde nomen inuenit. Deinde à dextris, qua parte Vindelici, nunc Lmngour, olim habitârunt. Lindauium est in Insula oppidum, cui oppido parua alia adest Insula, etiámnum Insulæ nomen retinens, qua velut arce ad inuadendos Vindelicos commodissimè vsus est in naualibus pugnis Tiberius, vt inquit Strabo eodem libro, non sanè illa quæ in lacu inferiore Augiæ nomen apud quosdam habet, vulgò Richenaw/ quasi diceres diuitem terram, quæ nonnunquam sicco adiri potest. Sunt alia item ab eodem latere oppida, Langenarg/ Buchorn/ Mersburg/ præsulis Constantiensis domicilium. Vberlingen eximium oppidum, extremo eius lacus angulo. A sinistris verò & littore Heluetico, Arbor felix, Acronij & Constantia. Hic Rhenus è superiore lacu inferiorem lacũ ingreditur, quem Pomponio Venetum appellatum contendunt. Nostra ætas Cellensem ab Rodolphi cella insigni oppido vocat. In hoc lacu, qui quadruplo minor est superiore, Augia Insula est, vt diximus. Oppidula alia sunt ab Heluetiorum parte, Steckborn/ ad lacum, infra autem lacum & ad Rhenum iam prorsus in Occasum conuersum Stein & Diessenhofen/ deinde Scaphusia à naualibus nomen habens, à dextris in Germanorum littore elegans oppidũ, à quo Danubij fons qui hodie creditus, vix viginti millibus passuum distat. Sub Scaphusia ad tria circiter millia passuum itinere pedestri, non autem secundum fluminis circuitionem, est maior Rheni cataractes, hoc est fluminis de alta rupe præcipitatio, cum ingenti strepitu, & stupenda aquarum ad scopulos collisione. Quem locum admodum miror, neq; Plinio, neq; Corn. Tacito, qui se Germaniã Galliamq; vidisse gloriantur, ne vno quidem verbo nominatum. Eum nos in Panegyrico de Hel-

b uetijs,

uerijs, vbi Scaphusiæ laudes canimus, his verbis obiter descripsimus:

Quàm propiùs liquidi facies nitidissima Rheni
Alluit: hic rapidus refluente in gurgite vortex
Certatur, Euripum referens, Scyllæq; voracis
Latratus, hic unda alta de vertice montis
Lapsa ruit praeceps, sterilemq; eructat arenam
In circum sursumq; volans portendere nubem,
Aut nebulæ speciem, & cælum pulsasse videtur.

Sub eo iam cataracte in seipsum propemodũ, vt de Mæandro Scriptores referunt, Rhenus redit, duobus in longum spacium gyris ad tubæ ductilis formam spiras faciens. Quo in loco cœnobium, hodie Rhinaw / vbi olim magnum fuisse oppidum fama est. Videntur adhuc aliqua vrbis vestigia, sed nõ omnino vetusta, vt puto, nulla, quod sciam, Romanis literis inscriptione. Quidam Sueuorum principum, dum aliquam Heluetiorũ partem tenebant, fuisse regiam perhibent. Paulò inferiùs Rhenus D'ursflumẽ excipit, de quo in superioribus. Hinc tursus ad quatuor millia passuum in Austrum versus: Toēsam flumen à finistris, ad oppidum Eglisow / ditionis Tigurinæ, & rursus dein facto admodũ paruo arcu, prorsus ad Occasum conuersus, paulò infra aliud flumen itidem à sinistris, Glatt vocant, ex duobus ortum lacubus, Fefino & Gryphio, accipit. Hinc oppidum Keyserstul / quasi dicas Cæsaris solium, à sinistris habet, mox Zurzachium nobile emporiũ ab eodem latere, multi forum Tiberij Ptolemæo dictum putant, non omnino absque ratione. Nam locus peruetustus videtur, Collegio Canonicorũ, ac diuæ Verenæ virginis tumulo nobilis. Quidam autem Cæsaris solium Ptolemæo forum Tiberij dictum putant, sed Zurzachium Gannodorum. Hinc ad quinque millia passuum confluens est Rheni ac trium fluminum siue pagorum, antea in vnum sub Aquis, Vindonissaq; commixtorũ. De hoc vbi de pagis Heluetiorum libro primo satis, vt puto, diximus. Hic Rauracorum incipit tractus, cuius quatuor elegantia sunt oppida, de quibus eodem libro primo. Primum igitur Walshut / in latere dextro, à confluente duo millia passuum distat: cui sylua Hartziana, ab Ammiano Marcellino sic dicta, non Martiana, vt corrupti habent codices, imminet. At de hac posteà pluta libro sexto. Alterum inde ad decem millia passuum latere Rheni sinistro: quanquam pons bina connectit oppidula, sed maius cum arce à sinistris est. Hic minor est Rheni cataractes, non ita prærupta, vt superior, rupe, decliuis tamen & scopulis horridis, angustiaq; memorabili insignis. Nec tamen minore altitudine, si à supremo eius labro ad procellarum ac sæuientis vndæ finem supputes. Nomẽ inde Lauffenberg / quasi dicas, Cataractæ mons: quippe cuius in insignis arx imposita est. Octo millibus inde passuũ Insulam facit, diui Fridolini sancti viri, qui ante mille annos in eam venisse dicitur, sepulchro nobilem. Tertium Rauracorum oppidum, & nobilium virginum collegium est. Nec apud me dubium, quanquam in Rauracis hic locus est, à Sequanis tamen, qui non longè inde absunt, nomen habere, non à Sacco, vt vulgus torsit vocem. Huic Collegio non parum debeo, & propter patriam meam Glaronam, quæ illi fœderis iure multis seculis obnoxia fuit, & mei etiam causa, quòd illic ab ipso Collegio ac Senatu sæpè honestè exceptus fuerim. Sanè per omnem Rauracorum terram Rhenus citatus fertur, donec ad quartum oppidum (Rhynfelden / appellant, quasi dicas Rheni campum) deuenerit. Id à sinistris habet, & ipsum elegans sanè oppidum. Hic quoque aliquid cataractæ simile videtur, nullo tamen magno nauium periculo: quippe quæ cum hominibus (qui quidem voluerint, nam licet cuique paulò superiùs nauim exire) tutò transeant: quum in maiore cataracte nullæ prorsus naueis, in minore vacuæ per funes aliquando & cum hominibus, sed audacibus, & vitam nihili facientibus, transmittantur. Hic autem, vt diximus, licet transire, si velis, vulgus Hellhacken / id est, Tartari vncum vocat. Quum Rhenus paruus, videtur in medio eius alueus aquarum inter rupes, quem nautæ norunt, etiam turbulento amne. Post hoc oppidum nihil ampliùs in Rheno tumultus est, placidus inde adhuc ad duodecim aut circiter millia passuum meat, donec Basileam venerit. Ibi verò prorsus ad Septentrionem conuertitur. Hic itaque verus est Rauracorum tractus, quem nescio, num quisquam ante hanc ætatem rectè nouerit: qui cum à Basilea ordiuntur, Colmariam vsque, planè errant. Cæterùm sub Rhynfelden / ad quatuor millia passuum à sinistris Augusta Rauracorum fuit, in humilem hodie redacta vicum. Visuntur adhuc veteres ruinæ turrium, cloacarum, pyramidum, numismata plurima aurea, argentea, ac ærea: ab Hunnis vulgò creditur diruta: alij malunt ab Alemanis sub Valentiniano Tertio euersam. Totus fermè Rauracorum tractus hodie ditionis est Ducum Austriæ. Terminatur autem ad Byrsam flumen, quod quingentis circiter passibus supra Basileam à sinistris Rhenus excipit. Nam Basileam ego in Sequanis constituo: attingunt enim Sequani ea parte Rhenum, vt libro primo inquit Cæsar. Sungoij hodie haud dubiè pars sunt Sequanorum. Hæc hactenus de Rheno certa ac visa potissimùm hac de causa retulimus, quòd plurimum à veteribus neglecta, à recentioribus non satis diligenter, imò, nec verè tractata viderimus. Reliqua deinde à Basilea ad finem vsque fluminis, etsi pleraque nobis visa sunt, verùm quòd id à multis annis factum, nec ita recenti sunt: nobis memoria, tùm quòd ab alijs diligentiùs quàm superiora, quæ nunc diximus, tradita, consultò omittantur. Nam quod ad hunc attinet locum, satis nobis dictum videtur: de ostijs eius (vt hoc Lectori velut parergon adijciamus) varia est apud Authores opinio. Vergilius bicornem Rhenum vocat octauo AEneidos, quòd duo sint eius ostia. Plinius libro quarto, capite 15. Helium ac Fleuum vocat. Cæsar alterum quod Mosam accipit, Vacalon, quam hodie Valim vocant: alterum verò neutiquam nominat, olim Rhenl, vt qui-

vt quidam putant, hodie Leccæ nomē habet. Sed audiamus duorum hac de re authorū verba. Pomponius Mela eodem quo iam diximus loco, hæc continnò subnectit verba: Sed ad finiſtrū, Inquiens, amnis etiam tum, & donec effluat, Rhenus ad dextram primò anguſtus, & ſui ſimilis, poſt ripis longè ac latè recedentibus, iam non amnis, ſed ingeus lacus, vt campos impleuit, Fleuo dicitur, eiuſdēq; nominis Inſulā amplexus, ſit iterū iterumq; arctior fluuius emittitur. Hæc ille. Quæ verba, ſi ſiniſtri ac dextri nominibus vtitur, conſueto modo, vt hoc Germanicum, illo Gallicum latus deſignet: Valim Rhenum vocat, alterum autem oſtium Fleuum. Cornelius autem Tacitus Auguſtæ hiſtoriæ libro ſecundo, Rhenus, inquit, vno alueo continnus, haud modicas iuſulas circumueniens, apud principium agri Bataui velut in duos amnes diuiditur, ſeruatq; nomen & violentiam curſus, qua Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior, & placidior affluens, verſo cognomento, Vahalim accolæ dicunt: mox Id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiuſq; immenſo ore in Oceanum effunditur. Hæc ille. Quibus verbis Melæ contrarium iudicat, nempe Septentrionalibus oſtium, Rheni cognomine dictum: alterum Vahalim, quod Cæſar Vacalon, ſiue (vt alij habēnt codices) Valin vocat. Memini ante annos duodecim, cùm ea de re D. Eraſmo, vt ad Rheni oſtia nato, Authorum verba propoſuiſſem, caſu ei colloquio interueniſſe ex Belgis virum eruditum, recens ex Italia profectum. Auronium (cognomen quod vehementer doleo, non teneo) artis Medicæ profeſſorem. Hic quum audiret, mirari me autorum tàm varias opiniones de oſtiorum Rheni cùm numero, tùm nominibus: Glareane (vltrò inquit) video quid erres. Rem, ſi gratum tibi putes, breuibus expediā. Imò percupio, inquam. Tum ille: Tertium, inquit, Rheni oſtium, quod hodie Iſela dicitur, Ptolemæo, & neſcio quibus alijs celebratum, id verò antiquitùs non fuit. Sed Druſi aduerſus Germanos bellantis iuſſu, foſſa in mare deducta factum eſt, vt munimentum aduerſus barbaros eſſet. Atq; ideo Ptolemæo tria ſunt Rheni oſtia, quæ veteribus duo. Hæc quum audiſſem, acquieui: verùm quid idem de nominibus ſentiret, vt interrogarē, in mentem non venit, nec tùm id agebam. Cæſari hercle ea de re nihil certi conſtitit: Vbi Oceano, inquit, appropinquauit, in plures diffluit partes. Et rurſus paulò pòſt concludit: Multiſq; capitibus In Oceanum influit, per caput, vt opinor, oſtium intelligens, per partes brachiū, vt vulgò loquimur. Sed huius parergi etiam nunc plus quàm ſatis.

Ex Lepontijs. 7.

De hiſce ſanè populis, quando ex Geographis nihil certi noſtra ætate ſcire potuimus, partim quę vidimus Ipſi, partim quæ Tſchudus noſter diligenti cura in dicto toties libro promit, Lectori aperiemus. Plinius libro tertio, Lepontios (inquit) ac Salaſſos Tauricæ gentis idem Cato arbitratur. Cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis interpretatione Græci nominis credūt, præuſtis intra ſinus alpium niue membris. Hæc ille. Catonis opinionem comprobat linguę vſus apud eos Lepontios, apud quos Rhenus oritur. Cæterùm in vniuerſum hoc ſciendum, Lepontios latiſſimè olim diſperſos fuiſſe, & in circum ſummas Alpeis occupâſſe. Primùm enim ad earum ortum Lepontij ſunt, qui Gallica adhuc, qua hodie Heluetij, vtuntur lingua, apud quos Auſtralior Rheni fons oritur, vt dictum eſt. Ad eaſdem autem Meridiem, quicquid inter Bellizonam, ac montem S. Gothardi eſt, vulgus Leuontinam vallem vocat, Vrorum hodie ditionis. Per eam vallem amnis Ticinus à ſummis ortus Alpibus, vt antè diximus, fluit. Ad Occaſum eaſdem habitant Lepontij, quos Plinius Viberos vocat, apud quos Rhodanus oritur. Et hi quoq; nunc priſca Gallica vtuntur lingua. Deniq; ad Septentrionem ad Vrſam flumen pulcherrima valle, Vrſula huic nomē eſt, Lepontij habitant: & hi Gallicam etiāmnum habent linguam. Ptolemæus Lepontiorum oppidum Oſcellam ponit. Cuius hodie quoque nomen in valle manet, amne Toſa irrigua, qui amnis ex ſummis oritur Alpibus, vt Ticinus. Oppidum infima valle iacet, hoc tempore à Canonicorum Collegio Domino de Oſcelo ab Italis dictū. Longè ſanè ab Occlo oppido, cuius Cæſar in primo meminit, quod ad Duriam minorem eſt, vt anteà diximus. Multas alias prætereà valles habuerunt Lepontij, de quibus multa eruditè Tſchudus noſter. Apud eos ſanè ſeptem oriuntur flumina, vt anteà dictum eſt, in omneis mundi parteis præcipitata. Ipſi Lepontij medij ſunt quinque horum populorum, Rhætorum, Inſubrium, Salaſſiorum, Sedunorum ac Heluetiorum. Rhætos quidam ab Ortu, Inſubres ad Meridiem, Salaſſios Sedunoſq; ad Occaſum, Heluetios ad Septentrionē habent, nec poterit circino meliùs eorum deſcribi regio.

Per fines Nantuatium. 8.

Nantuatés qui hodie ſint, non planè conſtat. Quanquam ſunt qui Conſtantienſes velint. Hoc certum eſt ex ordine Cæſareę deſcriptionis, regionem inter Lepontios ac Heluetios ſecundū Rhenum deſignari. Quando autem Cæſar Rhætorum nomen nuſquam habet, oblata toties nominandi occaſione, Tſchudus exiſtimat nō eſſe dubium, quin per Nantuates Cæſar Rhætos intelligi voluerit, quod ego quoq; credo. Fieri autem poteſt, vt Aetuatium ſcriptum fuerit, quod in Nāntuatium deprauatum fuerit. Codices enim quidam Mantuatium habent. Sunt autem Aetuarij ad Ortū citerioris fontis Rheni, vt in deſcriptione eius iam diximus.

Mediomatricum. 9.

Mediomatrices hic Tertia dicit Declinatione, quod libro ſeptimo Secunda, vt Plinius eum ſequutus. Verùm eiuſmodi multa reperias, quemadmodum plus quinquies variatum Teutones & Teutoni apud hunc Authorem. Tale etiam videtꝫ

poterit Vocates, & quos Cæsar Tarusates, alij Tarusatios vocant. De Santonibus siue Santonis, etiam alibi admonuimus, nec opus pluribus. Mediomatrici igitur consistunt ad Mosellam fluuiũ, quorum olim imperium Rhenum vsq; pertingebant: hodie eximium oppidum habent Metas. De Triboechis libro primo admonuimus.

Ex quibus sunt, qui piscibus atque ouis. 10.

Videtur Selandiæ Insulas designare, quæ hodie sunt è regione Flandriæ, ostiorum Rheni & Hollandiæ, sed nequaquam à feris gentibus habitatæ: quidam Cymbrorum Insulas faciunt, quibus nos non subscribimus.

Hæc vtraque, insuper bipedalibus trabibus. 11.

Antequàm ad hæc Cæsaris verba deueniamus, hoc Lectorẽ præmonere voluimus. Placere mihi Iucũdi picturã, quæ pleraq; Cęsaris verba luculenter exprimit, exceptis ijs quæ Cæsar de sublicis ita describit: Ac nihilo secius subliciæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ pro ariete subiectæ, & cum omni opere coniunctæ, vim fluminis exciperent, & aliæ item supra pontem, &c. Hodie solent pilis lapideis trabes præfigere, ad excipienda omnia quæ temerè fert flumẽ. Quæ verò ad inferiorem fluminis partem obliquę adigebantur, mihi non omnino intelliguntur. Et vide, num, Arietes subiectæ, dictum sit, pro fulcimento. Nunc ad proposita Cæsaris verba veniamus, quæ in Annotationibus, meo quidem iudicio, Iucundus corrumpit, non emendat: ea enim in Cæsaris Cõmentario bene habent. Sed distinguendũ est post vtraq;, quod verbũ in nominandi casu dictũ est, non accusandi, & construitur cum verbo Distinebantur, & insuper dictũ quasi desuper, vt sit hic sensus: Hæc vtraq; supple tigna sesquipedalia, paulum ab imo præacuta, &c. distinebantur ab extrema parte binis vtrinq; fibulis, insuper bipedalibus trabibus immissis, quantũ eorum tignorum iunctura distabat. Nec video quid difficultatis visum sit Iucundo.

In fines Sicambrorum. 12.

Sicambri transrhenani populi sunt in Germania apud Cæsarem, hodie Vestphaliæ pars, non autem Geltrenses, cùm Geldria hodie tota eis Rhenum sit in Gallia. Sicambros sanè transrhenanos non Cæsar tantùm, sed Ptolemæus, Strabo, & Tacitus commemorant. Quidam, vt Suetonius ac Florus, aiunt, posterioribus temporibus in Germaniam traductos: sed nos de tempore Cæsaris loquimur, ac de hoc loco.

Annotat. Henr. Glarean. in Lib. IIII. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM V. HENR. GLAR. ANNOTATIONES.

I.

ANNVS ab Vrbe condita hic fuit septingentesimus. Sunt autẽ in hoc libro, motus Illyrici, & Treuirorum, Dumnorigis Hedui mors, Cæsaris profectio in Britanniam, atq; illic variæ pugnæ. Britanniæ descriptio, diuisio exercitus in hyberna. Ambiorigis dolus. Sabini & Cottæ legatorum Romanorum mors, oppugnatio Qu. Ciceronis legati apud Neruios, Cæsaris prælium cum Neruijs, concilia Gallorum. Induciomari Treuiri mors à Labieno illata.

Magis magnos ibi fluctus fieri, &c. 2.

In alijs codicibus legitur, Minùs magnos ibi fluctus fieri: atque ea lectio mihi probatur, propter & præcedentia & sequentia, de nauium humilitate verba. Sed videat Lector, num verisimile sit, æstum maris minuere fluctus, vt in Oceano, quàm in mari nostro sint minores.

Has omnes actuarias imperat fieri. 3.

Actuariæ naues à celeritate dictæ, quòd facilè agi possunt.

In Illyricum proficiscitur, quod à Pyrustis. 4.

Pyrustæ populi in Illyrico, vt ait Cæsar, & meminit Strabo lib. 7. Ptolemæus Dalmatiæ ascribit. Verùm Dalmatarum, Illyricorum, & Lyburnorũ fines ab Authoribus non ita certi ponuntur.

Atque omnes ad porticum Iccium. 5.

Ptolemæus Iccium promontorium in Morinia ponit, & Cæsar primo libro de eodem, vt opinor, portu ait, ex Morinis breuissimum esse transitum in Bri-

In Britanniam. Quidam etiam opinantur Caletonoppidum, hodie ditionis Angliæ, esse hunc portum, & Caletos sub Morinorum fuisse imperio. Strabo lib. 4. ait, Iccium portum distare à Britannia stadijs cccxx. quæ facerent miliaria quadraginta, si octona stadia in mille passus supputabimus.

In sylvam Arduennam. 6.

Arduennam sylvam Marlianus satis luculenter describit: hodie attingit Leucos, & Lotharingiã, comprehenditq; vastum regnum, vulgò Vuestrich: quod tamẽ potiùs ab Occidẽte (Germanicè West) nominatum videtur. Pertingit ad Lucenburgam, Vbios, Menapios, Neruios. Cæterùm hodie ingentes Abbatias habet, & arces prædonum. Nec est maior hac in tota Gallia sylua.

Quæ in Meldis factæ erant. 7.

Meldæ Meldarum ciuitas est ad Matronam flumen, decem leucis supra Lutetiam. Episcopum habet proprium, vulgò Meaulx. Quidam tamen Belgis legunt, non Meldis.

Quæ cum annotinis .8.

Annotinæ naues sunt, quibus annona vehitur.

Ac belli inferendi causa ex Belgio. 9.

Alij codices ex Belgis habent: quod non displicet, quanquam si Belgio legatur, ad eam formam dixisse videri potest, vt Liuius Samniũ pro Samnitium regione, ita Belgium pro Belgarum regione. Verùm pro vrbe aliqua in Belgis videtur paulò inferiùs accipere, vbi exercitu in hyberna diuiso, tres legiones in Belgio constituisse dicitur. Quippe aliæ legiones etiam in Belgis erant, vt quę in Neruijs, quæ in Rhemis, deniq; quæ in Morinis. Adijcit Marlianus, in Bellonaeis esse hoc oppidũ. Atque ita videtur accepisse Author Octaui libri, in exercitus distributione, & vbi Nemetocennæ meminit. Sunt in Britannia Atrebates, vt in Belgis, & alij etiam populi Gallicis nominibus.

Insula natura triquetra. 10.

Hæc descriptio cum Ptolemacia pictura minimè conuenit, sed satis benè cum nostræ ætatis formulis. Respectum tamen laterũ nimis largè vsurpauit: quod enim latus Occasui obiectum ait, alliquo pacto ita habet: sed quod Septentrioni oblectum perhibet, id non minùs Orienti soli expositum est latus, quàm Septentrioni, nec triangulũ aliter quadrato comparabis.

Omnes verò se Britanni Glasto. 11.

Glastum herba est plantagini similis, de qua Plinius lib. 22. cap. 1.

At illi intermisso spacio. 12.

Ego de intermisso temporis spacio, non loci, aut campi, intelligendum puto.

Atque his primis legionum, &c. 13.

Primæ cuiusque legionis cohortes erant maximæ & reualidæ.

Equestris autem prælij ratio, &c. 14.

Hæc verba, si ad priora comparabis, oppidò obscura sunt: nescias enim de quibúsnam loquatur, Romanisne, an hostibus, an de vtrisque.

Interim Trinobantes. 15.

Hi apud Ptolemæum, vt existimo, Trinoantes dicuntur. Reliqua hic populorum nomina Gallica existimo Künman / Sengerer / Ancfenlut / Bibrogger / Gasserct.

Concilioq; Gallorum Samarobrinæ. 16.

Samarobrinam Ptolemæus nominat Samarobrigam in Ambianis ad Phruden fluuium, alij tamen Cameracensem vrbem, alij oppidum diui Quintini in prouincia Remensi putant.

Tertiam in Essuos L. Roscio. 17.

Essui qui certò sint, non planè constat. Cæterùm Armoricis ciuitatibus propinqui ex verbis Cæsaris intelliguntur paulò pòst, vbi Roscium oppugnare Armoricæ ciuitates constituerant.

Cùm celeriter nostri arma cepissent, & vallum. 18.

Hic locus Vatuca (siue vt alij legendum censent) Ratuca dicebatur, In medijs Eburonum finibus, vt posteà dicetur lib. 6.

Et numero pugnandi pares nostri. 19.

Sequentia iudicant multò plures hostium fuisse quàm Romanorum. Ideoq; Lectori examinandum est, quod hic Cæsar ait: Numero pugnãdi pares nostri, num pro Numero legendum forsitan Animo.

Qui superiore anno primum pilum duxerat. 20.

Primus Centurio, nunc Primipilus appellatur, inquit Liuius lib. 7. ad finem. Prima etiam centuria, primus pilus vocabatur, quomodo Cæsar hic vsus videtur.

Itaq; confestim dimissis nuncijs ad Centrones. 21.

De horum populorum nominibus nihil aliud constat, quàm Neruiorum subditos fuisse. Leuacos autem esse, qui hodie Louanienses dicuntur, & alludit vulgata appellatio, quæ ait Lonen. Centrones quibusdam Sentron.

Quacunque ad proximi diei oppugnationem. 22.

Quia Galli oppugnabant, Romani defende-

 bant,

bant: hęc verba de Gallis dicta videri poterant: sed secùs ostendunt sequentia omnia: nisi quis putet aliquid deesse historiæ. Ego itaque omnia de Romanis intelligenda existimo. Nec obstat oppugnationis verbum, quippe ad quam non minùs Romani se parabãt, atque hostes, vt sequentia indicant.

Magnus muralium pilorum numerus. 23.

Pila muralia erant hastulæ, quibus pro defendendo muro vtebantur in hostes.

Sagulisq́ terram exhaurire. 24.

Sagulum indumentum erat militare: hoc igitur loco quia corbes deerant, terram in sagulis ferebant.

Decem millium passuum in circuitu. 25.

Alibi legitur quindecim millium pedum, qui faciunt tria miliaria, siquidem quinos pedes pro passu supputabimus. Sanè libro secundo Aduaticorum oppidum à Cæsare circumuallatum narratur, haud dubiè longè maius oppidum, quàm hoc Ciceronis castellum, vbi tamen quindecim millium passuum, haud ampliùs mentio est. Et lib. 7. Alexiæ illam laboriosissimã latissimamq́; circumuallationem Cæsar ait fuisse vndecim milliũ passuum. Quare hic locus meritò suspectus est.

Paululum quidem intermissa. 26.

Hic locus notabilem habet obscuritatem. Nescias enim hostiúmne turrim an Romanorũ flamma contigerit: & si Romanorum, vt videtur, dubium est, quínam deturbati sint lapidibus.

Has ille in iaculo. 27.

Verisimile est Cæsarem tunc Samarobrinæ fuisse, Crassum autem in Belgio.

Iubet media nocte legionem. 28.

Videndum legendum sit legiones: duæ enim erant in Belgio, & sequentia eam lectionem exposcunt.

Legionemq́, ei attribuit. 29.

Vel duas legiones adduxit Crassus, vel Cæsar anteà vnam habuit legionem. Duabus enim posteà venit in Neruios, connumerata etiam illa quæ in Morinis fuerat.

Hanc Græcis conscriptam literis. 30.

Libro horum Commentariorum primo Cæsar: In castris (inquit) Heluetiorum tabulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ, & ad Cæsarem delatæ: & rursus libro sexto, vbi de Druidũ disciplina ac discipulis: Neque fas esse (inquit) existimant ea literis mandare, quum in reliquis ferè rebus publicis priuatisq́; rationibus, Græcis literis, vtantur. Hic verò Epistolã Cæsar Græcis conscriptam literis, per Gallorũ exercitũ ad Ciceronẽ mittit, ne intercepta Epistola (inquit) nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Quidam excusant, quòd Galli literas quidem Græcas habuerint, quibus Gallicam, hoc est, suam, non autem Græcam scripserint linguam. Atqui Cæsar hic, non Græca conscriptã lingua ait, sed Græcis literis. Quod apertè cum prioribus duobus locis pugnat. Ad quæ ego, vt liberè, quæ sentio, dicam, ita respondeo: Tempore Cæsaris mihi non videri linguam Græcam apud Gallos in vllo fuisse vsu, literis tamen Græcis, quibus Gallicam, non Græcam scriberent linguam, vtique vsos, quemadmodum nunc magna Europæ portio Latinis ad suam quisque linguam pernotandam vtuntur, atq; ita intelligendos, quos iam diximus, locos. Hic verò prorsus existimo Cæsarem verbo Literis vsum pro Lingua: & Quint. Ciceroni non characteribus tantùm Græcis Epistolam scripsisse, sed verbis etiam Græcis compositam. Nam Quint. Ciceronem, Marci fratrem, Græcè sciisse non est mirum: cùm ea tempestate omnes, qui quidem alicuius erant existimationis, Græcè nouisse, satis constet. Quod de Massiliensibus obijcitur à quibusdam, nihil probat: post Galliam enim domitam & Romani iam imperij factam, tum demũ Galli apud Massilienses philosophari cœperũt, vt egregiè differit Strabo lib. 4. Hoc verò tempore ignoti erant Massilienses Gallis, maximè Belgis, apud quos Belgas forsitan ne literæ quidem Græcæ secùs atque apud Celtas & Massiliæ vicinos notæ fuerunt.

Tamen Senones (quæ est ciuitas) &c. 31.

Senones, populi supra Parisios, ad Sequanam flumen oppidum incolunt, quod hodie Archiepiscopatum habet: cui suffraganeus est Parisiensis. A quibus fuère isti Senones orti in Cisalpina Gallia, qui duce Brenno Romam incenderunt, anno ab Vrbe condita CCCLXV.

Quod qui virtute belli omnibus, &c. 32.

Hoc etiam ad finem Iugurthini belli testatur Sallustius, Romanos ita habuisse cum omnibus gentibus pro gloria certare, cum Gallis pro salute.

Annotat. Henr. Glarean. in Lib. V. finis.

IN C. IV-

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO Lib. vi. Henr. Glar. Annotationes.

I.

HIC est annus ab Vrbe condita DCCI. Coss. Cn. Domitio Caluino, & M. Val. Messala. Continentur autem in hoc libro hæc ordine: Bellum in Neruijs, Senonibus, Carnutibus & Menapijs per ipsum Cæsarem, & in Treueris per T. Labienum gestum. Deinde vt Cæsar in Germaniam ad Vbios profectus sit. Tum mores Gallorum & Germanorum, Syluæ & bestiæ in Germania describuntur, & vt Cæsar persecutus sit Ambiorigem, ac Eburones diripuerit. Continetur & oppugnatio præsidij Romani in Ratuca oppido Eburonum, vbi priore anno Sabinus & Cotta hyberna habuerant: quæ quidem oppugnatio facta fuit per Sicambros Germanos.

Duplicatoq́; earum cohortium numero. 2.

Tres legiones triginta habebant cohortes. Titurius autem quindecim amiserat: duplicatus igitur hic amissarum est cohortium numerus per tres legiones. Quare nunc decem legionibus pugnat Cæsar.

Adiunctis Cisrhenanis. 3.

In littore Gallico Germani occupauerunt multam regionem, vt ex 2. libro patet, & in Ptolemaica item descriptione.

Concilium in Lutetiam Parisiorum. 4.

Parisij ad confluentem Matronæ & Sequanæ vrbem habent Lutetiã quatuor millibus passuum sub eodem cõfluente, quæ hodie eius regionis Metropolis est.

Syluam esse ibi infinitæ magnitudinis. 5.

De Baceni sylua rectè sentit nostra ætas, quæ eam putat esse, quæ hodie vulgò Nigra dicitur, ab qua Bacenis plus mille & centum stadijs distat. Id autem quomodo ex ipso Cæsare quis certò deprehendere queat, etiam atq; etiam Lectori considerandum est. Et primùm quidem Vbiorum situs tempore Cæsaris notandus: quem constat fuisse tum sub Treuiris rectà ad Rhenum, in Germania tamen. Deinde rectà ad Orientem & Septentrionem, Sueuos in Germania sedes habuisse, vt antè dictum est. An autem tempore Cæsaris Rhenum attigerint Sueui, quod Strabo ac Ptolemæus scribunt, vehementer dubito. Certè ex Cæsare satis patet. Bacenis igitur Sylua hodie Thuringica dicitur, siue Harto Saxonicus, quidam etiam Piceariam vocant syluam, quæ tamen Herciniæ sit, velut ramus aut cornu, vt nostra ætate quidã scripserunt. Cherusci autem ad Albim fluuium sunt. Quidam ad confluentem Salæ & Albis vrbem eos (cuius etiámnum manet nomen Cerbst) habuisse tradunt.

Agriculturæ non studient. 6.

Non admodum conuenit hoc cum ijs, quæ ab Initio libri 4. de Sueuis scribit Cæsar his verbis: Sic neque agricultura, neque ratio atq; vsus belli intermittitur.

Circum Herciniam syluam. 7.

Hercyniæ syluæ optimi & maximi quiq; autores cùm Latini, tum Græci meminêre. Pomponius Mela, qui eadem ferè cum Cæsare differit, Strabo libro septimo aliquantum diuersa. Plinius item multis in locis. Eius quũ sint haud dubiè lata cornua, & varij tractus, ipsa tamen intra Germaniam, quod ad Occasum & Meridiem attinet, continetur. Ideoque Arduennam syluam, vt illius partem neutiquam annumerauerim, quod quidam nostra ætate temerè, meo quidem iudicio, fecêre. Vix enim Bacenim eius existimem partem. At Bohemiæ syluas, & quæ inde in Sarmaras inter Orientem ac Septentrionem sequuntur, sanè connumerauerim. Nam & Ptolemæus Marcomannis vicinam statuit Hercyniam, etiamsi is, quem Cæsar hîc describit, tractum in multas secauerit partes, nempe in Eremum Heluetiorum, Gabretam syluam, Lunæ syluam ac Orcyniam. At Semanam syluam, Abnobios montes, ac Melibocum nimis remotos puto. Sudetas fortassis admisero montes. Ex verbis autem Cæsaris planè patet, quàm latè olim longeq́ue patuerit. Caput enim eius est, quæ à resina nomẽ habet, Hartzwald. Hartz enim vocant resinam & Galli & Germani. Nunc vulgò corrupto natiuo vocabulo Schwartzwald appellitant, quasi dicas, Nigram syluam. Apud Ammianum, & post eum autores aliquot, sylua Hartiana dicitur, quanquam Hartziana scribi oportebat: quod nomen aliquis sciolus, ac Germanicæ Gallicæque linguæ ignarus, vt Latinè quid sonaret, in Martianum temerè mutauit: nisi (quod & ipsum fieri potuit) quis existimet, cùm Romanis interrogantibus eius syluæ nomen, responsum esset, Hartzwald/ relicta voce Wald/ quæ syluam significat, ad alterum verbum, quod resinam significat, Romanos animum intendisse, ac Hars pro Hartz scripsisse. Deinde,

de, vel vt in ipsorum quoqne lingua aliquid tinniret, vel literatum M, ac H, vicinitate ex Hars factũ esse Mars, ac inde Martianum pto Hattzianum increbuisse apud indoctos. Illnd opinor, nemini dubium, nomen esse Germanicum Gallicumq;, non Romanum. Ideoque ego vbique apud Ammiannm, cæterosque qui cius meminerunt, Hartzianam legendum existimo, non Martianum: huius autem Hartziauæ syluæ partem existimo, vt iam diximus, Heluetiorum Eremum à Rheno ad Nicrum vsque amuem. Coruelius autem Tacitus, inter Hercyuiam (inquit syluam Rhenumque & Mœnim amnes Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens tenuêre. Quæ verba, si ad amussim discusseris, inuenies Cornelio neque regionem, vbi hodie Vuirtembergensis ducatus est, neq; quæ ad Danubij ortum est, inter Heluetios & Nicrum amnem, satis notam fuisse. Nam Heluetios omnia inter Rhenum ac Mœnim amnes tenuisse, mihi non fit verisimile, sed à Rheuo ad Nicrum amnem, quæ hodie non pœnitēda est uatio, id enimuerò satis vetisimile fuerit. Verùm vt Lectorē magis excitem, quis hæc Taciti verba intelligit? Inter Hercyniam syluam, Rheuumque & Mœnim amnes. Quum totum spatium inter Rhenum & Mœnim occupet Hercynia sylua, secundum Cæsaris descriptionem, cui non paulò plus quàm Cornelio fidei tribuo. Nisi intelligamus, quæ hodie Nigra sylua dicitur secuudum Rheuum, eam solam à Cornelio dici Hercyniam, Sic enim inter eam Rhenumque & Mœnim amnes natio immensa intelligeretur, ipsa Heluetiorum etiam regione longè maior. Contineret euim quicquid terræ est inter Schaffhusiam Noricam vrbē, Erebipolim ac Heydelbergam. Verùm neque Hercyniam ita à Cornelio accipi puto, neque vuquam Heluetios tantum terræ possedisse. Nisi quis obijciat, tempore illo omnia vasta fuisse à Rheno, vrbem vsque Noricam, itaque Heluetios verè Eremum possedisse, ac deinde Boios vlteriora eiusdem loci occupâsse, vbi hodie Boëmia est. Lector, quod volet, sequatur. Ego planè in ea sum opinione, Romanos scriptores in omnib. hisce locis describendis sępè vulgi famam sequutos, ac incomperta pro compertis, quemadmodum de remotissimis regionib. temerè mentiendo fieri solet, tradidisse. Vt quid enim Cornelius uec lacus Acronij, nec cataractarũ Rheni meminit, nisi quia nou uouit. Certè ipse Tacitus, quantumuis tacitus, imò loquacissimus autot, vt eum Tertullianus vocat, haud quaquā taciturus fuerat, vt mea fert opinio, si ea comperta habuisset. Idem ille quàm frigidè Rheni, quàm frigidè Danubij fouteis, quàm deinde longè frigidus ipsorum fluuiorũ tractus describit? quod luculentum argumeutum est, ea illi neutiquam fuisse nota. Eremum igitur Heluetiorum, qnicquid dicat Tacitus, inter Rhenum ac Nicrum amnes fuisse puto. Sed hæc de Eremo Heluetiorum, ac sylua Hattziana. Scio qnosdam esse, qui sedium mutationes apud Cornelium ita intelligerent, quasi Galli protsus relicta sua terra, sedes mutanerint. Sed hi verbis Cæsaris, quibus Cornelius innititur, facilè conuincuntur. Cæsar enim vbi de hac, quam Cornelius hîc repetit, habitationum muratione disserit, ait: Virtute Gallorum factũ, vt trans Rhenum colonias mitterent: ac continuò Volcarum Tectosagum exemplum subiungit. Vnde Coruelius simile exemplum adducturus, Heluetios ac Boios idem fecisse commemorat. Quis enim crederet, Heluetios sua (quæ, vt autor est Cæsar, melior erat) relicta terra, in vastitatem illam ac ingentem solitudinem totos migrare voluisse: At colonias duxisse satis verisimile fuerit: sieut contrà & prioribus & posterioribus seculis Germanos in Gallias quoque duxisse constat. Hercynia Romanis aspiratur, sie apud Græcos in emendatioribus saltem codicibus, & sanè Germanieus Gallicusque sermo aspirationem postulat. Eratosthenes quartam vocalem Orcyniam prima syllaba notâsse videtur: quod in Strabone per secundam, vt Latinis, scriptum reperias. At Gallorum, Germanorumque lingua pet primam vocalem Hartz vocat Resinam, nisi quòd Germanorum quidā crassius Hortz/ per quartam Latinorum vocalem. Vnde Eratosthenes Oecyniam fortassis mutauit. Ac Hertz pet secundam vocalem Gallis Germanisq; cor significat. Qui ergo Hartzianam syluam scripserunt, meliùs Germanicam linguam expresserunt, quàm qui Hercyuiam. Græcis quidem ac Latinis parum curæ fuit nostra lingua, quàm illi, maximè tamen Romani (adeò Gallorum virtutem oderant) quasi data opera, opprimere conati sunt. Quorum enim quotquot uomen vel vrbis, vel fluuij, vel populorum etiam, quod verè Germanicum Gallicúmue dicere queas, apud Geographos reperias. Cui autem dubium, Germanicis Gallicisque locis, Germanica Gallicaque fuisse nomiua. Pliuius iugens antiquitatis amatot, mirè Gallicam linguam suspexisse videtur: nempe qua olim maior Occidentis pars locuta est: præterea tota Gallia Cisalpina, in qua ipse natus erat. Sed dij boni, quàm corruptè apud eum leguntur nomina, vt aut Delio notatore, aut Oedipo aliquo coniectore sæpè opus fuerit, qui ea expiscati volet. Multa tamen & apud huuc, & apud alios autores Tschudus uoster hac ætate felicitet eruit: & erunt, vt spero, post nos idem molientes, vt quod reliquum adhue eius linguæ apud Heluetios, aliosque Rheni quosdam accolas verè Gallicæ, verè autiquæ, suam apud homiues existimationem ac maiestatem recuperet: cùm hodie trium nationum, Italiæ, Hispaniæ, ac Franciæ lingua, sit fragmentum Latinæ linguæ, sed tantò pluris, qnantò magis integritati Latinæ linguæ appropinquat. Qua in re Italica hodie Frāciæ præfertur. Sed de hoc negotio obiter hîc. Illud apud me noudum certum, quàm probem illud y, iu Hercynia, quod multi per i scribunt. Magis hoc etiam mirandum apud Senecam in Medea, eam syllabam productè legi, in hoc scnario:

Lucis Suaui nobiles Hercinels.

Apud Claudiauum verò insignem Poëtam, correptè, quem fermè ab aliquot sceulis nunc imitantur:

Subli-

Sublimis in Arcton
Prominet Hercynia confinis Rhætia sylua,
Quæ se Danubij iactat, Rheniq́ parentem.

Hoc etiam in verbis Cæsaris notatu dignum, pro Nemetum Althamero legendum videri Venetum, vt intelligantur Veneti ad lacum inferiorem Acronio, quem hodie Gellensem nominant, viginti millibus passuum plus minùs supra maiorem Rheni cataracten, Nomen est apnd Melam, vt suprà de Rheno retulimus. Ar Lector cogitet, num putet nomen Veneti Lacus notum fuisse Cæsari. Mihi quidem non videtur, maximè ea causa, quòd Acronij lacus longè maioris quàm Veneti nõ meminerit. Vnde quidam fuêre, qui Rhætorum pro Nemetum legendum existimârinr. Sed ne id quidem nominis Cæsari notũ fuisse putat Tschudus, quum nusquam ipse Rhætorum, oblata toties nominandi occasione, maximè lib. 4. vbi Rheni ortũ describens, populos commemorat, per quorum fineis Rhenus labatur, ibi in eius supremo Lepontios collocat, deinde Nantuates, per quos forsitan Rhætos intellexit. Nam continuò Helnetios subinngit. Nisi quis eo in loco, vt diximus, Aguatinm legere pro Nanruatlum velit. Quod si concesserimus, certè id nominis etiam bic ponendum censeo. De Dannbio, quando eum alij diligenter descripserunt, vt ex nauigatione mea didici, boc vnum annotare dignum est visum operæprecium. Non temerè esse, quod veteres autores de monte Arnoba scripserunt, & mihi vehementer suspectum fontem illum, quem hodie in vico Duneschingen ostendunt, cùm duo alia sint flumina multò altiora origine, illo quidem qnem ostendunt fonte. Cęterùm vnde in hanc venerim cogitationem, non grauabor dicere. Cùm olim Basileæ publicè Herodotum auditoribus meis prælegerem, admodum admiratus, cur is non vno in loco diceret, apud Celtas oriri Danubium (Istrum ipse nominat) magisq́ue adeò Aristotelem, qui in Meteoris ex Pyrenæo monte eum labi memoriæ tradidisset, ex qun Herodotus vrbem faceret: ad hæc, qnòd Plinius Solinusq́ue Arnobam vocarent eum montem: denique quòd id nomen in Cornelij codicibus toties variatum reperias. In quibusdam enim Arbonum, in alijs Abnouum legitur. Cepi ego anxiùs mecum altiora ea de re cogitare. Succurrebar primùm quod Strabo lib. 1. ex Ephoro tradit, totum occidentem olim Galliæ appellationem habuisse. Gallos autem esse, qui ipsorum lingua Celtę appellantur, vt initio horũ Commentariorum Cæsar testarur. Ideoq; Herodoti de Celtis opinionem non esse prorsus friuolam, facilè videbam. Confinium enim ibidem est Germaniæ ac Celtarnm. Strabo lib. VII. vocat extremas Germaniæ ab Occasu partes. ἀρχὰς μὲν ἔχει (inquit de Istro loquens) ἀπὸ τῶν γερμανικῶν ἄκρων τῶν ἑσπερίων. Et etiámnũ eius regionis lingua mixta est ex Celtica ac Germanica. Nec dubito, Heluetiorum nemore totum eum tractum contineri, quem tempore Strabonis aliqua ex parte Sueui occupauerint. Libro enim IIII. idem autor, postquam iugum, ex quo Ister originem trahit, descripsisset, continuò subiungit: ὅπου αἱ τοῦ ἴστρου πηγαὶ πλησίον σουήβων, καὶ τοῦ ἑρκυνίου δρυμοῦ: id est, vbi Danubij fontes sunt prope Sueuos, & Hercyniam syluam. Aristotelis autem opinionem de Pyrenæo monte, ne eam quidem absurdam probant vocabula, quæ etiámnum manent altioribus eo, quem hodie ostendunt fonte. Brygem alterum vulgus appellar, alterum Bregen, Regionem Por. Er est altitudo non magnorum montium (Strabo vocat ῥάχιν μετρίως ὑψηλήν: id est, iugum mediocriter excelsum) vbi hodie orluntur duo hæc, quæ dixi, flumina. Et quis vnquam fontem vocârit inferinrem, ac non superiorẽ potiùs: Quare ego iusta de causa moueor, vt vel Brygen vel Bregen Danubij fonres credam, & fortassis duos, vt Rheni. Sed si Deus mihi concedet tantum aliquando otij, quando tam propè habito, tentabo ipse locnm videre, ac certiora Lectori ea de re indicare. Intereà Lector hoc velut arrhabone qnietus, vel mecum dubitet: vel, qnod malim, meliora ipse dispiciat.

Volgæ Tectosages occupârunt. 8.

Volcæ apud antores duplices inuenluntur, Arecomici & Tectosages. Sed in his nominibus V. & K. variè legunrur. Nam apud alios Volcas Tectosages, apud alios Volgas Tectosages reperias. Ego vtrunque nomen Gallicæ linguæ existimo, quę populum Volck nominat: & Tectosages Deck den sack. Ita Arecomicos Herkommen/ quasi diceres, aduenticios, siue inquilinos. Meminit horum Plinius lib. 3. de Narbonensi Gallia, & Strabo in 4. Arecomicorum autem septimo lib. posteà mentio habebirur.

Gallis autem propinquitas. 9.

Legendum videtur: Gallis autem Prouinciæ propinquitas, & transmarinarum rerum noritia, &c. vt inrelligamus prouinciam Romanorum: de quo ab initio ptimi libri, vbi de Belgis.

Latitudo nouem dierum. 10.

Latitudo hæc nouem dierũ sumi videtur à Meridie, ad Septentrionem, hoc est, à Rheni cataracte maiore, ad Mœnum vsqne amnem. Longitudo verò secundum Danubium intelligitur, sexaginta aut multò plus dierum itinere.

Et Anartium. 11.

Anartios Ptolemæus maximè Septentrionales Daciæ facit, inxta Carpatem montem & Teuriscos, quod maximè consentanenm est verbis Cæsaris. Illinc enim sinistrorsum vertitur Hercynia sylua. Porrò mons Carpates Sarmatiam à Dacis summouet, quem perperàm Carpathum vulgò vocamus: cùm Carpathus sit Insula inter Rhodum & Cretam, vnde Carpathium Mare nomen habet. Qnanquam haud scio, num quisquam alius Geographorum præter Ptolemæum huius Carpatæ montis meminerit. Conradus Celtis Carpatum media producta syllaba vocat, fortassis ad Insulæ differenriam: quod non fnit necesse, si quidem Græca exemplaria inspexisset. Vbi

ἐμπεράτως

ἀκρωτήριον τῶν ὀρῶν, pro monte, pro insula verò ἀκ- ρωτήριον τῶν ὀρῶν.

Ad fines Dacorum. 12.

Daci populi Danubij, propioqui Sarmatis, Iazygibus Metanastis, & Misijs, olim maximè feri, & Romanorum hostes.

Millibusq́ amplius quingentis. 13.

Priote libro Cæsar ait, ex Eburonibus in Morinos esse millia passuum ceotum: atqui idipsum hoc spaciũ ex Eburonibus in Morinos multò loogiùs est, quàm sit Arduennæ longitudo, videlicet ex Treuiris In Netnios. Quo pacto igitur Arduenoa millibus passuum ampliùs quingentis in longitudinem patet? nisi longitudinem pro circuitu expooas: quod haud scio an quisquam ausus sit facere.

In insulis se occultauerunt. 14.

Videtur hoc de Salandis dicere, quę iosulæ sunt hodie inter Flandriam & Brabaotiam in mari Germanico.

Segni, Condrusiq́. 15.

Hic locus quibusdam doctis viris corruptus videtur, inter quos eximius vir D. Lãbertus Paschalis, sacri ordinis Carthusiaoi, Prior domus ad confluentem Mosellæ ac Rheni. Legni, loquit, gens intra fines Menapiorum, cuius & Tacitus & Ptolemæus meminerunt. Manet hodie genti nomen & oppido Lyon, vel Lenck: in qua geote olim oppidum insigne cladibus Romanorum, dictum Gelduba, cuius adhuc vestigia manent. Hæc illę. Quidam Glatbach hodie dici existimant. Idem Lambertus paulò pòst non Vatucam, sed Ratucam legendum putat, vulgò Rhade, oppidum in finibus Eburonum, haud procul ab Aquisgrano & Iuliaco. Hæc ille. At quod ad Legnis pro Segnis legendum, ex Ptolemæo adducit testimonium, nescio quàm probem. Nam in Belgicæ Gallicæ descriptione, quæ D. Lambertus verba ita legit: Legnorum Luppia, posteà Agrippinensis: Græcus codex ita habet: λεγίων λ οὐλπία, quod Bilibaldus vertit, Legio tricesima vlpia. Nisi fortè quis hoc quoque in Ptolemæo corruptum à Græcis existimet.

Ascaldem, quod influit in Mosam. 16.

Hinc vndecim legiones onmerantur, & duæ cohortes (Siquidem adhuc duodecim cohores ad pontis sunt defensionem, nisi quis quæ paulò pòst dicturus est, de pontis custodia, ea de longè antè præterito tempore dici intelligat) cùm suprà decem duntaxat sit mentio legionum. Et vide quàm verum hoc sit Ascaldem influere Mosam, neque eoim oostra ætate ex tabulis hoc videre licet Geographis.

Annot. Henr. Glar. in Lib. VI. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM VII. HENR. GLAR. ANnotationes.

I.

IN septimo libro septimi anni cõtinetur historia belli Gallici, qui fuit annus DCCII. ab Vrbe condita, Cn. Pompeio Cos. solo: in quo libro hæc habeotur ordinè. Motus Galliarum à Carnutensium audacia ortus. Vercingetorigis ambitio & studium recuperandæ libertatis, qoi statim Bituriges, Aruernos, aliosq; populos concitat. Cæsar legiones magna industria omnes cogit. Vercingetorix Boiorum oppiduin oppugnare instituit. Cæsar, cùm illis auxilio esse vellet, Vellaunodunum Genabum, & Nouiodunum oppida in itioere expugoat: desistit Vercingetorix ab oppugnatione Boiorum: persuadet Biturigibus, vt omnia, quæ munita non siot oppida, succendant, quo Cæsarem pabulatione intercludant. Cæsar Auaricum oppidum cepit, in Heduis seditionem sedat: cum Labieno copias partitus Gergobiam obsedit, interim Hedui fraude Conuictolitanis Litauicique deficiunt à Romanis. Cæsar apud Gergobiam militum audacia malè pugnat. Viridomari & Eporedorigis Heduorum insignis narratur perfidia. Labienus contra Parisios feliciter pugoat. Deficit tota Gallia, præter Remos, Treuiros, & Lingones. Cæsar cum Labieno in Sequanos cedit, consequuntur Galli duce Vercingetorige. Fit prælium, in quo Cæsar victor Alexiam oppidũ Mandubiorum, in quod Vercingetorix confugerat, magnis munitionibus oppugnat. Conuenit vniuersa Gallia Cæsarem oppugnatum, vbi Cæsar rursus maxima pugna vicit, oppido potitur, Vercingetorigemque cepit.

Desperatis hominibus Genabi in dato, &c. 2.

Genabum ad Ligerim amnem oppidum sesquidiei itinere à Lutetia, hodie Aurelia dicitur, vt est communis existimatio. Pontem per Ligerim habet elegaotissimum: hęc sedes est ducum Aurelianensium.

Ex-

Expellitur ex oppido Gergobia. 3.

Gergobia verò oppidum Aruernorum est, etiamnum hodie celebre. Gergobina verò oppidum Boiorum, quod illis Hedui in bello Heluetico ex iussu Cæsaris dederunt, Sed nomina confusa sunt.

Cadurcos, &c. 4.

Cadurcos Ptolemæus ad Canellum flumen constituit, propinquos Santonibus & Rhedonibus, hodie Caors, vt putant. Cæsar ait hos esse sub imperio Aruernorum. Turoni autem ciuitatem hodie ad Ligerim habent. Diui Martini sepulchro claram.

Aulercos. 5.

Ptolemæus, vt lib. 3. diximus, triplices facit Aulercos, Diaulitas, Eburaicos, & Cœnomannos. Sed hæc nomina apud Cæsarem aliquantum variata sunt, vt ibidē diximus. Præterea nonnunquā coniunctim, nonnunquam distinctim, magna codicum variatione ponuntur.

Lemouices. 6.

Lemouices Ptolemæus vicinos facit Rhedonibus, Cadurcis, & Pictonibus. Sed post secundam Syllabam quidam codices u, ponunt, quidam n, atq; inde parati sunt duo populi, quos ego vnum fuisse existimo.

Andos. 7.

Andes tertia declinatione ad finem libri secundi vsurpauit Cæsar, & Hircius libro 8. Genitiuum pluralem Andium protulit, ideoq; hoc in loco Andes legendum puto, non Andos.

In Ruthenos mittit. 8.

Dictum est superiùs, quosdam duplices facere Ruthenos, prouinciales, & non prouinciales. Hic itaque de prouincialibus loqui videtur.

Ipse in Bituriges. 9.

Bituriges Ptolemæus duplices facit: Vbiscos, quos ad mare ponit, vicinos ostijs Garumnæ fluuij: Occubos, quorum oppidum Auaricum ponit: quod Cæsar cepit, miserrimeque diripuit. De posterioribus hic intelligimus, vulgò Burges: nam Vbiscos hodie Bordeaulx vocant.

Progressus in Nitiobriges. 10.

Nitiobriges populi Narbonensis Galliæ apud Ptolemæum, vicini Ruthenis, hodie montem Pessulanum vocant, vulgò Montpelier. De Gabalis nihil certi asserimus, quàm Nitiobrigibus fuisse vicinos. Cæsar posteà ait, sub clientela Aruernorum fuisse.

Præsidia in Ruthenis, prouincialibus. 11.

Hoc in loco coniungenda videntur bina nomina, Ruthenis prouincialibus, & Volcis Arecomicis. Nam vtrique duplices sunt, vt in superioribus dictum est, & in sequentibus suis locis plura dicentur.

In Heluios, qui fines. 12.

Heluij qui sint, Cæsaris verba satis declarant. Meminit & Plinius libro 3. cap. 4. Albæ Heluiorum: vt rectè Marlianus existimârit, hodie Albinam dici.

Et si mons Gebenna. 13.

Gebenna qui mons sit, non minùs clarum est. Cæterùm ingens error est, de quo libro primo admonuimus, qui Geneuam hodie Gebennas vocāt. cùm hęc vrbs sit inter Allobrogas & Heluetios. Mons autem Gebenna inter Aruernos & Heluios, longissimo à Geneua tractu. Meminit eius etiam Plinius libro 3. capite 4. Videtur autem hic mons admodum longus fuisse ab Occasu in Ortum, cùm Cæsar (vt posteà in hoc adeo lib.) inter Elauerem & Ligerim amnes conclusus, dicat iter in Prouinciam monte Gebenna impediri.

Altero die cùm ad oppidum Senonum Vellaunodunum. 14.

Vellaunodunum Senonum oppidum est, qui autem Villam nonam Lotharingiæ intelligunt, vehementer errant. Neque enim vspiam Lotharingia hoc Cæsaris iter attingit. Nam ab Agendico altero die eò venit Cęsar, & rursus ab eo biduo cum legionibus Genebum. Quāquam haud scio, num proximo itinere.

In via Nouiodunum oppugnare. 15.

Nouiodunum trium oppidorum nomen, in Suessionibus, vt libro 2. in Biturigibus, vt hîc: in Heduis, vt posteà in hoc libro. Cæterùm hoc loco necesse est, Nouiodunum esse eo itinere, quo ab Aurelia itur ad Bituriges.

Fratrem à fratre renunciatum. 16.

Renunciari, id est, publicè nuncupari, & audibili voce præconis proclamari, qui in Magistratu succedat.

Secundum flumen Elauer duxit. 17.

Secundum fluuium Elauerem duxit exercitum, propterea quòd eum superare non poterat. Est autem fluuius in Aruernis, hodie Alier, non longè à Gergobia, quod oppidum hodie putant Claremontensem nominari. Cæsar in accessu quintis castris ab Elauere venit Gergobiam, in discessu verò ad idem flumen ab eodem oppido triduo peruenit: non igitur est Gergobia ad Elauerem, vt putauit Marlianus.

Melodunum peruenit. 18.

Melodunum oppidum est decem leucas supra Lutetiam in tria parua oppidula diuisum, quemadmodum ipsa vrbs Parisiensis nostra ætate. Quod si Agendicū est inter Sequanam & Matronā, vt indicat Marlianus, quod Prouins hodie appellari putat,

putat, vix expedimus in vtra parte primùm aggressus sit Lutetiā Labienus, à Belgarūm ne regione, an Celtarum: in vtraque enim flumen transeundum erat, hac Sequana, hac Matrona, vt semper ab impedimentis legiones flumine separari necesse esset. Item hoc quoque dubium, in vtra Lutetię parte fuerint paludes, in eáne, vbi hodie vniuersitas, an vbi maior vrbs. Sed hæc Studiosis examinanda relinquimus.

Bellouaci autem defectione. 19.

Erant enim Bellouaci in fide Heduorum omni tempore, vt ait Cæsar lib. 2.

Nanque altera ex parte Bellouaci. 20.

Hic locus propemodum conuincit, Labienum in Belgarum littore tunc fuisse, vbi Bellouaci instabant: Camulogenum autem in littore Celtico, & Agendicum quoque in Celtis oppidum fuisse, Nisi dicamus, Si Labienum in Celtis fuisse credimus hoc loco, & in Belgas contendisse, Matronæ pontes in Romanorum manu fuisse, aut Cæsarem Matronæ oblitum, & Sequanę duntaxat meminisse, cùm dicit, Tum legiones à præsidio atque impedimentis inclusas, maximum flumen distinebat.

Et parua manu Metiosedum. 21.

Metiosedum alij Iosedum nominant, oppidum paululum supra Parisios, non autem supra Melodunum, vt Marlianus tradit: quod ex Labieni castris, quæ è regione Lutetiæ erant, facilè quis colliget. hodie Corbel nominatur, vt quidam existimant. Quod si verum est, Agendicum prorsus in Celtis est, non inter Matronam & Sequanā, vt constituit Marlianus. Sed Lector ea de re, quid potissimùm sequendum cogitet.

Sebusianisq́, qui sunt finitimi ei, &c. 22.

Sebusianos Cæsar libro primo, extra prouinciam vltra Rhodanum primos esse dicit, vicini igitur Allobrogibus & Heduis, & Heduorum clientes inter Geneuam & Lugdunum, paululum ad Septentrionem. Cæterùm hoc in loco de populis sequentibus notandum, quòd Allobroges, Heluij, & Volcæ, Arecomici pro Romanis erant: Gabali verò, Aruerni, Rutheni, & Cadurci, contra Romanos. Legendum autem est, ad fines Volgarum Arecomicorum depopulandos mittit, ablata coniunctione Quam, vt vnus intelligatur populus, non duo, quod superiùs etiam admonuimus de Volgis Tectosagibus.

Et Eporedorix. 23.

Non erat autem ille, de quo in superioribus habitum est, vbi de Viridomaro.

Circuitus X I. *millia passuum.* 24.

Posteà dicturus est, quatuordecim millia passuum. Quare vel codices errant, vel posteà maius spacium complexus est. Quidam aliter hunc nodum expediunt. Cæsarem superiùs munitionem aduersus oppida nos ostendisse, hic verò adversus exteriores hostes, quos propediem venturos sciebat. Necesse autem esse exteriorem circulum interiore maiorem intelligi. Quod si verum est, oportebat verba illa Cæsaris, quæ posteà ponit (His verbis perfectis, & regiones secutus quàm potuit æquissimas, pro loci natura X I I I I. millia passuum complexus) referre ad sequentia verba (pares eiusdem generis munitiones, &c.) Quanquàm durè sonat, quod subnectit, diuersas ab his, pro ab illis. Sed Lector iudicet res, non est magni admodum momenti.

Fossam pedum viginti latam, directis, &c. 25.


In genere munitionum Iucundus verba Cæsaris partim non intellexit, partim illis aliquid de suo addidit. Duas fossas (inquit Cæsar) quinos denos pedes latas, eadem altitudine perduxit. Hoc Iucundus ita accepit, quasi vtraque quindecim pedes etiam alta fuerit. At ego puto Cæsarem dicere, fossas duas quinos denos pedes latas fuisse, & eadem quidem altitudine inter se: cæterùm quantò pedum numero, hoc eum non dicere, sicut nec primæ fossæ altitudinem expressit: etiamsi Iucundus posteà id quoque adiecerit, non Cæsaris, sed suis verbis. De ramis autem cipporum Adiectiuum, abscissis, omittit, non absque sensus iniuria. Neque enim permanebant rami infirmi, sed firmi manebant, infirmi abscindebantur. De lilijs verò hæc Cæsaris verba non paruam habent difficultatem. Simul confirmandi (inquit) & stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. In vetustiore codice legebatur: Singuli ab infimo solo pedes tres terra exculcabantur. Sed terni pedes scrobium (vt Cæsar ait) sub terra erāt: è quibus intelligo, singulos tum pro stabiliendis stipitibus completos, tum post immissos stipites conculcatos terra, ita vt relinquerentur adhuc bini pedes pro longitudine tibiæ ad vulnerandum corpus aciei stipitis. Ergo singuli pedes construendum. Quidam ternos pedes scrobium relictos existimant, ac præterea teretes stipites infimo solo fixos, vt incidentes, inguina ac podices læderent: quod Cæsaris verbis, quæ pòst sequuntur, consonum est. Ait enim de Gallis, Aut in scrobes delapsi transfodiebantur.

Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis. 26.

Quincuncialis ordo vnde dictus sit, multi eximij viri nostra ætate anxiè inquisiuerunt, de quorum numero Guilh. Budæus est. idem lib. 1. de Asse dubitat: neque ego id certè affero, verùm opinione mea liberè pronunciata, Lectori iudicium relinquo. Quincuncialem igitur ordinem puto dictum, quasi quinpunctialem, à quinque punctis. Cæterùm quòd hæc vox difficilis prolatu esset, & nonnihil inepti sono inferens, atque adeò ingra-

Ingratum auribus, deflexit Romani eloquij consuetudo in id, quod proximum alloqui & in vsu frequenti erat, Quincuncialis pro Quinpunctialis appellitans. Est igitur Quincuncialis ordo, qui in quouis quadrato cẽtro ipsius quatuor angulorum punctis comparat, aspectu enim sic fiunt quinque hoc modo:





Quòd si plura quadrata connecti intelligamus, emerget totius iugeri forma sub ordine & aspectu Quinpunctiali (vt ita loquamur) ad hanc formam. Paucis itaq; his verbis, & quid sit Quincuncialis ordo, & cur ita dictus, puto Lectori perspicuum. Nam ex Ciceronis, Quintiliani, atque aliorum authorum verbis, quæ Budæus adducit, neutrum ita lucidè expedias, vt Lector non vehementer hæreat.

Imperant Heduis & eorum clientibus. 27.

Vix est alius totis hisce Commentarijs locus, æquè atq; hic deprauatus, nemine à multis annis de hoc numero curante, quo pacto partes summæ responderent. Itaque & anxia cura, & summa adhibita diligentia, inspectis exemplaribus, eum magna ex parte restituisse confidimus. Quanquam in populorum nominibus aliquot hęremus, nec absque causa iudicium nostrum Lectori committimus. Notandum itaque est, Cæsarem oppido pulchra ratione hanc descriptionem instituisse, nempe vt potentissimos quosq; populos primùm enumeraret deinde minùs potẽtes postponeret. Quo ordine Hedui ac Aruerni iure præcedunt: quippe quibus & lata regio, & magnæ erãt clientelæ, ideoque & maximum ijs dedit numerum, videlicet tricena quina millia, quæ summa erescit in septuaginta millia. Sequuntur deinde populi minores sex, Senones, Sequani, Bituriges, Santones, Ruteni, Carnutes, quibus duodena tribuit millia, non 2x. millia, vt fallõ habent corrupti codices. Summa igitur horum populorum excrescit in 72. millia. Bellouaci 10. millia dare iussi, duo miserunt: ratio paulò pòst à Cæsare redditur. Lemouices 10. millia miserunt. Octona millia, 4. duntaxat populi Pictones, Turoni, Parisij, ac Heluetij. Nam hic distinguendum est colo, quòd Coniunctio &, ter posita satis indicat. Summa 32. millia. Porrò deinde nouus census inchoandus à Suessionibus (ita enim legendum est, non Senonibus, quandoquidem hi iam numerati sunt) Ambianis, Mediomatricis, Petrocorijs, Neruijs, Morinis, Nitiobrigibus, quibus quina millia imperata sunt, sicut & Aulercis Cœnomannis, quos ideò seorsum numerat, ne viderentur duo populi, cùm sit vnus. Summa octo horum populorum 40. millia. Attrebatibus imperata 4. millia. Terna autem millia tribus populis, Bellocassis, Lexobijs ac Aulercis Eburonibus. Est enim & hic vnus, nõ duo populi. Vides vt ab duodenis millibus deuentum sit ad terna millia. Boijs igitur ac Rauracis ex hactenus seruato descriptionis ordine minor numerus competet, vt ciuitatibus duabus perexiguis, bello etiã ante sexennium Heluetico attritis. Præterea Boijs, vt exulibus ab Heduis receptis, quemádmodum lib. 1. narrauit Cæsar. Bina igitur ijs millia attribuenda, non 30. millia, vt pessimè omnes errant codices. Postremò Armoricæ ciuitates pro portione minimum dederunt numerum, vtpotè longiùs ab Heduis distantes, quod de Treueris quoq; superiùs dixit Cæsar. Itaque his neutiquam distributiuum nomen dandum, sed sex millia in vniuersum illis imperata intelligendum. Sed age nunc, si libet omnium summam, colligamus primis illis numeralibus citra distributionem, & notis item numerorũ characteribus. Heduorum ac Aruernorum ponẽ 70000. Octo deinde populorum 72000. His addẽ Bellouacorum 2000. Lemouicum 10000. Rursus 4. populorũ 32000. Et octo populorum 40000. Attrebatium 4000. Trium populorum 9000. Duorum 4000. Postremò Armoricarum ciuitatum 6000. & emerget summa omnium 249000. Cæsar 8000. equitum ponit, peditum 240000. rotundo magis numero quàm iusto: debebat enim ponere peditum 241000. Sed pro vno milliario libuit dicere Circiter. Quapropter si ita, quemadmodum recensuimus, legantur, & ordo Cæsariæ descriptionis, quæ maximum quenque numerum primo quoque loco ponit, seruabitur, & equites in numerum generalem illum, summæ omnium venient. Denique illud, quod Circiter Cæsar dixit, explicabitur, cùm vnus duntaxat millenarius in summa omittatur. Non existimo, difficilè post tam exactam omnium numerorum supputationem, vel parum etiã exercitatis in Arithmeticis, videre, si sex post Heduos ac Aruernos populis denus 2000. vt vulgò codices habent, Rauracis ac Boijs 30000. denique Armoricis ciuitatibus sena millia, id est, 42000. quantum is numerus superaturus fuerit Cæsaris summã. Rursus si Rauracorum fortassis ac Boiorum ad nostram summam diminuemus, quantum defecturus ab eadem Cæsaris summa. Quapropter non magnoperè diffidimus apud optimos quosq; Lectores, posteaquàm hanc nostram diligẽtiam penitùs introspexerint, calculum huic nostræ opinioni addituros. Obiter etiam hoc Latinæ linguæ studiosis considerandũ, quàm Latinè ac propriè Cęsar distributiuis, vbi debuit, tota hac populorum nomenclatura vtatur. De Heduis vno populo 35. millia, inquit, non tricena quina. De Aruernis parem numerum, de sex continuò sequentibus populis duodena, nõ duodecim, vt singulis 12. millia imperata intelligamus. Rursus de Bellouacis 10. millia, totidem de Lemouicibus. Octona inde de quatuor populis. Quina de septem, totidem de vno. Et rursus de Attrebatibus, vno etiam populo, 4. millia: continuò de tribus terna, de duobus bina: de vniuersis Armoricis ciuitatibus non sena, quæ immensa summa

futura erat, sed stex protulit. Nunc de populorum nominibus paucula subnotanda videntur. In Heduorum clientibus pro Ambruaretis, quod alibi Ambulartis legitur, vide num legendum sit Ambarri, qui Heduorum necessarij ac consanguinei lib. 1. dicũtur. Aulerci autem ibidem vocabulum mihi prorsus suspectum. Triplices enim sunt Aulerci, vt suprà habitum est, nec vllum hic additur cognomen, cùm alteri Cœnomanni, alteri Eburones paulò pòst nominentur, & Diablintres inter Armoricas ciuitates facilè numerari queant. In Aruernorum clientibus Heleuteris, non Heleuteris legendum, Celtica lingua Hellhüter/vt Heluetij Hellhetter/quasi à Dite prognati, vt præced. lib. refert Cæsar. De Suessionibus paulò antè admonuimus: nec obstar vel quod libro 8. Rhemi dicant ad Cæsarem, Suessiones optimè de Repub. meritos. Nã hæc ptopè totius Galliæ insania erat: vel quòd ipsorum Rhemorum clientes erant, cùm Carnutes eorundem clientes hic adfuerint. Porrò Bellocassi Celtarum est populus, Verocasses autem Belgarum. Sed declinatio mirè varia apud autores legitur. Inter Armoricas ciuitates tria nomina mihi suspecta, Ambibarij, Cadetes, & Lemouices. Confer populorum, quæ Armoricarum ciuitatum sunt, nomina lib. 2. ad finem, & 3. de bello Veneto, si fortè pro Ambibarijs Ambilliates legendum. & pro Cadetibus, Nanneres, pro Lemouicib. Diablintres. Lemouices enim anteà numerati sunt: quanquam codex Aldinus priùs nomen per n, con sonantem scribit, hoc per n: quo autore, comminisci non potui, mihi sanè non probatur. Scio apud Ptolemæum Galleos: sine Galletos, in extremo Septentrionali latere Lugdunensis Galliæ numerari, si fortassis quis eos Cadetas à Cęsare nominari contendat. Galleros certè Plinius nominat cum Lexobrigis, cap. 18. lib. 1. Et in Ptolemæi Græco codice [Greek] legitur. Vix me expedio, minusq; definio, quid potissimùm hac in re sequendum, Lector iudicet. Sed age nunc, cùm adiuuandæ memorię gratia, tum vt in posterum minùs locus corrumpi queat, totius descriptionis huiusmodi typum adscribamus:

70000 {
- *Hedui 35000. cum suis clientibus, quos hoc loco ponit Cæsar.* { *Segusianis. Ambruaretis. Aulercis. Brannouicibus. Brannouijs. Heleuteris.* }
- *Aruerni 53000. cum suis item clientibus,* { *Cadurcis. Gaballis. Vellaunis, quos alij Vellaunos vocant.* }

72000 {
- *Senones 12000.*
- *Sequani 12000.*
- *Bituriges 12000.*
- *Santones 12000.*
- *Rutheni 12000.*
- *Carnutes 12000.*

Bellouaci 2000. Decem millia his imperata erant, sed duo duntaxat miserunt.

Lemouices 10000.

32000 {
- *Pictones 8000.*
- *Turoni 8000.*
- *Parisij 8000.*
- *Heluetij 8000.*

} *Quatuor hi populi nequiquã cum sequentibus sunt coniungendi.*

40000 {
- *Suessiones 5000.*
- *Ambiani 5000.*
- *Mediomatrici 5000.*
- *Petrocorij 5000.*
- *Neruij 5000.*
- *Morini 5000.*
- *Nitiobriges 5000.*

Senones anteà numerati sunt, hic igitur Suessiones legendum.

Aulerci Canomanni 5000. Aulerci Cenomanni, vnus populus, non duo: sicut paulò pòst Aulerci Eburones.

Atrebates 4000.

9000 {
- *Bellocasses 3000.*
- *Lexobij 3000.*
- *Aulerci Eburones 3000.*

4000 {
- *Rauraci 2000.*
- *Boij 200.*

} *Parua hæ erant ciuitates, & nuper Bello Heluetico attritæ. Ineptè igitur his 30000. codices quidam attribuunt.*

6000 {
- *Curiosolites.*
- *Rhedones.*
- *Ambibarij.*
- *Cadetes.*
- *Osismi.*
- *Lemouices.*
- *Vnelli.*

Summa omnium 249000.

A castris longurios, musculos, falces. 28.

Musculus propemodum vt vinea instrumentum est, ad subeundas munitiones minùs quidem vineis, sed firmiùs. Cæterùm pro (à castris) quod hic nihil ad sensum facit, puto legendum rastros. Et planè vetus codex nõ habebat præpositionem à. Vnde non dubito scripturam viriatam.

Omnia enim plerunque quæ absunt. 29.

Horat. Ode 1. Epod. Minor ero sum futurus in metu, qui maior absentes habet. Item non ita multò pòst. Agger (inquit) ab vniuersis in munitionem coniectus, & ascensum dat Gallis, & ea quæ in terram occultauerant Romani, contegit. Quid sit aggerem in munitionem conijcere, comminisci non potui: Vtrùm aggestam terram in fossas cõijcere. Cæterùm nimis concisè hunc finit librum, territus opinor magnitudine eius ad reliquos: sed res non est tanti.

Annot. Henr. Glar. in Librum VII. *finis.*

IN A. HIR.

IN AVLI HIRCII DERELICTORVM DE BELLO GALLICO LIB. VIII. HENR. GLAR. ANNOTATIONES.

I.

IN Præfatione excusat se Hircius, ne post Cæsarem temerè scripsisse videatur: deinde bellum motum in Biturigibus & Carnutibus refert, & quomodo his domitis, Cęsar in Bellouacos processerit. Trahitur tes paruis prælijs. Bellouaci à loco, quem munitissimum instituerant, discedunt. Quumque insidias Romanis pabulatoribus duce Corbeo instruerent, Cæsar intellecto dolo, insidias insidijs deleuit, & occiso Corbeo, Bellouacos in deditionem accepit. Deinde narrat perfidiam C. Voluseni in Comium Atrebatem, diuisionemque exercitus, videlicet in Eburones & Treuiros missas legiones. C. Caninius contra Andes & ducem Dumnaeum feliciter pugnat. Vxellodunum obsidetur à Romanis, & expugnatur: ijs qui arma ferre potuerūt, manus Cæsar pręcidit. Diuisio exercitus in Hyberna, & de Comio historia finit octauum annum. Nono anno pauca admodum gesta narrantur ob quietam Galliam, sed ad bellum Ciuile satis multa præparamenta. Decimo igitur anno cœpit bellum Ciuile: quod posterioribus libris Cæsar descripsit.

Omni Gallia deuicta. 2.

Hic annus ab Vrbe condita 703. Coss. Seruio Sulpitio Rufo, M. Claudio Marcello.

Ad legionem duodecimam. 3.

Legendum haud dubiè, tertiamdecimam, vt post aliquot paginas patebit Lectori non oscitanti: erat enim ea, quæ cum T. Sextio in Biturigibus collocata fuerat, cuius mentio etiam est in oppugnatione Gergobiæ.

Superioribus Commentarijs declaratum est. 4.

Hoc nusquā in superioribus libris continetur, quod equidem meminerim: nisi sit aliquis defectus, vt fieri potest.

Cæsare in Gallia citeriore. 5.

Gallia citerior, quæ & Togata, diuiditur in Transpadanam & Cispadanam regiones. Transpadanam occupat ducatus Mediolanensis. Cispadanam Ptolemæus solam vocat Togatam Galliam, in qua sunt Placentia, Bononia, Mutina, Parma, & aliæ quædam ciuitates non ignobiles. Cisaucem & Transad vrbem Romam referri debent.

Mittit in diuersissimam partem Galliæ. 6.

Non satis intelligitur, in quam partem missus sit Fabius, nisi ex sequentibus, quando C. Caninio succurrit in Lemouicis.

Neq; C. Caninium Rebilum legatum. 7.

Ad finem lib. 7. C. Caninius in Ruthenos cum vna legione mittitur, hic mox in Lemouicos venit duabus legionibus.

Ac superiore æstate Tergestinis. 8.

Tergestum Colonia in Istria est, in intimo Hadriatici maris sinu, non longè ab Aquilegia, Carnorum oppido, hodie ditionis Venetæ in tota Istria.

Literis nuncijsq; Duracij cognouisset. 9.

Ex Duracio Marlianus populum & oppidum facit: hoc est, ex homine saxum. Duracius enim Lemouicum dux fuit à parte Romanorum contra Dumnaeum ducem Andium. Duracius igitur in Lemouico oppido clausus fuit & obsessus à Dumnaeo: liberabantur autē à Caninio & Fabio. Cæterùm Lemouicum non erat ad Ligerim, quod Marliano tamē visum est: sed Dumnaeus discedit à Lemouico ad Ligerim, quem fluuium transire cupiebat, à Fabio impeditus.

Circundare conatur. 10.

Moratur legendum est: non enim perfecit Caninius has munitiones ante pugnam: de qua paulò pòst.

Gutrunatum ad supplicium. 11.

Ab initio 7. lib. vocat Cotuatum, quod nomen placet. Cæsar enim corrupit Gallicam vocem Gotuuad, qui egregijs est furis. Græci ἄσπιδα vocant.

Reliquam esse vnam æstatem. 12.

Duæ reliquæ sunt, vt ex sequentibus patet, & maximè ex initio tertij libri, de Bello Ciuili. Nam ibi ait enim annum esse, quo per leges ei consulem fieri liceret. Fortassis autem sesquiannus restabat.

Scio Cæsarem. 13.

Epilogus libri est, & incipit nunc nonus annus, siue hyems, quæ præcessit nouum annum maiore ex parte.

Ipse hybernis peractis, contra consuetudinem. 14.

Contra consuetudinem ait, quia antea subaduentum hyemis solebat in Italiam proficisci, hic verò sub aduentum veris.

Vt municipia & colonias appellaret. 15.

Hic & ex sequẽtibus verbis satis clarum euadit, colonos quoque suffragia tulisse Romæ in Magistratibus creandis.

Sed etiam per se discessionem facere cœpit. 16.

Hic locus corruptus est: nam de quo loquatur, qui discessionem fecerit, ignoratur. Curio enim nullum habuit exercitum.

Nam Marcellus proximo anno. 17.

Loquitur de C. Marcello Consule prioris & huius annorum.

Neq; obscuræ hæ duæ legiones vni Cæsari. 18.

Vide librum sextum ab initio de hoc delectu. Nam prouinciam intelligo Cæsaris, & non Pompeij.

Per hyberna C. Trebonium. 19.

Historia hyemis, quæ præcedebat annũ decimũ, saltem ad Calendas vsque Ianuarias, quo anno Coss. erant, quos paulò antè dixerat, C. Claudius Marcellus, & L. Lentulus Crustellus.

Per M. Marcellum. 20.

Legendum est C. Marcellum, qui huius anni Consul fuit, & præcedentis.

Annotat. Henr. Glar. in Lib. VIII. finis.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI

LIBRVM I. HENR. GLAR. ANNOTATIONES.

Argumentum Libri I. de Bello Ciuili.

I.

IN primo libro de bello Ciuili, hæc ordine habentur: Contẽtio in Senatu Rom. de Imperio Cæsaris. S. consulta aduersus Cęsarem. Intercessio tribunorum pro Cęsare. Cæsaris apud milites concio. Eiusdem à Rauenna discessus ad Ariminum, ac reliqua superi maris oppida, quæ pręsidijs firmat. Multi à Cęsare capiũtur, sed oẽs incolumes dimittũtur. Quæ ad Corfiniũ acta ac Brundusium, profusiùs explicãtur: quòd illic Domitius captus, hic Pompeius vix euasit. Diuisio exercitus Cæsariani. Curio in Africam. Cæsar Romam proficiscitur, atque inde Massiliam. Massilienses, recepto Domitio, Cæsari portas clauserunt. Relictis itaque ad eius vrbis obsidionẽ C. Trebonio, & D. Bruto, Cæsar in Hispanias proficiscitur. Erant Afranius, Petreius, ac Varro Pompeij legati tres, qui Hispaniam septem legionibus obtinebant, præter Prouinciæ auxilia. C. Fabius tribus legionibus pręcesserat Cæsarẽ. Ad Ilerdam omnis belli vis cõuersa: hic cùm multis dieb. pugnis aliquot contendissent, tempestas Cæsarem omni commeatu intercluso, propè obruisset, vicit patientia. Non minùs tamẽ intereà Massilia oppugnatur, & ipsos quidẽ Massilienses Brutus vicit nauali pugna. Porrò Afraniani in Celtiberiam abire conati, à Cæsarianis impediuntur, tandem ad deditionem coguntur: quam mirum in modum tamen Petreius impedite conatus, res absque multorum sanguine tandem ad felicem exitum peruenit. Clementiam suam Cæsar ostendit, exercituumq; dimissionem fecit, partim in Hispania, partim ad Varum flumen.

In eandem sententiam loquitur Scipio. 2.

Hic fuit Metellus Scipio, Cn. Pompeij socer.

Dixerat aliquis leniorem sententiam. 3.

Leniores tres adfert dictas sententias, quanquã in vnam duæ posteriores concedunt.

Item L. Roscius Prætor. 4.

Videtur hic Roscius esse, de quo Florus 99. libro, qui & Otho cognomine, de quo Horat. lib. Epod. Ode. 4.

Dicuntur etiam à nonnullis. 5.

Pulchrè, sed mordaciter inimicorum causas narrat.

Et dolor repulsæ. 6.

Huius repulsæ meminit Florus lib. centesimooctauo.

Ipse Pompeius. Lucanus. 7.

Nec quenquam iam ferre potest, Cæsárue priorem, Pompeiúsue parem.

L. Sylla reliquerat. 8.

L. Sylla tribunitiam potestatẽ propè deleuerat, sed

ſed ius tamen intercedendi reliquerat, vt ſtatim pòſt Cæſar apud milites conquerítur.

Decurritur ad illud extremum atque vltimum. 9.

Senſus eſt: Nullus vnquã lator huius legis tam audax fuit, vt hanc ferret, niſi penè in ipſo vrbis incendio, &c.

Lictoresq́, habent in vrbe. 10.

Hic ſunt multæ incertæ diſtinctiones.

Quibus rebus cognitis. 11.

Oratio eſt accuſatoria, maximè autem in inimicos Cæſaris, hoc eſt, Catonem & Scipionem inuehitur. Pompeium propter ſummam autoritatem primùm non auſus directè petere, ac ſumpta audacia, deinde notat. Primùm quòd ſalſò gloriaretur de reſtituta poſt Syllæ tempora tribunitia poteſtate, quum nunc eam prorſus obruat: ſecundò, quòd Senatus decretum, quo in vltima tantùm neceſſitate populus Romanus vtebatur, inuerterit.

Expiata Saturnini. 12.

De hoc Saturnino vide Florum in Epitome, libro 69. & de Gracchis, lib. 58. ac tribus ſequentibus.

Ariminum cum legione proficiſcitur. 13.

Hic Cęſar tranſiuit Rubiconem amnem armata manu, contra S. C. dicens, Iacta eſt alea: vt refert Sueton.

Tamen hanc honoris iacturam. 14.

Hic exponit beneficium populi Romani.

Intereà certior factus Tignium, &c. 15.

Pro Tignium vide ne ſit legendum, Firmium, oppidum in Picenis, ad ſuperum mare, vt ſunt alia hic enumerata.

Auximumq́, proficiſcitur. 16.

Auximatum meminit Plinius libro tertio, capite 13. proxime Anconam.

Deſeritur à ſuis Varus. 17.

Hic Varus protinùs ex hac fuga in Africam venit, quam Prouinciam Prætor anteà poſſedit, ac illam à Cæſare auertit.

Etiam ex Cingulo. 18.

Cingulanorum meminit Plinius bis: ſemel in Latio, cap. 5. lib. 3. ſemel in tractu Piceno, cap. 13. eiuſdem libri.

Ex Alba, & Marſis, & Pelignis. 19.

Albenſium Albam ad Fucinum lacum ponit Plin. lib. 3. c. 12. Ptolemæus Albam Bucelin vocat, ac Marſis attribuit.

Pollicetur quadraginta in ſingulos iugera. 20.

Vide ne Quaterna legendum pro Quadraginta. Quomodo enim hoc tot cohortibus Senator vnus daret?

Lucretius & Actius de muro ſe, &c. 21.

Hic Actius Pelignus fuit, non Varus ille, de quo paulò antè.

Quid ipſis Corfinienſibus, quid Domitio. 22.

Expectatio erat quid accideret Corfinienſibus, Domitio, &c. Nam exiſtimabant Cęſarem ſæuiturum in eos.

HS. LX. *Quod aurum adduxerat Domitius.* 23.

Si legas Seſtertia ſexaginta, ſumma erit coronatorum mille quingentorum. Quę ſumma videtur nimis parua. Quare legẽdum exiſtimo, Seſtertium ſexagies, quæ ſumma creſcit in centena quinquaginta millia coronatorum.

Ferentinorum. 24.

Frentanorum legendum videtur ex Plin. lib. 3. c. 11. & 12.

In Siciliam Curionem Propratorem cum legionibus tribus. 25.

Intelligit triginta cohortes Domitianas, quas Corfinij nactus erat.

Sin timore defugiant, illis ſe honorem. 26.

Legendum puto: ſin timore defugiant illi, ſe ſuo honori non defuturum, ſed per ſe Rempub. adminiſtraturum.

Albicos barbaros homines. 27.

Strabo libro 4. ita habet: Poſt Sallyes tenent Albienſes, & Albici, & Vocontij montana in Septentrionem vergentia.

Et Iluorum. 28.

Nonſatis clarum qui ſint Ilui, quum Ilua apud Ptolemæum ſit duarum Inſularum nomen: alterius inter Corſicam & Sardiniam: alterius Hetruriæ, decem millia paſſuum à Populonia, vt ait Plinius. De his non video vt hic locus intelligi queat.

Alter bello victas Gallias attribuerit. 29.

Et hoc quoque ſuſpectum eſt, de victis Gallijs Maſſilienſibus attributis: niſi intelligamus, ideò Cæſarem quoque ſuſpiciendum, quòd victas Gallias Romanis attribuerit. Verùm quid hoc ad Maſſilienſes, erga quos Pompeij priuata erant beneficia?

Naues longas Arelate numero, &c. 30.

Ptolemæus Arelatum Sallium & oppidum & coloniam facit.

Alter à saltu Castulonensi. 31.

Castulonem Ptolemæus facit vrbem Oretanorum ad Anam flumen: Vectones autem inter Tagum & Dorium flumina ponit.

Bellum ad Ilerdam. 32.

Ilerda oppidum est citerioris Hispaniæ ad Sicorim flumen, viginti millibus passuum ab Ibero amne.

Hinc optimi generis hominum ex Aquitanis. 33.

Intelligit de ijs, qui ad Gebennam & Cœnomannorum montes habitant.

Et postero die omnibus copijs, &c. 34.

Hoc in loco Cæsar videtur transisse Sicorim, quamuis loca superiora cum hoc non admodum quadrēt. tota enim huius historiæ difficultas inde pendet, quòd vbi Afranij castra, citráne Sicorim fuerint, an vltra, scite planè non possumus. Ex superioribus citra flumen fuisse videntur, sed ex sequentibus vltra. Lucanus tamen dicit, Sicorim medium fuisse intra castra Cæsaris & Afranij: Medius dirimit tentoria gurges.

Erat in oppido Ilerda & proximo. 35.

Videnùm legendum sit: Erat inter oppidū Ilerdam & proximum collē: atque ita legit Sulpitius Verulanus Lucani commentator.

Sicorim & Cingam. 36.

De Cinga suprà nihil dictum est: sed videtur hic locus significare satis luculenter, Cæsarem Sicorim transiecisse.

Cetrati citerioris Hispaniæ. 37.

Hic Cætratos vocat citerioris Hispaniæ, cùm superiùs vlteriotis vocâsset: & citerioris Scutatos.

Et loca trans flumen integra. 38.

Vide quomodo dicat trans flumen, si Ilerda vltra Sicotim fuit, cùm Fabius superiùs pabulatum miserit trans pontes, quòd ea quæ citra flumē fuerant, superiotibus diebus consumpserat.

Imperat militibus Cæsar, vt naues faciant. 39.

Vide ab initio lib. 5. & deinceps per aliquot folia: quanquam ne his quidem similes erant, opinor.

Milites flumen his nauibus transportat. 40.

Sicorim hic traijcit, quandoquidem hunc postea auertere pluribus fossis annititur, ne magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus.

Hæ ad Insulam, quæ est contra Massiliam. 41.

Strabo lib. 4. Stœchadas vocat tres Insulas Lucanus autem lib. 3. vnam vocat.

Interim Oscenses & Galaguritani. 42.

Osca oppidum est Ilergetum, autore Ptolemęo. Plinius libro tertio, cap. tertio. Calagnritanos duplices facit, alteros Nascicos, alteros Fibularenses cognominatos. Cæterùm Lascetani & Ausetani citra Iberum populi, apud Ptolemæum corruptè Leitani ac Autetani nominantur. Illurganonenses qui sint, non est certum, Plinius Illuronem eodem loco ponit, oppidum ciuium Romanorum.

Pons enim ipsius magnum circuitum, &c. 43.

Viginti enim millibus duobus à castris Cæsaris aberat, vt superiùs habitum est.

Impedimentisq́, aditer profectos videbant. 44.

Reliquetant enim legionem vnam prę̨sidio castris apud Ilerdam, vt suprà dixit.

Alterum, si Tarraconem peterent. 45.

Vel hoc suspectum est nomen, vel Afranius ac Petteius ignorabant Tarraconenses ad Cæsarem descisse, quod ipse tamen Cæsar superiùs scripsit.

Non enim amplius pedum millibus, &c. 46.

Tutum nanq; receptum dabant castra propinqua, vt statim subiungit Cæsar.

Si prælium committeretur, &c. 47.

Tertiam partem interiectæ planiciei intelligit.

Illi vadum fluminis Sicoris tentare. 48.

Vide & hic Ilerdam citra Sicotim.

Audiente vtroq́, exercitu loquitur Afranius. 49.

Oratio deiecti animi, enumerantis, quæ omnes sciebant, scilicet vt purgatus apud summum Imperatorem videretur.

Ad ea Cæsar respondit. 50.

Magnanima responsio est, nec minùs ingeniosa, qua omnem huius belli culpam in aduersariorum duces deriuat. Primùm enim & se & suum exercitum, Deinde & illorum exercitum purgat, quòd omnes in officio manserint: solos ipsos duces, Afranium ac Petteium, in culpa esse omnium harum calamitatum. Inuchit inde in Pompeium ac suos

ac suos cōplices, ostendens quanta iniuria ipsum affecerint. In fine breuem quidem, sed amaram ducibus, gratam exercitui, ponit conclusionem.

In se ætatis excusationē nihil valere. 51.

Quia Pompeius etiam emeritos coēgit ad bellum.

Ad Varum flumen dimittantur. 52.

Id flumen est, Italiam à Gallia Transalpina separans.

Annotat. Henr. Glarean. in Lib. I. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBRVM II. HENR. GLAR. ANnotationes.

Argumentum secundi Libri.

I.

TRIA hoc in libro tractantur. Primùm, Massiliæ oppugnatio mari ac terra. Mari rursus vicit D. Brutus: terra perdifficilis fuit oppugnatio, operibus sanè mirandis, quæ diligentissimè describit Cæsar, quæ hostes datis induciis perfidia deleuerunt. Reparatur rursus inauditus agger à Trebonio. Tandem Massilienses omnibus victi malis sese Cæsari, qui iam ex Hispania denuò victor redierat, dedidêre. Secundum, vt M. Varro Pompeij legatus Hispaniā vlteriorem à Cæsare auertere conatus sit, sed frustrà. Nam Prouinciæ consensus, ciuiumq; Rom. Corduba officium obstabant Varroni: demùm vnius legionis secessio coēgit eum, vt sese Cæsari dederet. Tertium, vt in Africa aduersam fortunam Cæsaris exercitus, Curioni Tribuno traditus, passus sit. Nam cùm primo aduentu prælijs aliquot Curio aduersus Actium Varum, Pompeij legatum, prosperè pugnâsset, Vticamq; oppidum oppugnare conatus esset, subito aduentu Iubæ Maurorum Regis, cùm Curio Saburam eius præfectum cum paucis subsidijs adesse, ex perfugis captiuisq; percepisset, oppressus est cum toto propè exercitu. Pauci enim nauibus in Siciliam effugerunt: reliqui facta deditione, ac in fidem accepti, à Rege Iuba trucidati sunt.

In hac ratione perfectum est. 2.

Duas res hic Cæsar describit. Primò, turrim latericiam: secundò, musculum. Turris ad repentinos hostium incursus reprimendos facta erat: Musculus autem aduersus rerum grauissimarum lapsum, vt turris aut totius muri. Ab turri hostes à muris deturbabantur: sub musculo verò milites murum Massiliensem, ac turris fundamenta vellebant. In descriptione turris, singulis contabulationibus singulas contignationes subiungit, cum munitionibus de superstructis.

Centonesq́; insuper iniecerunt. 3.

Centones stragula sunt crassiora, villis passim pendentibus, quibus & lecti pauperum sternuntur, & tabernacula, omnisq; Castrensis supellex pluuio tempore vellantur. Vide adagium, Farcire centones.

Has inter se capreolis molli fastigio, &c. 4.

Capreoli ligna sunt à trāsuersis trabibus ad columen vsq; erecta, quæ totum culmen sustinendo colligunt. Vide Vitruuium libro 4. cap. 2.

Phalangis subiectis, ad turrim, &c. 5.

Phalangæ sunt ligna teretia, qualia sunt quæ nauigijs dum vel subducuntur, vel deducuntur, supponi solent.

Aequa ferè latitudine. 6.

Altitudinē initiò huius libri prædixit, latitudinem nusquam: quare pro latitudine suspicor altitudinem legendum.

Pila interponuntur. 7.

Pila dicitur, quæ parietem sustentat, ab opponendo, vt Varro sentit, ita vocata.

Sibi ad Rempublicam administrandam, HS. CXC. 8.

Legendum puto Sestertiûm nonagies, vt efficiant ducenta ac vigintiquinq; millia coronatorum. Veri enim simile est, maximam summam primùm posuisse: & in vetustis codicibus illud millia, non est positum, postea centum nonaginta. Quanquam si quis sestertiûm centies nonagies legat, habet quo se defendat. Erit autem summa ingens quadringentorum septuaginta quinq; millium coronatorum. Atq; id magis verisimile ad fidem codicum, & ad eam quæ sequitur summam.

Panico enim vetere. 9.

De Panico vide Plinium lib. 18. cap. 7.

Hanc remulco abstraxit. 10.

Remulco est, cùm scaphæ remis, nauis magna trahitur. Festus Pompeius.

Quod est ante oppidum, substructionibus eius operis. 11.

Substructio est fabrica, quæ in fundamentis fit.

Fundamenta autem sunt fossæ, in quibus substruitur.

Quas superioribus temporibus Corfinio receperant. 12.

Loquitur de triginta cohortibus, de quibus suprà.

Dimisso concilio, concionem aduocat, &c. 13.

Oratio est laudatoria dissuasoriaq́;. In primis enim laudat milites: deinde inuehit in hostes, maximè in L. Domitium: postremò de se ac militibus & eorum rebus gestis disserit.

Et capitis diminutione. 14.

Capitis diminutio, est prioris status permutatio, Caius.

Erat in oppido multitudo insolens, 15.

Alibi legitur, Illi amicissimi erant, cùm etiam ex varijs generibus constarent.

Et controuersijs Leptitanorum restitisse. 16.

Omnes Authores Leptas ad Orientem Vticæ ponunt, & Numidiam ab Occasu. Considerandum igitur Lectori, quo pacto hunc locum intelligat.

Annotat. Henr. Glarea. in Lib. II. finis.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBRVM III. HENR. GLAR. ANnotationes.

Argumentum tertij Libri.

I.

PRIORIBVS libris res Occidentis narratæ sunt, videlicet in Italia, Gallia ac Hispania, ac etiam Africa. Nunc quæ res in Oriente gestæ sint, describuntur: & vt Cæsar bis malè apud Dyrrachiũ pugnauerit: Pompeius verò in Thessalia apud Pharsalum vrbem vna ingenti pugna victus, in AEgyptum fugerit, atque ibi iussu Ptolemæi regis sit interfectus. Vnde bellum Alexandrinũ ortum, quod Libro deinceps quarto prosequitur A. Hircius.

Item prætoribus Tribunisq́; Pleb. 2.

Meminit Salustius in Catilinario bello de hac lege.

Qui se illi initio ciuilis belli. 3.

Hic videtur desiderari verbum aliquod, etiamsi tota sententia ad priora referatur.

Ex quibus sexcentos Gallos Deiotarus adduxerat. 4.

Vide Lucanum lib. 5. non ita longè ab initio.

Pastorumq́; suorum coegerat CCC. 5.

Quidam codices non habent ccc. sed post Gallogræciã, habent Tantundem, vt intelligamus etiam DCCC. quanquam quidã codices pro DCCC. habent CCCC.

Dardanos Bessos. 6.

Dardanos legendum Bessosq́;.

M. Bibulus præpositus cunctæ. 7.

Calphurnius intelligitur, qui Cos. fuit cum C. Cæsare ante bellum Gallicum.

Vt suprà demonstratum est, legionibus VII. 8.

Legionum mentio antè nõ est habita, quæ quidem nauibus impositæ fuerint, sed militum legionariorum. Quorum quindecim millia dixit. Quæ quàm quadrent cum hoc numero, haud certò pronunciãrim.

Sed post discessum Lyburnarum ex Illyrico. 9.

Locus est perobscurus, & videtur tempus describere longè ante aduentum Cæsaris in Græciã, nempe eius æstatis aut autumni, ante banc hyemem, qua ipse Cæsar in Hispanijs fuit. Suspicor etiam hic aliquot versus desiderari de historia, vt diligenter legenti satis patet.

Hissam à Cæsaris amicitia auertit. 10.

Hissa Insula est, & ciuitas è regione Salonarum: eius rursus mentio fiet lib. 4. quãdo rursus in manus Cæsaris venit.

Iamq́; hyems appropinquabit. 11.

Paulò antè Nonis Ianuar. à Brundusio discessum est, hic appropinquat hyems. Sed necesse est Octauij historiam de priore autumno intelligi, & mutilam à principio esse, vt iam admonuimus.

Mili-

Militumq; deditione ad Corcyram. 12.

De hac nihil hactenus scripsit, sed neq; in posterioribus.

Vibullius his expositis Corcyrae, non minus. 13.

Paulò antè Pompeius Dyrrachij dicitur fuisse: ergo hoc suspectum.

Eodem die Oricum proficiscitur. 14.

Ex hoc loco apparet, Pharsaliam, vt ipse anteà vocauit, non longè ab Orico distare, quippe qui eo die expositis militibus illuc profectus fuerit.

Ibi Partinorum habebat. 15.

Horum meminit Plinius libro 3. cap. 23. Sunt enim montani in Macedonia.

Hos sequuntur Bellidenses, Amantini. 16.

Amantinorum & Bellidensium meminit Plin. lib. 4. cap. 10. tametsi Bullidenses nominat: & Bullidis meminit Ptolemæus, & Amātiæ ad idem littus Orientale maris Hadriatici.

Iisdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus. 17.

Digressio est ad res gestas in vrbe à duobus Prætoribus, Cælio, qui pro Pompeio erat, & Trebonio, qui pro Cæsare: sed Cælius malum finem accepit.

Vt sexies seni dies sine vsuris credita, &c. 18.

In alijs libris non adest Seni dies: & planè nullus est hic sensus, si Seni dies legatur. Sin autem tollatur, sensus erit, vt creditæ pecuniæ soluantur sine vsuris per sex partes siue solutiones: cuius rei exempla sunt apud Liuium.

Aliam tabularum nouarum. 19.

Hic videtur aliquis defectus esse. Est enim insignis obscuritas posterioris legis.

Atq; arma Capuæ essent comprehensa. 20.

Et hic locus malè habet propter verbum Apparere, quod quò referendum sit non apparet: nisi dicas proditionis oppidi visa apparere, quod durum est.

Duriusq; quotidie tempus ad transportandum, &c. 21.

Sensus videtur durior: sed hoc vult dicere: Cæsarianos increbescentes ventos optâsse, non remissos.

Vltra Lyssum millia passuum tria. 22.

Lyssus, vrbs est littoralis infra Dyrrachium, vt patet apud Ptolemæum.

Pontones, quod est genus nauium Gallicarum. 23.

Has posteà naues onerarias vocat.

His temporibus Scipio detrimentis quibusdam. 24.

Diuertit nunc ad Scipionem Metellum Pompeij socerum: mira autem de eius auaritia scribit.

Et Naupacto relictis, omni Aetolia, &c. 25.

Dubium quomodo relicta præsidia intelligenda, siquidem omni Aetòliâ potitus est.

Nunciatum est adesse Scipionem cum legione. 26.

Cum legionibus, legendum puto, vt & præcedentia & sequentia indicant.

Qui circum Thessaliam esse consueuerat. 27.

Dubium ad Cottúmne an Cassium referat illud Qui.

Circiter millium passuum sex. 28.

In alijs Codicibus legitur, Circiter millia passuum tria: quod est vero similius.

Deductis ora maritima. 29.

Redit rursus ad historiam Cæsaris & Pompeij.

Qui commeatus Biblide atque Mantinea. 30.

Legendum puto, Bullide atque Amantia: quod hæ duæ vrbes Cæsarem receperant, vt superiùs patuit.

Cæsar postquàm Pompeium ad Asparagum esse, &c. 31.

Pompeius iam decesserat vltra Asparagum, vt sequentia indicare videntur.

Interim certior factus P. Sylla. 32.

Hic est insignis defectus historiæ: cæterùm & pugnæ, quæ ab vtraq; parte multiplex fuit, hîc particula cernitur.

Et Cassium cum cohortibus adiungit. 33.

Suspicor, eo hortium numerum omissum iniuria temporum.

Erat eo loco fossa pedum xv. & vallus, &c. 34.

Vtitur nomine Vallus pro Vallum, nisi corrupti sint loci sequentes. Vallus enim est stipes ipse, & ex multis vallis fit vallum.

Eò signo legiones illato. 35.

Eò Aduerbium ad locum est, non Adiectiuum ad signo.

Erat

Erat obiectus portis Eritius. 36.

Dubium, Eritius sitne nomen propugnatoris, an propugnaculi? Sed ex sequentibus propugnaculi videtur.

Cuius opera proditum exercitum C. Antonij, &c. 37.

De C. Antonio nulla anteà est facta mentio, sed de M. Antonio. Verisimile est in defectu illo superiore id perscriptum fuisse.

Duobus his vnius diei prælijs Cæsar, &c. 38.

Alibi ita legitur: Duobus his vnius diei prælijs, Cæsaris desiderati sunt milites DCCCCLX, noti equites Romani CCCC. & Tutieanus Gallus Senatoris filius, & à Placentia C. & à Puteolis C. & à Capua X. sacrati viri, & X. Tribuni militum, & centuriones XXXII.

Et heracleam Senticam. 39.

Heracleam Senticam vocat Ptolemæus ad Strymonem fluuium.

Quarum vna prima, altera tertia. 40.

Vide ad finem Lib. VII. de Bello Gallico, vbi tamen alteram legionem vocat decimamquintam.

Hæ erant millia LV. 41.

Hic planè colligitur legiones fuisse tunc quinque millium.

Cohortes in acie LXXX. 42.

Vide miseras & semilaceras, ac planè duplo diminutas Cæsaris legiones. Nam LXXX. cohortes efficere debebant millia XL.

Iisdem ferè temporibus Cassius cum classe. 43.

Tres Cassij fuerunt: Lucius, Caius, ac Quintus. Lucius ac Quintus pro Cæsare erant. Caius pro Pompeio.

P. Sulpitius prætor Vibone ad fretum. 44.

Plin. lib. 3. cap. 5. Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam appellamus. Hæc ille. Ptolemæus ita quoque nominat, non longè à Locris post Brutios in Italia.

Erat edictum Pompeij nomine Amphipoli propositum. 45.

Amphipolis, oppidum est non longè à Strymone amne, qui Macedoniam à Thracis diuidit, de qua hic loquitur. Sed constat Pompeium non præstò fuisse.

Arcem Antiochiam captam esse. 46.

Dubia est hic lectio, arcemne Antiochenam, an arcem Antiochiæ legere velimus?

Annotat. Henr. Glarea. in Lib. III. *finis.*

HENRICI GLAREANI IN LIBRVM QVARTVM ANNOTATIONES.

IN hoc quarto libro hæc ordinè habentur. Primùm, Alexandriæ oppugnatio terra ac mari, fortuna vtriusque partis, diuersum hominum studium, ac conatus varij. In eo bello Rex Ptolemæus, cuius iussu Pompeius occisus erat, interijt: fratri ac sorori maiori Cleopatræ regnum traditur. Perijt à parte Cæsaris Euphranor Rhodius, & ad pontem milites legionarij CCCC. In Asia Cn. Domitius parum feliciter pugnat aduersus Pharnacem Armeniæ Regem. Et Gabinius in Illyricis aduersum prælium fecit. Vatinij deinde diligentia res constitutæ, qui Octauium vicit, atq; tota Illyride prouincia eiecit: Prouinciamq; ipsam incolumem, ipse cum omnibus suis incolumis recepit. In Hispania mira de Quint. Cassij Longini, quem Cæsar prætorem ibi reliquerat, auaritia narrantur. In dissensionem venêre duces legionũ. Tandem finem inuenit Cassius in Ibero flumine, vbi perijt. Deniq; res felicissimè aduersus Pharnacem prælio ingenti victum gestæ vltimò narrantur.

Annot. Henr. Glar. in Librum IIII. *finis.*

HEN-

HENRICI GLAREANI IN LIBRVM QVINTVM ANNOTATIONES.

QVINTVS hic liber, sicut & sequens, non vsqueadeò accuratè scriptus est. Continet autem bellum gestum in Africa, aduersus eos, qui ex Pharsalica pugna illuc fugerãt. Porrò hîc solius Africæ res gestæ narrantur, non etiam aliarum nationũ. Vrbes memorabiles Africæ, quas apud vel consedêre duces, vel pugnatum est, hæ sunt: Adrumentũ, Ruspina, Leptis, Atila, Isdra, Vzita, Agar, Zetta, Vacca, Thabena, Tegea, Vtica, Parada, Vsceta. In regno item Iubæ Cirtha, ac Zama. Duces Pompeiani: Scipio, Metellus, Iuba rex, T. Labienus, C. Considius, Cn. Piso, duo Pacidij, M. Petreius, C. Vergilius Petronius, M. Aquinius, M. Cato, L. Cæsar. Periêre autem & multi à pugna, iusta acie congressis legionibus, & alijs item locis Pacidius, Tullius Rufus, M. Cato, qui sibi ipse mortem Vticæ consciuit, C. Considius, Petreius, Iuba Rex cum suo præfecto Sabura, Afranius, Faustus, denique ipse Scipio. Cæsar tota recepta Prouincia, in Italiam redijt.

HENRICI GLAREANI IN LIBRVM SEXTVM ANNOTATIONES.

EX omnibus his libris solus hic vix dimidiatus, mutilus, & vndique corruptus habetur. Continet autem bellũ inter Cn. Pompeium. Pompeij filiũ, & C. Cæsarem. Nam vt ex Africa fugerat Cn. Pompeius, prouinciam vlteriorẽ Hispaniæ occupauerat, præsertim Bethycæ loca. Sex. Pomp. Cordubam præsidio obtinebat, Cneius Vllam oppidum oppugnabat, à qua retractus, vt Cordubæ subsidio veniret. Deinde ad Atteguam deuenitur: eam Cæsar expugnauit. Res deinde gestæ ad Veubin oppidum. Denique ad Mundam ventum, vbi acri pugna victus Pompeius, occisi Labienus & Actius Varus cum xxx. millib. hominum. Pompeius Cartheiam concessit, Cæsar Cordubam ac Hispalim recepit. Quum verò Cn. Pompeius in Lusitaniam fugeret, occisus est in itinere. Vltima oratio Cæsaris est Hispalis habita, post ostensum Cn. Pompeij caput.

FINIS.

FRANC.

FRANC. HOTOMANI IVRISC. IN COMMENT. CAESARIS NOTAE.

COMMENTARIORUM.] Plutarchus ἐφημερίδας appellat. Καῖσαρ, inquit, ἐν ταῖς ἐφημερίσι γέγραφεν. Melius Strabo ὑπομνήμασι, li. 4. Nã Cic. in Epistola quadam ad Atticũ, quod sui Consulatus Commentarium initio appellârat, idem paulò pòst ὑπόμνημα nominat. Est autem Commentarius, siue Commentarium, (nam vtrunque promiscuè dicitur) propriè scriptum, quod domi continetur, nec in vulgus effertur. Itaque Cicero in ea pro Sylla, vbi de sui Consulatus Commentarijs loquitur, ait eos priuata sua custodia contineri. Sic Commentarij Pontificum sæpè: Commentarij Cæsaris de Repub. interdum in Philippicis appellantur, in quibus, quæ ad Magistratus sui & Reip. rationem pertinebant, perscripserat. Cice. Verr. VII. Audite decretũ mercenarij Prętoris ex Ipsius Commentario. Recita Commentarium. Idem V. de finibus: Duo genera librorum sunt: vnum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum limatius, quod in Commentarijs relique runt. Posteà verò consuetudine sensim factum est, vt Libri omnes Commentarij dicerẽtur: quasi qui ab initio instituti essent, vt domi continerentur, neque in vulgus ederentur. Cuius rei exempla passim apud Ciceronem extant.

CAP. I.

Gallia omnis.] Imò non omnis certè. Nam omnis in partes quatuor diuiditur, quartaque pars, quæ ab Allobrogibus ad Pyrenæum montem extenditur, & Narbonensis appellatur, prætermissa est. Quinetiam Cæsar Heluetios Gallorum nomine aliquoties appellat. vt mox: Heluetij, inquit, reliquos Gallos virtute præcedũt. Item: Non esse dubium, quin totius Galliæ plurimum Heluetij possent. Partem quoq; Italiæ propè mediam Galliæ nomine appellatam, & à Gallis Regum Romanorum tempore occupatam, nemo nescit. sed intelligendum est, Cęsarem eam solam Galliam, quæ ipsius tempore verè Gallia erat, id est, Gallis parebat, hoc loco descripsisse: quæ verò in populi R. potestatem venerat, prætermisisse. quam modò præcisè *Prouinciam*, modò coniunctè *Galliam prouinciam* (Item vt Cic.) appellat. Sic Plin. Gallia, inquit, omnis, Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur: amnibus maximè distincta. à Scalde ad Sequanã, Belgica: ab ea ad Garumnam, Celtica, eademque Lugdunensis: inde ad Pyrenæi montis excursum, Aquitania. Quinetiam in lib. Aimoini Monachi, 1. cap. 5. locus hic ita exscriptus est: Gallia igitur omnis, sed ea Comata, diuiditur in partes tres. Neque enim Ammiano assentior lib. XV. ita scribenti: Temporibus priscis, inquit, cùm laterent hæ partes, vt barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur: in Celtas, eosdem Gallos, diuisæ, & Aquitanos & Belgas: lingua, institutis, legibusque discrepantes. Quasi verò vel Cæsar, vel Plinius propter obscuritatem partem illam Narbonensem prætermiserit. Neque prætermittendum est, quod Galli de Prouincia, quasi de alia quadam Gallia loquebantur. velut Critognatus, lib. 7. cap. 14. Respicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetua premitur seruitute.

Aliam Aquitani.] Magis placeret, *Alteram*: vt est apud Aimoinum.

Ipsorum lingua Celtæ.] Dio lib. 39. scribit, nationes quę cis & trans Rhenum incolunt, antiquitùs vno Celtarum nomine appellatas. posteà verò, qui ad dextram habitârunt, Gallos: qui ad læuam, Germanos esse nuncupatos.

Lingua, institutis.] Idem Ammianus libro XV. Non eadem igitur omnes Galli lingua vtebantur. Treuiros quidem Germanica vsos lingua, intelligitur ex præfatione Hieronymi in Epist. ad Galatas. Prætereà Belgæ à Germanis erant orti, & non-

nonnulli inter eos adhuc Germani vocabantur, vt infrà libro 2. cap. 1. Aduatici autem ex Cimbris & Teutonis, lib. 2. cap. 8. Strabo libro 4. οἱ ἄλλοι πάντες διαφέρουσι τοῦ γαλατικοῦ φύλου ἀλλά τι τοῖς σχημάτων παραλλαγαῖς καὶ κατὰ τὴν γλῶτταν.

Fortißimi Belgæ.] Infrà lib. 2. scribit, plerosque Belgas à Germanis esse ortos, Rhenumq; antiquitùs traductos.

Humanitate Prouinciæ.] Sic omnes Libri, in quêis etiam Aimoinus. Videri tamen posset vox *Prouinciæ* superare. Nam Ammianus locum sic exscripsit: Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter quòd ab humaniore cultu longè discreti, nec aduentitijs effœminati delitijs, diu cum Transrhenanis certauêre Germanis. Sed conferendus alter & Cæsaris & Ammiani locus. vbi ex contrario scribunt, Aquitanos propter propinquitatem Prouinciæ moribus ad mollitiem lapsis superari. assuefactos tandem, sub Romanorum Imperium redactos fuisse. Denique veterum hæc opinio fuit, propter Massiliæ præsertim Ciuitatis cultum. Nam Iustin. libro 43. Ab his, inquit, (de Massiliensibus loquitur) Galli & vsum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes mœnibus cingere didicerunt.

Qua de causa.] Insignis locus: Germanos virtutis militaris causam & Belgis, & Heluetijs præbuisse. quod etiam de Heluetijs P. Orosius testatur. Totus autem hic locus nota parenthesis includendus est, ne descriptionem Aimoini sequamur, qui paginæ propè vnius locum immutauit: in quo tamen non tam rerum fortassè, quàm auctoris huius ordinem conturbauit.

Eorum vna pars.] Huius Pronominis ratio erat, vt ad proximos, id est, Belgas, referretur. Itaque rectissimè locum Aimoinus sic interpretatur: Eorum vna pars, qui specialiter Galli dicuntur, &c.

Inferiorem partem Rheni.] Sic Aimoinus. nonnulli *Interiorem.* quod absurdum est. Nam inferiorem appellat, quæ in mare influit. Itaque Strabo, μέχρι, inquit, τῶν ἐκβολῶν τοῦ ῥήνου.

Et eam partem.] Aimoinus: *Et ad eam.* quod placet.

Ad Pyrenaeos.] Aimoinus: *Vsque ad Pyrenaeos.* quod abiudico.

Partem Oceani.] Ita placet, cùm apud Aimoinum vox *Oceani* desit.

Ciuitati persuasit.] Obscurissimus locus. nam si Ciuitati Heluetiorum persuasit, regula Iuris est, vt referatur ad vniuersos, quod publicè fit per maiorem partem. Quomodo igitur, quod Ciuitas probauit, posteà in crimen & supplicium vocasset? Hoc mihi obscurum esse fateor: cogitandumque arbitror, ecquid potius legendum sit, *Ei*, vel *Eis*, vel *Eis ita.* præsertim cùm in antiquis libris mox sequatur, *Cum omnibus suis copijs.* vt de nobilitate tantùm, & eorum clientelis coniuratio intelligatur. Dio tamen lib. 38. & alij complures hanc migrationem vniuersæ gentis Heluetiæ communi consilio susceptam existimant. Verùm id post Orgetorigis mortem publico cōsilio factum oportet. Ciuitas autem nomen est ex eorum numero (vt ait Gellius) quæ πολίτευμα & multiplicia sunt. nam & vrbem, & ciuium multitudinem, & ius ciuitatis significat. Apud Cæsarem antem plerunque ponitur pro gente, quæ cum eadem lingua, tum etiam eodem Iure, ijsdemque legibus vtitur, & vnum Imperium, vnumq; Magistratum habet. vt cùm infrà nominatur Ciuitas Biturigū, Suessionum, Aeduorum, Aruernorum. Sic lib. Ciuil. 1. ca. 2. Ciuitatem esse in armis: cùm populum R. significet.

Virtute præstarent.] Notandum etiam quod infrà Cæsar scribit, Heluetios florentissimis rebus domos suas reliquisse: ne quis eos putet inopia coactos ad hoc consilium descendisse.

Tuti continentur.] Vox *Tuti* abest tum à nostro Exemplari veteri, tum ab eo codice antiquissimo, quem mihi Henricus Stephanus vir longè doctissimus, commodauit. Rectè autem abest. non enim iccircò illos emigrasse scribit, quòd tuti continerentur: sed iccircò vagari & grassari bellicosos homines non potuisse, quòd vndique natura loci, tanquam feræ carceribus, continerentur. Nam *Continerentur* legendum arbitror. Sic infrà cap. 9. Idque natura loci sic muniebatur, &c. Et lib. 3. c. 1. Qui vicus altissimis montibus vndique continetur. Et libro 6. cap. 1. Perpetuis paludibus syluisque muniti. Vox igitur *Tuti* sub verbo *Muniti* pro glossa subscripta in contextum irrepsit. Et hoc idem video Faernum & Vrsinum obseruasse.

Prouinciam nostram ab Heluetijs.] Nunc Allobroges significat. Itaq; perperam Aimoinus locum hunc de ora maritima, & vetere Prouincia interpretatur.

Lege confirmant.] Legem hoc loco publicè totius Ciuitatis consilio, & ex Ciuitatis auctoritate sancitā, intelligere nō possumus. alioqui factum lege probatum in crimen non vocaretur. Legem igitur modò pactionem, & fœdus coniuratorum dicit.

Cum proximis ciuitatibus.] Hæc clandestino fieri potuisse, mirum est. nam fœdera ciuitatum nomine non nisi publico consilio fiunt. Sed tamen cùm in crimen vocatum sit, priuata hæc consilia fuisse necesse est.

Lege confirmant.] Rursus Legem pro fœdere & pactionibus clandestinis intelligi oportet.

Amicus appellatus.] Mirum est, tantam Senatus populiq; Romani potentiam apud exteras gentes fuisse, vt Reges satis stabilem suam fortunam non putarent, nisi Senatum R. sui imperij auctorem haberent. Itaq; magnis sumptibus & largitionibus eam sibi auctoritatem comparabant. De more autem appellandorum Regum scripsi in Manilianam Ciceronis.

Vt idem conaretur persuadet.] Et hoc *Persuadet*, & illa quæ mox sequuntur, *Illis probat*, è glossa Interpretum sumpta arbitramur.

Sua

Sua ciuitatis imperium.] Imò *Exercitus*, qui ex Heluetijs excessutus erat.

Regno occupato.] Videri possent abundare. sed Regnum modò non pro regionibus, sed pro Imperio & Regia dignitate posuit: quasi dixisset, Si Regiam dignitatem occupent.

Potentissimos ac firmissimos.] Noster antiquus, *Fortissimos.* quod idem video in libro Romæ centum ab hinc annis impresso. Sic sup. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ. Tres autem populos dicit, Heluetios, AEduos, & Sequanos: quorum hi duo totius Galliæ principatum obtinebant: de principatu certè omnibus annis inter se contendebant. vt lib. 6. c. 4. Sequanos enim pro Aruernis, & vicissim hos pro illis, Cęsar Interdum appellar: vt alibi diximus.

Omnem suam familiam.] Qui vel in possessionibus ipsius, ac rusticis rebus, vel in vectigalibus exercendis operas dabant. Nam hunc Heluetiorum vectigalia eodem modo redempta habuisse, vt Dumnorigem apud AEduos, consentaneum videtur.

Clientes obæratosq; suos.] Liber Henric. Stephani: Oberratoresque suos. quod etsi absurdum videtur, tamen testari nihil fuit incommodi. Tacitus lib. 3. Aliud vulgus, obæratorum aut clientium arma cœpit.

Per eos.] Cùm iudicibus arma intentarent.

CAP. II.

P*Ost eius mortem.*] Mirum est plus Orgetorigis mortui quàm viui consilium apud Heluetios potuisse. Nunc enim publicum consilium ad illam priuatorum coniurationem accessisse, intelligendum est.

Sibi vnumquemq.] Codex Henric. Stephani, eruditissimi viri, *Sibi quenque.* Sic etiam Aldinus.

Oppida sua omnia.] His adducti verbis, omnes quos videre licuit, historici, Plutarchus, Appianus, Dio, Tacitus, Florus, Orosius confidenter affirmârunt, vniuersam gentem Heluetiam publico consilio, vastatis agris, patrijsque sedibus relictis, in Galliam cum vxoribus ac liberis demigrasse: vacuamque totam illam regionem reliquisse. Ego dubitandi causas habeo non paucas. Primùm enim, si verum hoc fuisset, cui dubium est, quin Romani, qui pauculis antè annis finitimam Allobrogum regionem occupârant, confestim in illam vacuam possessionem inuasissent? Deinde superiùs Cæsar dixit: migrationis istius consilium à nobilitate tantùm, & clàm atque arcanò captum fuisse: patremque plebis aliquam bellandi cupidam clandestinis consilijs concitasse. Præterea, cuí probabitur in tantis Heluetiorum finibus oppida tantummodò fuisse XII. indigenasque omnes patriæ deserendæ animum habuisse? cùm in permultis regionis illius partibus agros feracissimos maximeque frumentarios esse constet: ac paulò pòst, cap. septimo, Cæsar dilucidè scribat, res Heluetiorum hoc tempore florentissimas fuisse. Causæ igitur suæ Cæsar seruit, quem Suetonius scribit, in hoc Gallico Imperio, nulla quantumuis iniusti ac periculosi belli occasione abstinuisse: gentesque feras vltrò lacessisse: adeò vt nonnulli in Senatu Gallis eum dedendum censuerint. Veritatis tamen indicia multis supersunt horum librorum locis: sed præsertim apud Ciceronem, libro Epistolarum ad Atticum, I. epistola 17. Atque, inquit, in Repub. nunc quidem maximè Gallici belli versatur metus. nam AEdui fratres nostri pugnant, Sequani malè pugnârunt: & Heluetij sine dubio sunt in armis, excursionesque in Prouinciam, (id est, Allobrogas) faciunt. Senatus decreuit, vt Consules duas Gallias sortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: Legati cum autoritate mitterentur, qui adirent Galliæ Ciuitates: darentque operam, ne eæ cum Heluetijs se iungerent. Quibus ex verbis perspicuum est, primùm inter AEduos Sequanosque (qui in ditione & fide Aruernorum erant) bellum fuisse: quod Cæsar planiùs exponit, hoc ipso libro, capite septimo, & libro sexto, capite quarto. Idque adeò diuturnum fuisse, vt Ariouistus, qui à Sequanis conductus, subsidio eis venerat, quatuordecim iam annos in ijs locis consedisset. Deinde cùm Allobrogum fines Romani per vim nuper occupassent, quorum AEdui amici socij, ac fratres erant, Heluetios tam propinqua latronum vicinitate permotos, sese Aruernis iunxisse, excursionesque in Allobrogicam prouinciam aduersus Romanorum præsidia facere cœpisse. Quo tumultu Romam nunciato, perterritum Senatum, ea quæ Cicero scribit, & summi terroris indicia fuerunt, decreuisse. Iam verò cùm idem addit, Senatum metuisse, ne Galliæ Ciuitates sese cum Heluetijs coniungerent, ánnon perspicuè ostendit, Heluetios non patriæ deserendæ, sed belli Romanis inferendi consilio manus illas coëgisse. Quod autem Cæsar aliquoties scribit, Heluetios in animo habuisse, in Santonum fines proficisci: intelligendum est, Santones Aruernorum clientes, ac proinde Sequanorum socios fuisse: cúmque ab AEduis premerentur, idem quod Sequanos fecisse: externaque auxilia ex Heluetijs conduxisse, qui partim bonitate agrorum illecti, partim à Santonibus inuitati, vxores ac liberos secum eduxerant: vt quemadmodum Germani in Sequanorum finibus sedes fixerant, sic illi In Santonum agros emigrarent: ibique suas sedes, domiciliaque collocarent. Nam incolis vastatam Galliam fuisse, etiam illud argumento est, quòd Heluetico bello confecto, AEdui tamen Boios deuictos retinuerunt, eosque in suis finibus aduersus Aruernorum potentiam præsidio sibi collocârunt. Quod autem de incensis oppidis, vicis & frumentis Cæsar scribit: primùm verisimile non videtur, propter illam causam quam superiùs exposui: quòd Romani celeriter in illam regionem irruissent: deinde si quid incendiorum fuit, probabile est id à nobilibus & præfectis militaribus accidisse: qui cùm à Magistratibus suis prohiberentur timidis, considera-

tis, & Romanos crabrones irritare metuentibus, vi è finibus suis perruperunt,& in oppida ædificiaq́ue aduersariorum grassati sunt. Denique multis ex locis posterius intelligetur, Heluetios AEduorum agros populatos esse: Sequanos nulla re violâsse: Cæsarem commeatu & frumento ab AEduis subleuatum: magnáque ex parte eorum precibus adductum, bellum suscepisse: itáque Sequanorum opes fregisse, eósque domitos ac subactos in AEduorum ditionem redegisse. quod lib. 6. cap. 4. dilucidè testatur. Quam occupandæ Galliæ occasionem Romani vnicam & opportunissimam habuerunt.

Boios qui trans Rhenum.] Satis constat, Boiorum gentem multas terrarum oras peruagatam, multis in locis memoriam sui nominis reliquisse. Sed hoc quoque loco Boios eos intelligi apparet, qui Heluetijs vicini erant. Omnis enim iste exercitus ex finitimis Heluetiorum coactos est. quanquam trans Rhenum incolebant, vt scribit Cæsar. Tacitus libro de Moribus German. Inter Herciniam syluam, Rhenúmque & Mœnum Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens, tenuêre. Dicit autem, Incoluerant: quasi nunc non incolant. Tunc enim erant in Gallia, & in Noricum vsque agrum profecti, Noriciam vrbem oppugnârant: eósq; sibi socios Heluetij adiunxerant.

Vix quò singuli carri.] Non dubito quin sit corrigendum, Quà. Cic. pro Cæcina: Omnes introitus, quà adiri poterat in eum fundum.

Nuper pacati.] Corrigendum vt in alijs plerisq; antiquis, & in Aldino: *Nuper populo R. pacati erant.* Erroris causam notæ præbuerunt: *Nuper P. R. pacati, &c.* Deest tamen in lib. Henr. Steph.

Inter fines Heluetiorum.] V. C. Heluetiorum inter fines & Allobrogum.

Per prouinciam nostram.] Non veterem prouinciam: quæ propriè Gallia prouincia dicitur. sed per fines Allobrogum, qui (vt modò dixi) nuper pacati Pop. R. fuerant.

Quàm maximum potest militum.] Vox Potest abest à nostro antiquo, & à Romano, centum abhinc annis edito. idque mihi probabiliùs videtur.

Maximis itineribus.] Plutarchus octo dierum spatio tantum itineris confectum scribit.

Rogarentq́ue vt eius.] Quantò concinnior antiqui nostri, & Romani lectio, *Rogare vt eius?*

Nullum aliud iter haberent.] V. C. Aliud iter haberent nullum. Aldus, Iter haberēt nullum aliud. Vetus placet.

L. Cassium.] Appian. in Celtico scribit, hoc idē à Claudio Paulo relatum in suis Annalibus. Extat historia in Epit. Liu. 65. & apud Oros. lib. 5. capite 17.

Ad Idus Apr.] Faërnus: *Ante diem Iduum Aprilium*: quam locutionem antiquam & vsitatam esse fateor: sed tum, opinor, vsurpari solitam, cùm is diem præfinit, qui eam infecta re abire nollet. Dies autem ad mediam noctem perducebatur. Sic lib. Ciuil. 1. capite primo, Vti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat. Et eod. lib. Polliceri se in Prouinciam iturum, neque ante quam diem iturus sit, definire. Sallust. in Catil. Cæteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere. Est noster lib. 7. Imperat certum militum numerum Ciuitatibus, quem & quam ante diem in castra adduci velit. Et cap. 1. Armorum quantum quæque Ciuitas domi, quodque ante tempus efficiat, constituit. At Cæsar hoc loco ita diem præfinit, vt intelligatur, nihil ad illum pertinere, vtrùm ea obeatur, néc ne. Quinetiam vsitata hæc locutio est, vt lib. Ciu. 2. c. 4. Edictumque præmittit, ad quam diem Magistratus sibi præstò esse vellet. Item lib. 7. cap. Labienum Treboniumque hortatur, si Reipubl. commodo facere possint, ad eam diem reuertantur.

Qui in flumen Rhodanum.] Hoc dictum indefinitè falsum est. non enim lacus in Rhodanum, sed contrà Rhodanus in lacum influit. Ab inferiore tamen parte lacus in Rhodanum influit, vel potiùs confluit. Itaque legendum arbitror, *Quà*: præsertim vt lacus, vnde perducī murus cœpit, notetur. non enim à superiore, sed inferiore lacus parte opus institui cœpit: propè à ponte Geneuæ vrbis. Nam quod Glareanus legendum putabat, Quem flumen Rhodanum influit, primùm à Cæsaris consuetudine alienum est: qui sexcentis locis Rhodanum virili genere pronunciat, neutro nunquam. sexcentis locis *Influere in*, Influere Rhodanum nunquam. Deinde historiæ rationem conturbat, vt non intelligatur, qua lacus parte duci maceria cœpta sit: summa, media, an infima. Cæsar lib. septimo, Perpetuam esse paludem, quæ influeret in Sequanam. Sic infr. Flumen Arar in Rhodanum influit. Et lib. 3. In Flumine Ligeri, quod influit in Oceanum. Et lib. 4. Rhenus in Oceanum influit. Et mox: Rhodanus multis capitibus influit in Oceanum. Iam de *Quà* hæc exempla sunt. infrà cap. nono, Quà flumen intermittit. & cap. 3. Quà proximum iter erat per Alpes. & lib. secundo, in fine, Quà minimè arduus adscensus videbatur. Mirum est autem, quod Ammianus lib. 5. scribit, & accolæ confirmant, Rhodanum aquis illius paludis non misceri: sed altrinsecus, inquit, summitates vndæ prætermeabentem segniores, viam sibi impetu moliri. Quod idem Pomponius Mela libro secundo affirmat.

Alijs vadis.] Mendum perspicuum. nusquam enim aliorum meminit. Itaq; in Antiquo nostro, & Romano, & Stepha. perspicuè legitur, *Alij*, vt facilè appareat similem vocem paulò superiùs deesse, locumque ita corrigendum: Heluetij ea spe deiecti, alij nauibus iunctis ratibusq; factis, alij vadis Rhodani, &c. Placet etiam Antiquus noster, & Romanus, Ratibusq; compluribus factis.

Murum perducit.] Mirum est, tam multos eruditos illius muri vestigia etiam nunc propè Geneuam inuestigare. Nam murum Cæsar pro maceria posuit, quæ sine cæmento est. Sic lib. 7. cap. 8. A me-

A medio colle ex grandibus saxis sex pedum murum perduxerant Galli. At eodem lib. c. 13. Fossamq́; , inquit, & maceriam sex in altitudinem pedum perduxeranr. Sic infrà lib. 2. cap. 8. Quem locum duplici altissimo muro munierant, tum magni ponderis saxa & præacutas trabes in muto collocârant. Et lib. 6. c. pen. Præsidij tantum est, vt ne murus quidem cingi possit. vbi de vallo castrorum loquitur.

Exemplo populi R.] Frequens locutio est, More & exemplo. sed, Exemplo populi R. non memini me legisse. Cicero pro Cæcina: Prætor quemadmodum more & exemplo opitulari possit, non habebit. Et Verr. 5. hoc iniecto metu iudicibus, nullo more, nullo exemplo, ecquam rem putaris esse, &c. Præterea si populus iussisset, quid fuisset à moribus populi R. alienum? Videndum igitur, ecquid verbum *Iniussu* desit, vt sic legatur: Negar se more & exemplo, populi Ro. iniussu posse, &c. Cicero in Pisonem: Bellum sua sponte gerere, in regnū iniussu populi ac Senatus accedete. Item: Præsidium tu populi R. custodiam Prouinciæ, iniussu populi Senatusq́ue dimisisses, si tuæ mentis compos fuisses?

Eo deprecatore.] Atqui hoc tempore Sequani AEduorum hostes erant, eósq; de principatu Galliæ deiecerant, lib. 6. c. 4. Intelligendum est igitur, Dumnorigem AEduum suis infidelem fuisse, Sequanorúmq; partes clanculum secutum esse: vt aliquantò pòst cognosceretur. Itaque Heluetij cùm in AEduorum fines peruenerunt, eorum agros populati sunt.

In Santonum fines.] De quibus non prætermittendum est, quod Cæsar scribit paulò pòst: Heluetios delegisse locum ex omni Gallia opportunissimum, ac fructuosissimum. Nam hæc nunc quoque solo Santonico laus tribuitur.

CAP. III.

IN *Sebusianos.*] Apud Cicer. Ptolemæum, Plinium, Strabonem, Segusiani dicuntur. itemque apud nostrum, inf. lib. 7. c. 12. AEduorum autem clientes appellantur lib. 7. cap. 14.

Ita se de populo R. meritos.] Causam Strabo exponit, lib 4. οἱ δ' Ἕδουοι καὶ συγγενεῖς Ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν.

Incredibili lenitate.] Vidi qui *Leuitate* mallent, propter versum Lucretij: Quod superest vbi tam volucri hæc leuitate feruntur: & quia nimia leuitate fit, vt visus fallatur. quasi verò non etiam lentitudine nimia fallatur. vt in vmbra solarij, & in gnomone horologij. Aimoinus quoque hanc scripturam retinens, ita subiunxit: Quod nos quoque perspeximus, ac admirati sumus tantę magnitudinis fluuium tam tardo motu profluentem.

Inopinantes aggressus.] Paucis quoque pòst versibus scribit, se hoc prælio priuatas iniurias vltum esse. vt mirum sit, Plutarchum scripsisse, non Cæsarem, sed Labienum ipsius Legatum hoc primo prælio cum Heluetijs decertasse. Idem tamen video ab Appiano relatum in suo Celtico.

Ciuitas Heluetia.] Infrà tamen dixit Bellum Heluericum. Sallust. apud Nonium: Dux Galliæ mulieres conuentum vitantes: pro Gallicæ.

In quatuor pagos.] Pagus dúo significat. nam modò pro præfectura, regione & vicinitate ponitur. vt libro sextó, capite quinto, vbi de Sueuis loquitur: Principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt. Eodem libro, capite quarto, In Gallia non solùm in omnibus ciuitatibus atque pagis partibusq́ue. Modò pro parte Ciuitatis, & hominum multitudine. vt hoc lib. cap. octauo, Pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse. Item lib. 4. cap. primo, Sueuorum centum pagos nominat. Mirum autem videtur, quatuor tantùm Heluetiæ, centum Sueuiæ pagos numerari. nisi fortè *Quatuordecim* legendum sit, aut alio loco mendum subsit. Sic Strabo lib. 4. scribit, Belgas esse εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένους. Tacit. de morib. German. Nullas Germanorum populis vrbes habitari satis notum est: ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi, vt fons, vt campus, vt nemus, placuit.

Cæsarem vno die fecisse.] Pro *Cæsarem* antiquus noster & Stephan. & Romanus *Illum.* quod magis probo.

De tertia vigilia.] Vigilias ad clepsydram in partes quatuor diuidebant, vt non amplius tribus horis standum esset. Eas circuitores crebri obseruabant. Tubicines autem locabant: Cornicines reuocabant. Plura Veget. libro tertio, cap. octauo.

Virtute quàm dolo.] Sic de Gallis apud Hircium de bello Africa. Bellare consuetos contra Gallos, homines apertos, minimeque insidiosos, qui per virtutem, non per dolum, dimicate consueuerunt.

Aut memoriam proderet.] Sic V. C. Dum autem *Ac* pro *Aut* legatur, omnia quadrabunt: Nomen loci memoriam prodet. Faërnus, & secundum eum Vrsinus corrigebant, Memoriæ proderetur. Sed non loca ipsa, verùm res in ijs gestæ produntur. Cice. Verr. 6. Imagines ad memoriam posteritati prodendam. Et lib. de Offic. 1. Vt hos beneficijs afficiamus, quorum memoria liberis posteritâque prodatur. Et in Epistola Cœlij ad Ciceronem, libro Famil. octauo, Aliquot ex tam multis tuis monimentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriam posteris quoque prodat, velim.

L. Pisonis auum.] Sueton. in Iulio: Sub idem tempus Calpurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in Consulatu duxit vxorem.

Consuesse Deos,] Sumptū videtur ex veterę Poëta, cuius versus Aristot. profert Rhet. 2.

„ πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων
„ μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ' ἀλλ' ἵνα
„ τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

Eandem sententiam eleganter Claudianus versibus est persecutus, libro primo. Ex quo illud est peruulgatum: Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.

Populum R. esse testem.] Milites enim qui Cassiano prælio superauerant, obsidibus datis, dimidia rerum omnium parte pacti sunt. Liu. Epit. 65.

Rapinis populationibusq́.] Liber Henri. Stephan. & noster, & Romanus hoc amplius: Rapinis, pabulationibus, populationibusq́;.

CAP. IIII.

MAgistratui præerant.] Mirum est duos nominari, qui hunc Magistratum gerant, cùm lib. 7. cap. 6. scribat, summo in periculo AEduorum Ciuitatem fuisse, quòd cùm singuli Magistratus antiquitùs creari consueßent, duo tum Magistratum gererent. Itaque *Præerat* singulari numero, legendum putarem: vt solus Liscus ei Magistratui præfuerit. Cùm hæc multis ab hinc annis scripsissem, vidi Manutij doctissimi adolescentis Scholia, in quibus testatur idem Nicasio Ellebodio placuisse.

Vergobretum.] Germani notionem Germanici nominis obseruant. *Oberest*, primus, princeps, *Vuerg*, opera. quasi Magister operum. Locus ostendit, hanc Galliæ partem magnam cum Germanis linguæ affinitatem habuisse. Huius autem Magistratus etiam nunc vestigia Augustoduni manent: vbi qui summũ in Ciuitate honorem gerit, Vverg appellatur.

Obtinere non possent.] Videtur legendum, *Possint:* vt sit sensus: Etsi sine Cęsare contra Sequanos tueri Principatum non possint, quem beneficio Cæsaris adepti erant, tamen satiùs esse Gallis Sequanis, quàm cæteris Romanis parere. Sequanis autem ademptum Principatum, & AEduis à Cæsare traditum, patet ex lib. 6. c. 4.

Portoria.] Notandum, Principes viros in Gallia publicanorum munus exercuisse.

Si quid accidat Romanis.] Vidi qui nomen *Grauius* interponerent: vt paulò pòst, Quòd si quid ei à Cæsare grauius accidisset. Sed hæc præcisio est antiquis vsitata, & ominis causa ita loquebantur, vt in Comment. de verb. iur. docuimus.

Obtinendi per Heluetios.] Cod. Henr. Stepha. Per Heluetios regni obtinendi. Faërni, Regni per Heluet. obt.

Quod prælium equestre.] Non abest suspitio mendi. Sunt qui ex vetusto Libro sic testituant: Reperiebatque inquirendo Cæsar, initium fugæ pręlij equestris aduersi paucis ante diebus à Dumnorige, atque eius equitibus factum esse. Sed & immodica mutatio est, neque Cæsar superiùs fugæ mentionem fecerat. Valdè sic placeret: Reperiebat etiam Cæsar inquirendo, prælio equestri aduerso, quod paucis antè diebus esset factum, initium fugæ factum à Dumnorige, & cæt. Sed satiùs est, melioris Codicis auctoritatem expectare. Vulgata certè lectio non omninò improbanda est. Vetus quidem Henr. Steph. Codex sic habuit, vt est in vulgatis: sed noster Antiquus, & Romanus hoc modo: Quòd prælium equestre aduersum paucis antè diebus esset factũ, initium eius fugæ factum à Dumnorige, atq; eius equitibus. nam equitatui, & c.

Non modo iniussu suo.] Quæri potest, cur eius rei veniam Dumnorix à Cęsare petere debuerit: cùm neq; AEdui in Prouinciam redacti essent, neque Cæsar Imperium in eos haberet. opinor, quia S. C. factum erat, vti quicunq; Galliam prouinciam obtineret, AEduos cæterosq; amicos populi R. defenderet, lib. 1. c. 13. deinde, quia Cæsar AEduos in principatum Galliæ restituerat, ac propterea illorum Patronus erat, lib. 6. c. 4.

Condonare dicit.] Verbum, *Dicit*, glossema esse non dubitaturos arbitror, qui in antiquis auctoribus versati sunt.

CAP. V.

LAbienum legatum propere.] Qui ex veteri libro *Propraetorem* restituunt, vel hoc vno quantùm ipsis credendum sit, declarant. Sic tamen in Stephanico quoque legebatur: sed perspicuè absurdum est.

Quiq; in exercitu.] Steph. codex, *Et in exercitu.*

Gallicis armis atq; insignibus.] Insignia militum dicebantur, quibus ornati erant, vt à cæteris internosci possent: vt dicetur lib. 2. ca. 6. Placet autem Romani, & Faërnini, & Stephanici libri scriptura, Gallicis armis, sine particula A.

Heluetios castra mouisse.] Noster antiquus, Romanus, & Steph. *Hostes*. quod non displicet.

Decuriones equitum.] In turma equites sunt duo & triginta: qui ijs præest, Decurio dicitur. Vegetius.

Primum suo.] Ancipiti prælio, inquit Suetonius, equos dimittebat, & in primis suum, quo maior permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugę erepto. Et de Catilina eodem modo Sallust. Dein remotis omnium equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copijs instituit.

Phalange facta.] Phalangem paulò pòst demonstrat à se dici, cùm acies conferta ita sublatis in caput scutis, ijsque inter se contingentibus tegitur, vt pilis ab hostibus emissis offendi non possit: vt dicetur infrà, ca. vlt. Sed hanc rem optimè Orosius describit, lib. 6. Hinc illud Iuuenalis, Iunctæq; vmbone phalanges. Hanc Romani Testudinem appellabant. Itaque Dio Nicæus in Octauio, vbi Testudinem describit, φάλαγγα & χελώνην pro eodem posuit. Mirum est autem quod scribit, supra eam Testudinem non modò homines aut equos incedere, verùm etiam vehicula: Indeque Testudinis nomen sumptum. Græci dicunt συνασπίζειν. Liuius lib. 34. Sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, vt non modò ad cęcos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telũ loci quicquam esset, Testudine facta subibant.

Illi pilorum transfixis.] Sic quoque Polybius pilum, quo Romani vtebantur, bicubitali longitudine, describit, crassitudine digitali, spiculo ita præacuto, vt primo iactu inflecteretur, nec euelli posset.

Gallis magno ad pugnam.] Iterum notandum, Gallorum nomine Heluetios appellari.

Bipartitò intulerunt.] Locus ostendit legendum esse *Tripartitò*. nam triplex acies instructa est.

Victis ac summotis resisteret.] Ne regredi in Romanos possent. Paulò pòst autem noster antiquus & Romanus pro *Sustineret*, apertè scriptum habent *Exciperet*.

Ad vesperum.] Faërnus & Romanus, Ad vesperam. vtrunque dici fateor. sed illud Cæsari familiarius: vt infrà cap. vlt. Acriter vtrinque ad vesperum pugnatum est. Et de Bel. ciu. 2. Magistris imperat nauium, vt primo vespere scaphas ad littus impulsas habeant.

Mazaras ac tragulas.] Nonnulli, *Materas*. Vrsini & Stephani codex, *Mataras*. quod Gallici teli genus fuisse docuerunt alij ex scriptoribus antiquis. Itaque vnum addam ab illis prætermissum locum ex libro ad Her. 4. Vt si quis Macedones appellaret, hoc modo: Non tam citò Sarissæ Græcia potiti sunt: aut idem Gallos significans, dicat: Nec tam facilè ex Italia Materis transalpina depulsa est.

In nullam partem noctis.] Faërnus & Vrsinus, *Nulla parte*. Mendosè omnes. legendum, vt in veteribus nostris libris, Nullam partem. Nam hæc vetus locutio est, nota eruditis omnibus. Sic lib. 4. cap. 1. Sed maximam partem lacte atque pecore viuũt. Sed exemplorum plena sunt omnia.

CAP. VI.

N*octe intermissa.*] Mirè dictum pro Nocte interueniente, vel Noctis interuentu. nam Intermittere, omittere est vt modò paulò antè, Nullam partem noctis itinere intermisso. Infrà dixit: Solis occasu, capite vltimo. Acriter vtrinq; vsq; ad vesperum pugnatum est: Solis occasu suas copias Ariouistus in castra reduxit.

Millia perterriti, inducti.] Notanda locutio, cùm ad sensum, non ad verba, res referatur.

Prima nocte.] Sic noster Antiquus & Stephan. Faërninus tamen & Romanus, Prima noctis vigilia. Sed quemadmodum Cæsar Prima luce, dicere consueuit, pro Diluculo, quídni etiam Prima nocte, dictum ab illo putemus, pro Crepusculo? vt apud Plautum in Curcul. Prima vespera. Siue, inquit, media nox est, siue prima vespera. Et apud hunc nostrum, Primo vespere: De Bell. Ciuil. 2. Magistris imperat nauium, vt primo vespere scaphas ad littus impulsas habeant. Denique sic loquitur Æmilius Probus in Eumene: Hisq; præcipit, vt prima nocte quàm latissimè possint, ignes faciant. Sic noster li. Ciu. 3. Postero die Cæsar similiter, præmissis prima nocte impedimentis, &c.

Boios.] Boij, vt Cæsar superiùs dixit, trans Rhenum incoluerant: nunc cùm Rhenum omnibus copijs transissent, bello confecto, sedes in Gallia intra Æduorum fines ponunt. Itaque Ciuitas illorum appellatur à Cæsare, lib. 7. cap. 4.

Petentibus Aeduis.] Opinor, vt eos Germanis, qui in Sequanis sedes Ariouisto Duce fixerant, opponerent. nam sine graui causa pancl tanta liberalitate non vtuntur.

In parem libertatis conditionem.] Libertatem quidem Boijs reliquerunt, quæ ad eorum personam pertinebat. At quantum ad fortunas, stipendium illis annuum imposuerunt, libro septimo, capite secundo. Quod autem sequitur Acceperunt, in omnibus nostris antiquis rectiùs legitur Receperunt.

Literis Græcis confecta.] Id est, forma Græcarum literarum, sed Heluetio sermone: vt omnes, de quibus adhuc audire licuit, interpretantur. Sed veterum Auctorum omnium, atque adeò nostri huius consuetudo reclamat. Hanc (inquit) libro 3. cap. 12.) Græcis conscriptam literis mittit, ne intercepta epistola, nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Aut igitur locum aliquem eruditi viri proferant, in quo Græcis literis cõscribere vsurpatum sit, pro literarum formas exarare: aut fateantur hunc locum eodem, vt illum, modo interpretandum, Cicero de finib. 1. Cùm quæ Philosophi Græco sermone tractauissent, ea Latinis literis mandaremus. Tacitus de moribus Germanorum: Monumenta & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ. Rhetiæq; adhuc extare. Salust. Catil. Literis Græcis & Latinis docta, psallere & saltare elegantiùs, quàm necesse est probæ. Liuius lib. 9. Vulgò tùm Romanos pueros, sicut nunc Græcis, ita Hetruscis literis erudiri solitos. Idem in fin. lib 28. propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit: ibiq; aram condidit: dedicauitq; cum ingenti rerum ab se gestarum titulo Punicis Græcisq; literis insculpto. Idem libro 40. Literis Latinis Græcisq; vtraque arca inscripta erat. Cicero de Diuin. L. Tarutius in primis Chaldaicis literis eruditus. Idem tamen [illegible] Verr. 5. Quod iste, si vnam Græcam literam sciẽsset, non sustulisset. Ne multis morer, quemadmodum & nostra, & patrũ maiorúmque memoria innumeri fuerunt in Heluetia, qui Latinè scriberent: ita non dubito, quin Cæsaris tempore nonnulli fuerint aut Nobiles, aut Sacerdotes, qui in adolescentia Græcam linguam, Massiliæ fortassè, didicissent: eaque maiores atque illustriores res ad suum vsum priuatum conscripsissent. Denique isto sensu veteres non dixissent Græcis literis scribere: sed Græcarũ literarum forma, vt apud Tacit. libro vndecimo. Nouas literarum formas addidit: comperto Græcam literaturam non simul cœptam, absolutámque. Et mox: Et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Atque hæc quidem hactenus. Quòd autem Strabo libro quarto scribit, Gallos vsque adeò φιλέλληνας fuisse, vt etiam pacta & conuenta Græcè scriberent: nihil planè huc pertinet. Primùm, quia de Gallis, ijsque Massiliæ finitimis, disertè loquitur: Deinde, quia rem illam tanquam nouam, & suo tempore vsurpari cœptã commemorat.

Ex his qui arma.] Summa omniũ est ad trecenta sexaginta octo millia: in quibus erãt duntaxat nonaginta duo millia, qui arma ferre possent.

Millium C. & X.] Superfuerunt ex prælio CXXX. millia Rebellârunt atque in hostium numero habiti sunt ad sex millia. Reliqui omnes in deditionem accepti sunt. Remissi sunt ergo CXXIIII. millia. Ponamus in itinere quatuor millia deperijsse: tamen supererant CXX. millia. quomodo scripsisse Cæsarem arbitramur. Verùm, vt vt sit, ista vulgata ratione perierunt ad CCLVIII. millia. At Strabo libro quarto, ἐκ τετταράκοντα, inquit, μυριάδες σωμάτων ἀποβαλέντας. τὰς δὲ λοιπὰς σώζεσθαι μεθῆκεν εἰς ὀκτακισχιλίους, ὅπως μὴ τοῖς γερμανοῖς, ὁμόροις οὖσιν, ἔρημον τὴν χώραν ἀφῇ. Circiter quadraginta millia perierũt: reliquos incolumes domum remisit ad octo millia, ne Germanis, qui illorum finitimi sunt, vacuos agros relinquerent. Orosius quoque non ampliùs CLVII. millibus numerat, qui domo exierant. qui bello occubuerint, XLVII. millibus. Neque aliam soluendi nodi rationem video, nisi culpam in librarios, potiùs quàm in summum ac diligentissimum auctorem conferamus.

Millia nonaginta duo.] Plutarchus hoc ampliùs. Millia centum nonaginta: quod mihi sanè probabilius videtur. καὶ πλῆθος ὁμαλῶν, τριάκοντα μὲν αἱ πᾶσαι μυριάδες ὄντες, εἴκοσι δὲ αἱ μαχόμεναι μιᾶς δέουσαι. Malè autem qui sic verterunt: Atque ex his XIX. millia ad pugnam apti. Nam vox μυριάδες repetenda erat.

CAP. VII.

Secretò atque in occulto.] Tres postremæ voces absunt à nostro & Faërni atque Vrsini lib. & item Romano. Stephanicus autem eas retinet. Potest certè & prima tolli: vt cæteræ relinquantur. vt paulò pòst, Quod soli ne in occulto quidem queri auderent. Et suprà cap. 4. Eadem secretò ab alijs quærit.

Ex vsu terræ Galliæ.] Vidi, qui vocem *Terræ* tollendam existimabant. imperitè. Sic enim veteres loquebantur. Liuius libro 39. Si quis eorum qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur, &c.

Vnus ex omnibus Sequanos.] Hoc planè incredibile videtur: Sequanos, qui diuturna bella cum Aeduis gesserant, & Ariouistum subsidio euocârant, in illo Aeduorum consilio interfuisse, & de Ariouisto expellendo Cæsarem rogâsse. Quare necesse est, vnum aut alterum tantùm è Sequanis, eósque perfugas interfuisse: quemadmodum superiùs dictum est, Dumnorigem Aeduum tamen Sequanorum partibus studuisse: suorumq; ciuium consilijs aduersatum esse.

Alterius Aruernos.] Infrà libro sexto, cap. 4. Sequanos nominat: mox coniūctim vtrosq;, Aruernos & Sequanos. Quantum autem ex Cæsaris historia licet intelligi, Aruerni alterius quidem factionis principatum tenebant, sed Sequani in fide & clientela Aruernorum erant, & non suo, sed Aruernorum nomine bellum contra Aeduos gerebant. Mirus autem erat Sequanorum principatus: qui cùm Germanorum ope dominatum illum obtinuissent, nunc illorum seruitutem perferrent: vt mox sequetur.

Amicitia Populi R.] De Aeduorum fraternitate suprà dictum est, cap. 3.

Romam venisse.] Idem libro sexto, cap. 4. Quia necessitate adductus Diuitiacus auxilij petendi causa Romam ad Senatum profectus, infecta re redierat.

Cimbri Teutonisq.] Cimbrorum arma primùm audita sunt anno DCXL. Cæcilio Metello, & Papyrio Carbone Coss. inquit Tacitus, libro de moribus German. Posteà crebrò in Galliam venerunt, ac tandem à C. Mario quartùm & item quintùm Consule in Italia ad flumen Athesin superati sunt, anno DCLII. Valerius lib. 5. Plutarchus in Mario. Epit. LXVIII. Iul. Obsequens, & Orosius.

Reliquis tamen fuga.] Rectissimè Manutius. cùm in alijs impressis propè omnibus legatur *Tantùm.* quamuis in nostro antiquo, atque adeò in Romano scriptum sit *Tamen.* quod cùm huic nostro, tùm etiam Ciceroni vsitatissimum esse constat.

Obtemperaturos.] Sic Stephan. & alij complures: vt Pronomen *Sibi* ad Cæsarem referatur. Magis tamen aliorum lib. scriptura placet: *Temperaturos*: vt Pronomen ad Germanos pertineat. Sic enim sup. cap. 2. Temperaturos ab iniuria & maleficio existimabat.

CAP. VIII.

Locum deligeret.] Comiter hæc sua mandata Cæsar narrat. Longè aliter Florus lib. 3. Cùm legati, inquit, dicerent, Veni ad Cæsarem. Quis est autem Cæsar? & si vult, veniat, inquit: & quid ad illum, quid agat nostra Germania? non ego me interpono Romanis.

Si quid à se velit.] Rectè Faërnus. Si quid se velit. & ita est in nostro antiquo & Romano, & Stephanico.

Atque emolumento.] Fœdus error: & quem tam diu in his libris hæsisse planè indignum est. Corrigendum, *Molimento*: quo verbo Liuius & alij vtuntur, pro magno labore, opera & molitione. Hæc me ante decennium scripsisse testes habeo innumeros. Pòst verò Faërni editæ sunt notæ, in quibus hoc idem ab illo animaduersum cognoui. Itaque ab exemplis proferendis supersedebo.

Rex atque amicus.] De hac Populi Roma. consuetudine scripsimus in Manilianam Ciceronis. Nunc illud obseruandum est, cùm Aedui fratres, & consanguinei toties à Senatu Rom. appellati essent, tamen Ariouistum, qui armis illos oppressérat, Regem & amicum ab eodem Senatu appellatum fuisse. Qua ex re de fideli Romanorum amicitia existimari potest, quibus nihil iucundius erat, quàm gentes exteras armis inter se conflictari, & diuturnis bellis atteri.

Senatus censuisset.] Ex hoc igitur S. C. belli huius gerendi auctoritatem Cæsar sumpsit, eamq;

αὐθαιρ

ordinem habuit: quod tamen Dio libro trigesimo octano non attendit: cùm facit milites Cæsari obijcientes, Bellum sine lege, aut S. C. inferri: Cæsarem autem respondentem: Bella quædam lege lata, quædam sine lege ex tempore & subita necessitate geri.

Cæteroś amicos.] At obijci Cæsari potuit, Ariouistum in hoc numero fuisse, & aliquot antè annis Regem, amicum ac socium appellatum fuisse.

Dicendum sibi & cognoscendum.] Faërnus, *Discendum.* Sed sic locus est. quasi dixisset: Dicendum & audiendum. Nam colloquium & communicatio, quam Cæsar postulabat, dicendo & audiendo, id est, sermonibus vltro citroq; habendis, consumitur.

Longè ab his fraternum.] Sic noster, & Stephan. Faërnus & Vrsinus: Longè futurum fraternum nomen Populi R. Sed vsitata placet.

CAP. IX.

In eo manerent, quòd conuenissent.] Sine dubio corrigendum est *conuenisset*. singulari numero: vt in alijs, quos vidi, omnib. Nam Conuenisset, pro Conuentum esset, modò dixit. Et locutio est vsitatissima: neq; exemplorum res indiget.

Intra annos XIIII.] Placet scriptura lib. Stephanici, *Inter*. nam Inter annos Antiqui dicebant pro *Per annos*. vt in Verr. 2. iampridem notauimus. Cicero in Quintiana: Qui Intertot annos ne appellârit quidem Quintium, &c. Titinnius apud Non. Marcellum: Quæ inter decem annos nequisti vnam rogam detexere.

Nasuam & Cimberium.] Noster antiquus & Roman. Cimbreum. Non dubito quin Nasuam dicat, qui nunc Nasonius: & Cimbreum, qui nunc Zimber: Sic alio loco Duracium in Pictonibus numerat: quæ familia hodieq; viget.

In eo Oppido difficultas.] Sic noster & Stephan. & Romanus. Sed *Facultas* iampridem in multis impressis rectissimè restitutum est. Nunc enim pro copia vsurpatur. vt infrà, lib. 6. Tantas Italiæ facultates.

Alduasdubis.] Placet nostri Antiq. & Romani scriptura, *Alduasdusins*.

Hunc murus circundatus arcem efficit.] Notandum pro Hic muro circundatus.

Dicebant ferre posuisse.] Placet Faërni sententia, vt *Dicebant* tollatur. præsertim libris antiquis auctoribus.

Non magnum in re militari.] Ante hæc verba Codex Stephan. habuit Magnum periculum miserabantur. quæ tamen in multis impressis rectè prætermissa fuisse, cùm ex loci sententia, tùm ex Vaticani libri auctoritate, quam Vrsinus protulit, intelligitur.

Aequitate conditionis.] Placet Faërni emendatio: vt *Conditionum* legatur.

Testamenta obsignabantur.] Florus sic: Vt testamenta passim & in principijs scriberentur: id est, etiam à primorum ordinum militibus.

Ad id consilium adhibitis.] Nam in concilium adhibebantur tantùm, qui in exercitu imperium, aut potestatem habebant: Concio ad milites habebatur. Noster Ciuil. libro 2. Dimisso concilio, concionem aduocat militum.

A. C. Mario pulsis.] Auctores paulò superiùs produximus. Quod autem exercitui C. Marij parem atque ipsi Imperatori laudem tribuit, ea causa est, quòd die pugnæ inter ipsum & hostes constituto, cæsa sint hostium centum quadraginta millia: capta, sexaginta. Notandum est autem, Ciceronem Gallorum nomine Cimbros & Teutonos appellâsse. Nam in Orat. de prou. consul. Ipse ille, inquit, C. Marius, cuius diuina atque eximia virtus magnis Populi R. luctibus funeribusq; subuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.

Quam ipse Imperator.] C. Marius. vt quiuis Latinè peritus, facilè perspicit. Sed Plutarchus vel imperito vtens interprete, vel ipse minùs peritus, ita Cæsaris sententiam peruertit. μήτε κρείττονι μᾶλλον ἐμβρῶν μαχόμενοι τολμηροὺς, μήτε αὐτὸς ὢν μαρίου χείρων στρατηγός.

Seruili tumultu.] De quo Epitom. Liuius lib. 97. M. Crassus Prætor primùm cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis, Germanisq; constabat, feliciter pugnauit: cæsis inimicorum XXXV. millibus: & Duce eorum Granico. Quod idem Plutarchus in Crasso scribit. Tumultus autem initium ex gladiatorum familijs natum est: quorum cõplures Germanos fuisse locus hic apertè ostendit. De Germanis etiam bestiarijs memorabile est, quod Seneca lib. Epist. 10. ita scribit: Nuper in ludo bestiariorum vnus è Germanis, cùm ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus. nullum aliud illi dabatur sine custode secretum. ibi lignum id quod ad emungenda obscœna adhærente spongia positum est, totum in gulam farsit, & præclusis faucibus spiritum elisit.

Quos tamen.] Subaudiendum, Seruos. & hoc Cæsari familliare est.

Denique Germanos.] Probo scripturam, quam in libro Stephani reperio: Deniq; hos esse eosdem, quibus cum sæpenumero, &c.

Ac victores.] Claudio legato, & Varinio Prætore, & Lentulo, & C. Crasso Coss. superatis. Flor. lib. 3. Epit. 95.

Inermes.] Vide Flor. lib. 3.

Hos si quærerent, reperiri posse.] Sic Aldus. sed rectiùs Stephani liber & multi peruulgati: Hos, si quærerent, reperire posse.

Defatigatis Gallis.] Nihil mutandum. tametsi Defatigatis Gallos in quarto casu postulare consuetudo videatur. Sed alijs locis non paucis ita locutus est, vt paulò infrà: Committendũ non putabat, vt pulsis hostibus dici posset eos à se circumuentos.

Ratione ac consilio.] Dolo & insidijs.

Curationi.] Mendosè in peruulgaris à superiore fertur. Nam sensus est, Dolo & arte superatos Gallos: quo dolo capi quidẽ Galli barbari & imperiti potuerint, vt Romani vsu periti & callidi, tanto præsertim ductore non possint.

Præscribere auderent.] Ita placet: quamuis in Romano

mano & Aldi, & Faërni libris scriptum sit, Videretur.

Perpetua vitæ felicitate.] Neque vtrinque superiori respondet, neque felicitatis perpetuitas in omni vita ad bellicam fortunam pertinet. Sic igitur legendum arbitramur: Suam innocentiam, perpetua vita: felicitatem, bello Heluetiorū esse perspectam. Innocentiam autem auaritiæ opposuit. Sed bene habet, video nunc Manutium in suo libro ita emendasse: & impressisse.

Repræsentaturum.] Sunt qui *Tentaturum* corrigendum putant: & Beroaldum auctorem laudāt. Imperitè. Nam Repræsentare verbum est Iuris, pro Ante diem præstare, aut facere, aut soluere. Cuius rei exempla multa in Comment. verb. Iur. exposuimus. Itaque mihi dubium non est, quin apud Hircium de bell. Alexan. mendum sit eo loco, vbi sic legitur: Cæsar respondit se fore æquissimum Pharnaci, si quæ polliceretur, repræsentaturus esset. Legendum enim arbitror, Repræstaturus esset.

Decima legione.] Hunc locum Dio lib. 38. explicans subiungit, moris fuisse, vt Romanæ legiones ex delectu num ordine appellarentur. Frontinus autem lib. Stratag. 1. C. Cæsar, inquit, aduersus Germanos & Ariouistū pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis vsurum: quo consecutus est, vt decimam tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogeret, & cæteros puderet, ne penes alios gloria virtutis esset.

Prætoriam cohortem.] Cohors prætoria dicebatur manus peditum, quos Dux belli, sui præsidij causa, circum se habebat.

Primorum ordinum centuriones.] Hi sunt Centurio primipili, Primus princeps, Primus hastatus, quorum maxima erat dignitas in legione.

CAP. X.

A*Riouisti copias à nostris.*] Ita legendum est auctoribus omnibus antiquis. Nam mendosè quidam nuper *Castris* reposuerunt.

In eos legionarios milites.] Veteres lib. in queis Steph. Legionario, eo milites. quod sine dubio rectum est.

Ad equū rescribere.] In omnibus antiquis, Nunc ad equum rescribere. Est autem militare hoc verbum. Nam scribi legiones dicuntur, cùm instituuntur. Rescribi verò cùm ordo earum mutatur: vt si ex pedestribus copijs equestres fiant. Liuius lib. 8. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. Idem lib. 9. Delectus propè omnium voluntariorum fuit: rescriptæ ex eodem milite nouæ legiones: ductusq; ad Candium exercitus. Valer. Max. lib. 2. cap. 7. Decreuerunt, vt ex ijs, qui equo meruerunt, peditum numero militarent: qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur.

A Castris Ariouisti & Cæsaris.] Video esse qui reponant *A castris vtrisque.* Quod si codicem antiquum auctorem haberemus, non displiceret. Sed Steph. & alij vulgaram retinent.

Munera amplissimè missa.] Dixi de hoc more in Manilianam.

Et à Romanis pro maximis.] Liber antiquus Henrici Stephani: Et pro magnis hominum, &c. Sic Liuius, lib. 40. Nominis eius honorem pro magnis erga se Regnum meritis dare populum Romanum consuêsse.

Auctores velit esse.] Auctos reponit Faërnus ex antiquo libro: quod idem & de meo testificor.

Omnes Galliæ ciuitates.] Elatoriè & militariter dictum, cùm ab ijs demum oppugnatus sit, quæ in fide & clientela Aeduorum erant.

Fines ingressum.] Emendo, *Finibus egressum.* vt in nostro antiquo & Stephanico, & Aldino, & Romano. Quamuis in quàmplurimis peruulgatis ita legatur, quasi Galliam bracchatam dicat: quo nihil ineptiùs fingi potest: nam Galliam prouinciā veteres coniunctè dicebant, cùm eam partē quæ Populo Romano pacata erat, significabant: vt superiùs dictum est.

Bello Allobrogum proximo.] De quo in Epitom. 60.

Quot Aedui secum.] Vocem *Aedui* ex Glossa in contextum irrepsisse arbitror.

Debere se suspicari.] Verbum *Debere*, Faërnus auctoribus antiquis libris tollendum putabat. Ego ex *Ea re* conflatum arbitror, quo modo restituendum locum putarem. Vsitatam autem esse hanc locutionem pro *Iccirco*, nemo eruditus ignorat.

Eius morte redimere.] Pro *Emere*: vt Verrina 5. Hæc verò quæ vel vita redimi rectè possent, pecunia æstimare non queo.

Fabio Maximo.] Vnde Allobrogicus dictus: quade re cognosce ex Epit. 61. Strabone lib. 4. Plinio libro septimo, Velleio libro 2.

In prouinciam.] In prouinciæ formam redigi dicebantur, quæ vectigal pendere iubebantur, quibusq; suæ leges adimebantur, vt in eas iuris dicendi causa quotannis Magistratus à populo Romano cum summo imperio mitterentur: vt eodem illo anno de Narbonensi prouincia factum est. Quæ verò suis legibus vtebantur, Liberæ dicebantur: vt mox tribus versibus interiectis.

Aruernos.] Rectè Aruernos nominat: nam eorum in fide & clientela erant Sequani, quorum in finibus Ariouistus consederat.

Ad nostros adequitare.] Placet Vrsiniani libri scriptura, vt vox, Ad, deleatur. Sic enim antiqui dicebant, Arbitrum adigere.

Per fidem in colloquio circumuentos.] Vetus Codex, Perfidè. quod vt non facilè repudiandum, ita nec temerè recipiendum est. Quid si, Per fidem colloquij? vt lib. Ciuil. 2. Homines imperitos, & per colloquiū deceptos, crudelissimè interfecisse. Salust. in Iugurth. Quod ei per maximam amicitiam maxima copia fallendi erat. Est autem locus communis de fide hosti seruanda. Non seruauit tamen

men Labienus, Cæſaris Legatus, cùm per colloquij ſimulationem Comium Atrebatem interficere conatus eſt: vt infrà lib. 8. cap. 3. Non ſeruauit Cn. Domitius, qui Bituitum Aruernorum Regem per colloquij ſimulationem accerſitum vinxit, & Romam naui deportandum curauit. Valerius lib. 9. cap. 6.

CAP. XI.

Commiſſum cum equitatu prælium.] Faërnus & Vrſinus vocē *Commiſſum*, vt ſuperuacaneam, reijciunt: quibus Stephanicus & Romanus aſtipulantur. Poſſet quidem ita defendi, quaſi ordo hic eſſet: Nam etſi videbat prælium legionis delectæ eum equitatu commiſſum fore ſine periculo. Sed deterius mendum ſubeſſe arbitror, ſub illis vocibus, *Cum equitatu.* Nam legio quoque in equos impoſita fuerat: atque vtrinque prælium equeſtre futurum erat. Itaque cogitandum videtur, ecquid particula *Cum* ſublata, loco ſua ſententia conſtare poſſit. Nam equeſtre prælium ſine dubio rectiſſimè conueniret. Sic autem infrà cap. 12. Reliquos omnes equitatu conſecuti noſtri, &c. Et lib. 4. cap. 1. Omni hoc itinere equitatu vna nocte confecto.

In vulgus militum relatum.] Noſter antiquus, & Romanus *Elatum*. quod magis placet. Cicero de Orato. 1. Peto à vobis, ne has meas ineptias efferatis.

Peccandi locus.] Id eſt, nullo prætextu lædi poterat: nulla eius lædendi occaſio prætexi poterat. Sic Cicer. Verr. III. Non eſt, non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus. Id eſt, Qui Verrem abſoluerit, nulla præſcriptione ſuum crimen tegere poterit: vt Cæſar alibi loquitur.

Crinitus vtebatur.] Propter annorum XIIII. conſuetudinem. Locus hic eorum errorem coarguit, qui tradūt, Gallicam linguam eandem cum Germanica fuiſſe. Qua tamen in diſputatione ſemper meminiſſe oportet, quod Cæſar de principio tradidit, trium Galliæ partium ſingulas ſua ac propria lingua & ſermone vſas fuiſſe.

Pedites velociſſimi.] Sic Tacitus: Eoq; mixti præliabantur apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni innentute delectos ante aciem locant. Hanc Germanicā induſtriam Cæſar poſteà imitatus eſt in Bello Ciuili: vt patet libro tertio, capite 16. Adoleſcentes expeditos electos ad pernicitatem armis inter equites præliari iubebat, &c. Item libro octauo, cap. 3.

Noſtros deterrerent.] Omnes antiqui, Perterrerent. quod rectum puto.

Velociſſimi ac fortiſſimi.] Fortitudo plerunque ad animum, ſed hoc loco ad vires & robur corporis refertur: vt fortiſſimos dixerit, pro valentiſſimis ac robuſtiſſimis. Sic Cicero Offic. 1. Neque vlla re longius abſumus à natura ferarum: in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, vt in equis, in leonibus. Sic noſter, ligna fortiſſima dixit, lib. de Bell. ciuili. 2.

Sortibus ac vaticinationibus.] Quis non miretur Plutarchum legiſſe *vorticibus*? ὅτι δὲ μᾶλλον αὐτοὺς ἤμβλυνε τὰ μαντεύματα τῶν ἱερῶν γυναικῶν, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι, καὶ ῥευμάτων ἑλιγμοῖς καὶ ψόφοις τεκμαιρόμεναι προεθέσπιζον, οὐκ ἐῶσαι μάχην θέσθαι. Ego tamen *Sortibus* retineo. de quibus Cornel. Tacitus in libro de mot. German. Ex hoc autem ſortilegarum genere fuit illa Velleda, de qua in eodem Taciti libro, & libro vigeſimo. Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, vetere apud Germanos more: quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas. Vorticibus tamen vſos Germanos in quibuſdam diuinationibus & ſortilegijs, docuimus in Diſputat. Feu. cap. penult.

CAP. XII.

Poſtridie eius diei.] Ergo, vt Plutarchus quoque obſeruauit, ex Germanorum ſuperſtitione pugnandi occaſionem Cæſar arripuit. Itaq; Frontinus ſtratagematis loco factum hoc numerat. lib. 2. cap. 1.

Generatimq́ue conſtiterunt.] Non permixtis & confuſis gentibus, ſed ſuo cuiq; genti ordine conſtituto: vt Harudes à Marcomanis, & deinceps alij ab alijs diſtincti eſſent. Sic lib. 7. Hoc ſe colle Galli continebant, generatimq́ue diſtributi in ciuitates, omnia vada, &c.

Singulos legatos.] Sex igitur legatos hoc bello Cæſar habuit. Nam ſuperiùs ſex legiones nominauit.

Paſſis manibus flentes.] Noſter antiquus, *Crinibus*, cui Romanus codex aſtipulatur. Vtra melior ſit, ſatis conſtituere non poſſum. Gallicis quidem mulieribus vtrunq; hunc morem vſitatum fuiſſe, patet ex lib. 7. cap. 8. & cap. 9. Et pectore nudo prominentes paſsis manibus obteſtabantur Romanos. Et mox: Matresſa. quæ paulò antè Romanis de muro manus tendebant, ſuos obteſtari, & more Gallico paſſum capillum oſtentare cœperunt. Videtur cōſuetudo fuiſſe, vt in exteris rogandis paſsis manibus: in ſuis, paſſis crinibus vterentur. Tacit. in libell. de mor. Germ. Quodq́ue præcipuum, inquit, fortitudinis incitamentū eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneū facit, ſed familiæ & propinquitates, & in proxima pignora, vnde fœminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium. Memoriæ proditur quaſdam acies inclinatas iam, & labātes à fœminis reſtitutas conſtantia precum, & obiectu pectorum, & monſtrata cominùs captiuitate, quàm longè impatientius fœminarum ſuarū nomine timent.

Pila in hoſtes conijciendi.] Nihil ſine vetuſti libri auctoritate mutandum cenſeo. Planiùs tamen *Noſtris* pro *In hoſtes* legeretur.

Phalange facta.] Quam coacto in vnum agmine (ait Oroſius) ſcutiſq; ſupra capita contextis ad irrumpendam Romanorum aciem tuti vndique præſtrinxerunt. Sed poſtquam aliqui Romanorum militum ſupra obductam ſaliēte teſtudinē, ſcutiſq; ſigillatim velut ſquamis reuulſis deſuper nudos

nudos deprehensorum delectorumque humeros perfoderunt,&c.

Circiter quinque.] Ego, *Quinquaginta* libris omnibus repugnantibus corrigendum arbitror. Primùm, quoniam hunc numerum vetus Orosij impressus liber prodit. Deinde, quia Plutarchus τετρακοσίους σταδίους posuit. Nam cùm octo stadia milliarium vnum conficiant, sequitur, vt quadraginta efficiant miliaria quinquaginta. Neque me mouet, quod in vulgatis Plutarchi libris legitur, πεντακοσίους. Nam & vetus interpres Quadringenta posuit, & Henr. Stephan. Græcæ linguę peritissimus, & harum rerum obseruator diligentissimus, τετρακοσίους in alijs libris legi testatus est. Itaque Beato Rhenano summo ac singulari viro assentiri non possum, qui prælium hoc commissum putat ad ædem Apollinaris, quæ milliare vnum Germanicum à Basilea & Rheno distat. Nam paulò superiùs Cæsar scribit eo se loco castra habuisse, quo à Sequanis & Heduis commeatus supportaretur. Neque mirũ videri oportet, si quinquaginta passuum millia fugientes fecerint: cùm Cæsaris exercitus interdum vno die XX. interdum XXV. millia confecisse constet, vt lib. 5. cap. 12. & lib. 7. cap. 6. Vegetius autem lib. 1. scribat, tyrones horis quinq; æstiuis viginti, aut viginti quatuor passuũ millia militare, aut pleno gradu conficere.

Scuta reuellerent.] Locus hic ostendit, Phalangem dici, cùm milites scutis in caput subleuatis confertam aciem ita contegunt, vt propè testudo videatur. Idq; Florus lib. 3. de hac pugna loquens, ostendit: Qui calor (inquit) in præliando militum R. fuerit, nullo magis exprimi potest, quàm quod elatis super caput scutis, cùm se veluti testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, & inde in iugulos gladijs descendebant. Idemq; scribit Dio libro 38. extremo.

In his fuit Ariouistus.] At hunc lib. 5. cap. 9. mortuum scribit. Vel igitur accepto vulnere, vel animi mœrore paucis pòst diebus interijt.

Reliquos omnes.] Plutarchus scribit, cæsa hoc prælio non minùs octoginta millia, quod idem tradit Appian. in Celtico.

Quos vbi qui proximi.] Ex lib. 4. & locis alijs innumeris restituendum arbitror, *Quos cùm Vbij, qui proximè Rhenum incolunt.* Nam & hi proximè Rhenum incolebant, & veteres inimicitias cum Sueuis gerebant. Hæc cùm multis antè annis scripsissem, animaduerti nunc Beatum Rhenanum virũ doctissimum, lib. 3. Rer. Germ. in eadem sententia fuisse.

Ad conuentus agendos.] Verbum iuris, de quo in Commentario nostro dictum est. Liuius lib. 41. Siculorum ciuitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor Romanus conuentus agit, eò imperio euocati conueniunt, excelso in suggestu superba iura reddentem stipatum lictoribus vident, virgæ tergo, secures ceruicibus imminent, & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur.

Qui ripas Rheni incolunt.] Nonnulli Codices: *Qui cis Rhenum incolunt.*] de quibus lib. 6. cap. 6.

Vnum imperium.] Paucis pòst versibus, Regium imperium nominat, sub Rege Galba.

Liber II.

CAP. I.

AB nonnullis etiam quòd in Gallia à potentioribus.] Legendum arbitror, *Ab nonnullis enim potentioribus.* Nam qui nouis imperijs studebant, potentioribus, qui regna occupare conabantur, suam operam nauare cupiebant.

Regna occupabantur.] Regna ergo tum dicebantur quæ in Perside Satrapiæ: posteà Ducatus, Comitatus, Marchiæ dictæ sunt.

Imperio nostro consequi.] Cod. Stephanicus, In imperio, quod placet, nam & in Ald. ita est.

Ineunte æstate.] Idem liber & alij complures *Inita*: de quo nihil affirmo.

Qui ripas Rheni incolunt.] Noster & Romanus, & Stephanicus, *Qui cis Rhenum incolunt.* quod verũ esse posteà constabit.

Et vnum imperium.] Et à Steph. libro abest: rectè, meo iudicio.

Ingredi prohibuissent.] Idem liber, *Prohibuerint*: quod non improbo.

Proximi Galliæ.] Ei parti quæ propriè Gallia dicitur.

Regem Galbam.] Ergo apud Dionẽ, lib. 39. mendum est, vbi Adra Rex iste nominatur.

Summam totius belli.] Stepha. & Romanus, Prudentiamq; suam totius belli summam. Aldin. & noster, Suam summam totius belli. Sed Pronomen *suam* delendum arbitror.

Morinos XV.] Steph. XXV. Quod Paul. Orosius confirmat: qui in superioribus numerum vbique seruat.

Menapij VII. millia.] Orosius IX. ∞.

Catuacos XIX. millia.] Legendum Atuaticos, vt apud Orosium. Et mox, *Cercesos Cenomanos.* Summa autem apud Orosiũ non conuenit, CCLXXXV. millium. Nam isto modo conficiuntur CCXCVI. millia.

Obsides adduci.] Legendum *Obsides ad se adduci.* vt in Steph. & Ald.

Cæsar Rhemos.] Ad summam igitur Belgæ conficiunt hominum CCXCVI. millia.

Suas copias introduxerint.] Vidi qui *Induxerint* corrigendum putarent, imperitè: nam & paulò pòst ita locutus est: Et quorũ in fines primùm Romani exercitum introduxerint, &c.

Gallorum eadem atque Belgarum.] Ordinis ratio postulare videtur, Belgarum eadem atque Gallorum. Nam de Belgis nunc loquitur.

CAP. II.

AD se venire.] In Steph. Rom. & nostro: Ad se venire vidit, quod propter librorũ consensionem retinuimus. Et iam idẽ in Manutianis vidimus: quos typographo imitandos dedimus.

Nam

Nam tanta multitudo.] Stephan. Nam cùm tanta multitudo lapides ac tela conijcerent, in muro consistendi potestas erat nulli. Sed Ald. & vsitata probabiliores videntur.

Oppido præerat.] Stephan. Oppido præesset, vnum ex ijs, &c. nuncium ad eos mittit. Sed vsitata melior est.

Testudine facta.] Obscurus locus. Nam Testudinem hoc loco accipere pro machina subruẽdis muris accommodata, locus alter lib.5. cap. prohibet: vbi sic scribit: Turres ad altitudinem valli, falces, testudinesq́;, quas ijdem captiui docuerant, parare ac facere cœperunt. Quo ex loco intelligitur, Gallos tum demum cœpisse testudines instituere. deinde ad murum subruendum, cur portis successissent? id est, ad portas concurrissent. Locus (vt dixi) obscurus est. Quòd si de testudine, quam alio loco Phalangem appellari docuimus, locum accipiamus: cùm milites densatis super capita scutis constipantur. Rursus illud aduersabitur, quòd subitam muri deiectionem Cæsaris sententia postulat: quam effossio manu facta non patitur. neque hodie qui mantelletis vtuntur, tam celeriter muros subruunt. Quamobrem cogitandum, an miram Cæsar Gallorum agilitatem & industriam in muris subeundis hoc loco describat: & pro *Subruunt* legendum sit, *Subeunt*. vt Testudinem intelligat phalangem fastigiatam, in quam agiliores milites ascendant, & vel ipsi murũ subeant, vel ascendentibus subiectis humeris ascensum præbeant. Nam de hoc Testudinis fastigiatæ genere Liuius lib.44. Quadrato agmine facto, inquit, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertijs magis & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, Testudinem faciebant. Hinc quinquaginta fermè pedum spacio distantes duo armati procurrebant, cõminatiq́; inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta, cùm euasissent: nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secùs quàm stabili solo, inter se persultabant. Amm. Marcell. libro 26. Coniunctis tribus nauigijs, testudinem hac specie superstruxit. Densatis cohærentes supra capita scutis, primis transtris instabant armati: alij post hos semet curuantes humiliùs, tertij gradatim inclinatis summissè, ita vt nouissimi suffraginibus insidentes formam ædificijs fornicati monstrarẽt. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac specie, vt missilium ictus atque saxorum perdecursus cadentes labiles instar imbrium euanescant. Hæc ille. Quod autem ad portas subeundi muri causa concurrebant, argumento est, fossam ante portas non fuisse. quod etiam alter locus ostendit, libro 7. cap. 9. M. Petreius eiusdem legionis Centurio, cùm portas excindere conatus esset, à multitudine oppressus, &c. Cùm hæc iampridem scripsissem, nunc animaduerti locum in libro 7. cap. 14. qui nostram coniecturam adiuuat. Nam vbi de Gallis, qui partem quandã castrorum Romanorũ oppugnabant, loquitur. Alij, inquit, tela conijciunt, alij testudine facta subeunt.

Eò de media nocte.] Vox *Eò*, mihi suspecta est. Veteres libri consulendi.

Cum omnibus copijs.] *Cum*, auctore Steph. tollendum. Sic infrà capit.5. Subsequebatur omnibus copijs.

CAP. III.

Quid nostri auderent, periclitabatur.] Vrsin. & alij testantur in suis libris scriptum ita esse: Sollicitationibus exquirebat. Quod imperiti interpretis scholium esse nemo non videt. Sic locutus est, lib.7. Neq; vllum ferè diem intermittebat, quin equestri prælio, quid in quoq; esset animi periclitaretur.

Leuiter fastigiatus.] Ald. & aliquot veteres, *Fastigatus*. Apud Liuium legitur etiam, *Fastigiatus*. Fastigare quidem Poëtæ dixerunt: vt Fastigatus retinendum videatur. Nam Castigatus, quod nonnulli obtrudunt, planè absurdum est. In Steph. tamen legitur, *Leuiter castigatus*: quorum prius vehementer arridet.

Vt si quo opus esset subsidio.] Corrigendũ arbitror, *Vt si quid opus esset, subsidio duci possent.*

Sin minus possent.] Verbum, Possent, glossema esse non dubito. In Steph. legitur, Potuissent.

Commeatusq́; nostros sustinebant.] Sic Aldin. Noster autem & Stephan. & Romanus: Commeatúsque nostros prohiberent. Aldina probabilior est: nam de agris loquitur, non de Rhemis.

Vndique conuenirent.] Conuenire, in Infinitiuo, magis placeret. quam scripturam video etiã quosdam secutos. Et omnino Manurianus sic habet.

Diuitiacum quoque.] Vox *Quoque*, tollenda est, auctoribus Faërni & Stephani codicibus. nam planè superuacanea est.

Quò non modò non intrari.] Fortasse *Quà* rectiùs legeretur.

Non omittendum sibi consilium.] Consulendi libri veteres, sicubi vel *occasionem*, vel Rei gerendæ consilium, vel tale aliquid insuper legatur.

Post eas.] Hanc eandem agminis rationẽ Hirtius exponit, lib.8. cap.2.

Ab extremo agmine.] Ald. & alij complures: Ad extremum agmen.

Sibi subsidium posuerunt.] Omnes veteres & scripti & impressi, *Præsidium*, quod cur muretur, causam non video.

CAP. IIII.

Ex pauore ac fuga.] Noster, *Terrore*. cui Stephanicus, Faërninus & Romanus astipulantur.

Ex itinere oppugnare.] Ex itinere oppugnare, est cùm sine machinis celeriter, scalis tantùm admotis, ascensus tentatur. vt suprà, cap.2. Id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt.

Vineas agere.] Non dubito legendum esse *Aggerem*, quo fossas replerent: vt suo loco docuimus. Sic lib.7. cap.3. Aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere cœpit.

Castris munitis.] Castrorum munitio sic fiebat:

Cespitibus è terra excisis à fronte fossa fiebat. à tergo murus ex lignis, & iisdem glebis ac cespitibus: valliq;, id est, stipites interijciebantur, & frondes, ne terra laberetur. Is propriè Agger & vallum dicebatur, supraq; lorica & pinnæ ad similitudinem muri struebantur. Plura Veger. lib. 1. cap. 24. & lib. 3. cap. 8.

Exercitum duxit.] Stephanicus, *Deduxit*: quod placet.

CAP. V.

SVb sarcinis adoriri.] Sub sarcinis adoriri, est cùm milites præter arma, vallo & cibarijs suis onerati sunt. Nam cùm sine his sarcinis sunt, Expediti appellantur. vt paulò infrà hoc capite. Cice. Thusculan. 2. Nostri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides. Deinde qui labor, quantus agminis. ferre plus dimidiati mensis cibaria. ferre, si quid ad vsum velint: ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Sic infrà, libro 3. cap. vlt. Impeditos in agmine, & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Sic lib. Ciuil. 1. Vetiti, ne noctu impediti sub onere confligere cogerentur. Et de bell. Afric. Milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. Et sic lib Ciuil. 1. Sub armis morari: sub armis conquiescere. Virg.

" *Non secùs ac patrijs acer Romanus in armis,*
" *Iniusto sub fasce, viam dum carpit, & hostem*
" *Antè expectatum positis stat in agmine castris.*

Teneris arboribus.] Hæc eadem Strabo, libro 4. generatim Morinis, Atrebatibus, Eburonibus, & Menapijs attribuit. κατὰ τὰς πολεμικὰς ἐφόδους συμπλέκοντες τὰς τῶν δένδρων λύγους, βατώδεις οὔσας, ἀποφράττειν τὰς εἰσόδους. ἔστι δ' ὅπου καὶ σκόλοπας κατέπηττον. αὐτοὶ δὲ κατέδυνον εἰς τὰ βάθη πανοίκιοι, νησίδια ἔχοντες ἐν τοῖς ἕλεσι.

Porrecta ac loca aperta.] In quibusdam *Ad*, pro *Ac*: mendosè. Suspicor tamen *Aperta* glossam esse verbi Porrecta.

CAP. VI.

VExillum proponendum.] Sic Ciuil. 3. Ne iniussu suo concurrerent. se, cùm id fieri vellet, vexillo signum daturum. Et de bell. Alexand. Demittiq; antemnas iubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, idem vt facerent, significabat. Item in lib. de bell. Hispan. Hoc nuncio allato, vexillum proposuit. Hoc autem ex antiqua consuetudine. de qua est apud Virgilium:

" *Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce*
" *Extulit.* Seruius quoque: Si esset tumultus, inquit, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum Roseum, quo pedites: alterum Cæruleum, quo equites: dicebat, Qui Rempub. saluam esse vult, me sequatur. Ammianus autem lib. 20. Flammeum hoc vexillum fuisse ostendit. Signo, inquit, per flammeum erecto vexillum, circunuaditur ciuitas. Purpuerum quoque sagum pugnandi signum Romanis fuisse, Plutarchus In Pompeio testatur. Etiam illud addendum: cohortes in centurias diuidebantur: Earum vnicuique suum attribuebatur vexillum. id numerorum literis notabatur: vt milites in tumultu ad eas intuentes ad suum quisque vexillum protinùs reciperet. Plura Veger. libro 2. cap. 13.

Signum dandum.] Est quidem, vt opinor, superuacaneum: cùm modò dixerit: *Signum tuba dandum.* Sed hoc fortasse argumentum esse voluit tumultuariæ scriptionis, cuiusmodi multa passim argumenta extant. Cogitandum tamen, an Signum hoc loco non de Tuba, sed de Aquila potiùs sit intelligendū. Neq; enim verum est, quod vulgò tradunt, idem esse signum, quod vexillum. Signum erat simulacrū Aquilæ aureū, vnum vni legioni attributum. Vexillum verò, velum literis notatum, & centuriæ cuiq; assignatum.

Galeas induendas.] Ita placet: quamuis in Faërni & Stephani libris legatur *Inducendas.*

Fors obtulit decurrit.] Decucurrit, vt aliàs sæpe, habent meus, Stephanicus, & Romanus.

Pugnantibus tanta fuit.] Stephan. Pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas, &c. Quæ scriptura probabilis est: sed multò probabilior hoc modo: His pugnantibus occurrit. Temporis enim tanta, &c.

Insignia accommodanda.] Locus est in lib. 7. vnde intelligitur alia fuisse insignia, alia signa. Vacua castra hostium Cæsar conspicatus, tectis insignibus suorum, occultatisq; signis militaribus, &c. Ergo Insignia dicebantur ornamenta, quibus Duces, Præfecti, cæteriq; insigniores notabantur, vt internosci possent. veluti, cùm Cēturiones transuersis, & argentatis galearum cristis vtebātur: item signiferi galeis vrsinis pellibus tectis. Veget. lib. 2. cap. 13. & cap. 17.

Quam quisque in partem ab opere.] Stepha. Quam quisq; ab opere in partem. quod valde arridet.

CAP. VII.

RVrsus regressos & resistentes.] Ita placet: quamuis in Faërni & Stephani libris duæ voces *Regressos* & *Resistentes* absint.

Castris nudatis.] Sic lib. 3. cap. 1. Vt quæque pars castrorum nudata defensoribus.

P. Sextio Baculo.] *Bibaculo* Codex meus antiquus: quod melius esse arbitror. Fuit & Furius Bibaculus, de quo Valerius Maximus, libro 1. cap. 1. Itemq; Furius Bibaculus, Poëta nobilis. Posteriùs etiam Romanus liber Bibaculi nomen perpetuò retinet.

Fremitusq; exaudiebantur.] Faërninus, Stephanicus, & Vrsinus, Oriebatur. sed nihil muto.

Esse impedimento: quartæ.] Stephanicus & Aldinus, *Impedimento vidit, quartæ, &c.* quod tamen verbum posterius occurret: vt vulgatam improbare, hanc repudiare facilè non possim.

Vbi suos vrgeri.] Omnia hæc pendent à verbo Vidit, satis longinquo, nisi fortè aliud eiusmodi aliquod absit.

Scuto

Scuto vni militum detracto.] Florus libro 3. hunc fugientem appellat. Hic cùm multa Romanorum militum insignia, tùm illud egregium ipsius Ducis: quòd nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, manu prælium restituit.

Pro se quisq.] Per se, reponebat amicus quidam meus. sed vetus locutio est, quæ idem valet, vt Pro sua virili parte. Liuius lib. 2. Cùm hostes adessent, pro se quisque in vrbem ex agris demigrauit. Sic noster lib. Ciui. 1. cap. Maximeq; timoris causa pro se quisq; id munus legationis recusabat.

Cursu incitato.] Forsan, incitati, legendum: nisi quid aliud vicij subsit. Nam incitato cursu collem petere videbantur.

Vt ex tumulo.] Quasi ex tumulo: vt in coacervatis cadaueribus insistentes pugnarent. Malim tamen, Et his deiectis.

Ausi quod essent.] Omnes antiqui: Ausos esse. quorum auctoritatem sequor: repudiatam ab ijs, qui loci elegantiam non viderunt: Nam illinc admirationis initium exorditur. Cicero Verrina 3. Ausum esse in æde Castoris audaciæ suæ monimentum sempiternum relinquere. Quod cùm ita sit, arbitror ijs abundè satisfactum, qui *Deberet* singulari casu reponendum putabant.

Ex sexcentis ad tres.] Plutarchus, Ex quadringentis. In alijs numerus conuenit. At Epit. 104. ita loquitur: Donec ex sexaginta millibus armatorum, trecenti superessent: ex nonaginta quinq; Senatoribus, tres tantummodò euaderent.

CAP. VIII.

T*Eutonisq; procreati.*] Omnes ad vnum, & veteres, & impressi *Prognati.* quod retinendum censeo.

Per prouinciam nostram.] Corrigendum arbitror, In prouinciam. quod loci sententia declarat. De ijs autem dictum est libro 1. Sed iam ita video in Manutiano libro impressum.

Custodia ex suis ac præsidio.] Liber Stephan. Custodiam ex suis ac præsidium. quod repudiandum non videtur.

In circuitu X V. *millium.*] Deest vox *Passuum.* Moris fuit, vt qui obsessionem instituerent, circum oppidum fossam ducerent, paulò longiùs à mœnibus quàm quò adigi telum posset. Vnde Circumuallandi verbum. Veget. libro quarto, capite vigesimo octauo. Et hoc frequēter apud hunc nostrum occurrit.

Plerunque omnibus Gallis.] Sic locutus est in fin. lib. 5. Equites plerunque omnes intra vallum tela conijciebant. Vtrobiq; autem, Pleriq; omnes, magis placeret.

Magnitudine corporum suorum.] Sic Hircius lib. de Bell. Afric. cap. 5. Cæsar campo purgato animaduertit mirifica corpora Gallorum, Germanorumq;. Et paulò pòst: Horum corpora mirifica specie cæsa toto campo iacebant. Multa Liuius in eandem sententiam multis locis.

Sine ope Deorum. [Stepha. Ope diuina.

Facere dixerunt.] Fortasse *Facturos* meliùs legeretur.

Quàm aries murum attigisset.] Hoc videtur ex Feciali iure sumptum, quo (vt Cicero in Offic. testatur) belli æquitas descripta erat. Et cùm ijs, inquit, quos deuiceris, consulendum est: tùm ij, qui armis positis ad Imperatoris fidem confugiunt, quamuis murū aries percusserit, recipiendi sunt.

Sectionem vendidit.] Verbum hoc in Commentar. de verb. iur. exposuimus. Cicero de Inuent. 1. Hoc commodè reprehenditur, si dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius prædæ sectio non venierit: id est, quam Quæstor non vendiderit.

Dies quindecim supplicatio decreta.] Hoc idem Plutarchus scribit in huius vita: & Suetonius: Prosperè (inquit) cedentibus rebus, & sæpiùs, & plurium quàm quisquam vnquam dierum supplicationes impetrauit. Cicero de prouoc. consul. C. Cæsari supplicationem decreuistis, numero, vt nemini vllo ex bello: honore, vt omnino nemini.

Decernebantur autem supplicationes ad Deorum puluinaria, ferijs indictis, magna totius populi celebratione & lætitia. Cice. Catil. 3. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia puluinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus & liberis vestris.

In deditionem potestatemq.] In ditionem, potestatemq; multis locis legi: hoc modo legere non memini.

Liber III.

CAP. I.

V*Eragros, Sedunosq.*] Orosius, Veragrados Edunosq;. mendosè, vt ex Plinio & Strabone constat.

Ser. Galbam.] Hic est Ser. Galba, Cæsaris legatus, cui Hircius libro octauo extremo scribit, ereptum Consulatum, quòd Cæsari coniunctus, & familiaritate & necessitudine legationis esset.

Itineris causa.] Steph. Itinerum: quod placet.

His rebus colloquendis.] Sic omnes quos vidi: præter Romanum, in quo legitur *Collocandis.* nullo sensu. Rara est & notanda locutio.

Gesa.] Gesum fuit genus teli Gallici. Itaque Virg. lib. 8. Gallis illud attribuit, -Duo quisque Alpina coruscant, Gesa manu. Seruius: Id est, Hastas viriles. nam etiam viros fortes Galli Gesos vocant. Hinc fortasse, quod vulgò dicimus, Gue, vel Guay: pro alacri, & strenuo.

Ex loco superiore mittere.] Postulare locus videtur *Inferiore.* nam hostes superiora loca occupâsse, & armatis complêsse dixit.

Sex. Baculus.] Bibaculus restituendum, vt dictum est libro 2. cap. 7. Pacuuius autem legitur apud Orosium.

CAP. II.

I*N Andibus hyemabat.*] Lib. Stephan. Hyemârat. quod sine dubio rectum est.

Cæteros antecedunt.] Idem lib. Reliquos.

Frumenti commeatusq́ petendi.] Duo posteriora desunt in nostro, Stephan. & Romano: vt suspicari aliquis possit, *Frumentandi* scriptum fuisse, & subscriptum, id est, commeatus petendi.

Perferre malint.] Noster & Stephan. & Roman. *Mallent.*

Reliquasq́ ciuitates.] Iidem omnes, Reliquasque item ciuitates.

Vastissimo ac apertissimo.] Duæ posteriores voces absunt à lib. Stephan. sed sic quoq; aliquanto post locutus est, cap. seq.

Frumenta in Venetiam.] Nihil muto: præsertim quia sic scriptum est in omnibus, quos vidi. Scio tamen consuetudinem Cæsaris postulare *Venetos*. Et idem alibi diximus de Belgio, pro Belgis.

CAP. III.

Extremis linguis.] Lib. Steph. Lingulis, vt Romanus & alij complures. Linguâ tamen apud Plinium reperimus.

Magna parte æstatis.] Nihil muto, sed propter consuetudinem Cæsaris, si quis vetus codex scriptum haberet, Magnam partem, facilè hanc scripturam cum illa commutarem. Sed iam nihil dubitandum video. Nam codex Stephanicus & impressus Manutianus perspicuè ita scriptum habebant. Cicero pro Sylla: Totum illum annum querelas senatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt. Noster lib. 5. Quòd Corus ventus nauigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consueuit.

Ipsorum naues.] Operæpretium est Strabonis verba cum his Cæsaris conferre: οὐ γὰρ παχέα τὰ ξύλα, ἀλλ' αἰχμὴν φερομένων ἐπ' αὐτοὺς ἐπέσπων οἱ Ῥωμαῖοι τὰ ἱστία δορυδρεπάνοις, ἦν γὰρ σκύτινα, διὰ τὴν βίαν τῶν ἀνέμων, ἁλύσεις δ' ἔτεινον ἀντὶ κάλων. πλατυπύγους δὲ ποιοῦσι, καὶ ὑψιπρύμνους καὶ ὑψοπρώρους διὰ τὰς ἀμπώτεις, δρυΐνης ὕλης, ἧς ἐστιν εὐπορία. διόπερ οὐ συνάγουσι τὰς ἁρμονίας τῶν σανίδων ἀλλ' ἀραιώματα καταλείπουσι. ταῦτα δὲ βρύοις διαπληροῦσι, τοῦ μὴ κατὰ τὰς νεωλκίας κατοπτεύεσθαι τὴν ὕλην, ἢ νοτιζομένην, τοῦ μὲν βρύου νοτερωτέρου ὄντος τῇ φύσει, τῆς δὲ δρυὸς ξηρᾶς καὶ ἀλιποῦς.

Vim contumeliamq́.] Contumeliam dixit pro ictu, quo naues affliguntur.

Posse arbitrabantur.] Arbitrâtur, videtur rectiùs. Verbum autem *Posse*, quod ab omnibus antiquis retineri video, deest in Manutiano.

Telum adÿciebatur.] Nonnulli, *Adigebatur.* Sed Cæsar vtrunq; vsurpat, vt mox: Satis commodè tela adijci possent.

Rostro nocere non posse.] Quia barbarorum naues (inquit Orosius) solido robore intextæ saxorum modo adactos rostratarum ictus retundebant.

Muralium falcium.] Sic Stephan. Aldin. & plerique omnes. Sunt quibus *Ruralium* magis placeret. quasi verò non etiam murales, æquè vt nauales, propter rusticarum falcium similitudinem ita nominentur. Præterea non animaduertunt similitudinē de qua Cæsar scribit, non ad ipsa falcium ferramenta, sed ad longuria & affixionem pertinere, quasi dixisset, nauales istas falces ea re muralium similes fuisse, quòd vt illæ longis trabibus, ita hæ longioribus contis insertæ, affixæq; essent. Dio hanc Historiam lib. 49. commemorans δορυδρέπανα nominat. δορυδρέπανα πλεῖστον ἐσκεύασαν οἱ Ῥωμαῖοι ἐν λόγχαις, ἵνα πάντα σχοινία αὐτῶν διατέμνωσι, καὶ τὰ ἱστία διέχεον. Veget. lib. 4. cap. vlt. Falx (de nauali loquitur) dicitur acutissimum ferrum, curuatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antemna suspenditur, repentè præcidit, collapsisq́; velis, liburnam pigriorem & inutilem reddit. De muralibus autem, noster infrà lib. 7. cap. 5. Laqueis falces auertebant. & cap. 14. Longurios, musculos, falces. Item, Falcibus vallum ac loricam rescindunt. Et Veget. lib. 4. & alijs multis locis. Hunc autem lorum Orosius sic exscripsit: Falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autē subnexas parauerat: quibus, cùm opus esset, apprehensos eminùs rudentes, subductis hostilibus per funem falcem subtrahendo succidebāt. His celeriter expeditis, disrumpi hostilium antemnarum armamenta præcepit. Ita antemnis ruentib. complures illicò naues velut captas immobiles reddidit. De falcibus muralibus locus est insignis etiam apud Liuium, lib. 38.

Minùs incommodè scopulis continebantur.] Sic vnus Manutianus habebat: cùm in alijs omnibus scriptum sit, Minùs commodè. Vtrocumque modo locus mihi obscurus est, vidi qui legendum putabat. Scalis conscendebantur. Ego *Copulis* legendū suspicor. vt Copulæ sint ferramenta, quæ in proximam nauim retinendi causa inijciuntur. Varijs tamen nominibus appellantur. Liuius libro 26. Itaque ex vtraque parte signo dato, cùm rostris concurrissent, neq; retrò nauem inhiberent, nec dirimi ab se hostem paterentur, quam quis indeptus nauem erat, ferrea iniectâ manu: ita conserebant ex propinquo pugnam, &c. Item libro 30. Postremò asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus inijci in Romanas cœpti. Item libro 37. Nam cùm rostro percussisset Sidoniam nauem, anchora ictu ipso excussa è naue sua, vnco dente velut manu ferrea iniecta alligauit alterius proram. At noster lib. de Bell. Ciuil. 2. Et si quando nostri facultatem nacti, ferreis iniectis manibus nauem religauerant, vndique suis laborantibus succurrebant.

Statuit expectare classem.] Noster, & Stephan. & Rom. Expectandam.

Quam rationem pugnæ insisterent.] Sic omnes præter Romanum: in quo Qua ratione scriptum est, magis placet, quod in eo mox ita legitur, *Tantum tamen hac &c.*

Absente, qui summam.] C. Cæsare.

Legato.] Qui exercitum ab Imperatore fidei commissum accepit: vt alibi loquitur.

Tanta malacia.] Plus tamen malaciā esse, quàm tranquillitatem, Senecæ illud indicat, lib. Epist. 9. Sed in ocio inconcusso iacere, non est tranquillitas: malacia est. Nauticum vocabulum videtur, tractum ex μαλακίᾳ, quæ Græcis animi mollitiam & remissionem significat. quanquam obseruatū

est

est Malacos etiã à Latinis dictos, molles: & à Plauto in Bacchidibus Malacum pallium. Pellaciam tamen Lucretius dixit libro 2. Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti. & lib. 5. Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis.

Sub corona.] Vide Gell. lib. 7. cap. 4. Ego dispositos fuisse seruos arbitror in orbem, coronæq; in modum: quo faciliùs ab emptoribus considerari possent. Hircius de bell. Afric. Coronæq; in modum cingere multitudine sua Cæsaris copias, &c. Sic Pedianus Coronam populi in causis audiendis interpretatur, quòd circum subsellia iudicum coronam faceret. Sic Corona oppidum cingere freqnenter legimus apud Liuium. Captiui ergo interdum sub hasta vendebantur, conferti: interdum sub corona, in orbem dispositi.

CAP. IIII.

S*Armentis virgultisq;.*] Hic est locus, in quo Hircius lib. 8. cap. 3. scribit, Cæsarem dixisse, Gallos in acie sedere solitos in fascibus stramentorum ac virgultorum. Quod tamen non facilè quisquã præter Hircium diuinasset. Dio verò lib. 39. locum hunc nihilo magis quàm alios complures intellexit: ac mirum alicui videri possit, & illum & Plutarchum toties allucinatos. Frontinus autem lib. Stratag. 3. cap. 17. Barbari, inquit, oblata victoriæ spe concitati, lignis sarmentisq; se onerauerunt, quibus fossas complerent: ingentiq; cursu castra nostra in colle posita petiuerunt: vnde in eos Titurius vniuersas immisit copias, multisq; Gallorũ cæsis, plurimos in deditionem accepit.

CAP. V.

Q*Ua pars.*] Suspectus mihi locus. nam vox *Pars* quorsum pertineat, non dispicio.

L. Valerius Legatus.] Neq; L. Valerij, neque L. Manlij in Gallia cæsi recordor. Video tantùm in hist. anni DCXLVIII. Rutilio & Manilio Coss. M. Aurelium legatum in Gallia captum & interfectum: Manilium Cos. & Q. Seruilium procos. prælio victos, binisq; castris exutos esse. De quibus si Cæsar loqueretur, pro *Valerius*, reponendum esset *Aurelius*: & pro *L. Manlius procos. C. Manilius Consul.* Rem in medio relinquam. Historiam tantùm ex Orosio subscribam: Anno ab V. C. DCXLII. C. Manlius, & Q. Cæpio proconſ. aduersus Cimbros, Teutones, Tigurinos, Ambrones, Gallorum gentes missi, prouincias sibi Rhodano flumine medio diuiserunt. Ibi dum inter se grauissima inuidia & contentione disceptãt, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi sunt. Siquidem in ea pugna M. Aurelius Cõsularis captus atque interfectus est. Duo filij Consulis cæsi, LXXX. millia Romanorum sociorumq; ea tempestate trucidata, LX. millia calonum, atq; lixarum interfecta. Antias scribit. Ita ex omni penitùs exercitu decem tantum modò homines, qui miserum nuncium reportarent, superfuisse referuntur. Eandem historiam attingit Salustius in Iugur. extremo.

Cuniculis.] Locum hunc Florus libro tertio sic interpretatur, vt id cum memorare propemodum me pudeat. Aquitani, inquit, callidum genus, in speluncas se recipiebant: iussit includi: Mox dilabebantur in syluas: iussit incendi. nemo tantùm feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt. Intelligendum est igitur, Aquitanos cuniculos egisse, vt aggerem subtraherent. Sic enim noster hic idem libro 7. cap. 5. Et aggerem cuniculis subtrahebant, eò scientiùs, quòd apud eos magnæ sunt ferrariæ, atque omne genus cuniculorum notum atq; vsitatum est.

Soldurijs.] Vox Germanis & Gallis veteribus communis: quæ vsque ad hanc diem à nostris retinetur. Radeuicus lib. 3. cap. 20. Vt largitione pecuniæ milites, qui Solidarij vocantur, colligeret. Cæsar Latinè Clienteis appellat, li. 7. cap. 8. Athenæus autem hæc eadem ferè ex Nicol. Damasc. commemorat, vt iam video ab alijs esse proditũ.

Quid sine Imperatore.] Aliæ sunt legati partes, aliæ Imperatoris. alter omnia agere ad præscriptum, alter liberè ad summam rei consulere debet, libro de Bell. Ciuil. 3. cap. tt.

Mori recusaret.] Sic lib. 7. cap. 8. Clientibus Gallorum nefas esse, etiam in extrema fortuna, deserere patronos. Valerius idem tribuit Celtiberis, vt pote è Gallia translatum, lib. 2. cap. 1. & Tacitus Germanis, in lib. de morib. German.

CAP. VI.

Q*. Sertorio.*] Cui ea pars Aquitaniæ fauebat. Vnde illud Cicer. in Maniliana: Cn. Pompeius Gallis iter in Hispaniam legionibus R. prohibentibus eorum internecione patefecit.

Duplici acie instructa.] Steph. Institura.

Obsessis vijs.] Sic Aldinus. In cæteris omnibus abest vox, *Obsessis*.

Cunctatione atque opinione.] Vidi qui *Ostentatione* reponendum disputarent. Sed intelligendum est, Opinionem passim à Cæsare vsurpari, pro auctoritate & existimatione. Crassus autem illa repetita productione auctoritatem sibi pepererat. Sic libro quarto: Tantum esse nomen atque opinionem exercitus R. Arioulsto pulso, & nouissimo prælio facto, vt etiam ad vltimas Germanorũ nationes opinione & amicitia populi R. tuti esse possint. Cicero pro Sylla: Non solùm studiũ ad defendendas causas, verùm opinionis aliquid & auctoritatis afferre. Subauditur autem *Virtutis*, quod etiam interdum additur, vt infrà lib. 7. cap. Bellouaci, quæ ciuitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis.

Vix quarta parte relicta.] Itaq; Orosius cæsa numerat XXXVIII. millia.

CAP. VII.

S*Ub pellibus.*] Vetus locutio, pro Sub tentorijs, quæ pellibus constabant. Valerius libro secundo, cap.

do, cap. 7. Néue tentorium ex pellibus haberet. Tacitus libro 13. Retentusq́; omnis exercitus sub pellibus, quamuis hyeme sæna, adeò, vt obducta glacie, nisi effossa humus tentorijs locũ non præberet. Hircius de bell. Africo: Perquàm pauci sub pellibus acquiescebãt. Liuius lib. 23. Vbi primùm sub pellibus baberi cœpti sunt.

Liber IIII.

CAP. I.

CEntum pagos.] Pagi sunt conuentos hominum non oppidatim, sed pagatim habitantium. Id est, in ædificijs non coniunctis, sed magno spacio intermisso separaris: quales fuisse Germanorum habitationes, Tacitus lib. de moribus eorum testatur. Plura diximus in lib. 1. cap. 2.

Singula millia.] Ac proinde quotannis centena millia.

Se atque illos alunt.] Vrsinus ex Antiquo libro: Reliqui qui domi manent, pro se atque illis colunt. Quod mihi vehementer arridet. eiq́; quod mox sequitur magnoperè congruit: Sic neq́; agricultura deseritur. *Manserunt* tamen repetio in libro Stephanico. quod placet.

Præter pelles babeant.] Noster, & Faërnicus & Stephanicus, & Romanus hoc ampliùs: Præter pelles habeant quicquam. quod sine dubio rectum est.

Nullo officio aut disciplina.] In eandem sententiam Procopius lib. 1. scribit, Gottos noluisse suos liberos literis & magistris operam dare: quòd qui ferulæ metu affecti essent, lanceas & gladios nunquam contemnerent.

Priuati agri.] Hæc eadem de vniuerso Germanorum genere propè totidem verbis scribit libro 6. cap. 5.

Impensa parant precio.] Vrsinus, *Immenso.* quod non placet. Sic enim etiam Liuius locutus lib. 11. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso precio veniebat, in publicũ omni sumptu ademptum priuatis.

Non ampliùs octingentos.] Vrsinus, ∞ DCCC. Sed hunc numerum Plutarchus seruat.

Parua atque deformia.] Noster, Steph. & Roma. *Praua.* Tacitus quoque: Equi, inquit, non forma, non velocitate perspicui: sed nec variare gyros in morem nostrum docentur.

Millia sexcenta.] Hoc planè absurdum est. Itaq́; sexaginta restituendum arbitror.

Et cæteris humaniores.] Legendum sic arbitrarer: Qui paulò sunt cæteris eiusdem gentis humaniores.

Propter prouinciæ propinquitatem.] Delenda vox Prouinciæ, auctoribus antiquis libris, in his etiam Romano, & rei veritate postulante. Non enim prouinciæ, sed Galliæ propinquitatem dicit.

Infirmioresq́; redegerunt.] Faërnus, *Reddiderunt.* sed nihil muto, Aldini & Stephanici & Romani libri auctoritate confirmatus.

Quod Gallicis.] Particula Quod, videtur redundare.

Sueuorum vim sustinuerint.] Legendum arbitror, sustinuissent. Steph. codex Sustinuerunt.

Infirmitatem Gallorum.] Infirmitatem passim pro Leuitate & perfidia vsurpat. Sic infrà ca. 3. Cognita Gallorum infirmitate.

Quod quisque.] Aimoinus, *Quid quisque.* quod magis placet. Et mox *Quibusque.* Item, *Quasque* ibi res.

His rumoribus.] Rectè sic: cùm in Aimoini libro corruptè legatur, His rebus. vt mox, Moribus, pro Rumoribus: lib. 1. cap. 9.

CAP. II.

LEgati ad eum venerunt.] Corrigendum ex Stephanico & alijs: Legati ab ijs venerunt.

Insulam Batauorum.] De quibus legendus Tacitus Annal. lib. 20. & de his omnibus Plin. lib. 4.

In Rhenum transit.] Demiror ita impressum à Manutio: cùm in omnibus quos videre licuit, legatur in Oceanum influit. Tacitus libro 2. Nam Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circum ueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur: seruatq́; nomen & violentiam cursus, quà Germaniam prætereuehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior effluens, verso cognomento Vahalem Accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusq́; immenso ore eundem in Oceanum effunditur. Quibus etiam ex verbis non *Vacalos*, sed *Vahalis* hoc loco legendum, intelligimus.

Piscibus.] Placet Aimoini lectio, Solis piscibus, atque ouis. Et ex illis insulis, Carthusianorum coloniæ.

Fidem fecissent.] Notanda locutio, Fidem facere, pro Fidem dare, nisi fortè Dedissent, vetus aliquis codex haberet.

Inducijs dictus erat ab his petitus.] Vox *Dictus*, abest à nostro antiquo, itemq́; à Stephan. & Aldi libris. Et iam video Manutium quoq́; illam omisisse, quod probo.

Suffossisq́; equis.] Non suis, sed Romanorum.

Ipse equo vulnerato.] Video in Vrsini & Manutij libris editum *Seruo* vulnerato. cõtra omnium lib. auctoritatem, & historiæ rationem.

Pristini diei.] Pristinus dies pro eo qui proximè antecedit, quem vulgus Pridianum diceret. Hoc idem animaduerti apud Ciceronem lib. de Orat. 1. Ibi vt ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, &c. Nam ibi Pridianum sine dubio significat.

CCCCXXX.] Plutarchus CCCC. tantùm ponit.

CAP. III.

COnditiones accipiendas.] Codex Stephani, cui multi consentiunt, Legationes. vitiosè vt cuiuis perspicuum est.

Communicato, ne quem.] Subaudiendum est, *Et capto.*

capto. nam ita inter se deliberauerant, vt primo quoq; tempore hostes adorirentur.

Simul, vt dicebatur.] Non memini me vocem *Simul* isto modo, ante omnia positam vidisse. Præterea quarto pòst versu, quorsum vox *Ipse* pertineat, cùm modò Cæsarem nominârit, non dispicio. Quare videndum est, an in illius prouocabuli locum nostrum istud *Simul* reponendum sit. nam quadrare quidem, nemo non videt.

Oblatos gauisus eos retineri iussit.] Steph. liber, & alij complures: *Grauius.* Sed vulgata probabilior est, & Aldino libro confirmatur. Pertinet autem hic locus ad quæstionem, An perfidia in perfidum vti ius sit. quod Labienum quoque fecisse scribit Hircius libro 8. cap. tertio. Plutarchus quidem scribit, Catonem vehementer hanc in Senatu Cæsaris perfidiam accusasse, ac censuisse illum Germanis dedendum esse, vt Ciuitas scelere liberaretur.

Acie triplici instructa.] Steph. Instituta, vt sup. lib. 3. cap. 5.

Germani sentire.] Vox *Germani* planè superuacanea est, meoq; iudicio adulterina.

Discessu suorum.] Mirè dixit, pro Retentione suorum.

Salutem petere præstaret.] Sic liber Steph. Aldus & alij complures hoc ampliùs: Salutem petere nescirent, quid præstarent. quod abiudico.

Ad quos consectandos.] *Conseruandos* aliquando legendum existimaui, ne Cæsar de sua ipse in pueros & mulieres sæuitia testaretur. vt tamen Conseruari dixisset ea sententia, qua Cicero pro Flacco dixit, Iudæorum gentem victam & seruatam.

Discedendi potestatem fecit.] Hoc puto scripsisse Cæsarem sui purgandi causa: cùm hac de re à Catone accusatus fuisset, vt superiùs dictum est.

CAP. IIII.

R*Henum transeundum.*] Quod primus Romanorum fecit, vt Suetonius & Plutarchus in eius Vita testantur. Et de Britannia, idem scribit Tacitus in Agric.

Exercitus Romani.] Stephanicus, Eius exercitus.

Rationem pontis.] Quæ cùm attentè legenti, valdè perspicua sit, tamen vix dici potest, quantùm ab ea Iucundus, Budæus, Cardanus, Buteo, & Turnebus discesserint. Illud autem in primis attēdi oportet, Cæsarem vnius duntaxat arcus siue iugi figuram exponere. cùm ampliùs viginti fuisse constet.

In flumine defixerat.] Faërni & Steph. libri, In flumen.

Fistucis.] Fistuca interdum dicitur instrumentum ligneum in imo ferratum, & vtrinque in medio ansatum, quo vulgò pauitores, aut qui palos in terram defigunt, vtuntur. Interdum verò instrumentum, quo tigillum ferratum & fune suspensum, atque ab aliquot operarijs in sublime tractum, in caput infixi tigni demittitur: vt crebris ictibus impulsum adigatur. Illud superiùs, qui putant hoc loco à Cæsare significari, ridendi materiam suppeditant. Quod verò Buteo Fistucas interpretatur, palos præacutos, qui in Rheni vado ad imam tignorum partem infigebantur, vt tigna constipata firmiora essent, primùm absurdum est: quia tanta Rheni altitudo est, vt pali sub illo adigi non possint: deinde Latina Cæsaris oratio ab illo sensu abhorret. Nam adigere tigna, est impellere, & penitùs in vadum infigere. Alioqui dicendum fuisset, Fistucis & palis constipârat. Sed hoc planè absurdum est. ac meliùs videtur Fistucæ figuram proponere.

Non sublica modo.] Sublica tignum ab imo præacutum, & directo ad perpendiculum in vadum fluminis adactum. vt lib. 7. cap. 7. Iisdem sublicis, quarum pars remanebat, pontem reficere cœpit. vnde pons sublicius. quod ex Vitruuij locis intelligitur.

Directa ac perp. sed prona ac fastigiata.] Ita legendum est: vt in nostro & Aldino: quamuis in Stephan. & Romano legatur directæ, pronæ, fastigiatæ.

Fastigiata.] Inclinata, procumbentia, paululum accliuia. vt lib. 2. c. 3. Leuiter fastigiatus paulatim ad planitiem redibat.

Secundum naturam fluminis.] Cæsar perspicuè has locutiones opponit, Secundum naturam, & Contra vim & impetum fluminis. Cùm autem vis & impetus fluminis sit in parte superiore, relinquitur priora duo tigna in inferiore fluminis parte defixa fuisse.

Ab inferiore parte.] Id est, In ipso solo atque vado fluminis.

Iunctura distabat.] Interuallo duorum pedum, vt suprà dixit.

In contrariam partem.] Nam trabs bipedalis vi in commissuras (quas nos *Mortesias* appellamus) adacta impellebat tigna, & ab ijs constringebatur.

Binis vtrinque fibulis.] Fibulas appellat, clauos trabales, quas *Cheuillas* Gallicè dicimus: quibus trabes quinquepedales transuersariæ figebantur. Quod autem Buteo ex quaternis trabibus quadratum efficit, quo extrema tignorum & trabis immissæ pars, quasi fibula ferrea quadrata coërcentur, hoc quid sit, ne diuinando quidem assequi potui. Et verò, vt ita sit, tamen vbi erit axicuius?

Bipedalibus trabibus immissis distinebantur.] Vetustissimus Codex, Bipedales trabes immissæ distinebant. Sed vtriusque lectionis eadem sententia est. Vna autem trabs quatuor illis tignis imponebatur. quod cùm Turnebus non videret, ita scripsit: Inter tigna immissæ erant trabes, quæ tignorum interuallum ab imo fluminis vado vltra summam altitudinem eius implebant. At Cæsar non dicit, Ab imo ad summum, sed, *Insuper immissa.*

Distinebantur.] Verbum vim quandam signifi-

 cans.

cans. nam bipedalis trabs vtroque suo cauo contraria tigna distinebat: id est, vtriq; incumbens, quodammodo propellebat. Sic de bel. Ciuil. lib. 1. Has quaternis anchoris ex quatuor angulis distinebat, ne fluctibus mouerentur.

Disclusis.] Binis tignis contrarijs discludere, est quod modò dixit, Distinere.

Reuinctis.] Cauum enim cauo iniunctum, iuncturam faciebat: eoq; complexu coercebat.

Rerum natura.] Id est, compactura. Naturaliter accidebat, vt quæ vis atq; impetus Rheni infimas priorum tignorum partes, ac proinde superimpositam trabem impelleret, eadem vis altera quoq; bina tigna contraria propelleret: quæ quòd prona ac fastigiata erant, contra impulsum illum nitebantur.

Obliquè adigebantur.] Volo esse Aduerbium. vt hę sublicæ directæ ad perpendiculum infixæ essent, sed earum ordo arcuatus & obliquus esset. Ita tamen, vt contra vim fluminis acies siue cuneus extaret, qui vim illam perrumperet. Qua de causa Arietē ex similitudine nominat. Plutarch. ζεῦγμα προβόλων appellat. ἀλλὰ ταῦτα προβόλοις ξύλων μεγάλων διὰ τοῦ ῥεύματος καταπηγνύντων ἀναδεχόμενος ἢ χαλῶντας τὸ προσπῖπτον ῥεῦμα τῷ ζεύγματι, &c.

Ad inferiorem partem.] Hoc à me non intelligi ingenuè fateor. nisi *superiorem* reponamus, vnde vis fluminis exoriebatur. quid enim aries ad inferiorem fluminis partem?

Pro ariete.] Faërnus, *Pro pariete.* Sed puto dictum esse pro, loco arietis. Nam vt aries ad trianguli figuram accedebat, ita hæc propugnacula triquetra esse solent. vt aries impetu suo murum frāgit, ita hæc propugnacula Rhenum findebant. cuiusmodi ferè ratione Rostrum Cicero dixit. Nam lib. de Leg. 2. Vt enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus æqualiter, &c. Buteo verò absurdissimè Interpretatur pro ariete, id est, ante arietem. Nam vt aries murum oppositum, sic rostrum istud vim fluminis irrumpentem findit ac perrumpit. Denique quem hic Arietem, mox Defensorem appellat. Hoc idem In pontibus lapideis fieri solere, nemo nescit. Galli *Sperones* appellant. Formam tamen non trianguli, sed semicirculi hos arietes habuisse, superiùs dictum est.

Supra pontem.] Versus impetum fluminis, circiter decem pedes supra locum pontis.

His defensoribus.] Defensor in fœminino, sæpè apud Iurisconsultos. Plutarchus dixit, προβόλους.

Diebus decem.] Magnum opus. sed tamen hæc Cæsarem adiuuerunt: primùm, tempus æstatis, quo Rhenus aliquanto est angustior. deinde aggerum & riparum sectura, fossæque ingentes, quas Cæsaris milites auertendi & minuendi fluminis causa faciebant. tertiò magnus sublicarum & palorum numerus transuerso flumine in vadum defixus, qua obstructione & quasi repagulis reiecta vis fluminis in illas fossas restagnabat. quartò, innumerabilis fabrorum multitudo, quos in exercitu Cæsar habebat. nam milites omnes aut in fodiendo, cùm vsus esset, aut in fabricando, aut in remigando, aut in demetendo frumento, aliisne operibus faciendis, laborem nullum recusabant. deinde fabros & fabrûm præfectos habebat. Eò accedebat multitudò nauium, quarum ædificatio, quàm facilis militibus Romanis fuerit, ex alijs Cæsaris locis intelligitur.

Liberaliter respondit.] Blandè & comiter: vt verborum quoque liberalitas dicatur. vnde locus ille Ciceronis, Plenum modium verborum.

Frumentisq́ succensis.] Ita legitur in Stephanico & Aldino, & cæteris propè omnibus. Sed cur dixisset, Aedificijs Incensis, frumentis succensis? Itaque *Succisis* sine dubio legendum est, vt hoc Ipso libro in fine: Omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis, ædificijsque incensis, &cæt. Virgilius: At rubicunda Ceres medio succiditur æstu. Paulò pòst, Demessa frumenta dixit. Sed Iam video ita esse in Manutiano emendatum. quod placet.

CAP. V.

QVod omnibus bellis.] At longè aliam Suetonius rationem affert. Britanniam, inquit, petijsse spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum sua manu exegisse pondus.

Priùs quàm periculum faceret.] Lego, *Priùs, qui.* Non enim Volusenum misit, vt Ipse posteà periculum faceret. Itaq; ordo est: Arbitratus C. Volusenum idoneum esse, qui priùs periculum faceret. Sic alibi sæpè locutus est.

Breuißimus in Britanniam traiectus.] Dio lib. 39. numerat stadia C C C C L. id est, millia passuum, sex & quinquaginta.

Regem ibi constituerat.] Cæsar ergo superatis quibusdam Ciuitatibus, Regem imponebat. Sic lib. 5. cap. 3. Dumnorix AEduus regnum suæ Ciuitatis sibi à Cæsare deferri dictitabat. Sed huic loco aduersari videtur, quod inf. lib. 7. cap. 4. scribit, se in huius Commij gratiam ipsius Ciuitati, Iura legesq́ue reddidisse, eamq́; immunem esse iussisse. Respondendum igitur, ita Regem ex suis impositum, vt illos suis legibus & recepto Iure gubernaret.

Sibi fidelem arbitrabatur.] Ita loquitur, quia plus apud Commium charitatis patriæ, quàm Cæsaris beneficium potuit. Rebellauit enim contra Cæsarem. sed victus posteà, se dedidit, lib. 8. cap. septimo.

Tantarum rerum occupationes.] Aldinus, Tantularum: quod sine dubio rectum est.

Nauibus circiter L X X X.] Steph. D C C C. L X X X. mendosè. Nam illum numerum Orosius retinet.

Vt quàm celerem.] Locus perspicuè mendosus, qui commodissimè sic legeretur: Monuitque, vt quoniam rei militaris ratio, maximeq́ue res maritimæ celerem atque instabilem motum haberent, &c. Sed ne tanta mutatio temeritatem habere videatur, vocem *Quàm* tantummodò in *Quoniam*

niam mutemus, & sic corrigamus: Monuitque (vt rei militaris ratio, maximeque res maritimæ postulabant) vt quoniam celerem, &c. Nam isto modo Postulabant, corrigendum erit.

Ad nutum & ad tempus.] Puta dictum, pro Ad punctum temporis.

Essedarijs.] Vnde iocus Ciceronis in Epistola ad Trebatium Iurisc. Tu qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedarijs capiatis, caueto. Pompon. Mela lib. 3. Dimicant non equitatu modò, & pedite: verùm & bigis & curribus, Gallicè armati. Couinos vocant, quorum falcatis axibus vtuntur.

Assuefactos.] Noster, & Romanus, Insuefactos.

Deserite, milites.] Nonnulli, Desilite, inquit, milites: nisi vultis aquilam hostibus prodere. Non malè. Sed & vehementem habet hæc vulgata sententiam, & multorum auctoritate librorum præponderat. Prætereà confirmatur illa contentione sui & militum: Deserite, milites; Ego certè. Quinetiam pertinet ad insignem Romanorum militum consuetudinem: de qua sic Liuius, lib. 34. Q. Victorius Primipili Centurio, & C. Atinius Tribunus militum, (rem in asperis prælijs sæpè tentatam) signa adempta signiferis in hostes iniecerunt. Et rursus lib. 6. Emissum etiam signum Camilli iussu in aciem hostium ferunt: idque vt repeteretur, concitatos antesignanos.

Et proximis primis nauibus.] Alij, Ex primis proximis. Alij, in primo casu, Proximi. neutra placet. putoque vocem *Primis*, superuacaneam & adulterinam esse.

Cursum tenere.] Id est, rectè nauigare, & in portum appellere. nam ab illis paulò tardiùs administrata res est, vt paulò antè dixit.

Insulam capere.] Portum in Insula capere, paulò pòst dicturus est.

CAP. VI.

O*Ratoris modo Cæsaris mandata deferret.*] Sic noster & Stephanicus, & Romanus, alijque impressi complures. sed Aldina magis arridet, quam multi secuti sunt: Cùm ad eos Imperatoris mandata perferret. Nusquam enim illo modo locutum Cæsarem animaduerti. Et nunc sic video Manutium Aldi nepotem hunc locum edidisse.

Paucis pòst diebus.] Demiror ita Manutium edidisse: quum vox *Post* in nullo vel antiquo, vel impresso reperiatur. Sic libro 4. cap. primo, Neque multum abesse ab eo, quin paucis diebus deduci possent.

Cæsari commendârunt.] Ita placet, vt est in Aldino: quamuis in nostro, & Stephanico, & Romano legatur, Commendare cœperunt.

Ad reficiendas eas vsui sunt.] Et hoc quoq; demiror: cùm alij omnes constanter sic habeant, Ad reficiendas naues essent vsui.

Ad eas quæ iusserat Cæsar facienda conuenerat.] Sanè magnum mihi scrupulum hæc Manutiana editio excmit. Nam quod in alijs ad vnum omnibus legebatur, *Ad Cæsarem conuenerant*, valdè vitiosum esse animaduertebam. Verùm autem ex libro vetere, an ex ingenio hanc emendationem Manutius habeat, magni interesse arbitror. Nam in Scholijs nullam eius mentionem facit.

Reditu interclusit.] Imò *Aditu*. Non enim reditum in Galliam intercludere, sed aditum in suam Insulam prohibere conabantur.

In metendo occupatos.] Et hoc quoque alibi notatum est: Cæsaris milites frumentum demetere, naues facere, cæteraque munia omnia obire solitos.

Et pedites præliantur.] *Pedibus* corrigendum: vt est in Steph. Sic enim sup. c. t. Sæpè ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur.

Ita se collocant.] Alij, *Currus collocant*. Fortassè vtrunque coniungendum: sic, Ita se & currus collocant. Nam certè currus secum ex acie subducebant.

Expeditum ad suos receptum.] Imò *Ad eos*, id est, ad aurigas.

Circiter triginta.] Valdè mirum, equos solos triginta nactum in prælium committere voluisse. Fortassè x x x. scriptum fuit, pro c c c. vel potiùs 30. pro 300.

Hyemis nauigationem subeundam.] Vrsini Liber, Hyemi nauigationem subijciendam. quod codem modo Stephanicus Codex scriptum habebat: & sanè rectiùs videtur. Nam subire nauigationem hyemis, est hyeme nauigationem instituere. quod à Cæsaris instituto fuit alienissimum. At Subijcere hyemi nauigationem, est classem suam tamdiù in ora Britanniæ retinere, dum hyems veniat. Hoc Cæsar facere nolebat. itaque obsides post se abduci iussit. ipse continuò pòst naues soluit.

Orbe facto.] Orbem facere dicebantur, cùm vndique circumuenti confertim se conglomerabant, & densatis scutis in orbem consistebant. quod non tam oppugnandi, quàm resistendi ac propugnandi consilio fiebat. Sic libro 5. cap. 10. Iusserunt pronunciari, vt impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent. Liu. lib. 42. Ibi cùm in orbem milites coëgisset, vt densatis scutis ab iactu sagittarum & iaculorum sese tuerêtur. Idem libro 2. Quò magis se hostis inferebat, cogebantur breuiore spatio & ipsi orbem colligere.

Propter siccitates paludum.] Quia Romani ab ijs consectandis paludum limo non prohibebantur.

Liber V.

CAP. I.

S*Vbductionesq́; paulò.*] Ita est in nostro, & Steph. & Romano. Alij *Subductiores pauloq́;*. Quod non intelligo. cùm Subduci naues frequentissimè dicantur, quæ in interiorem portus partem, interdum

terdum etiam in aridum, vel refectionis, vel munitionis causa propelluntur. vt lib.4.c.6. Et longas naues, quas in aridum subduxerat, æstus complebat. Et lib. Ciuil.3. Naues reliquas, si vellet, subduci & refici iuberet. Item hoc ipso lib.c.4. Commodissimũ esse statuit, omnes naues subduci, & cum castris vna munitione coniungi. Liuius lib.23. Castris communitis, nauibusq; subductis, & vallo circundatis, &c.

Magis magnos.] Aldinus, Minùs magnos. Itaq; Vrsinus restituit: & locus Cæsaris apertè postulat.

In reliquis vtimur maribus.] Ita scriptum est in nostro, & Romano, itemq; in Steph. & Faern. vt ipse testatur: docetq; Priscianum ita hunc locum protulisse, lib.7. Aldinus, & cæteri hoc modo: Quibus in alio Mari vti assueuerunt. quam lectionem Manutium secutum miror.

Accepta oratione.] Liber Steph. & Romanus, *Percepta.* Vrsinus autem, *Ratione.* neutrum placet. Et Legatorum oratio proprè dicitur.

Vti imperauerat.] Has duas voces adulterinas esse arbitror. superuacaneas quidem esse, nemo in huius auctoris libris versatus negauerit. Nam satis fuit, dixisse, Ad diem.

Qui litem æstiment.] Qui æstiment, quanti sit damnum, quod quisq; acceperat, vt tanti, qui dederit, damnetur.

Collaudatis militibus.] Notandum, quod alijs locis monuimus, Cæsarianos milites fabriles artes, cùm vsus poscebat, exercuisse: & naues ædificâsse. Sic Ciuil.1.c.5. Imperat militibus Cæsar, vt naues faciant.

Ad portum Icium.] Strabo lib. 4. de Morinis loquens: παρ' οἷς, inquit, ἐστὶ καὶ τὸ Ἴτιον ᾧ ἐχρήσατο ναυστάθμῳ Καῖσαρ ὁ θεὸς διαίρων εἰς τὴν νῆσον.

Transmissum à continenti.] Traiectus & Transmissus in eadem re ponuntur à Cæsare: vt inf. cap. 5. Pari spatio transmissus, atque ex Gallia est in Britanniam. Quare perspicuum esse arbitror, hoc loco alterutrum duorum redundare, vocemque *Traiectum* sub hac altera, pro glossa subiecta tandem, in contextum irrepsisse. Hæc cùm multis antè annis scripsissem, animaduerti Faërnum testari in suo Libro, abesse vocem, *Transmissum.*

Ab eo petere cœperunt.] Obscurus mihi locus. Fortassè hic sensus est, Quoniam in commune consulere non poterant, suis quisque priuatim rationibus consulebat: & à Cæsare, vt suis agris atque ædificijs parceret, petebant.

CAP. II.

INduciomarus.] Hoc eodem nomine appellatur apud Ciceronem in Orat. pro Fonteio, is qui suo testimonio maximè omnium Fonteium lædebat, à Gallis quibusdam missus. Verùm is Allobrogum Dux nominatur. Quòd si, inquit, tantas auxiliorum nostrorum copias Induciomarus ipse despexerit, Dux Allobrogum, cæterorumq; Gallorum, &c.

Quæ in Meldis erant.] Imò *In Belgis.* vt habent libri nonnulli, & ex superioribus planè intelligitur.

CAP. III.

DVmnorix AEduus.] Libro primo, capite tertio.

Grauiter ferebant.] Nam Æ dui retinere libertatem cupiebant, vt suo loco diximus.

Religionibus impediri.] Fortassè, quòd vel votum obeundum esset, vel iusta soluenda.

Impeditis animis.] Notanda locutio, pro Occupatis.

Profano factum.] Tanquam sanum, vel, vt sanum & prudentem facere par erat. Sic de bell. Ciuil.3. Isque maximè vellet pro communi amico atque arbitrio controuersias Regum componere.

Illa autem.] Faërni liber, *Ille enim*: cui liber Stepha. astipulatur. Et rectè Vrsinus docuit, assertionis esse iam, non rationis. Plautus in Persa, Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio.

Liberum liberaq; ciuitatis.] Liberum sibi esse Cæsarem sequi, aut non sequi. Æduorum ciuitatem neq; Regi parere, neq; à Romanis in Prouinciæ formam redactam esse.

Rei frumentariæ prouideret.] Noster, & Stephan. & Romanus, Rem frumentariam. quod propter Cæsaris consuetudinem probabiliùs videtur. Sic libro 6. cap. tertio, His cognitis rebus, rem frumentariam prouidet.

CAP. IIII.

AD solis occasum.] Strab. lib. 4. νύκτωρ δ' ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν τ' καὶ εἴκοσι σταδίους τοῦ διάπλου τελέσας.

Eam partem Insulæ caperet.] Nihil muto. nam superiùs quoq; dixit, Insulam capere. Quanquam si quis vetus Codex scriptum haberet, *Eum portum,* non dubitarem, hanc cum illa scripturam commutare. nam sic quoq; superiùs locutus est.

Meridiano ferè tempore.] Florus lib.1. In Britanniam transit mira celeritate: quippe qui tertia vigilia Morino soluisset à portu, minùs quàm medio die Insulam ingressus est. Videtur legendum, *Monino*, vt eius Insulæ portum significet, quam Cæsar paulò pòst Monam appellat.

Ex captiuis comperit.] Steph. Cognouit.

Vno erant visæ tempore.] Sic omnes quos vidi & manuscripti, & impressi libri. Faërnus, Vnà erant visæ, timore. quod propter librorũ dissensionem non recipio: etsi per se non displicet.

Crebris arboribus succisis.] Has Concædes nominant Auctores. Tacit. lib.1. Fontem ac tergum vallo, latera concædibus muniunt. Gregor. Turon. libro 2.c.9. Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, concædibus per extrema syluarum procuratis. Mendosè legitur, Concidibus.

In litus eiectas.] Faërni lib. In litore. quod idem in Stephani codice reperio.

Itinere

Itinere desistere.] Steph. In itinere resistere. quod verissimum esse paucis pòst versibus cognoscetur.

Quamplurimas posset.] *Possit*, ratio sermonis postulat.

Multa opera.] Sic placet: propter consensionē nostri Antiqui, & Stephanici, & Aldini: cùm in alijs sit, Multi operis.

Easdem copias, quæ antè præsidio nauibus fuerant, relinquit.] Ineptè. quanto illa Stephanici & Aldini librorum concinnior: Easdem copias, quas antè, præsidio nauibus relinquit.

Memoria proditum.] Sic omnes lib. Memoriæ tamen, casu tertio, video & apud hunc, & apud alios, vbique.

Ex Belgio transierant.] Sic omnes lib. Ego tamen Cæsaris consuetudinem attendens, *Belgis* legendum esse non dubitarem. Nam vbique & de singulis populis ita loquitur. Quinetiam lib. Ciu. 1. Cæsaris, inquit, erat in Barbaris nomen obscurius.

Bello illato ibi remanserant.] Stephan. Eò permanserant. Neutrum placet. Non enim illato bello, sed confecto potiùs permanserunt. Obscurus mihi locus. ac vereor ne multa sint adulterina: ac Cæsar ita scripserit: Quibus orti ex Ciuitatibus bello illato eò peruaserunt. Sed sine veteris auctoritate libri nihil mutandum est.

Minores obiectæ Insulæ.] Sic quoque Aldinus. sed nostri, & Stephanici, & Romani, & vulgarium consensus præponderat, vbi legitur, *Subiectæ*.

CAP. V.

Nummo æreo.] Codex Steph. Minimo ære, aut auro, aut alijs ferreis. Ego legendum sic putarem: Minimo ære, aut auro, aut laminis ferreis, ad certum pōdus examinatis pro numo. Nam Tacitus in Agricola ita scribit: Fert Britannia aurum & argentum, & alia metalla.

Quam in Gallia.] Belgica, subaudiendum arbitror.

Leporem & Gallinam.] Longè his dissimilia, Dio Nicæus, & Herodianus in Seuero.

Insula natura triquetra.] Strabo lib. 4. ἡ δ' ἔστι τρίγωνος μὲν τῷ σχήματι. & multa in Cæsaris sententiam. Legendus etiam Tacitus in Vita Iulij Agricolæ.

Ibernia dimidio minor.] At Mela lib. 3. Super Britanniam, inquit, Ibernia penè est par spatio, sed vtrinque æqualis. Videtur exscriptus hic locus, & apud Melam corruptus.

Dies XXX.] Mela eodem loco: In ea, inquit, quòd Sol longè occasurus exurgit, breues vtique noctes sunt. Sed per hyemem, sicuti alibi obscuræ, æstate lucidæ. quòd per id tempus iam se altiùs euehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore, proxima illustrat: per solstitium verò nullæ: quòd tum iam manifestior non fulgorem modò, sed sui quoque partem maximam ostentat. Tacitus in Vita Agricolæ: Dierum spatia vltra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extrema Britanniæ parte breuis, vt finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quòd si nubes non officiant, aspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exurgere: sed transire affirmant.

Esse arbitrantur.] Steph. Existimatur. cui video Faerni librum suffragari.

D. C C. *millium passuum.*] Non congruit numerus Dionis Nicæi in Seuero, quem conferre, qui volet, poterit.

Vicies centena.] Legendum, *Centenum*, in secundo casu.

Glasto inficiunt.] Noster antiquus, itemque Stephanicus, *Vltrò inficiunt.* Quod etiam apud Pomp. Melam seruatum est. Incertum, inquit, ob decorem, an quid aliud, vltrò corpora infecti. vbi de Britannis loquitur. Romanus, & alij nonnulli, *Vltro glasto inficiunt.* Incredibile dictu est, quàm variæ doctissimorum hominum coniecturæ proferantur: cùm alij Vitro, alij Nitro, alij Glasto, alij Luteo, alij Glauco, alij alio modo emendent. Mouet me Pomponij Melæ, & veterum librorum consensus, in quibus *Vltro* constanter scriptum est, vt contra omnium sententiam reponendum arbitrer, *Lutro*, mutatione perexigua. proptereà quòd Dioscorides Lysimachiam scribit à nonnullis Lytron appellari. Valere autem Lysimachiam ad cæruleum colorem, Ruellius & alij confirmant: vt dubitari etiam possit, an pro Luteum, quod est apud Plinium & Vitruuium, fortasse legendum sit, Lutrum. de quo tamen nihil affirmo. Vitruuius lib. 7. cap. 14. Qui non possunt chrysocolla propter raritatem vti, herba, quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt. Plin. lib. 33. cap. 5. Luteam putant à Lutea herba dictā, quum ipsam cęruleo subtritam, pro chrysocolla induerūt. Tantam autem de Lysimachia & Luteo vel Lutea herba dissensionem animaduerti inter Ruellium, Fuschium, & alios eruditos viros, vt vel vnus ille Dioscoridis locus varijs ipsorum disputationibus facilè præponderet. Nitrum quidem ad cæruleum colorem valere, Vitruuius scribit, lib. 7. c. 11. sed neque solum, verùm arena contusum, & æri cyprio mixtum: neque ad corpus hominis inficiendum, quod vsus ostendit: sed ad opera, de quibus apertè Vitruuius ibi loquitur. Luteum autem hoc loco Victorius reponebat Variar. lib. 19. cap. 3. Nitrum, Turneb. Aduers. 6. cap. 17.

Horribiliore adspectu.] Sic Aldinus: & ita magis placet: cùm in alijs omnibus legatur, *Horridiore.* Nam sic idem hic noster infrà lib. septimo, Qua despici poterat, horribilem speciem præbebat.

Virgines ductæ.] Steph. Quo primùm virgo deducta est. Noster, & Romanus, Adducta est. Quod valdè arridet. Nam vna tantùm significatur. Quid igitur si plures eadem pepererit? cuius erit secundus, aut tertius, aut quartus? Sanè ex verbis Cæsaris responderet aliquis, fore omnium communem: & hanc esse Platonicam confusionem.

Inter se constituissent.] Non dubito duas primas voces

voces ex glossa sumptas, & tollendas esse. nam legiones propter terrorem, intermisso aliquãto spatio, constiterant.

Per medios audacissimè.] Scripsisse Cęsarem arbitror, Per medios hostes audacissimè.

CAP. VI.

CVm periculo dimicare.] Noster, Steph. & Romanus, Cum periculo prælio dimicare.

Pedibus transiri.] Notandum, pro Vado transiri.

In agros effunderent.] Stepha. Eijcerent. quod non æquè placet. Nam terroris causa latè vagabantur.

In continentem Galliam venerat.] Vocem Galliam propter Cæsaris consuetudinem suspicor ex Glossa sumptam fuisse.

Pecorumq́ue numerus.] Faërnus, *Pecoris.* Idem noster & Steph. & Aldin. & Romanus.

Nostri acriter.] Praua interpunctio locum corruperat. nam hinc periodi initium est.

CAP. VII.

OPpidum Britanni vocant.] Strabo lib. quarto, πόλεις δ' αὐτῶν εἰσὶν οἱ δρυμοί. περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι καταβεβλημένοις, εὐρυχωρῆ κύκλον καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται, καὶ τὰ βοσκήματα κατασταθμεύουσιν, οὐ πρὸς πολὺν χρόνον.

Numerus pecorum repertus.] Noster, & Stephan. *Pecoris.*

Nobili Duce Cingetorige.] Steph. *Lugotorige.* nam Cingetorigem paulò antè Regem nominarat.

Facilè extrahi posse.] Id est, Cassiuellaunum facilè morarum causas posse fingere, & diem ex die ducere.

Et prioris.] Particula, *Et*, sententiam deprauat, ac sine dubio delenda est.

Locum caperent.] Obscura mihi sententia, nisi fortè locum capere dicantur naues, quæ cursum tenent.

Per Atrebatem Comium.] At hic in exercitu Cæsaris erat anno superiore à Britannis remissus, lib. 4. cap. 5. Priùs ergo Comium fide publica euocãrant, & eius opera in hac compositione vsi erant.

CAP. VIII.

Q. Ciceroni.] Marci fratri, & Cæsaris Legato. Dio lib. 40.

Humilitibus.] Vox *Militibus* superuacanea est: ac Cæsar superiùs semper Legionibus præfectos dixit.

Tres in Belgio.] Stephan. Belgis: quod sine dubio rectum est. Et vbique hoc puto seruandum. Nam hæc Cæsaris consuetudo est in populis omnibus.

Ambiorige & Catiuulco.] Hi Reges quisque dimidiæ partis Eburonum nominantur, lib. 6. c. 6.

Sabino Cottaq́ue.] Eodem loco, Castellum Vatuca nominatur, in medijs Eburonum finibus: vbi duo isti Legati hyemandi causa consederant.

In Gallia morari.] Hoc est, suam in Italiam profectionem differre. Morabatur autem in Belgis, &, vt opinor, Samarobrinæ.

Inimici palàm multis etiam ex ciuitate auctoribus.] Steph. & Faërn. lib. Inimicis iam multis palàm ex ciuitate, & his auctoribus. Legendum arbitror, vnica transposita vocula: Inimici multis etiam ex ciuitate palàm auctoribus, interfecerunt. Nam alioqui postremum hoc verbum, quò referatur, non habebit.

Ex Belgio.] Iterum restituendum arbitror, Ex Belgis: propter assiduam Cæsaris consuetudinem.

Ad castra oppugnanda.] Noster, & Faërninus, & Romanus, & Stepha. Castra oppugnatum. quod placet.

Controuersias minui.] Minuere controuersias, pro Tollere, & Extinguere. Sic lib. 6. cap. 5. Principes regionum inter suos ius dicunt, controuersiasque minuunt. Sic Cic. Offic. 1. Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quàm vrbanas, minuenda est hæc opinio: id est, tollenda. Sic Academ. 2. Sed vt minuam controuersiam, videte quieto, &c.

Non minùs haberet in se iuris multitudo.] Hanc vetam ac stabilem esse Principatus formam, multi disputant. Nam aut vi, & in inuitos occupatus est, aut multitudinis voluntate delatus. prior confessione omnium est Tyrannicus. alter certis legibus & conditionibus delatus: vnde vltrò citroque obligatio nascitur. Eiusmodi Feudorum iura fuerũt, vt quibus de causis à Vasallo feudum, ijsdem à Patrono amitteretur.

Humilitate sua.] Nota Humilitatem non virtutem esse, quæ vulgò modestia dicitur, sed tenuitatem & infirmitatem.

Subsidio venire.] Faërnus & Stephanus, *Subuenire.*

Ipsorum esse consilium.] Id est, licere illis consilium capere, ac deliberare vtrùm malit. Sic Cicero: Vestrum iam consilium est, quid vobis sit faciendum.

CAP. IX.

INter eos extitit controuersia.] Sic noster, Stepha. & Romanus. Aldinus, Inter eos ex his tot causis controuersia orta est. Vetus placet. nam ex verbo, *Extitit*, mendosè factum est, *Ex his tot.* deinde à sciolo quopiam subiectum, *causis, & Orta est.*

Ariouisti mortem.] At hunc lib. 1. c. vlt. fuga sibi salutẽ reperisse scripsit. vel igitur ex vulnere accepto, vel ex animi mœrore Ariouistum mortuum esse oportet.

Vltrò illatis.] Non citrò acceptis.

Vnam esse in celeritate.] Magis placeret: *Vna:* sexto casu: Vna esse in celeritate positam salutem.

Amplius ab ijs absit.] Sic Stephanicus. Placet tamen Faërni liber: Amplius absit.

Quanta fuit magnas.] Sic omnes libri. Visitatum tamen

tamen puto, Quantumuis magnas. vel, Quantaſuis copias.

Quem haberet exitum.] Inſignis locus: ex quo intelligitur, Conſilium dici exitum habere, cùm in alterutram partem tutum habet euentum: non habere verò, cùm neutram in partem habet: & eſt, vt Dialectici loquuntur, ἀνέξοδον. Itaque Titurius ſuum, in vtramque partem tutum eſſe diſputat: Cottæ verò, in neutram. Cicero ad Attic. 7. epiſt. 11. Videtur hoc conſilium exitum habiturũ. Hircius de bel. Alexandrino, Neque vllum exitum conſilij ſui reperiret, ſi permaneret in ſententia, &c.

Vincite.] Diſputando & altercando, ſcilicet. quaſi dicat, Diutiùs non contendam. Valeat veſtra ſententia.

Hi ſapienter ſi quid.] Placet Stephan. & Ald. & aliorum ſcriptura: Hi ſapient: & ſi quid. Pro, Hi milites conſilium capient. Horum erit iudicium.

Communem cum reliquis belli caſum.] Vox *Belli* abeſt ab omnibus quos vidi, & antiquis, & recentioribus. quorum conſenſum huic ſingulari antepono.

Dat manus.] Dare manus, cedere, victum ſe fateri. Tranſlatum ab ijs, qui bello capti ſeſe dedũt. Cic. de Amicitia: Qui litigare ſe ſimulans blandia tur, atque ad extremum det manus. Sic ad Atti. 2. epiſt. 22. Primo ſanè die multa contrà: ad extremum autem manus dediſſe.

Impedimentis at hoſtes.] In alijs omnibus poſt vocem *Impedimentis*, ſubiectum eſt verbum *Incedunt*. vtraque placet. ſed librorum conſenſionem potiorem arbitror.

CAP. X.

IN *orbem conſiſterent.*] Dixi ſub finem libri 4. In orbem conſiſtere dici milites, qui non hoſtem adoriendi, ſed ſui tantùm defendendi conſilio denſi cuneis ſe quiſq; coactis agglomerant: vt Vergilius cecinit. Idq; paucis verſibus inſequentibus apparebit. Saluſtius dicere videtur Grege facto. Nam in Iugurth. Ex omni, inquit, multitudine nõ ampliùs x L. memores nominis Romani grege facto locum cepêre, &c.

Id factum.] De impedimentis, & auro relicto: vt Florus loquitur.

Et numero pugnandi pares noſtri.] Faërnus ex ingenio reponit, *Pugnantium*. quod placet. Simul ex Stephanico lib. ita locus diſtinguendus eſt, vt poſt *pares* punctum notetur. Tum alterius ſententiæ initium hoc ſit: Noſtri tametſi à Duce & à fortuna deſerebantur, &c. Nonnulli autem pro *numero* repoſuerunt *animo*: quòd eorum temeritatem ſimul & inſcitiam coarguit.

Tela à confertis vitari poterant.] Sic Aldus. At Stephanicus, & noſter multò rectiùs, Tela conferti vitare poterant.

Se ſuamq́; fidem interponere.] Sic Aldus & vulgati. mendoſiſſimè. Nam ſine cõiunctione legendum eſt, vt in Steph. Se ſuam fidem interponere. Et ſic alibi, Fidem interponere, Iuſiurandum interponere.

Suam ac militum ſalutem.] Sic Ald. Rectiùs Faërni & Steph. libri: De ſua ac militum ſalute.

CAP. XI.

HVic *quoque accidit.*] Corrigendum videtur, *Hic.*

Virtuti locus relinquebatur.] Id eſt, pugnandi.

Hanc adepti victoriam.] Ita placet: neque ſine libri veteris auctoritate quicquam mutari pateret. ſed tamen ſcripſiſſe Cæſarem, *Hac adepta victoria*, in ſexto caſu, ex Latinæ linguæ conſuetudine ſuſpicarer.

Turres c x x.] In Steph. & Romano, & multis alijs: Turres admodum c x x. Suſpicor de mendo. Nam neque tam magno turrium numero vſquam legi vel Romanos ipſos eſſe vſos: præterea vna nocte tot ædificari turres potuiſſe, non puto. deniq; poſteriùs turres excitatas fuiſſe, mox intelligetur. Non placet diuinare. ſed probabiliùs eſt de aggere ex materia extructo Cæſarem ſcripſiſſe. vt alijs multis locis.

Oppugnationem oppreſſunt.] Cùm de Romanis perſpicuè loquatur, corrigendum putarem, *Propugnationem.*

Pinnæ, loricaq́.] Loricas dicit, quas vulgò *Parapettos* appellamus, quaſi pectoris tegumenta. vt libro 7. docebimus.

Mittuntur ad Cæſarem literæ.] Qui tum erat in Belgis, Samarobrinæ.

Seſe tamen ſcire.] Vox *Scire*, tollenda eſt, auctore Steph. lib. & loci ſententia poſtulante.

Manibus ſagulisq́.] Video eſſe qui *Furculis* vel *Sartulis* reponant. Sed vſitata lectio in veteribus omnibus reperitur: & ad Neruiorum imperitiam demonſtrandam aptiſſima eſt: & (quod caput eſt) Paulum Oroſium auctorem habet. denique modò dixit eos ferramentis deſtitutos fuiſſe: hoc eſt, bidentibus, ligonibus, palis, raſtris, alueis, cophinis, qualis. vt eſt apud Veget. lib. 1. c. 24. & lib. 3. cap. vlt.

Exhaurire cogebantur.] Sic noſter, & Aldin. At Steph. Videbantur: pro Nitebantur, quod in Romano eſt.

Minus horis tribus decem millium paſſuum.] Legendum x v. vt in lib. Steph. & apud Oroſium. Valli autem & foſſæ ſpatium ſuperiùs Cæſar expoſuit: & Oroſij numerus congruit.

Copia quæ eſſet.] Non dubito quin legendum ſit, *Cum eſſet.*

Fuſili ex Argilla.] Quid ſit Argilla fuſilis, ignorare me fateor. Quid ſi *Aruina* legeretur, vt pro ſeuo poneretur? Oroſius locum ſic expreſſit: Teſtas fundis feruentes intorſêre, flammataque tela ſocis: ac mox concepto igne rutilantia intra caſtra iecerunt. Pſeudoroppius autem ſic: Teſtas feruentes intorſêre fundis. Sed neceſſe eſt, in teſtis picem, aut ſeuum, aut aliquid eiuſmodi fuiſſe, quo ignis excitari ſolet. vt libro 7. cap. 4. Picem, reliquaſque res, quibus ignis excitari poteſt, fundebant.

debant. Item: Quidam Gallus per manus sevi ac picis traditas glebas, in ignem proijciebat. Sallust. in Iugurth. Contra ea oppidani in proximos saxa voluere, sudes, pila, præterea picem sulphure & tæda mistam, ardenti mittere. Tacitus lib. 18. Dum faces, & glandes, & missilem ignem in obsessos iaculantur. Cogitandum etiam ecquid ita emendari possit: Feruentes sulphure ex argilla glandes. Vel sic: Feruentes fictili ex argilla. Vel sic: Fusiles feruenti ex argilla glandes. Hirc. lib. de bel. Afr. Officinas ferrarias instruere, sagittasq; & tela, vti fierent, complura curare, glandes fundere, sudes comparare.

Demigrandi causa.] Loci deserendi, & ad impedimenta currendi. Demigrare, est de loco decedere, cum animo non reuertendi.

Vt se sub ipso.] Legendum puto, Ita se. Nam tot cædium & vulnerum causam hanc affert: quòd hostes tam cupidè ad vallum accedebant: ita conferti ac stipati erant, vt nullum frustrà telum adijceretur.

In eam erumpit.] Omnes alij, *Irrumpit.* quorum consensionem probo.

Turri adacta.] Turri Gallorum ad Romanorum vallum admota. Nam de Turri, non de flamma verbum Adigendi intelligendum est.

Turris succensa est.] Turris Gallorum ambulatoria ignibus in eam à Romanis militibus coniectis succensa est.

Illum veruto transfixum.] Noster, Stephan. & Romanus, pro hoc versu scriptum habent: Illic verò occursat ocyùs gladio, comminusque rem gerit Varenus. Ego non dubito vtrunque retinendum: & post verbum *Arbitrantur* hæc subiungenda.

Vtrunq; versauit.] Sic Steph. & Ald. & alij complures, Nonnulli *Seruauit*, quod abiudico.

Vnus inter Neruios.] Steph. & Ald. *Intus*, quod sine dubio rectum est.

Cuidam ex equitibus Gallis.] Dio lib. 40. locum hunc obseruans, notat Cæsarem non putasse hoc negotium Verticonis seruo committendum, ne patriæ charitate adductus, magnum Romanis detrimentum afferret. & obsessorum calamitatem & pericula exponere potuisset. Sed tamen hunc equitem Gallum fuisse, Cæsar testatur. An pro Dione respondendum est, hunc alterius Ciuitatis fuisse, non Neruium? Ego non hanc causam Cæsari fuisse crederem: nam eundem quoque Neruium seruum remisit, vt paulò pòst intelligetur. Sed quò tutior res esset, duos Cæsar mittendos putauit.

CAP. XII.

GRæcis literis.] Hoc idem totidem verbis Dio commemorat. Docet hic locus, quàm absurdum sit, existimare, Gallos Græca lingua vulgò vsos esse. Sed tamen negare nonnullos literarum studio deditos, eius linguæ peritos fuisse, æquè absurdum est. Idem Dio & Suetonius scribunt, alijs in negotijs cum per notas scripsisse, ita structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset. quæ, si quis inuestigare vellet, quartam Elementorum literam, id est, D. pro A. permutaret.

Periculum veritus.] Tela Romanorum veritus. Itaq; quasi vnus ex hostibus cominùs pugnans tragulam adiecit: vt Dio scribit. sed non dedita opera turri infixit: vt idem affirmat. Nam casu id factum Cæsar testatur.

In conuentu militum recitat.] Obseruandum arbitror verbum *Conuentu.* non enim dixit, In concione: quia Græci non omnes milites intelligebant. Sed aliquam multis familiaribus, & Græcæ linguę peritis coactis, qui deinceps cæteris exponerent. Erat ergo Consilium, Concio, & Conuentus. Ad consilium adhibebantur, legati, tribuni, quæstores: ad concionem, omnes: ad conuentum, proximus quisque.

Fumi incendiorum.] Significat Cæsaris consuetudinem, vt quà exercitum duceret, ædificia omnia incenderet: quæ tamen hostium essent. Sic libro 8. c. 1. Nanque etiam illud vulgare incursionis signum hostium, quod incendijs ædificiorum intelligi consueuit, Cæsaris id erat interdicto sublatum.

Cum tantis copijs.] Steph. *Tantulis.* & mox, *Tum*, pro *Tamen.* quod sine dubio rectum est.

. *Si fortè timoris simulatione.*] Factum hoc Cæsaris Frontinus laudat, & Stratagematis loco numerat, lib 3. c. 17.

Trans vallem magnam & riuum.] Vox *Magnam* abest ab omnibus alijs. Ac sæpè iam dixi, consensionem librorum sine magna causa non repudiandam.

Relictum esse militem.] Omnes alij, præter Aldinum, *Reliquum.*

Illum locum relinqui.] Præclarè hunc locum Dionys. Lambinus, vir doctissimus, restituit: *Vllum* locum relinqui volebat. Steph. & Aldin. *Illorum* pro *Illum* scriptum habebant. Sed Lambini emendatio sine dubio probanda est.

Expiato incommodo.] Memorabile est, quod Suetonius scribit, Cæsarem audita clade Tituriana, barbã capillumq; summisisse: nec antè dempsisse, quàm vindicasset: quod nunc accidit.

Diutina lætitia.] Faer. codex, *Lætatio*, quod idem in Steph. reperi.

Millia passuum L.] Omnes alij, Millia passuum abesset circiter L X.

CAP. XIII.

L. Rosc. Legato.] Omnes præter Aldin. *Quæstore.* sed perspicua veritas omnium lib. consensioni præponderat. Hunc autem Legatum Cæsaris fuisse, constat ex hoc ipsò lib. c. 8.

Aliàs territando, aliàs cohortando.] Rectè sic, vt in Ald. & Steph. nostro, & Romano, cùm in vulgatis legatur *Alios.*

Recentibus officijs.] De quibus infr. lib. 6. c. 4.

Omnibus gentibus.] Notandus locus, Gallorum gentem virtute belli gentibus omnibus præcelluisse.

luisse. Sic lib. 6. c. 6. Ac fuit anteà tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent.

Exercere.] Placet Faërn. & Steph. libri scriptura: Exigere à finitimis, equos parare, exules damnatosque tota Gallia, &c.

Alterius factionis.] Nam de principatu Treuirorum eum suo socero contendens, statim se Cæsari dediderat, lib. 5. cap. 2.

Hostem iudicandum curat.] Omnes ad vnum, Hostem iudicat.

Neu quis quenque.] Legendum arbitror, Quenquam.

Armatum concilium.] Liuius libro XXI. In his (de Gallis loquitur) noua terribilisque species visa est, quòd armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt.

Liber VI.

CAP. I.

N. Pompeio.] Sic Pedian. in Milon. Senatusconsultum factum erat, vt Interrex & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro Cõsule ad vrbem erat, viderent, ne quid detrimenti Resp. caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Quid sit autem, Ad vrbem, & Asconius & ego in Verr. 2. exposuimus. Qui cum imperio erant, si quid publicè aut priuatim agere vellent, extra vrbem manebant: ingredi in vrbem ijs non licebat. Sic lib. Ciuil. 2. In se noui generis imperia constitui: vt idem ad portas vrbanis præsideat rebus, &cæt.

Consulis sacramento rogauisset.] Primùm mittebantur Conquisitores. Tum delectus habebatur. pòst Consules Sacramento rogabant: Milites Sacramento dicebant.

Ad opinionem Galliæ.] Vocem *Galliæ* non dubito ex glossa imperiti hominis sumptam esse. Nam superiùs dictum est, Opinionem à Cæsare passim dici pro auctoritate & existimatione. Itaque non *Galliæ* subscribendum fuit, sed potiùs *Populi Rom.* vt mox: Docuit quid Populi R. disciplina atque opes possent. Sed hoc nisi qui in Cæsaris libris admodum versatus fuerit, non videbit.

Cum Q. Titurio amiserat.] Mendum perspicuum. Legendum est, *Cotta & Titurius amiserant.* libro 5. cap. 9.

Tribus legionibus.] Idem infrà hoc ipso libro, capite 6.

Finitimos atque Germanos.] Vox *Atque* non est in Faërni & Stephan. libris, & meo iudicio delenda est.

Nonnullis Ciuitatibus.] Apparet esse mendum. Itaque fuêre, qui *Ciuitates* corrigerent. quod non displiceret, nisi viderem Cæsarem de vna tantùm Treuirorum Ciuitate verba fecisse. Veteris igitur codicis auctoritas expectanda est: Si quis fortè scriptum haberet *Societatem*. quod huic loco aptissimè conueniret.

Obsidibus de pecunia cauent.] Consentiunt noster, Stepha. Aldin. & Romanus, quos probo. Nam de pecunia, in bello, obsidibus cauebant: in pace, prædibus. Indeque natum prædum dandorum initium arbitror. alij vulgati, Obsidibus & pecunia.

Nondum hyeme confecta.] Sic inf. lib. 7. Iam propè hyeme confecta, &c.

Ab hoc concilio abfuisse existimabantur.] Nonnulli, Ab hoc concilio eximebantur. quod non placet. Legendum puto *Consilio*, per s. vt non concilium à Cæsare indictum significet: sed consilium pro coniuratione & conspiratione dixerit: vt alibi persæpè. vt mox: Acco qui princeps eius consilij fuerat.

Pro suggestu.] Pro tribunali. Liuius lib. 31. Excelso in suggestu superba iura reddẽtem stipatum lictoribus vident.

Æstiuum tempus instantis belli.] Puto legendum, *Instans.* neque obscuram coniecturæ causam esse arbitror.

Ex eo quod metuerat odio.] Sic Aldinus. Faërnus autem, Quod in eum erat: ex ingenio: vt significat Vrsin. Steph. Meruerat. quod etiam in quibusdam impressis video. Et rectè. Cauarinus hic, Rex quondam Senonum, regno & domo à suis expulsus fuerat. Hunc Cæsar restituerat, libro 5. cap. nono. Cæsar igitur aut ipsius in Senones iracundiam, aut iustum Senonum in illum odium pertimescebat.

Germanos in amicitiam.] Sic Steph. & Ald. & alij. Ego *Germanis*, casu tertio non dubito quin sit corrigendum.

Cum Transrhenanis congredi.] Secum Germanis, qui auxilio Treuiris veniebant, coniungere.

His confirmatis rebus.] *Constitutis*, sexcentis locis dixit. sed hoc tum vsurpat, cùm aliqua pollicitatio facta est. vt Ciuil. 1. Quibus confirmatis rebus, se statim signa translaturos confirmant.

Custodiis loco.] Obseruatoris, speculatoris.

CAP. II.

AB eis millibus passuum XV.] Duæ illæ voces, *Ab eis*, absunt à nostro, & Aldino, & Stephanico, & Romano. Et rectè absunt. quamuis nonnulli restituerint, A militibus.

Cum XXV.] Locus hic demonstrat, per id tempus decem in legione cohortes fuisse.

Bacenis.] Pars Herciniæ syluæ: quam nunc Nigram Germani appellant: Der Schwartzwald/ à Nechari amne ad Mœnum.

Habebat in animo.] Frontinus lib. Stratag. 2. factũ hoc Labieni commemorat. T. Labienus, inquit, C. Cæsaris legatus aduersus Gallos ante aduẽtum Germanorum, quos auxilio his venturos sciebat, confligere cupiens, diffidentiam simulauit, positisq; in diuersa ripa castris, profectionem edixit in posterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen, quod medium erat, instituerunt transmittere. Labienus circumacto exercitu inter ipsas superandi Amnis difficultates eos cæcidit.

Nonnullos Gallos.] Sic Stephan. & multi impressi. Rectiùs Aldinus, Nonnullos Gallicis rebus.

Primisque ordinibus.] Mirum est, neque, vt opinor, probabile, totos ordines euocatos. Itaque alibi persæpè, primorum ordinum centuriones conuocatos scribit. Quomodo tamen restituendum sit, veterum lib. ope destitutus affirmare non audeo.

Ciuitatem recipit.] Id est, ex rebellione ac defectione recuperat.

CAP. III.

QVod auxilia.] Deest vox *Germani*: vel certè subaudienda est. nisi quia in Sueuos præcipuè proficiscebatur, potiùs ita legendū sit, Quòd auxilia contra se Sueui Treueris miserant. Sed superior magis arridet.

Dare pollicentur.] Faërnus, *Dari*. Sed ita est in lib. Stephani, & meo, & Aldino, & reliquis omnibus. neque mutandi causam video idoneam.

Sub eorum imperio.] Notetur, Cæsarem promiscuè pro eodem vsurpare: In fide, In clientela, & Sub imperio esse.

Barbaros atque imperitos.] Hoc dicit, quia cibaria sibi non prouiderant.

Ad iniquam pugnandi conditionem.] Nihil muto. sed si quis vetus Codex haberet *aliquam*, magis placeret. vt alijs multis locis: vt paulò suprà: Sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem.

Posteaquàm venerant.] *Venerint* legendum arbitror.

Ac longè introrsus.] Nonnulli *Hanc*: quod magis placet.

Cheruscos à Sueuis.] Mirum est, & contra Cæsaris consuetudinem, de Cheruscis mentionem hic fieri, quasi de potentissimis populis: vt pote namque tamen vllam eorum vel minimam descriptionem vllo loco adhiberi. De hac autem Cheruscorum & Sueuorum vicinitate, Tacitus lib. Annal. 2.

CAP. IIII.

CIuitatibus atque pagis.] Ciuitates dicit Respublicas, quæ vel liberæ & sui iuris erant: vt Bellouacorum, Venetorum: vel in alterius potentioris fide & clientela: vt Biturigum, Senonum, qui Aeduorum fidem sequebantur. Pagos verò earum Rerump. fines, siue territoria.

Factiones sunt.] Hic notetur memorabilis illa vox Cornelij Taciti in Agric. vita: Non aliud aduersus validissimas gentes pro nobis vtilius, quàm quòd in commune non consulunt: sed per Principes factionibus & studijs trahuntur. Ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur. Itaque cùm diuturnis ciuilibus bellis Galli inter se conflictati essent, Cæsar hanc occupandæ Galliæ occasionem sumpsit. Sic transitum in Germaniam, bella Vbiorum, Vsipetum, Tenchtherorum, & Sueuorum ciuilia eidem præbuerunt: vt lib. 4. & lib. 5. dictum est. Transitum in Britanniam, Cassiuellauni & Trinobantum contentiones. Et has easdem artes posteà, qui Magnæ bestiæ simulachrum appellarus est, studiosè retinuit.

Singulis domibus.] Hoc à me non intelligi, ingenuè fateor: si quis interpretetur, singulas ciuitates ac familias duas in partes diuisas fuisse: vt alteri Aeduis, alteri Sequanis fauerent. Nam hic parricidarum culeus potiùs, quàm partis. quietum domicilium fuisset. Locum igitur sic interpretor: vt cùm in Gallia duæ factiones essent, nullæ ciuitates, nullæque domus non alterutri parti studerēt: nullæ verò (vt vulgò loquimur) neutræ essent. Atque hunc eundem morbum in Italia grassatum, cùm alij Guelphi, alij Gibellini dicerentur, nemo est qui nesciat.

Principes.] Aedui, aut Sequani.

Contra potentiorem.] Non dicit contra Aeduos, aut Sequanos: quorum erat summa potestas. sed contra Principem, aut ciuitatem: superiorem ea, quæ afficeretur iniuria, inferiorem autem Aeduis aut Sequanis.

Omnes ciuitates,] Non dicit, singulæ. sed omnes, cunctæ, vniuersæ: vt ex tota Gallia bipartita diuisio fiat, non ex singulis ciuitatibus aut domibus. quasi diceret, omnes Galliæ totius ciuitates, si genus vniuersum spectemus, duas in partes diuisæ sunt.

Alterius Sequani.] Aruernos superiùs posuit: lib. 1. c. 12. alijsque locis scribit, Sequanos in Aruernorū fide & clientela fuisse. Sed quòd Sequani suis sumptibus bellum illud proximum gesserant, suaque pecunia Germanos conduxerant, & eorum auxilijs Aeduos vicerant, ita loquitur.

Diuitiacus.] Vide lib. 1. c. 12.

Commutatione rerum.] Pulsis Germanis, eorumque Rege Ariouisto.

Amplificata.] Forsan, *Amplificatū*, commodiùs legeretur. Hac autem ipsa de re vide lib. 7. capite decimo.

Adæquare intelligebant.] Steph. & Ald. Adæquare intelligebatur. quod magis placet. nam sensus est: Vulgò intelligebatur Rhemos adæquari Aeduis gratia & beneuolentia apud Cæsarem. Neque moueat, quòd mox dicet, longè principes tum Aeduos fuisse. Nam potentia & opibus & dignitate antecellebant. gratia pares erant.

Qui in aliquo sunt numero.] Sic Ald. Corrigendū: Aliquo sunt numero, vt in Steph. & Aimoini monachi libris.

Per se nihil habet.] Aimoinus, Nihil habet per se. quod sine dubio deprauatum est.

In seruitutem dicant.] Aimoinus, Addicūt, quod magis ad Iuris consuetudinem accedit.

Alterum Druydum.] Plinius libro 16. cap. vlt. Nihil habent Druydæ (ita suos appellant Magos) visco & arbore, in qua gignatur, (si modò sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra, sine vlla fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druydæ videri. Hæc Plinius. Dryadas tamen nymphas Græci dixerunt, non Druydas.

das. De eorum autem superstitione idem lib. 24. cap. 11. Nonnulli eruditi viri obseruârunt, veterem illam Gallorum consuetudinem etiamnunc multis Galliæ locis retineri, cùm anni initio clamitat, *Auguy, l'an neuf*. id est, ad viscum: annus nouus. Vnde illud Ouidij:

Ad viscum Druydæ, Druydæ clamare solebant.

De his etiam in hanc sententiam Lucanus lib. 1. ita scribit:

Et vos barbaricos ritus, moremq́ sinistrum
Sacrorum, Druydæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, & cœli numina vobis,
Aut solis nescire datum. nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Ammianus autem lib. 15. tria sapientum genera nominat, Bardos, Eubages, ac Druydas: & hos Pythagoteos numerat.

Rebus diuinis intersunt.] Arqui omnibus interesse licebat, nisi quibus sacrificijs interdictū erat. Planiùs ergo Præsunt, dixisset. quanquam nihil muto. nam & huic scripturæ liber Aimoini suffragatur, & posteriùs dicet, Sacrificijs priuatis Druydas adhiberi.

De controuersijs.] Strabo lib. 4. Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται, τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις καὶ τὰς κοινάς.

Ijdem discernunt.] Mirum est ita constanter legi in Aimoini, & Aldi, & Stephani libris. Nam Latinæ quidem linguæ consuetudo perspicuè flagitat *Decernunt*. quo modo emendandum esse non dubito.

Aut priuatus, aut populus.] Sic Steph. Ald. & Aimoin. Multi autem impressi, *Publicus*: ex Græcæ linguæ consuetudine, apud quos δημόσιος dici solet. quanquam Latinam hanc esse cōsuetudinem non memini. Fortassè populum nominat, quòd Ciuitates quoque, quæ Druydum decretis non parebant, à sacris arcerentur.

Ab ijs omnes decedunt.] Et Aimoin. & Steph. particulam *Ab*, remouent: quotum auctoritatem sequor. Plautus in Trinumm.

Decedam ego illi de via, & semita, &c.

Aditum eorum.] Sic. Aldin. At Aimoinus & Stephan. Aditum, sermonemq́; defugiunt.

His præest vnus.] Antistes, summus Pontifex. Itaq; & Romani Pontificis, & Cardinalium, & cōtentionum in creandis Pontificibus imago planissimè perspicitur.

Media habetur.[Nam in Gallia totam Prouinciam, quæ trans Rhodanum erat, non numerat: vt ab initio dictum est.

In Britannia reperta.] Plin. lib. 30. cap. 1. Britannia, inquit, hodieque Magiam attonitè celebrat, tantis ceremonijs, vt eam Persis dedisse videri possit.

Illò proficiscuntur.] Id quod argumento esse volumus, eandem Gallorum atq; Britannorum linguam fuisse. Tacitus in Agricola: In vniuersum æstimanti, Gallos vicinum solum (de Britanniæ solo loquitur) occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione. Sermo haud multùm diuersus.

Versuum.] Non iam (opinor) dicit carmina: sed ambitus orationis. qua in re vocabulum hoc vsurpari solitum, nemo ignorat.

Græcis literis.] Sic Aimoinus, & noster, vt Stephan. & Aldin. & Romanus, & omnes ad vnum quos vidi libri. Attamen remota voce Græcis, idonea & integra huic loco sententia constabit: hoc modo: In sola Druydum disciplina literis & scriptione non vtuntur. cæteris in rebus omnibus vtuntur. Deinde si in priuatis ac domesticis rationibus, & accepti expensique codicibus patresfamil. omnes Græcis literis vtebantur: quid est, quod superiùs dixit, lib. 5. c. 12. Cæsarem Græcis conscriptam literis epistolā ad Q. Ciceronem misisse, ne intercepta Epistola, sua à Gallis consilia cognoscerentur? Itaque mihi persuasum est, vocem *Græcis* adulterinam esse: & ab eo fortassè interiectam, qui apud Strabonem lib. 4. legerat, Gallos exemplo Massiliensium inductos, præceptores inde suę iuuentuti sumpsisse, & adeò φιλέλληνας fuisse, vt etiam pactiones & contractus Græcè scriberent. Sed Strabo præcisè de Massiliensi vicinia tantùm id commemorat. deinde sua demùm memoria id fieri instituisse. Plura autem hac de re scripsimus in Francogallia, capite secundo.

Non interire animas.] Vnde ille festiuus mos Gallorum, pecunias mutuò accipiendi, quæ apud inferos reddantur: vt scribit Valerius lib. 2. cap. primo.

Ea literis mandare.] Ergo disciplinæ mysteria scriptionis abstinentia occultabant. At Pomponius Mela eam occultationem imperitè, meo iudicio, ad locum retulit. Docent, inquit, clam & diu vicenis annis in specu, aut in abditis saltibus.

Memoriam remittant.] Hoc idem Plato, tum in Phædro, tum in Timæo. Quintil. libro 11. Quanquam, inquit, inuenio apud Platonem, obstare memoriæ vsum literarū, videlicet, quòd illa, quæ scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, & ipsa securitate dimittimus.

De syderibus, atque eorum motu.] Vbi sunt inepti, qui dixerunt, Plinium scripsisse, Gallos astrologiæ studiosos non fuisse? propterea quod lib. 18. ca. 25. his verbis vtitur: Africam, Hispaniam, Galliam sileri, non erit mirum. nemo enim obseruauit in ijs, qui syderum proderet exortus. Quasi verò Plinius non meminisset, quod Cæsar mox subiungit, Gallos nihil eorum, quæ de hisce rebus tradebant, literis mandâsse.

Alterum genus est equitum.] An igitur pedites nullo numero habebantur? quod ex superiore diuisione sequi videtur.

Ambactos.] Festus sic, Ambactus apud Ennium lingua Gallica seruus dicitur.

Natio est omnium.] Sic omnes quos vidi. Faërnus testatur in suo scriptum, *Omnis*. quod magis placet.

Homines immolant.] Idem Cicero pro Fonteio. Sueton. in Claudio. Pomp. Mela. Pliuius lib. 30. c. 1. Eusebius autem lib. 4. de præp. Euang. ca. 17. do-

cet, hanc innumerarum gentiũ, & præsertim Occidentalium consuetudinem fuisse. Pater autem huius doctrinæ initia ex Iudæorum religionibus, & Propherarum præceptis esse nata: qui de Christi sacrificio multa prædicere solebant. Sed hanc doctrinam Saranæ præstigijs apud Gallos stultissimè corruptam fuisse. Quid enim nocentis supplicium ad alterius æquè noxij absolutionem pertinet? An duobus capris & damnatis latronibus, alter alterius supplicio liberabitur? Innocentẽ eum igitur fuisse oportet, qui pro nocentibus & maleficis pœnas lueret.

Simulachra.] Strab. lib. 4. καὶ κατασκευάσαντες κολοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλων ἐμβάλοντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία, καὶ ἀνθρώπους ὁλοκαυτοῦσι.

Numero nocentium.] Hoc idem Tacitus Germanis attribuit. Nec dierum, inquit, numerũ, vt nos, sed noctium computant. sic constituunt. sic condicunt. nox ducere diem videtur.

Imperium cælestium.] Aimoinus, Cœleste. Martem bella gerere. quod posterius in multis impressis seruatum est. Meliùs Aldinus, Steph. & alij, Bella regere.

Aut posita.] In templo, aut consecrato loco.

Publico conspectu.] Sic legendum, vt est apud Aimoin. Filiumq; puerili ætate in publico in conspectu.

Tantas ex suis bonis.] Hæc videtur Antidos fuisse, quam Iustinianus in Ius ciuile induxit, & Græco nomine ἀντίφερνον appellauit. cuius tamen institutum propterea videtur absurdum fuisse, quia dos datur propter onera matrimonij. Turpe est autem dicere, maritum vxori esse oneri, aut vxorem onera matrimonij sustinere. Sed hæc ab historiæ interpretatione aliena sunt. Nam etiam Tacitus scribit, in moribus Germanorum fuisse, vt non mulieres viris, sed contrà viri mulieribus dotes darent. Quam etiam veterum nostræ Religionis Patriarcharum consuetudinem fuisse, patet ex libro, qui de Rerum originibus inscriptus est.

Pecuniæ coniunctim.] Placet Aimoini lectio, Coniunctim pecuniæ.

Ad eum pars vtriusque.] Nimirùm eo casu, quo liberi ex eo matrimonio nulli extarent. alioqui iniquissima esset conditio.

Iustis funeribus.] Sic Aimoinus. Steph. Aldin. & cæteri omnes. Ego iampridem *Funeribus* delẽdum putaui: cùm Iusta pro funeribus veteres vsurpârũt: quæ Græci τὰ νομιζόμενα dicebant, vt in Comm. verb. iur. docuimus. Ac iam hoc idem Vrsino placuisse video.

Vnà cremabantur.] Non tamen, vt opinor, viui. Priùs ergo sacrificabantur.

Suam Remp.] Nam (vt Strabo scribit) ἀριστοκρατικαὶ δ' ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν.

Legibus sancitum.] Aimoin. *Scriptum.* quod abiudico.

Per concilium.] Sic Aimoin. Steph. & Aldinus. *Per concilium* tamen *licere*, idem valere videbatur, quod Auctore concilio, vel Senatu. cùm hîc, opinor, perspicuè vsurpetur pro *In concilio.* Consulendos tamen plures veteres codices putarem, si quis scriptum haberet, *Pro concilio*: vt paulò suprà, *Pro suggestu.* id est, in concilio, in suggestu: & apud Sallust. Iugurth. Sed, vti pro concilio imperatum erat, Elephanti tradũtur. nisi fortè *Per concilia* scriptum dicamus, pro, In concilijs.

CAP. V.

GErmani.] Hoc quoq; caput in Aimoini libro descriptum est, sed multis locis vitiosè.

In studijs rei militaris.] Seneca lib. de Ira, Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius, quibus innascuntur, innutriunturq;, quorum vna illis cura est, in alia negligentibus.

Impuberes permanserunt.] Sic Tacitus in libro de morib. German. Sera iuuenum Venus, eoque inexhausta pubertas. Quasi non antè pubertas existat, quàm habita fœminæ notitia. Alioqui existimâsset aliquis, Impuberes honesto nomine à Cæsare appellatos, qui fœminæ notitiam nondum habuerunt. nam illa temperantia, statura, & vires aluntur, non lanuginis vacuitate. Mela autem locum sic exscripsit, Maximo frigore nudi agunt, antequàm puberes sint: & longissima apud eos pueritia est. Hanc autem nuditatem etiamnunc in Americis gentibus conspicari licet. ac superiùs Cæsar initio libri quarti eandem in Sueuis commemorat.

Rhenonum.] Stephan. *Rhenorum.* Aimoin. *Rhenonum.* vbi de suo ascripsit: Est id animalis nomen. Eaque opinio in vulgus recepta est. Quale tamen illud animal sit, nemo, quod sciam, explicat. Verùm vt animal fuerit, tamen non Tegumentis Cæsar dixisset: sed Pellibus Rhenonum, pro tegumẽto. deinde, an feræ ignotæ nomen sine interpretatione aliqua posuisset? Ego *Renum* restituendum esse iampridẽ existimâram. sed affirmare sine doctioris alicuius auctoritate non audebam. Vbi autem meam hanc opinionem Th. B. clarissimo viro probari animaduerti, cuius sincerum ac subtile iudicium omnes docti admirantur, in ea permanendum existimaui. præsertim his Corne. Taciti verbis confirmatus, in libro de Moribus German. Tegumen, omnibus sagum, fibula consertum. Cætera intecti totos dies iuxta focum atq; ignes agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sed singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles. Sed & Seneca lib. de Ira: Quid, inquit, Germanis induratius ad omnem patientiam, vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouisa sunt: non suffugia aduersus perpetuum cœli rigorem? Item libro Epist. 14. epistola 90. Num hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis sunt?

Agriculturæ non student.] Eadem ferè omnia de Sueuis superiùs dixit. vt facilè intelligatur, maximam Germaniæ partem eo nomine appellari. Quare cùm illo loco scribat, rei militaris studio

agricul

agriculturam non deseri, crederem hoc loco vocem Omnes, desiderari. vt sit: Agriculturæ non omnes studẽt. Idq; eò magis, quòd paulò infrà sic loquitur: Quod, vt suprà demonstrauimus, minimè omnes Germani agriculturæ student.

Agri modum.] Idem lib. 4.

Aliò transire.] Extra suos fines, bellandi causa.

Aequari posse videat.] Verbum *Posse* delendum est, auctoribus libris Aldi, Stephani, & Aimoini: tametsi apud hunc multa sint, quæ adhibito iudicio repudianda sunt. Et nunc idem Manutio probatum video.

Quàm latissimis.] Noster, & Stephan. & Aimoin. & Rom. *Quàm latissimè.* quod valde placet. Sic enim lib. 4. cap. 1. maximam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros.

Propè se audere.] Idem liber, *Propè audere.* quod fortiran æquè probandum est.

Pecuniæ cupiditas.] At non tam ex pecuniæ, vt opinor, quàm ex honoris & imperij cupiditate factiones dissensionesq; nascuntur. Itaque videndum ecquis liber inueniri possit, in quo *Potentiæ* scriptum sit.

Controuersias minuunt.] Minuere controuersias, tollere & disceptare: vt dictum est. lib. 5. cap. 8. Et hoc idem scribit Tacitus de morib. German. Eliguntur, inquit, Principes, qui iura per pagos vicósque reddant.

Atque extra fines.] Mendum operarum hoc puto. Nam pro *Atque* reponendum *Quæ*, vt in alijs omnibus.

Qui sequi velint profiteantur.] Verba sunt formulę.

Fides abrogatur.] Alij omnes *Derogatur.*

Germanos Galli superarent.] Tacitus de moribus German. Validiores, inquit, olim Gallorum res fuisse, summus auctorum diuus Iulius tradit. eoq; credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quò minùs quæq; gens eualuerat, occuparet, permutaretq; sedes promiscuas adhuc & nulla regnorum potentia diuersas. Idem in Vita Agric. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus. mox segnitia cum ocio intrauit, amissa pariter virtute ac libertate. Sed diligenter notandum est, non generaliter de Gallis omnibus Cæsarem hæc scripsisse, sed propriè de ijs, qui proximè Rhenum incolunt, id est, de Belgis.

Agri inopiam.] Hoc vix Cæsar cuiquam, qui vtcunque naturam regionis nôrit, persuaserit. Et satis multis alijs de causis bella suscipiuntur. Liuius tamen libro 5. in hanc sententiam scribit, Ambigatum, Biturigum Regem Sigonesum sororis filium in saltus Hercinios misisse: cùm exonerare prægrauante turba regnum cuperet: quòd ea gens populis abundabat.

Vulgò Tectosages.] Sic Aldin. & Stephan. & alij quàmplurimi. Aimoin. *Persolgæ.* Faërnus & Vrsinus, *Volscæ*: vt in plerisq; impressis. quod sine dubio rectum est.

Nunc quod.] Locus hic ex Aimoini & Step. libris ita corrigendus est: Nuncq; in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent.

Gallos autem propinquitas.] Perspicuum est aliquid deesse. quin etiã in Aim. & Steph. & Romano legitur: Gallis autem prouinciarum propinquitas. Ammianus autem locum hunc Cæsaris libro 15. exscribens, ad Aquitanos hæc refert: Aquitani, inquit, ad quorum littora, vt proxima, placidaq; merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis, facilè in ditionẽ venêre Romanam. Itaq; locum hunc restituendum sic putarem: Galli autem quibus prouinciæ propinquitas, &c. Nam etiam vocem Prouinciæ in quibusdam impressis restitutam videmus.

Nemetum & Rauracorum.] Beat. Rhenanus, docuit legendum esse, *Venetum, & Tauracorũ*, qui sunt Rhetiæ populi, quorum hi nunc *Trugei* vocantur, hi ad lacum *Collensem* accolunt. Pomp. Mela: Rhenus ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit, Venetum & Acromum.

Aut audisse, aut adisse.] Mendũ perspicuum. nam Audisse & Accepisse, idem sunt. Itaq; Faërnus ex ingenio restituebat, Qui se aut adisse ad initium. quod magis probo. nisi fortè rectiùs sic videretur: Qui se aut vidisse initium, &c. Posteà tamen adijt & vidit Iulianus Imp. vt Suidas testatur, apud quẽ hæc illius verba proferuntur: πρὸς τὴν ἐρωμένην ἐλθὼν ἰδεῖν. καὶ ὅτ' ἦλθον ἐγὼ χεῖμα ἐξαίσιον, ἰδοὺ γὰρ ... θαρρῶν ἐγὼ ἐγγνώμην μέν σοι δέομαι τοῦτον, μὴ δ' ὅσα πότε γ' ἡμεῖς ἴσμεν ἐν τῷ ῥωμαίων. ἀλλ' εἴτε τὰ θεσσαλικὰ τέμπη δύσβατα νομίζει τις, εἴτε τὰ ἐν θερμοπύλαις, εἴτε τὸν μέγαν καὶ δολιχὸν ταῦρον, ἐλάχιστον ἔστω χαλεπώτατον ὄντα πρὸς τὸν ἐρυμνὸν τούτων.

Differant ab cæteris.] Ab alijs, lib. Aimoin. quod magis placet. Atque apud eundem alia nonnulla sunt à nostra lectione differentia. sed iudicium & delectum adhibuimus.

Est bos cerui figura.] Puto legendum *Bisons.* Primùm, quia probabile est Cæsarẽ æquè huius belluæ, vt cæterarum, nomen prodidisse. Deinde quoniam absurdum videretur, ita scribere: Est bos cerui figura. Cur enim potiùs bos, quàm Ceruus appelletur? præsertim tantis & tam erectis cornibus. Prætereà Plinius, & Solinus Bisontes huic eidem Hercyniæ syluæ attribuunt. At enim descriptiones huius Cæsarianæ non conueniunt. Primùm, si decem Plinijs, & totidem Solinis vnius Cæsaris auctoritatem anteponam, iniuriam me illis facturum non putabo. Fuit enim in Germania Cæsar & bis Rhenum transmisit. Vbios, & Vsipetes, & Tenchtheros sibi fœderatos habuit. nec dubium est, has illi belluas ab illis demõstratas fuisse: quæ etsi hoc tempore ijs fortasse in locis non reperiantur, tamen intelligendum est, eas propter incolarum multitudinem, & crebras venationes in remotiores partes difugisse. Postremò in Bisontis descriptione, neq; veteres, Plinius, Solinus, Pausanias, neq; recentes, Munsterus, Gesnerus, Olaus, Sigismundus, inter se conueniunt. Itaq; Bisontis figuram ad Cæsaris exemplar exprimendã curauimus. Albertus quidem Magnus lib. hist. animal. 2. Alcis nomen (quem Equiceruum nominat) huic Cæsarianæ figuræ apertè attribuit. Equiceruus, inquit, nobis cognitus, equo similis est: sed altior: vulgò *Elent*, & ad equitandi vsum eicuratur: tantundem enim vno die spacij, quantum equus

triduò perficit. Cornua eius solida, & ramosa sunt: colore quo cerui. Ab initio vbi enascuntur, ad tres, vel quatuor digitos rotunda sunt: deinceps lata & tenuia, asseris instar, & circa finem multos producunt ramos. facit hæc latitudo, vt scabellis idonea sint. pondus cornuum ingens. magnus horum animalium numerus est in syluis Prussiæ, Vngariæ, & Illyriæ. Maiora sunt ceruis, & hirsutiora, simili tamen pilo. in cæteris cauda solùm ceruis similia. Frontis latitudo ad duas palmas. Hæc Albertus de Equiceruo, quem Bisontē hunc Cæsarianum esse, nemo non videt. Itaque figuram ad illa præcepta superiùs positam accommodauimus.

Sicut palmæ ramiq́.] Vel *Quæ* particula delenda est, vel Faërni liber probandus, in quo scriptum est *Quàm latè.*

Mariśq́ natura.] De Bisontis natura Pausanias libro 10.

Appellantur Alces.] At huic Cæsaris descriptioni Plinius, & Solinus non Alces, sed Machlis nomen attribuunt. Pausanias autem lib. 9. alteri diuersissimæ belluæ Alces nomen imponit: quæ media inter ceruum & camelum specie, neq; inuestigari, neq; præuideri potest. Eadem recentiorum omnium discrepantia est. quorundam etiam ridicula & absurda. Itaq; huius vnius nostri auctoritatem & exemplar secuti, Alcem ea figura, quam superiùs posuimus, exprimendam curauimus.

Paulum modò attlinatæ.] Stephan. & Aldinus Reclinatæ. & paulò pòst, Cùm se consuetudine acclinauerint, &c. Et hoc Manutius secutus est.

Vri appellantur.] In huius descriptione Solinus conuenit. Figuram quoque ad Cæsaris exemplar aptissimā Sigismundus Liber ex Moscouitis protulit: quam superiùs posuimus. Nam vsum quoq; cornuum in poculis commemorat. Macrob. lib. Saturn. 6. cap. 4. Vri, inquit, Gallica vox est, qua feri boues significantur. Seruius autem Georg 2. in illud Virgil. Syluestres vri, &c. Sunt, inquit, boues agrestes, qui in Pirenæo monte nascuntur: exceptis elephantis, maiores animalibus cæteris. dicti Vri ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, à montibus.

CAP. VI.

EOrum auxilia tardaret.] Auxilia quæ ab ijs Galli expectabant.

Ad bellum Ambiorigis profectus.] Assentior Faërno, vt verbum Profectus tollatur, neq; enim tum Cæsar profectus est: vt modò testatur.

Atque etiam imparatum.] Vox *Etiam* tollenda est, auctoribus libris Faërni & Stephani.

Sed hoc quoque factum est.] Sic Ald. Stepha. & alij quamplurimi. Nonnulli, Sed hoc cō factum est. quod valde arridet.

In suas copias.] Meliùs Faërni & Stephan. libri, Ambiotix copias suas iudicióve non conduxerit, &c.

Aestus efficere.] Idem Plinius libro secundo, capite 85.

Taxo exanimauit.] Plin. lib. 16. cap. 11. Et qui eam regionem incolunt, affirmant etiam nunc inter Hoium & Namurcam magnam taxorum copiam reperiri.

Ad Vatucam.] Steph. *Ratucam.* Faërn. *Atuatucam.* Hubertus Thomas in lib. quem de Tungris & Eburonibus inscripsit, *Varucam* restituit. Est, inquit, Varuca etiamnunc eius nominis castellum, haud ampliùs, medio milliari Germanico, ab vrbe Leodio distans, in medijs Eburonum finibus, in summa planitie. Addit etiam se Varucam in antiquo Cæsaris libro reperisse. Item alio loco scribit Lamberto Pascali cuidam placere *Ratucam* legi, vt est in lib. Steph. atq; esse oppidulū Rodt, vel Hertzos Rodt: quod est inter Aquisgranum & Iuliacum. Huiusmodi eruditorum hominum contentiones ab horum nominum & locorum inuestigatione nos deterruerunt.

Titurius.] Cladem significat, de qua scripsit suprà lib. 5. cap. 8.

Ex his tribus.] Suprà huius ipsius lib. initio.

Aut locus syluestris, aut palus impedita.] Faërni lib. Aut locis syluestribus palus impedita. quod magnoperè arridet. nam sine sylua palus, non multum præsidij attulisset. Et crebrò Cæsar ita loquitur, Syluestribus locis: aut Syluestribus ac remotis locis.

Ad flumen Scaldem.] Idem Hubertus in libello de Eburonibus reponit *Sabin.* Non enim, inquit, Ascaldis in Mosam influit, sed Sabis iuxta Namurram, & in finibus Atduennæ percurrit. At Suetonius in Germania eum collocat. Obsessione castrorum, inquit, in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos.

Vbicunque.] Sic Aldus. magis tamen vsitata & Stephanica placent, Vbicunq;.

Dispersit periculum.] Videtur deesse verbum Hostibus. vt sit, Dispersis hostibus. sicut initio capitis insequentis, Dissipatis ac perterritis hostibus, vt demonstrauimus. Nam vniuersis in dandi casu positum, & de Cæsarianis dictum videtur: vt & ad summam exercitus referatur, & cum voce Singulis ex aduerso conferatur. vt apud Tacitum in Agric. Ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur.

Nam & prædæ.] Refertur ad militum conseruationem.

Interfici vellet.] Vox, Cæsar, aut abest, aut duriùs subaudienda est.

Præsidio barbaris.] Propter syluarum densitatem & iniquitatem locorum.

Quàm legionariorum vita.] Sic Aldinus. meliùs Faërni & Stephan. Quàm legionarius miles.

Pro tali facinore.] Et huic quoq; loco medicinā ex aliquo vetusto codice deberi, quiuis in Cæsarianis scriptis exercitatus facilè animaduertit.

CAP. VII.

TRansseuntes Rhenum.] Transeūt, aliquantò rectiùs videretur: & ita esse video in lib. Steph.

Infra eum locum.] Versus mare. vel propius à mari. nam ex Gueldria transmittunt. pons imperfectus erat proximè Coloniam.

Ab op-

Ab oppugnatione desistunt.] Particula *Ab* deest in omnibus antiquis. vt infrà lib. 7. Vercingetorix, vbi de Cæsaris aduentu cognouit, oppugnatione desistit.

Sub vexillo.] Adr. Turneb. vir doctiss. lib. 3. ca. 3. & lib. 4. cap. 11. scribit, Vexillum fuisse propriũ Veteranorum, & eorum, qui post annum XVI. exauctorabantur. Nam Veterani dicebantur, qui annos XX. stipendia fecerant. Milites, inquit, confectis stipendijs exauctorata legione sub vexillis habebantur, dum præmia emerita acciperent, aut in agros deducerentur. Tacitus enim lib. 1. ita scribit: Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retinendi sub vexillo: cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis. Sed videamus, ne locus Taciti ad imperiũ Tiberij & illorum temporũ rationem sit restringendus. Nam etsi alia essent Signa, alia Vexilla, tamen in singulis cẽturijs singula vexilla fuisse, Vegetius auctor est: quibus cohortis & centuriæ numerus literis designabatur. Itaque Liuius scribit, Ordinem sexagenos milites, duos cẽturiones, vexillarium vnũ habuisse. Deniq; Sub vexillo cùm dicebant, idem, opinor, significabant, quod nunc Signis explicatis. Liuius lib. 26. Milites sub vexillis in supplementũ Hispaniæ profectos audiuit. Sueton. Augusto: Eosq; seruos adhuc viris fœminisq; perniciosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit. Tacitus libro 1. Vt denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur. Et quanquam aliud erat Signum, aliud Vexillũ, aliud Aquila, tamen æquè Sub signis dicebant, vt Sub vexillo. vtriusq; testimonia proferam. Sueton. Nerone: Cuculi residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria atque vexilla. Item in Vitellio: Vrbem introijt ferro succinctus inter signa, atque vexilla. Tacitus libro tertio, Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa è legionibus alijs vexilla, mox duodecim alarum signa. Etsi ergo Signum generis nomen est, tamen interdum propriè & speciatim vsurpatur: veluti pro draconibus. Hinc Sub signis duci, & Sub signis militare. Liuius de bell. Pun. Nocte ad Hipponem cùm accessisset, luce prima ad populandum agrum sub signis milites, sociosq; nauales duxit. Item: Et nostra iuuentus, quæ, si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Item libro 23. Annibali sub signis ad multum diei in acie stanti. Signum autem etiam pro vexillo generali nomine vsurpari, vel ille locus, qui apud hunc nostrum paulò pòst sequitur, argumento est. Nam cùm de militibus istis qui sub vexillo profecti erãt, loquatur, tamen ita subiungit, Barbari signa procul conspicati, oppugnatione desistunt. Paucis autem versibus intermissis, & tyrones & veteres milites simul sub vexillo profectos ostendit. Hoc, inquit, veteres non probant milites, quos sub vexillo vnà profectos docuimus.

Quibus iam licet esse fortunatissimis.] Sic legendum. nam in quibusdam *Libet*, mendosè scriptum est.

Sub vallo tenderent.] Sic Liuius lib. 10. Edictoq; vt quicunq; ad vallum tenderet, pro hoste haberetur. Et eadem loquendi forma etiam nunc apud Gallos manet. Absurdè autem in Romano & Aldino legitur, Sub valle.

Nouas religiones.] Quasi locus ille populo R. fatalis atq; exitiosus esset.

Ne murus quidem cingi.] Video esse qui reponant Numerus, aut nescio quæ alia. Sed sensus est, Tantam esse paucitatem militũ, vt in defensione castrorum ne murũ quidem ac vallũ cingere possint.

P. Sextius Baculus.] Iam sæpe dictum est, Bibaculus restituendum esse. Quinetiam illud quod mox sequitur mihi suspectum est: Cuius mentionem superioribus prælijs fecimus. Bis mentionem eius fecit, prælio Neruico, lib. 2. cap. 7. & Sedunico, lib. 3. cap. 1. Posteà multa prælia facta, & in his libris connumerata sunt. Itaque si quis vetus Codex adiuuaret, crederem Cæsarem scripsisse: Superioribus libris: vel, Commentarijs. vt infrà lib. 8. Nam in acie sedere Gallos consuêsse, superioribus commentarijs declaratum est.

Deficiens ægrè per manus seruatur.] Vox Deficiens, glossa est eius, quod superiùs dixit, Relinquit animus Sextium. Itaque rectè abest à nostro antiquo, itemq; à Faërni & Vrsini libris. Dixit autem *Per manus*, vt & alijs locis, quod alij Inter manus. Cicero Verrina 7. Itaque erant exitus eiusmodi, vt alius inter manus è prælio auferretur. Liuius libro 3. Cecidisse semianimem: inter manus domum allatum.

Qui non rei nouitate.] Stephan. Faërn. Quin rei. quod placet.

CAP. VIII.

Fidem non haberent.] Steph. & Vrsin. Fidem non facerent. quod magis placet.

Cæsaris aduentus.] Memorabile est quod Suetonius scribit, eum habitu Gallico, vt ad Ciceronem properaret, per stationes hostium iter fecisse.

Ne minimo quidem casu.] Sic omnes quos vidi. Vrsin. testatur in suo & Vaticano scriptum esse, *Casui.* quod longè rectius est: nisi fortè meliùs ita esset: Ne minimo quidem ausu locum relinqui debuisse. Id est, castris egredi, ne ob minimum quidem factum audacius, oportuisse. vt mox lib. 7. cap. 1. Quod neque legiones absente Imperatore audeant ex hybernis egredi. Et Ausu ac ductu alicuius aliquid fieri, video Latinè dici ab Hircio in lib. de bel. Alex. Sed illa superior mihi ꝓbabilior videtur.

In fuga circũspicerent captiui.] Ita est in Steph. Ald. & alijs quàmplurimis. vitiosè. nam verbũ *Circumspicerent* omnino delendum est. quod etiam video in quibusdam Lugdunensibus obseruatum.

Durocortum Rhemorum.] Steph. Durocortorum. quod idem Vrsin. in Vaticano & suo esse testatur. Strab. lib. 4. ἐξεπονήσαντο δ' οὗτοι ἔθνος τοῦτο, ῥώμην, καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν Δουρικόρτορα.

Si qui se occultassent.] Ex barbaris.

Deducto.] Reducto à Cæsare.

More maiorum supplicium.] Vt verberibus exanimatum

animatum corpus securi feriretur. quod in Guturnato posteà factum est. lib. 8. cap. 6.

Aqua & igni.] Non igitur aquæ & ignis interdictio semper in damnatorum gratiam exercetur: tametsi ciuibus quidem R. ex lege Porcia semper fauorabilem fuisse, patet ex Ora. Cæsaris apud Salust. & Ciceronis pro Cæcinna.

Ad conuentus.] Dictum est in fine lib. 1.

Liber VII.

CAP. I.

AD conuentus peragendos.] Sic Vrsinus. At Stepha. Ald. & alij complures: Ad conuentus agendos. quod placet. vt modò in superiori, & alijs multis locis.

Senatusconsulto.] Pædianus in arg. Milonian. historiam hanc explicat. vbi scribit, tantùm in vrbe tumultum propter Clodij cædem, & Milonis factiones fuisse, vt S.C. factum sit, vt interrex, & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro Consule ad Vrbem erat, viderent, ne quid detrimenti Resp. caperet. delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Vide etiam Epit. 107.

Coniurarent.] Seruius Honoratus scribit, Coniurationem esse, cùm orto tumultu, quia singulos sacramento rogare non vacabat, qui exercitum ducturus esset, vexillum proferret, atque ita diceret: Qui Rempublicam vult saluam esse, me sequatur. Qui ad eum conuenerant, vniuersi simul iurabant.

Tota prouincia.] Gallia Cisalpina.

A maioribus acceperant.] Nam pleræq; ciuitates erant (vt Strabo scribit) ἀριστοκρατικαί.

A maioribus acceperant.] Vrsin. & Stephan. Acceperint. quod placet.

De obsidibus cauere.] Sic Ald. Mendosè. nam sine dubio *De* particula tollenda est, Stepha. & Vrsi. lib. auctoribus. Et quia, vt superiore libro notauimus, eodem modo dicimus, De pecunia obsidibus cauere: vt in pace, prædibus.

Clamore per agros.] Non multorum conclamatione, sed vnius quasi præconis. Vereor tamen ne Pagos Cæsar potiùs scripserit. vt libro 6. capite 5. Principes regionum atque pagorũ inter suos ius dicunt.

Hinc alij.] Stephan. Hanc alij. Ego Hunc, vt ad clamorem referatur.

Collatis signis.] Nam armatum habere concilium solebant. lib. 5. cap. 13.

Regnum appetebat.] Nam hac tempestate Aruerni Optimatum dominatu regebantur. Olim tamen Reges habuisse, alio loco demonstrauimus.

Expellit ex ciuitate.] Opinor non ex vrbe, sed Aruernorum finibus. Nam Ciuitatem in his libris nusquam pro vrbe oppidóue positum animaduerti. Sic infrà de Auarico: Pulcherrimam vrbem, quę ornamẽto & pręsidio sit ciuitati. Veruntamen in lib. Ciuil. 1. Ex ciuitate expelli dixit, pro Ex vrbe Roma. Vt Tribunos pl. ea re ex ciuitate expulsos ad suam dignitatem restitueret.

Certum numerum militum.] Mirum est, quod Strabo scribit lib. 4. Vercingetorigem hoc bello quadringenta hominum millia coëgisse.

Qui morati.] Et alijs locis dictum est, Cæsaris orationem sæpe ad mentem, non ad verba respicere. Alioqui legendum fuisse, *Quæ moratæ.* vel, Copias equitum peditumq;.

Secum Aruernis coniungunt.] Stephan. & Rom. Statim cum Aruernis iunguntur.

CAP. II.

VIrtute Cn. Pompeij.] Turbata cæde Clodij ciuitate, cùm seditiones inter candidatos consulatus, Hipsæum, Scipionem & Milonem, essent, qui armis ac vi cõtendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompeius à Senatu Consul III. factus est absens, & solus: quod nulli alij vnquam. Epitom. CVII.

Eo tempore vacati.] Suspectus mihi locus. Fortasse, Non satis pacati. sed sine codicis auctoritate nihil mutabo. In Romano est *Quieti.*

Volcis, Arecomicis.] Vetus *Locis.* quod absurdum est. Liuius lib. 25. Iam in Volcarum peruenerat agrum (de Annibale loquitur) gentis validæ. colunt autem circa vtranq; ripam Rhodani.

Summo militum labore.] Stephan. Sudore. quod tamen non æquè placet. Ita etiã in Romano scriptum est.

Omnibus suis inopinantibus.] Vox *Omnibus,* non est in Faërni, Vrsini, & Stephani libris: & planè superuacanea est.

Heluetico prælio victos.] Sic omnes libri. suprà tamen lib. 1. cap. 3. Omnis, inquit, ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. Et tamen lib. 3. cap. 1. Neruicum prælium dixit.

Stipendiarijs Aeduorum.] Nam etsi libertatem eorum personis reliquerat, tamen ita in fidem receperat, vt stipendium penderent. lib. 1. cap. 11.

Voluntates alienare.] Cõmodiùs videretur Alienari, in patiendi verbo.

Genabum Carnutum.] Aimoin. libro 1. cap. 5. Genabum interpretatur, vbi nunc, inquit, Aurelianis. Est tamen oppidum, Gianum vulgò dictum, cuius incolæ hoc sibi nomen vindicant: quòd iter hoc à Carnutibus ad Biturigas sit rectius: deinde, quòd eius quoddam suburbium etiã nunc vetus nomen retineat. Vitiosè autem apud Orosiũ *Cenapum* pro Genabum legitur.

Pons fluminis Ligeris contingebat.] Continebat meliùs in quibusdam impressis legitur. Cicero Ver. 6. Eorum coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disiuncta angusto, ponte rursum adiungitur & continetur.

Nouiodunum.] Non dubito esse vicum, qui hodie appellatur Neuui. neque mihi displiceret hoc loco reponi, Neuidunum. quem Aimoinus Biturigibus coniungit. Nam quod ascribit, Quam quidem Niuernas esse putant: ex itineris istius ratione falsum apparet. tametsi hoc eodem nomine alterum quoq; appellari potuerit.

Significatione Gallorum.] Nam cùm sermonem non

non intelligerent,ex significationibus, quibus inter se Galli vtebantur,coniecturam fecerunt.

Praelium equestre committit.] Sic Stephan. Magis placet Ald. Praeliumq́; equestre committi. Nondum enim Caesar pugnabat,sed peditatum continebat. Itaque modò dicet,eum Germanos equites summisisse.

Oppidum Auaricum.] Auaricum esse, quod *Burgas* lingua Gallica dicimus,illud argumento est, primùm quòd vrbis situs cum hac Caesaris descriptione aptissimè conuenit. Nam ab vna parte flumine alluitur, ab altera paludibus clauditur. Angustus autem aditus in superiore vrbis parte est, vbi Arx posita est. deinde, quòd flumen Auaronis nomen hodieq; retinet. tum, quòd Orosius hanc ipsam historiam, & Caesaris orationem exscribens, Biturigam pro Auarico posuit. quo eodem verbo Gregorius Turonensis & Aimoinus Monachus eadem in re vtuntur. postremò,quòd caeteris omnibus oppidis incensis, solum Auaricum Biturigum nomen retinuisse videtur. Itaque Ammianus libro 15. Lugdunensem,inquit, Lugdunus ornat,& Cabillones,& Senones & Biturigae. Vbi tamen legendum videtur Bituriges, Antonius quoque in Itinerario Beturicum, vel potiùs Biturieum in Aquitania prima numerat.

Ciuitatem Biturigum.] Ridiculè Bituriges nonnulli hoc tempore Ciuitatem hoc loco poni putant,pro vrbe: cùm,vt alijs locis omnibus, pro ea regione vsurpetur,quę vni magistratui paret,vnisque legibus vtitur. Ciuitatis nomen his septem libris Caesar nusquam pro oppido vsurpat.

CAP. III.

GErmanos equites.] Notandum equitibus Germanis, & ab initio belli Caesarem esse vsum, & multò posteà plures euocâsse. vt infrà hoc ipso lib. cap. 12.

Ex aedificijs.] Vicis,pagis,& villis,in quas conditum erat pabulum.

Deleri posse.] Sic legendū vt in Ald. Steph. Diligi. alij, Dirripi. quod abiudico.

Non fuis fint.] Hoc loco non dubito legendum esse, *Ne.*

Praedamq́ tollendam.] Locus mihi suspectus. nam vox *Tollendam* superuacanea videtur.

Grauiora existimari.] Steph. & Ald. Grauius existimari. de quo nihil affirmo.

Deliberatur de Auarico.] Ita placet, quamuis in Steph. & nonnullis legatur, *Dicebatur.*

Impedimentis exuant.] Impedimenta hoc loco Caesar pro mulis & eiusmodi iumentis vsurpat. Sic infrà cap. 8. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi, mulionesque circumuehi iubet.

Flumine & palude.] Flumen incolae *Auron* vocāt, vnde fictum vrbis videtur nomen. Dio lib. 40. rapidum appellat: vt aliquid videlicet inepto Graecorum more affingeret.

Pecore ex longinquioribus vicis adacto.] Nihil muto. Vulgò tamē Abigi pecus dicitur,potiùs quàm adigi. Sed iam video in libro Romae centum ab hinc annis edito impressum esse *Abacto*: quomodo restituendum arbitror.

CAP. IIII.

GEneratim distributa.] Sic lib. 1. cap. pen. locutius est,pro Distinctis quibusq; secundum suā cuiusq; ciuitatem.

Propè aequo Marte.] Saepenumero, aequo Marte pugnare,est pari certamine dimicare. Nunc verò ad loci naturam refertur. quasi dixisset, Pari natura loci, nulla iniquitate.

Edocet quanto detrimento.] Hoc idem suis aliquantò post ad Gergouiam in memoriam reuocat cap. 9.

Munitione defenderet.] Natina scilicet.

Virtutem despicere.] Ironicè Virtutem appellat pro Ignauia.

Turpiter se ex fuga recipientem.] Nihil muto. Tantùm dico, non satis meminisse me similem locutionem legisse: Recipere se ex fuga. Nam recipere ex fuga dicitur, qui fugientem recipit. vt lib. 6. ca. 7. A quibus receptos ex fuga Tencteros docuimus. Fortasse vacat particula *Ex.* sed,vt dixi, nihil affirmo.

Armis concrepant.] Similiter Tacit. de Germanis: Si displicuit sententia,fremitu aspernātur. sin placuit,frameas concutiunt.

CAP. V.

LAqueis falces auertebant.] Laqueis etiam arietes auertere solitos, Liuius lib. 36. testatur. Nam cùm ariete,inquit,quaterentur muri, nō laqueis, vt solet,exceptos declinabant ictus.

Destinauerant.] Sic Ald. & Steph. Alij nonnulli, Distinuerāt. quod sine dubio verius est: pro Auerterant,contrariam in partem attraxerant.

Aggerem cuniculis subtrahebant.] Oppidani fossas subterrancas sub moenibus aperiebant, vsq; ad aggerem Romanorum. hinc terram subtrahebant, vt turris in aggerem promota subuerteretur.

Turribus contabulauerant.] Has etiam pontibus traiectis constrauisque coniungebant. lib. 8. cap. 2.

Agger expresserat.] Exprimere,opinor,dixit,pro Extollere: vt Exprimere & Deprimere contraria sunt.

Commissis malis.] Locum à me non intelligi, ingenuè fateor. nisi Malos pro scalis dixerit: & Scalae fuerint mali,multis bacillis,quasi fibulis traiectis,instructi. nam scalas in turribus summae altitudinis adhiberi solitas, cùm ex alijs multis constat,tùm verò ex Procopio lib. Gott. belli, & libro secundo,vbi turres à Vittige Gotto extructas describit.

Apertos cuniculos.] A Romanis. Nam oppidani intra moenia contrarios aperiebant, quas Gallicè *Contraminas* vulgò appellamus. Tum in os cuniculi saxa,& ignes iaciebāt: & trabibus praeustis fossores depellebant.

Expresserat.] Subleuārat.

Muri

Muri Gallici forma.] Huius loci interpretationem debemus Th. B. magno & claro viro, qui muri Gallici speciem primus animaduertit eandem esse à fronte, quæ est Tessularij operis, siue scacarij, quem *Esibiquierum* vulgò appellamus. Formã autem &, vt spero, primam texturam ab initio ponemus, ex qua de cæteris, quæ superiùs imponebantur, æstimari possit.

Binos pedes.] Non refertur ad Collocantur, sed ad verbum Distantes, quasi dixisset: binos pedes inter se distantes. vel sic: Interuallis binum pedũ distantes inter se.

In solo collocantur.] Non intra solum, sed humi. Sic lib. Ciuil. 2. Duæ primùm trabes in solo æquè longæ, distantes inter se pedes quatuor collocãtur.

Interualla.] Binum pedum.

Reuinciuntur extrorsus.] Imò, *Introrsus.* Reuinciri autẽ dicit, quia transuersaria trabs pedes quadragenos longa superimponitur: eaq; commissuris & fibulis iungitur: hoc est, vt nostri loquuntur, mortesijs & ecuillis. Id introrsus necessariò faciendum fuit. In fronte nullus eiusmodi reuinctioni locus erat. Sic igitur emendandum.

Paribus intermissæ spatijs.] Non dubito, quin sit legendum *Intermissis.* & ita Cæsaris consuetudo postulat.

Hoc enim in speciem.] Ald. & Steph. Hoc cùm in speciem. Fortasse, Ob speciem.

Pedes quadragenos.] Vel Pedum quadragenum, legendum est, vel addendum, Longis. vel eiusmodi aliquid subaudiendum.

Rectis lineis suos ordines seruat.] Eadem specie & figura, qua sunt Scacarij, quæ vulgò *Esibiquiers* appellamus: vt ille vir præstantissimo ingenio, & singulari iudicio præditus animaduertit.

Imbribus transderentur.] Stephan. & Ald. Tardarentur. Nonnulli impressi, *Turbarentur*, quod magis placet. Magis etiam Vrsini liber: Milites cùm toto tempore luto, frigore, & assiduis imbribus turbarentur.

Picem reliquasq; res.] Hic perspicuè deest vox *Alij*: vt sit, Alij picem, &c.

Pluresq; partitis temporibus.] Sic Stepha. & nonnulli impressi. Meliùs Ald. *Duæq;* nam alternatim excubabant, & opus faciebant.

Aggerem interscinderent.] Ne longiùs ignis manaret.

Gallus per manus.] Vel *Qui* interponendum est: vt sit, Quidã Gallus, qui per manus, &c. quod Faerno & Vrsino placere video. vel paulò inferiùs *His.* nimirũ illo loco: Hic scorpione à latere dextro traiectus.

A propugnatoribus vacuus.] Nõ satis video, quorsum Propugnatorum mentio pertineat: vbi de Proiectoribus apertè loquitur. Et fieri potest, vt qui Protectoribus, vitiosè legerit, hoc reponendum verbum putârit.

Omni ea parte.] Alij, Omni parte. Placeret, Omni ex parte.

Perfectisq; operibus.] Sanè ita est in lib. Stephan. vt Faernus de suo testatur, Derectisq; operibus. Fortasse legendum Erectis. sed nihil affirmo.

Legiones intra vineas.] Stephan. Extra vineas: quod sine dubio rectum est. non enim vineis contineri legiones poterãt. nisi fortè *Citra vineas* commodiùs legeretur. cùm modò dicat, In occulto, quasi post vineas laterent: vnde subitò, signo dato, scalis admotis in muros prouolarent. Sed sic quoq; Salustius locutus est in Iugurth. Tum verò, inquit, cohortatus milites, & ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, &c.

Obuiam contrauenireetur.] Sic Steph. Ald. & omnes. Faernus delebat, Contra. Ego potiùs vocem *Obuiam* glossema esse indicarem.

Continenti impetu petinerunt.] Sic Stephan. Faërnus autem, Continuò petiuerunt. Ego nihil mutandum censeo.

Silentio excepit.] Vrsinus, Silentio sic ex fuga recepit. neq; aliter sensum putat elici posse idoneũ. Ego animaduerti aliud esse, Recipere ex fuga: aliud, Excipere ex fuga. Illud est, cùm qui fugiebant, ad locum destinatum peruenerunt. hoc verò, cùm in ipsa via & fuga intercipiuntur. vt suprà lib. 6. cap. 7. A quibus receptos ex fuga Tenchtheros atq; Vsipetes suprà docuimus. Et mox: Primos Eburonum fines adeunt. multos ex fuga dispersos excipiunt. Vercingetorix ergo de illorum fuga certior factus, celeriter familiares suos principes ciuitatum obuiam illis misit, qui silentio ipsos ad amicos suos deducerent.

Vt procul.] Puto legendum esse *Et procul.* Ac mox, *Curauit*: *qua cuique.* non autem *Quæ.* in quo sensus nullus est.

Disparandos.] Separandos, seiungendos.

Concursu & misericordia.] Steph. Miseria. rectiùs multo, vt cuiuis perspicuum est.

Cuique ciuitati.] Nam omnes generatim in ciuitates distribuerat.

CAP. VI.

N*On virtute neq; acie.*] Placet Vrsini liber, *In acie.* nam idem video nunc in illo Stephani.

Castra munire instituerent.] Priùs tamen dictum est lib. 5. cap. 11. Neruios Romanorũ exemplum & disciplinam imitatos cœpisse illorum castra circumuallare.

Sustinere possent.] Sustinerent, scriptum est in nostro, & Stephan. & Roman.

Auctoritatem minuunt.] Sic lib. Ciuil. 2. capite. Quasi non & felicitas rerũ gestarum, exercitus beneuolentiam Imperatoribus, & res aduersæ odia concilient.

Patienda & perferenda.] Faernus ex veteris codicis auctoritate, duo illa, Et perferenda, reijciebat. Ego de Steph. lib. idem affirmo.

Singuli magistratus.] Quos lingua Gallica Vergobretos appellabant. lib. 1. cap. 7.

Regiam potestatem.] Superiùs eodem illo loco Regiam potestatem interpretatur, ius vitæ & necis. Quo loco nonnulla, quæ huc pertinent, exposita sunt.

Suos cuiusq; eorum.] Locus de mendo suspectus. Legendum videtur, Suas cuiq; eorum esse, &c.

Etiam

Etiam ad se euocant.] Sic Ald. At Stephan. Ad se Decetiam euocauit. quod idem de suo Vrsinus testatur. qui oppidum ignobile illud fuisse putat. Quod non displicet, cùm mox sie inferat, Eò conuenisset.

Fratrem à fratre.] Cotum à Vedeliaco.

Duos ex vna familia.] Hanc eandem in Augurũ R. collegio legem fuisse, scribit Dio lib. 39.

Intermissis magistratibus.] Non continuatis in eadem aut persona, aut familia, vt in Coto acciderat.

Cotum magistratum deponere.] Sic Ald. At Steph. Imperium, cuius illam glossam fuisse arbitror.

In magnis Cæsaris difficultatibus res.] Sic Stephan. Ald. & cæt. At Faërn. & Vrsin. sic: Erat in magnis Cæsari difficultatibus, ne, &c.

Quartis quibusque cohortibus.] Sic Ald. Quod qui non intelligunt, sic immutant: Demptis quibusdam cohortibus. Quod eruditis viris indignum fuit. Nam sensus est apertissimus: Cæsarem quartam quanque cohortem de quaque legione detraxisse. atque hoc pactoè quatuor legionibus, quas præmittebat, vnius numerum detraxerat. Nam si è quadraginta cohortibus (quibus legiones quatuor constabant) quartam quanque cohortem detrahas, efficies numerum decem cohortium. id est, vnius legionis, siue hominũ quinque millium.

Iisdem sublicis.] Falsò igitur scribit Dio lib. 40. Cæsarem ratibus suum exercitum traduxisse.

Pars inferior.] Nam Vercingetorix superiorem partem, quò ad securis adigi potuerat, rescindendam curârat.

CAP. VII.

Castris pro oppido.] Noster, Steph. & Rom. Pro pe oppidũ. quod idem Vrsin. de suo testatur.

Horribilem speciem præbebat.] Strab. lib. 4. scribit, Aruernos hoc in bello habuisse hominũ quadringenta millia, duce Vercingerorige.

Virtutis suorum periclitaretur.] Sic Ald. At Steph. Perspiceret.

Tenebatur tamen.] Sic omnes lib. Ego sic probarem: Non nimis tamen firmo tenebatur. Nam quod *non minùs* quidam reponebant: cui tandem probari poterit?

Subsidium ex oppido venire.] Placet Stephan. lib. scriptura: Subsidio ex oppido veniri.

Cum his primum communicat.] Stepha. Præmium, quod idem Vrsi. de suo testatur. Præmium antem pecuniam, qua solicitatus fuerat, intelligit.

Ad Cæsarem disceptaturi.] Vrsino & Faër. placet ex antiquo lib. *Disceptatorem.* Ego idem video in lib. Steph. Neq; tamen acquiesco. Nam vtrocîq; modo addendum esset, De suo. hoc modo: Quam Romani de suo ad Aeduos. Itaq; vocem *Romani* tollendam arbitror, vt sit sensus: Cùm de iure & legibus Aeduorum ageretur, quid is iudicium eius rei potiùs penes Cæsarem, quàm penes ipsos Aeduos fuisset? Significat Cæsarem eade re iudicâsse, quæ non fuerat ipsius iudicij: ac propterea el acceptum Magistratum ferre non debere.

Et præmio deductis.] Placet Faërni coniectura, Adductis.

Omnis nostra nobilitas.] Noster, & Steph. & Aldin. & Rom. Nobilitas omnis interijt.

Omnes equites Aeduorum.] Stephan. Rom. & noster, Multos equites.

Præsidij fiducia vnà erant.] Commeatumque in Cæsaris castra deportabant.

In eodem mendacio permanet.] Probabiliùs videtur, vt est in Stephan. & Aldin. Eodem mendacio permouet.

CAP. VIII.

Ad contrahenda castra.] Angustioribus finib. circumuallanda. Nam quòd pauci relicti fuerãt, contractior esse circũmunitio debebat. Cuius rei prætermissio magnum, vt pòst intelligetur, castris periculum attulit.

Suis clientibus.] Hos lib. 3. cap. 6. Gallica lingua Soldurios, Latina Deuotos appellauit. atque hanc mirificam in patronos fidem prædicauit.

Iisdem in vallo.] Qui locum hunc non intelligebant, ita mutârunt, Iisdem eodem in vallo. Imperitè. nam *Quibus iisdem*, hoc sensu dixit, Cùm propter paucitatem semper ijdem pugnarent, neque defessis integri submitti possent.

Fuisse tormenta.] Legendum arbitror, *Tomenta*, quibus milites incubabant, quæ lana plerunque constant. nec tamen appellatione lanæ tomentum continebatur, inquit Iurisconsultus. Galli, Materata nominant. Et hanc coniecturam locus ille perspicuè confirmat, quem subijciam ex lib. de bell. Ciuil. 3. cap. 9. Magnusq; incesserat timor sagittarum. atq; omnes ferè milites aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex corijs tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.

Pluteos vallo addere.] Pluteos, opinor, dicit iam asseres crassiores, quos pro lorica supra vallum ponebat.

Ad cognoscendum spacium.] Quasi in re liquida & perspicua delibetandi locum esse nullum putaret. Hæc est illa temeritas, quam in Gallis Cæsar reprehendit: quam Cic. lib. Offic. 1. sic explicat: Ne incognita pro cognitis habeamus, hisq; temerè assentiamus. quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debebunt) adhibebit ad considerandas res & tempus & diligentiam.

Quæstionem decernunt.] Apparet, Quæstionis nomine, non tantùm iudicium, & cognitionẽ ipsam iudicum significari: verùm etiam inquisitionem criminum, quæ iudicium antecedit: quã Pragmatici nostri vulgò Informationem appellant.

Rursus exercitum contraheret.] Subobscurus locus. nam anteà neq; exercitum contraxerat, & de contrahendis tantùm castris erat locutus. Exercitum autem distraxerat. Nam è sex legionibus quatuor secum abduxerat. Verùm hoc non est omnẽ exercitum distrahere, sed partem duntaxat. Contrahere ergo dixit, pro Reuocare.

Si alterum amisisset, quin penè.] Vrsin. affirmat in suo lib. ita scriptum: Si alterum amisissent, non

dubitari quin penè, &c. Nihil in meis istiusmodi repetio: ac videtur rectè vox *Quin*, cum illis superioribus, *Non aliter*, conuenire.

Muliones'q.] Præclarè hunc locum ex suo lib. restituisse, sibi Vrsinus videtur: hoc modo: Magnum numerum impedimentorũ ex castris, mulorumque produci, neque ijs ferramenta detrahi, mulionesque, &c. Sed neque in vllo meorum quicquam eiusmodi video, neque quorsum ferramenta mulis detraherentur, satis intelligo. Illud scio, Impedimentorum nomine crebrò mulos, & eiusmodi sarcinaria iumenta significari. Frontin. in Stratag. Petreius in magna aquarum & pabuli inopia impedimenta interfecit. Quod Cæsar lib. Ciuil. 1. commemorans: Illi, inquit, & inopia pabuli adducti, & quò essent ad id expeditiores, omnia sarcinaria iumenta interfici iubent. Et alio loco: Cùm legiones duæ flumen transissent, impedimentaque & omnis equitatus sequeretur, subito iumentorum, & aquæ magnitudine pons est interruptus. Et aliquantò pòst: Desiderati sunt eo die equites pauci, calonum atque impedimentorum non magnus numerus. Hæc cùm ita sint, non tamen omninò libet Vrsini repudiandus est: potiùsque hic locus ita corrigendus videtur: Magnum numerum impedimentorum ex castris produci, ijsq; strata detrahi, mulionesque, &c. Nam Liuius lib. 7. de Dictatore C. Sulpitio loquens, Rem, inquit, nouam excogitat: qua deinde multi nostri atque externi Imperatores, nostra quoque quidam ætate vsi sunt. mulis strata detrahi iubet: binisq; tantùm centunculis relictis agasones partim captiuis, partim ægrorum armis ornatos imponit.

Spatium itineris augebat.] Non puto Cæsarem adeò ieiunè de re perspicua scripsisse: sed aliquid ad spacium designandum addidisse, veluti Altero tanto, vel Vehementer, vel aliquid eiusmodi.

Produxerant Galli.] Fortasse Perduxerant rectiùs legeretur.

Densissimis castris.] Consertissimis tentorijs & tabernaculis.

Corporis parte nudata.] Thorace deposito, quod pectoris munimentum erat.

Qua cum erat concionatus.] Lib. Stephan. Concertonatus. Non dubito mendum subesse. nam concionandi tempus certè non fuit. Reponendum igitur, Commoratus. Nam paulò pòst ita scribit: Ipse paulùm ex eo loco cum legione progressus, vbi constiterat, euentum pugnæ expectabat.

CAP. IX.

S*Patio pugnæ.*] Id est, longinquitate, diuturnitate.

Ad Auaricum.] Sup. hoc ipso lib. cap. 4.

M. Petreius.] Noster & Steph. M. Petronius.

Nihilo magis in æquum locũ.] Rectissimè sic emendatum est in libris recentioribus: cùm in antiquis nostris omnibus scriptum esset Nihilominus.

Retinendos eos non censuit.] Ita placet, vt est in Ald. quamuis veteres nostri omnes habeant Cõstituit.

Quos & quàm humiles.] Hac de re lib. 6. cap. 4.

Omnibus ereptis socijs.] Sic noster, & Aldinus rectissimè: cùm in Steph. & alijs antiquitùs impressis vitiosè legatur, *Copijs*.

CAP. X.

N*Oniodunum oppidum Aeduorum.*] Has esse, quas nunc Niuernas vocant, nemo dubitat. Aimoinus tamen lib. 1. cap. 5. Niuedunum sic interpretatur: Quam quidam, inquit, Niuernis esse putant. Sed de Biturigum Niueduno loquebatur, quem falsò Niuernas esse putauit. Dio verò lib. 40. Nonioduni nomen retinuit.

Ex prouincia expellere.] In prouinciam, restituendum arbitror, vt de Gallia prouincia Romanorum intelligatur. Hanc opinionem sequens pagina duobus locis perspicuè confirmat. Ibi, Iter in prouinciam conuerteret. Item Cæsarem in prouinciam contendisse confirmabant. Et hoc quoq; à Nicasio Ellebodio animaduersum Manutius testatur.

Adiungi Labieno.] Quem in Senonum fines cum quatuor legionibus miserat.

Vim fluminis refringeret.] Eadem se ratione vsum scribit in Sicori transmittendo. lib. de bell. Ciuil. 1. cap. 13. Rationem Vegetius exponit lib. 3. his verbis: Explorato vado, duæ acies equitum ordinantur, interuallis competẽtibus separatæ, vt per medium equites & impedimenta transeant. nam acies superior aquarum impetum frangit: Inferior, qui rapti submersiq; fuerint, colligit atq; transponit.

Repleto exercitu.] Replete exercitũ dixit pro Reficere, & recreare: an potiùs, pro Commeatus defectum supplere?

CAP. XI.

S*Ecundo flumine.*] His tribus, quatuórve locis Secundo & Aduerso flumine Cæsar dixit, pro Iuxta flumen, vel Secundũ, vel Aduersum, & ad ripas fluminis. Velut inf. Magnum ire agmẽ aduerso flumine, pro, Ad ripam amnis, sed contra fluminis naturam. Planiùs igitur fuisset, Secundum flumen. Plaut. Rud. Quid illuc est hominum secundum litus?

Secundo Galliæ motu.] Nunc secundum motum Galliæ dicere videtur, non numero & ordine: sed euentu & successu. Nam multò plures Galliæ motus, & rebelliones fuerant.

Quinq; reliquias.] Hic locus ostendit, quod alio loco diximus, in legione decem cohortes fuisse.

Equitatus peditatusq;.] Noster, & Romanus & Stephan. Exercitus, equitatusq;. nihil muto. tantùm profiteor alijs non paucis locis ita Cæsarẽ locutũ, vt infrà cap. 13. Quòd equitatus quo maxima parte exercitus confidebat. Et nunc idem video Manutium secutum.

Præsentem adesse existimarent.] Sic noster & Steph. & multi impressi. Sed in Aldino & Manutiano vox Præsentem sublata est. mendosè. Nam vetus hæc locutio est, à Terentio & Cicerone vsurpata.

Transi-

Transfixi pilis.] Stephan. & Roman. Confixi telis. quod non placet. Nam pila ante congressum conijciebantur.

Contra castra Labieni.] Sic noster, Stephan. autem & Romanus, & multi impressi, *Contra Labienum.* quod non placet. Nam modò dixit, è regione castrorum Labieni præsidium in statione relictum.

Victorumq; impetum.] Placet Faërni coniectura, vt particula *Qua* deleatur.

CAP. XII.

Horum supplicio.] Durum ac propè incredibile hoc videtur: Aeduos in obsides Gallos, ad eorum ciuitates terrendas, sæuijsse.

Frequentes multitudines suffragijs.] Rectissimè hunc locum emendauit Vrsinus, ex Faërni lib. Eò conueniunt vndiq; frequentes. Multitudinis suffragijs res permittitur.

Illi quòd amicitiam.] Illi, hoc est, Rhemi & Lingones.

Indulgentiam requirunt.] Id est, Amissam sentiūt, vt Pedianus interpretatur. Gallicè dicimus, *Regretter.* Frustrà desiderant: eius desiderio laborant.

Suum consilium.] Rectè. cùm in alijs sit *Concilium*: per c. Nam suum consilium ab reliquis separare modò dixit, quod alibi, Sibi consilium capere.

Denique ei rei constituit diem.] Sic omnes lib. Ego magis ita probarem, si quis liber adiuuaret, Diémque ei rei constituit. Nam vox *Denique* superuacanea videtur.

XV. *millia numero.*] Millium, secundo casu legendum arbitror: vt alijs plerisque locis.

Finitimi ei prouinciæ.] Pronomen *Ei* tollendum arbitror. Nam prouinciam modò Allobroges dicit: vt suprà libro primo, pag. 1. & alijs locis. Segusianos autem Allobrogum esse finitimos, & extra prouinciam trans Rhodanum primos, idem docuit lib. 1. cap. 5.

Ac superiore bello.] De quo dictum est libro primo, cap. 16.

Imperium totius prouinciæ.] Non regionis Allobrogum, sed prouinciæ Narbonensis, quā se Romanis erepturos sperabant.

Superioribus annis.] Lib. 4. cap. 3.

Præliari consueuerunt.] Lib. 1. cap. 17.

Minùs idoneis equis.] Lib. 4. cap. 1.

Equos sumit.] Opinor, non eos, quibus vti solebant: sed quos prætereà paratos habebant.

Atque euocatis.] Locus hic ostendit, quod alibi diximus, Euocatos non modò in peditum, sed etiam in equitum numero fuisse. Quales autē Euocati essent, alio loco docuimus.

Conuocatisq; ad concilium.] Corrigendum *Consilium* per s. nam conuentum modò dicit præfectorum & magistrorum rei militaris.

Si pedites suis auxilium ferant.] Sic Ald. Stepha. & alij complures. Nonnulli Suis rebus. quod verissimum esse non dubito. Nam Suas res impedimenta modò appellar: vt id quod sequitur ostendit.

Bis per hostium agmen.] Sic Ald. & omnes, vt opinor, impressi. A Steph. tamen abest vox Bis. quod non puto negligendum.

Ad iusiurandum adactis.] Idem optimus liber, Iureiurando adactis: quo modo sæpe locutus est.

Pugnatur vnà omnibus in partibus.] *Vnà*, id est, vno tempore. Plutarchus in vita scribit, Cæsarem in hoc prælio gladium amisisse, quem Aruerni in fano ostentationis causa suspenderunt. Eum posteà à Cæsare conspectum, neq; passum esse tolli, cùm id amici si: aderent.

Nostros spe auxilij confirmabat.] Sic omnes lib. Fateor tamen non videre me, quorsum illæ duæ voces Spe auxilij, pertineant. Nam vbi res ipsa erat, spei locus esse non poterat.

Tandem Germani.] Huius quoq; victoriæ gloriā Dio Germanis tribuit. lib. 40.

Controuersiam.] Sup. cap. 6.

CAP. XIII.

Copias suas vt pro castris.] Non intelligo quorsum particula, *Vt*, pertineat: ac non potiùs *Quas*, pro *Suas* legatur, nisi fortè vtrunq; retinendum est. Nam aliquantò sup. Copias, inquit, se omnes pro castris habiturum, &c. Et multò pòst: Copias omnes, quas pro oppido collocauerat, in oppidum recipit.

Alexiam oppidum Mandubiorum.] Alesiam, noster, itemq; Stephan. atque ita rectè Faërnus emendauit. Sed & Velleius Paterc. Circa Alesiam, inquit, tantæ res quantas audere vix hominis, perficere penè nullius nisi Dei fuerit. De ea Strab. ita scribit: καὶ ὁ Θεὸς Ἀλησίαν μανδούβιων ἔθνος ὅμορον τοῖς ἀρουέρνοις, καὶ ταύτην ἐφ' ὑψηλοῦ λόφου κειμένην, περιεχομένην δ' ὄρεσι, καὶ ποταμοῖς ἀμφοῖν. Legendum igitur apparet, Ἀλησίαν μανδουβίων ἔθνος ὅμορον τοῖς ἀρουέρνοις. Diodorus autem libro 5. scribit eam ab Hercule conditam, ac fuisse totius Galliæ metropolim, & liberam ac sui iuris permansisse, vsque ad C. Cæsarem, à quo vi capta, & in populi Rom. potestatem redacta est.

Quà maxima parte.] Stephan. & Vrsin. lib. multò veriùs, Quò maxima.

Ne qua subitò irruptio.] Steph. Eruptio. sed illud verius puto. Non enim ex vrbe, sed ex castris hostium irruptiones fieri significat: vt paucis pòst versibus.

Trium millium passuum.] Legendum Tria millia, vt suprà.

Millia hominum octoginta delecta.] Ex quo de oppidi magnitudine existimari potest. Plutarch. autem numerat ὀκτακισμυρίους μαχίμους.

Coarctantur.] Stephanic. Coaceruantur. quod placet.

Germani acriùs.] Placet Stepha. *Cum Germani.*

Ad se referri.] Intra oppidum.

Fossam pedum XX. *latam.*] Pedes, ex consuetudine Latinæ linguæ rectè onebam. Sed pòst animaduertivocem *Latam*, à Stephan lib. abesse. quod magis probo. Denique Petrus Victorius vir doctissimus ita hunc locum restituit ex libro antiquo, vt cum Stephanico planissimè cōsentiat. Variar. 24. cap. 17. Quod autem *Totum corpus* pro Totū opus,

idem Victorius reponendum putabat, vt Corpus munitionis Cæsar dicat: quamuis ita in Romano codice scriptum sit, tamen proptereà probare non possum, quia verbum *Opus* video hac in re sexcentis locis à Cæsare vsurpatum fuisse: vt mox: Et turres toto opere circundedit. Sic enim legendum est, non *Operi*. Hæc autem *prior fossa* paulò pòst appellatur.

Quis si indiligentiores.] Steph. Quòd si. neque cur mutetur, vlla causa est.

Pedibus C C C C. *reduxit.*] Sic Stephan. Faërnus autem Deduxit. Superiorem quidem munitionem X I. millium pedum in circuitu, quam Cæsar instituerat, necesse est sublatam fuisse, & longiùs ab vrbe remotam.

Ne facilè.] Legendum *Nec.* vt in Stephan. & hæc omnia parenthesi claudenda (*Quoniam* vsque ad *Cingeretur.*)

Neue de improuiso.] Mendum apertissimum. Legendum, Ne de improuiso. vt in Steph. & Ald. Et ita Victorius hæc omnia ex suo libro restituit.

Duas fossas.] Locum sic intelligo, vt non binas fossas præter illam primam circum omnes collis partes duxerit, sed cum eius radices duo duabus ex partibus flumina subluerent, vnam vtrinque fossam à flumine ad flumen duxerit. quarum altera quòd paulò altiore loco facta erat, repleri aqua nõ potuerat: alteram cùm esset demissiore loco facta, fluminis aqua compleuerat. Itaque pro *Interiorem* non dubito, quin sit corrigendum *Inferiorem*. Binas autem duntaxat fossas spacio quadringentorum pedum intermisso factas, etiam inferiùs ostendit: vbi sic loquitur, Priores fossas explent.

Directis lateribus.] Th. B. vir summi ingenij, & doctrinæ admirabilis, fossam directis lateribus interpretabatur, quæ ad perpendiculum excauata est: & (vt Cæsar infert) cuius solum tantundem patet quantum summa labra. Galliceè dicimus, Ad instar fundi cupæ. Hircius libro 8. Fossam duplicem pedum quinum denum lateribus directis deprimi, &c.

Erat eo tempore.] Valde placeret, Eodem tempore, si quis liber adiuuaret.

Haud admodum firmis.] Stepha. & alij nonnulli, *Aut.* mendosè. abscindebantur enim trunci arborum non grandium, vel potiùs (vt mox dicet) stipites, quorum in summo rami aliquot eminebãt. Hi quoq; ita rescindebãtur, vt aculei semipedem longi relinquerentur.

Singuli ab infimo solo pedes tres terra occultabantur.] Mendum apertum. Itaque Steph. Aldin. & plerique alij habent: Pedes terra exculcabantur. Ego *Pedes terra* delendum censeo. Nam cùm *Exculcabantur* Cæsar posuisset, interpres subscripsit, id est, Pede terra calcabatur.

Pares munitiones.] Nam binas fossas circumduxit, & quod inter illas spacium intercedebat, tribus illis defensionum generibus, cippis, lilijs & taleis muniuit. tum post interiorem fossam aggerem cum loricis, pinnis, & ceruis extruxit: turres prætereà & castella crebris locis posuit: in quibus milites collocabantur: cùm satis multos non haberet, vt aggerem integrum circumfunderent.

Vt ne magna quidem.] Nam turres frequentes & castella toto opere circundedit: quæ cùm ab latere hostes vulnerarent, quantumuis magna multitudo (ducentorum scilicet X L I. millium) accederet, tamen circũfundi hostes impediebat. Suus autẽ cuiq; legato & legioni locus erat in illis turribus attributus.

Neu cum periculo.] Hoc loco particula *Neu* pro *Et ne* posita est.

CAP. XIIII.

IMperat Aedui.*] Locus insignis: ex quo de cuiusque ciuitatis potentia æstimari poterit.

Nec frumenti rationem.] Sic Ald. Steph. verò Frumentationem. Magis placet Vrsini & Faërni lib. Frumentandi rationem.

Eorum clientibus.] Subaudiendum, Vicinis, ac finitimis. nam alios multò plures in Aeduorum fide & clientela fuisse, alibi demonstratum est. Itaque quatuor istos populos pro vna regione posuit: & quoniam tenues erant, quasi pro vna tantùm Aeduorum ciuitate. Nam inter hos quinque nominatos æquabiliter numerum istũ triginta quinque millium dispartiri, nulla ratio est. Sic superiùs ca. 12. Aeduis & Segusianis imperata sunt decem millia. Sic infrà Aruernis parem numerum attribuit, adiunctis similiter quatuor tenuibus ciuitatibus. Proptereà autem hos coniunctim numerat, quia deinceps ordinem in numeris seruat, à maioribus ad minores gradatim progrediens.

Aulercis Brannouicibus.] Ego non duos facio populos, sed vnicum duntaxat, vt alibi: Aulerci Eburones, Aulerci Cenomanni, Aulerci Diablintes.

Duodena millia.] Hoc in loco error ex notæ numero natus erat. Nam cùm Cæsar X I I. scripsisset, (quem numerum etiam Steph. seruauit) librarius X X I I. (vt in Aldino est) exscripserat. Hoc modo quadrabit ratio summæ, quam infrà Cæsar colligit: & ordo ab eo institutus seruabitur, vt à maioribus numeris ad minores procedat.

Bellouaci X.] Quæri potest, cùm tanta huius ciuitatis potentia fuerit, quantam Cæsar identidem prædicat, quo modo minùs illi, quàm superioribus proximis sit imperatum. Sed verisimile est el propter dignitatem gratificatum. Itaq; mox subiungit, ne hunc quidem numerũ misisse: sed duo tantùm millia.

Heluetijs Suessionibus.] Absurdè. Legendum est Heluetijs: vt in Stephan. & nonnullis impressis.

Suessionibus.] In Ald. Steph. & antiquis omnibus impressis legebatur, Senonibus: in recentioribus, Bis Sena millia. Vtrunque corruptè. Nam vocem Senonibus superior eorum enumeratio perspicuè repudiat. Hæc autem posterior impudens & manifesta corruptela est. vt illud omittã, quod nulla ratione Bis sena in hunc numerũ contulisset, cùm superiùs Duodena enumerârit.

Rauracis & Boijs triginta.] Ita est in Stephan. & Ald.

Ald. sed neq; harum ciuitatum tenuitas tantùm recipit oneris, neq; ordo à Cæsare institutus à maioribus numeris ad minores, aut summa inferiùs ab ipso collecta hunc numerum patitur. Quare assentior ijs, qui *Bina* hoc loco restituunt. nam (vt hic noster superiùs dixit cap. 3.) Boiorum ciuitas erat exigua & infirma.

Vniuersis ciuitatibus.] Non singulis, sed generatim vniuersis.

Non contulerunt.] Steph. Non compleuerunt.

Huius Commij.] De hoc suprà, lib. 4. cap. 5.

Duo millia miserunt.] Steph. Vna. restituendum est *Bina*.

Ciuitatem eius.] Atrebates. Significat eos non redactos in prouinciam.

Pristinæ belli laudis.] De qua lib. 6.

Circiter CCXL.] Legendum est CCXLI. siquidem ad numerum omnes missi sunt. sic enim ratio qnadrablr.

Natus loco.] Steph. Ortus loco.

Omnium nostrum pristinæ.] Placet Stepha. & Ald. Omnium vestrûm consensu pristinæ.

Animi est ista mollities.] Ita probo. Stephan. tamen, Molestia.

Ex oppido.] In quo millia erant hominum octoginta delecta.

In ipsis cadaueribus.] Nam de facienda extra oppidum eruptione agebatur.

Seruituti addicere.] Sic Ald. Steph. verò *subijcere*. quod non æquè probandum puto.

Romanos, &c. animi ne causa.] Sic Ald. quod planè retinendum censeo. Steph. Eorum animos in illis vlterioribus munitionibus sine causa quotidie exerceri putatis?

Cimbrorum & Teutonum.] De quo suprà libro 1. cap. 13.

Iure & legibus commutatis.] Nam hæc erat Prouinciarum ratio, vt in eas Magistratus Roma mitterentur, qui in ijs ius dicerent.

Hos Cæsar.] Stephan. Tunc Cæsar. quod magis placet.

Dispositis custodibus.] Aldin. Custodijs. sed nihil muto.

Recipi prohibebat.] Sapiens ἀποσιωπήσει, cùm id quod dictu erat grauius, occisos à Cæsarianis, reticuit. Dio tamen lib. 40. quod à neutris recipiebantur, miserrima morte interijsse.

Omnes milites.] Aldus, Omnium militum Intentianimi. Stephan Omnes milites intenti pugnæ euentum expectabant. Quod sine causa mutandum non est.

Vno die intermisso Galli.] Hoc de Gallis exterioribus intelligendum est: vt mox ostendet.

Fundis libralibus.] Opinor, quibus libralia saxa iactantur. Veget. lib. 2. cap. 23. Sed & manu sola omnes milites meditabantur libralia saxa iactare, qui vsus paratior creditur: quia non desiderat fundam.

A munitione aberant Galli.] Rursus de Gallis exterioribus locns intelligendus est.

Stimulis induebant.] Patet igitur, Cæsarẽ eodem illo triplici defensionũ genere aduersus exteriores hostes vsum fuisse: vt paulò antè dixit: nimirum cippis, taleis, & lilijs.

Ex superioribus castris.] Ex superioribus castrorum locis. nam loca erant inæqualia, vt sæpe dictum est.

At interiores.] Nunc de Gallis, quos in oppido Vercingetorix habebat, loquitur.

Priores fossas.] Duas igitur tantùm fossas Cæsar duxerat. Nam si tres fecisset, nunc dixisset Primas.

In scrobes delapsi.] Steph. Delati.

Cùm lux appareret.] Stepha. multò concinniùs, Cùm lux appeteret. Vt alijs locis.

At interiores.] Qui ex oppido eruperant.

Vergasillaunum.] Steph. vbiq; *Vercasiuellaunum.*

A castris.] Sunt qui Rastros ponant. quod cuiusmodi sit, non intelligo. Fortasse *Contos* aliquantò meliùs conueniret.

In aliena virtute.] Steph. Salute: quod abiudico.

Plerunq; quæ absunt.] Cùm duobus locis pugnatur, qui in vno pugnant, aliorum periculo commouentur. Eodem illud pertinet in lib. de bel. Ciuil. 1. cap. 5. Communi fit vicio naturæ, vt inuisis, latitantibus atq; incognitis rebus magis confidamus, vehementiusq; exterreamur.

Vtrisque ad omnia occurrat.] Sic Ald. Sed propter insequentia Steph. libri scriptura probabilior est: quam etiã in quibusdam impressis videmus: Vtrisque ad animum occurrit, vnum esse illud tempus, quo maximè contendi conueniret: id est, Et Gallis & Romanis in mentem veniebat.

Si rem obtinuerint.] Si in ijs defendendis superiores euaserint.

Iniquum loci ad decliuitatem.] Sic Steph. Ald. verò & pleriq; impressi, Exiguum. quod valde probo: sed multò magis, si pro *Ad*, legeretur *In*. vt sit sensus: Exiguum loci fastigium magnum habet in decliuitatem momentum.

Agger ab vniuersis.] Aggerem hoc loco pro glebis, & frondibus ac virgultis, quibus agger extruebatur, posuit. vt alijs locis.

Aggere & cratibus aditus expediunt.] Sic Ald. Stephan. verò Aggere & cratibus fossas implent. Ego vtrunq; coniungendum censeo: Fossas implent, Aditus expediunt.

Ex colore vestitus.] Purpureo, vt opinor. Plut. in Bruto: τὸν δὲ Βροῦτον ὁ Ἀντώνιος ἀνευρὼν τεθνεῶτα, τὸ μὲν σῶμα τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων περιβαλεῖν ἐκέλευσεν. ὕστερον δὲ τὴν φοινικίδα κεκλεμμένην αἰσθόμενος, ἀπέκτεινε τὸν ὑφελόμενον. Hircius de bello Africo. Cùm Scipio sagulo purpureo ante Regis aduentum vti solitus esset, dicitur Iuba eum coegisse, nõ oporterẽ illum eodem vti vestitu atque ipse vteretur. Itaque factum esse illico, vt Scipio ad album sese vestitum transferret.

Nostri omissis pilis.] Sic Steph. Magis placet *Emissis*, vt est in Ald.

Hostes terga verterunt.] Stephan. Hostes ergo terga verterunt. Liuius lib. 1. Nec manere ergo, nec transire ausus, &c.

Duces producuntur.] Plutarchus in hoc Producendi verbo, vt in alijs non paucis, ab interprete deceptus, putauit idem esse quod pompæ causa

transfuchi. Scribit enim Vercingetorigem armis pulcherrimè indutum, equo ornato vectum, ter circum Cæsaris tribunal obequitâsse, deinde proiectis armis Cæsari ad pedes procubuisse. Sed ecce alias rursus fabulas. Nam Dio lib. 40. scribit, Vercingetorigem nullo antea misso internuncio repentè ad Cæsarem venisse, multosq; illo inopinato aduentu perturbatos fuisse. Addit autem illum à Cæsare in triumphum ductum ac necatum.

Ciuitates recuperare.] Æduorum & Aruernorum Rempubl. conciliare: in gratiam & amicitiam cum Cæsare reducere. nam reliquarum ciuitatum milites præter illas duas in hostium numero habuit.

Harum rerum literis.] Ald. Huius anni rebus cognitis. Steph. His literis cognitis. Placet Faërni liber: His rebus Cæsaris literis cognitis.

Supplicatio indicitur.] Stephan. & alter antiquiss. *Redditur.* Post hæc autem miniatis literis scriptum In Stephanico ita erat: *Iulius Celsus Constantinus legi commentarios Cæsaris.*

Liber VIII.

CAP. I.

SVetonius in Iulio: Reliquit & rerum suarum Commentarios Gallici, ciuilisq; belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africiq;, & Hispaniensis incertus auctor est. Alij enim Oppium putant, alij Hircium, qui etiam Gallici belli nouissimum, imperfectumq; librum suppleuerit.

Inertiæ deprecationem.] Vt mihi per te inerti esse liceret.

Rerum gestarum Galliæ.] Sic locutus est, pro, In Gallia, infrà capite 8. Sed multò durior illa verborum traiectio est: huic tamen scriptori familiaris. Nam quod Comparentibus, nonnulli restituunt, pro Comparandis, planè absurdum est.

Prærepta facultas.] Cicero in Brut. Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem probandos: nudi enim sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta. sed dum voluit alios habere parata, vnde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines à scribēdo deterruit. nihil enim est in historia pura & illustri breuitate dulcius.

Aliter audimus.] Minùs attentè.

Pro testimonio.] Vt in historia scribenda. nam qui scribit historiam, quasi pro testimonio dicit ea, quæ narrat: & quasi ex visu ea percepta habuerit. nam ἐξ ἀκοῆς dicta putatur.

Coniurationes facere.] Initiū belli inferendi communi totius Galliæ consilio certam in diem conferre.

Resisti posse Romanis.] Hoc cum alijs locis, tum præsertim apud Alesiam est cognitum: vbi ducenta quadraginta millia exteriorum hostium, octoginta delecta interiorum profligauit.

Non poterant contineri.] Vt intelligi possit magnā admodum Bituriguum potentiam fuisse: præsertim ampliùs xx. oppidis vno die incendio absumptis.

Vulgare incursionis signum.] Sic lib. 5. cap. 12. Tum fumi incendiorum procul videbantur, &c.

Quantum in ratione esset.] Quantum humana ratione prouideri poterat.

Imparatis defectisq;.] Stepha. & nonnulli veteres impressi, Defectisq;. quomodo sine dubio legendum est. Nam Defectū, pro eo cui quid deficit, Veteres dixisse, nemo mediocriter eruditus ignorat.

Expeditionum munus iniungebat.] Stephan. & Aldin. *Onus.*

CAP. II.

A*Vlercos.*] Aulercos Eburones (vt opinor) significat.

Impedita circumdatum palude.] Meliùs Stephan. & Aldin. Locum castris excelsum in sylua circundata palude. nam mox vlteriorem syluam nominat.

Veterrimas legiones.] Sic Stephan. & Ald. Alij impressi *Veteranas.* quod magis placet. quoniam in libro primo, cap. 10. quatuor veteranorum legiones sese habuisse scribit.

Agminis ratio.] Hunc eundem ordinem Cæsar se tenere solitum scribit, cùm hostes propinquarent. lib. 2. cap. 5.

Quæ legiones.] Sic Ald. & multi impressi. At Stephan. sic, Cùm repentè instructas velut in acie certo gradu legiones accedere Galli vident, &c. Quæ lectio, cùm auctorem tam bonum librū habeat, causaq; cur mutetur, nulla sit, à nobis sine dubio retinenda est.

Loriculamq;.] Sic Stephan. & Aldin. & alij innumeri. Faërn. & Vrsinus restituunt Cotonis. sed dictum est superiore libro, Loricam esse structuram in muris, quam vulgus hodie Parapettum appellat, quod pectus vt lorica muniat.

Lateribus directis.] Dixi eodem libro, fossam lateribus directis esse, quæ ad perpendiculum excauata est.

Quo propior hostium vallo.] Placet consensus Faërnini, Vrsini, & Stephanici: Alter qui propior hostem in ipso vallo collocatus esset.

Barbari nitebantur.] Stephan. Ald. Inflabantur. quod etiam propter huius scriptoris, & Cæsaris consuetudinem retinendum est.

Loci natura muniti.] Sic Stephan. & Ald. Alij, Loci, in secundo casu. quod sine dubio rectum est.

Inflammantur atque incitantur.] Sic Steph. Aldinus verò Inflantur. vtrunq; rectè.

Equitibus interpositi.] Hac de re dictum est lib. 1. cap. 17. & lib. 3. cap. 16.

Paucisq; in resistendo.] Steph. & Ald. Paucisq; resistentibus interfectis.

An aduersis mediocribus timidiores.] Sic Aldin. At Stephan. An aduerso mediocri casu. quod æquè placet.

CAP.

CAP. III.

C*Astrorum vias instruunt.*] Steph. multò meliùs, Copias armatorum in suis instruunt castris. Quod etiam video quosdam scribere se in manuscriptis alijs codicibus reperisse.

Ascensu lacessendos.] Stephan. Cæsar neque resistentes aggrediendos tanto collis ascensu iudicabat.

Diutius permanere sine periculo.] Sic Steph. Aldi. tamen, Sine cibarijs. quam cõtrouersiam veterum librorum numerus disceptabit.

Superioribus commentarijs.] Non sanè declaratum, sed leuiter tantummodò significatum est lib. 3.c.5. vbi locum annotauimus.

Per manus frumentorum.] Faërnus verborum ordinem immutat. sed qui Cæsaris in traijciẽdis verbis consuetudinem, & huius imitatoris attendet, nihil sine veteris auctoritate Codicis immutabit.

Equorum insidias veriti.] Hæc traiectionum importunitas, qua Hirtius delectatur, cum huic loco, tum alijs compluribus obscuritatem attulit. Ordo est: Vix priores partes equorum suorum aduerterent. Tum deinde insidias veriti, &cæt.

Qua consuetudine.] Sanè in Steph. ita legitur, vt in multis impressis. Qua consuetudine pabulatoribus mittere præsidio consueuerat. Sed absurdior locutio videtur: & Aldina lectio probabilior: Equitatumq; quem ipse pabulatoribus mittere præsidio consueuerat, &c.

Velut indagine.] Apta similitudo, & ad loci naturam, & ad hostium cõsilium, qui Romanis easdem insidias tendebant, quas venatores explicata indagine feris ponere consueuerunt.

Primus cum paucis se ostendit.] Placet Stephan. & Faërn. Primum.

Propter aliquam timorem.] Insignis sententia syllabæ vnius vitio deprauata. Restituendum *Timor* in primo casu. neque in re perspicua vllo argumẽto est opus.

Pari marte.] Pari certamine, ancipiti prælio, vario certamine. Alibi Cæsar vsurpauit de loco.

Haud inuitantibus nostris.] Sic Aldin. Meliùs Stephan. Aut.

Abesse quam octo millibus.] Vox *Quam* sine dubio delenda est. Eius autem loco in Ald. & Stepha. ita reperio: Non longiùs ab ea cæde abesse plus minùs octo millibus passuum, &c.

Cognita calamitate.] Vrsin. hoc delet. Ego in illum locum restituo: Cognita calamitate omnibus aduersis. Nam ex illis paucis ex fuga receptis calamitatem cognitam significat. Et paulò pòst perturbationem notabimus.

Sine vlla perfidia.] Insignis Philosophiæ locus: An contra perfidum vti perfidia liceat. simpliciter detestandam esse perfidiam, satis multis locis Cæsar ostendit.

Permotus celeriter.] Locus sine dubio deprauatus. In Steph. legitur, Permotus vel celeriter. Vrsinus ex suo commodissimè locum restituit: modò particula *Et*, addatur hoc modo: Et centurio, velut insueta re permotus vellet hominem conficere, celeriter à familiaribus prohibitus Cominij, non potuit.

In conspectum cuiusquam Romani.] Nunquam Romano cuiquam fidem habiturum.

CAP. IIII.

A*D præsens imperium.*] Sic Steph. & Ald. Nonnulli ad præsens periculum. quod non placet. Nam sensus est: Ad victorum insolentiam euitandam.

In illis regionibus praerat.] Erat, legendum est, vt in Steph. Faërn. & Vrsin.

Togatam Galliam.] Quam eandem & citeriorem & Cisalpinam Cæsar appellat.

Impetu illorum.] Steph. & Ald. Quia repentino latrocinio atque impetu incolę illorum erant oppressi. Probabilior tamen vsitata videtur.

Proximum suæ dignitatis.] Duas postremas voces Faërnus tollit. Si ex libri veteris auctoritate, probo. sin minùs, nihil muto.

Vastare ciuibus.] Sic omnes lib. Et potest esse sensus, Regionem vastari ciuibus, cùm multi interficiuntur. Itaque Orosius: Horrenda (inquit) hominum strage vastauit. magis tamen placeret, *Vicis.* si modò vetus aliquis liber adiuuaret.

Dumnaco Duce Andium.] Steph. Adimmaco. sed neque alijs locis sibi constat, & Orosius nomẽ hoc prodit.

In omnes partes finium.] Sic Steph. Mendosè. Ald. In omnes fines partium.

C. Caninij certior.] Steph. C. Caninij Rebili certior.

Et Romanum & externum.] Nonnulli reponebant: Et Romanum exercitum sustinere hostem. quod non placet. Nam externum hostem appellat, quem Cæsar superiore libro Exteriorem dixit. Interiores enim Cæsar hostes appellauit eos, qui sunt in oppido. Quare tollatur particula *Et*, locus erit integerrimus.

Propter magnitudinem constratum.] Sic Ald. *Transeundum*, quod sine veteris auctoritate codicis mutandum non est.

Sub sarcinis.] Dixi superiùs quodam loco.

Omne agmen morarentur.] Sic Steph. Vrsinus ex suo & Faërn. libro tollebat, *Agmen*. Sed puto illum ita scripsisse pro *Omne*.

Confligit audacius.] Sic Steph. Aldinus verò, Consistit.

Subsistentes equitibus.] Ita placet, cùm in Steph. legatur, Subsistentibus.

CAP. V.

E*Xulibus omnium ciuitatum receptis.*] Steph. Ascitis. Aldin. Accitis. vulgata magis placet.

Millibus ex fuga quinq.] Steph. & Ald. Non ampliùs hominum duobus millibus ex fuga collectis, &cæt.

Liberum vagandi.] Placet. Stephan. Liberè vagandi.

Circundare moratur.] Sic Steph.& multi impressi. Aldinus verò *Conatur.* quod ob imperitissimo confictum, facilè paulò pòst intelligitur.

Dispositа præsidio habeat.] Sic valdè placet. quanuis in Steph. Disponat.

Intra millia passuum x.] Sic Ald. Steph. tamen: A millibus non amplius x i i.

Summa velocitatis.] Rectissimè. vti patet ex lib. 1. capite 17. Stephanicus mendosissimè, Felicitatis.

Intra castra distribuit.] Faërn. ex suo lib. In terna castra. quod valdè placet, cùm infrà dicat, eum præsidia dimisisse.

CAP. VI.

Concursu maximo militum.] Sic Stephan. rectissimè, cùm in Ald. vitiosissimè legatur, *Consensu.* Nam coactum Cæsarem concursatione & flagitatione significat.

Verberibus exanimatum.] Hoc erat more maiorum, supplicium de damnato sumere. lib. 6. ca. vltimo.

Vnam æstatem.] Nam hic erat annus imperij Cæsaris octauus: Ser. Sulpicio, M. Marcello Coss.

Magna etiam.] Præclarè hunc locum Faërnus & Vrsinus ex suis libris restituerunt: Et iam magna parte suorum siti amissa, in sententia permanerent.

In Belgio.] Permaneo in sententia, & Belgis, vbique legendum arbitror. nusquam enim istiusmodi nomen in alijs gentibus Cæsar finxit. Sic paulò pòst: In Belgas, pro, In Belgium.

Vulnera per fidem antepositam.] Steph. & Ald. Perfidia interposita.

L. Paulo, C. Marcello Coss.] Pantagathus & Vrsinus reponunt, L. Lentulo. Sed aduersatur ordo annorum ac fastorum, quem initio posui. Nam is annus, quem in sequentem appellat, est ipsius imperij & belli Gallici nonus.

Aqua prohibere hostem.] Frontinus lib. Stratag. 3. cap. 7. C. Cæsar, inquit, in Gallia, Caduceorum ciuitatem amne cinctam, & fontibus abundantem ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis auertisset, & fluminis vsum per sagittarios arcuisset.

In infimis.] Steph. Sic enim imis radicibus montis ferebatur.

Dimicationis periculo.] Placet Vrsin. Dimicatione & periculo.

Agger in altitudinem pedum nouem.] Steph. Pedum sex. Sed illud verisimilius est. nam Orosius scribit, aggerem & turrim pedum L x. fuisse. Cùm autem tabulata x. essent, oportet singula quinque pedes alta fuisse.

Fortissimo sustinebant animo.] Ità est in Stephan. & Lugdunensibus, quamuis in Ald. legatur, Paratissimo. sed hoc parui refert.

Vt quisq.] Vrsin. ex suo, Quem quisque. Idem est in Steph. Sed nihil mutandum arbitror.

CAP. VII.

Sacerdotij petitionem.] Vt in Augurum Collegium allegeretur.

Cæsaris decedentis.] Ald. Recedentis. Neutrum magnoperè placet. Commodiùs legeretur, Absentis, si à vetere quopiam adiuuaremur. Alioqui, Decedentem interpretaremur de prouincia & Gallia. Nunc video in editione Vrsini, *Intercedentis.* opinor ex vulgata consuetudine, qua Intercedere dicimus pro deprecari. sed Vrsino Latinæ linguæ ratio aduersatur.

Cuni commendaret petitione.] Sic Stephan. & Aldin. & alij innumeri. nonnulli Lugdunenses sustulerunt *Petitione.* Sed commodiùs ita emēdabitur: Et honorem suum in sequentis anni commendaret petitionem. At nunc video idem Faërno & Vrsino placuisse, apud quos tamen Petitione pro Petitionem scriptum est.

Consules creatos.] Obscurè loquitur. nisi fortè vel Creatos dixerit, pro Designatos. quod fiebat mense Sextili, comitijs consularibus: vel Creandos legendum sit. Sed illud probabilius est.

Sibi coniunctus.] Dura locutio, pro Ipsi. & subauditur, Cæsari.

Necessitudine legationis.] Ser. Galbam legatum quoque nominerat Cæsar initio lib. 3. Malè in Steph. & quibusdam legitur, Consuetndine.

T. Labienum.] Hic est T. Labienus, qui cùm Cæsaris Legatus in Gallia decem annos fuisset, tamen ab eo discessit: & Pompeij se partibus adiunxit.

Propter salubritatem.] Nam huius autumni pestilentia tentatum suum exercitum fuisse, posteriùs lib. 1. testatur.

C. Curio Tribunus pl.] Hic est C. Curio, Tribunorum, vt Suetonius scribit, violentissimus. qui de principio Cæsari aduersatus, pòst tamen in eius partes transijt. Cœlius in Epist. ad Cic. Quod tibi suprà scripsi, Curionem frigere: Iam calet. nam feruentissimè concerpitur. bellissimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum: & pro Cæsare loqui cœpit. Itaque Epito. 109. C. Curionis, inquit, Tribuni pl. primùm aduersus Cæsarem, deinde pro Cæsare actiones continet. Plutarch. in Pomp. scribit, Curionem hunc à Cæsare magno ære alieno liberatum, atq; ita in ipsius partes adductum. Hoc autem illius postulatum totidem propè verbis cōmemorat. Et in eandem sententiam scribit Dio lib. 40. & Velleius libro 2.

Fore eo facto.] Valdè placet Vrsin. & Faërn. librorum scriptura, Fore eo pacto.

Discessionem facere.] Faërn. & Vrsin. & Manut. Per se Senatus. quibus non assentior: quanuis per discessionem fieri S. C. soleret. Sensus est: Curio discessionem fecit, vt qui suam sententiam sequerentur, ijdem pedibus in suam partem discederent. Plutarch. scribit, cùm ij, qui solùm Cæsarem arma deponere, Pompeium magistratum retinere censerent, discessionem fecissent, plerosque omnes in eorum sententiam pedibus iisse. cùm iterum discessio facta esset ab ijs, qui dimisso exercitu priuatū vtrunq; esse censerent, pro Pompeio viginti duos

ti duos solum, pro Curione reliquos omnes stetisse. Appianus autem lib. de bell. ciuil. 2. in hoc numero c c c L x x. posuit.

Consules.] L. Paulus, C. Marcellus.

Iusserunt.] In quibusdam annotatum video *suaserunt.* quod probabilius videtur. Valdè placeret, Intercesserunt. vt Octau. Pantagathus restituit: si modò libris auctoribus id fecit.

Nam Marcellus.] M. Marcellus, qui proximo superiori anno cum Ser. Sulpitio Cos. fuerat. Huius autem rei totius historia extat in Epist. Cœlij ad Cic. lib. Fam. 8. epist. 8. & 13.

Contra legem Pompeij & Crassi.] Liu. Epit. 107. Lex lata est, vt ratio absentis Cæsaris in petitione Consulatus haberetur, inuito & contradicente M. Catone. Locus hic ostendit, Cn. Pompeium, C. Licinium Crassum Coss. legem hanc tulisse, de qua tamen operæprecium est audire quod Suet. scribit in Iul. Acciderat autem, vt Pompeius legem de Iure Magistratuum ferens, eo capite quod à petitione honorum absentes summouebat, ne Cæsarem quidem exciperet, per obliuionem: ac mox, lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Ciceronis autem lib. ad Attic. 8. hæc verba sunt: Idem etiam (de Pompeio loquitur) contendit, vt x. Tribuni pl. ferrent, vt absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit, lege quadam sua: M. que Marcello Cos. finienti Prouincias Gallias Kalend. Martijs restitit.

Retulerat de Cæsaris prouincijs.] Liu. Epit. 108. Prætereà contentiones inter Coss. de successore C. Cæsari mittendo agente in Senatu C. Marcello Cos. vt Cæsar ad petitionem Consulatus veniret, cùm is lege lata in id tempus Consulatus prouincias obtinere deberet.

Cæsari eam dedit.] Verbum *Cæsari* tollendum videtur. nam Pompeius eam legionem, quam Cæsari miserat, Reip. quasi de suo numero ad bellum Parthicum attribuit. Plutarch. in Pompeij vita scribit, eum belli Parthici prætextu eos milites repetijsse, quos ei commodârat. quos Cæsar, etsi causam non ignoraret, viritim c c L. denarijs donatos ei remisit. Idem scribit Dio lib. 40.

Vni Cæsari detrahuntur.] Pompeius, inquit Dio lib. 40. ex his quas secum habebat, nullam dedit: sed eos qui huic negotio præfecti erant, iussit eam legionem à Cæsare petere, quam ei commodârat. Ita cùm vterque videretur vnam legionem dare, re ipsa Cæsar ambas dedit.

Ad bellum Parthicum.] In quo M. Crassus interierat. Dio scribit, Bibulo id bellum mandatum fuisse. lib. 40.

Fit deinde S. C.] De hoc meminit Cæsar lib. Ciuil. 3. c. 17.

Se expoliari.] Legendum videtur, Ea se expoliari.

Ex suo numero.] Rectè sic: Cùm in alijs quibusdam legatur, Et suo nomine. Numerum autem intelligit x. Legionum, quæ attributæ illi fuerant.

Per M. Marcellum.] Corrigatur vt in alijs nonnullis: A Paulo & Marcello Coss.

Ablegatas.] Primam, quam à Pompeio: & decimamquintam.

FRANC. HOTOMANVS
LECTORI S.

NON *sum nescius (Lector) operam me iuuentuti perutilem nauaturam fuisse, si nomina gentiũ, regionum, vrbium, ac locorum, quibus his in Libris Cæsar vtitur, cum ijs, quibus hoc tempore vtimur nominibus, contulissem: vt quo quidq; loco gestum esset, notari iam à quoq; & animaduerti posset: eamq; suauissimam animorũ oblectationem futuram fuisse. Sed primùm omnium affirmo, illud opus esse non priuati & tenuis alicuius hominis, præsertim in vmbraculo & Bibliotheca sua consenescentis: sed Regis ac satrapæ cuiuspiam, qui sibi vetus illud Antonini aut Ptolomæi præclarum exemplum imitandum proponeret. non enim solis Gallis, sed Germanis, Heluetijs, Allobrogibus, & Britannis danda opera fuisset. neq; verò in Libris tantùm de bello Gallico opera illa sumenda, verùm etiam in ijs, qui de bello Ciuili conscripti sunt: qui sine Italiæ, ac præsertim Hispaniæ totius cognitione & comparatione plenè intelligi non possunt. Prætereà quantùm ad Germaniam attinet, video quidem eruditos viros complures bonam piamq; operam patriæ suæ nauâsse: Henr. Glareanum, AEgidium Tschudum, Altamerum, Thomam Hubertum, Iohannem Rhellicanum: & qui longè reliquis omnibus antecellit, Beat. Rhenanum. verùm illi tam parum inter se constant, atq; adeò tam multa perspicuè pugnantia tradiderunt, vt nihil propemodum certi atque explorati relique-*

reliquerint. In Gallia verò nostra, quis est, qui vel minimum in tam præclaro instituto laborem posuerit? quod magno gentis nostræ cum pudore fatendum est. quæ, vt olim AEgyptij à suis Tyrannis in molibus ac pyramidibus extruendis occupati fuerunt, ne cui meliori cogitationi locũ relinquerent, sic tota propè in litibus sectandis, & forensibus, ac rabularijs negotijs ætatem consumit. Itaque Raymundi Marliani, doctissimi viri, libellum de Galliæ & Germaniæ regionibus conscriptum relinquendum putauimus: tantisper dum Heros aliquis existat, qui Cæsaris librorum studiosus, vel potiùs virtutis æmulus, negotium eius rei conficiendæ quàmplurimis doctis viris, magnis propositis præmijs, committat. Intereà eam partem Itinerarij Antonini, quæ ad Galliam nostram pertinet, adhibendam curauimus: simulq́; Regum ac Principum Gallorum, Germanorum, ac Britannorum nomina, literarum ordine nuper à nobis animi causa descripta in hanc appendiculam retulimus.

EX ITINERARIO ANTONINI AVGVSTI, Galliarum Prouinciæ X V I.

Viennensis. Narbonensis I. Narbonensis I I.
Aquitanica I. Aquitanica I I.
Nouem Populania. Alpes Maritimæ.
Bellica I. Bellica I I. in qua transitus ad Britanniam, id est, Remus.
Germania ptima super Rhenum, in qua est Magontia.
Germania I I. in qua est Agrippina.
Pouincia maxima Sequanorum, in qua est Vesontiacensis.
Prouincia Alpinm Gratarum & Penninarum, in qua est Tarantasia.
Aquitania Viennensis idem Metropolis. Aquitania I. in qua est Bituricum.
Prouincia I I. in qua est Burdigala.
Nouem Populania, in qua est Aussua.
Narbonensis I. in qua est idem Metropolis.
Narbonensis I I. in qua est Aqnensis.
Lugdnnensis I. in qna est Lugdunum.
Lngdunensis I I. super Oceanum, in qua est Rotomagus.
Lugdun. I I I. in qua est Turonis.
Lugdun. I I I I. in qua est Sennis.

METROP. PROVINC. LVGDVN. I. CIVI. LVGD. *Num.* IIII.

Cin. Eduorum
Ciu. Lingonum
Castrum Caballionensis
Castrum Matisconense.

METROP. PROVIN. LVGD. II. CIVI. *Numero* VII.

Cin. Rotomago
Ciu. Baiocassium
Ciu. Abricantum
Cin. Ebroicorum
Ciu. Salarum, id est, Saiorum
Cin. Lexouiorum
Ciu. Constantia.

PROVINC. LVGD. III. CIVI. *Numero* IX.

Metrop. Ciu. Turonum
Ciu. Cennomanorum
Ciu. Redonum
Ciu. Andicauorum
Ciu. Namnetum
Ciu. Corisopitum
Ciu. Cianctium, id est, Venetum
Ciu. Ossismorum
Ciu. Diablintum.

PROVIN. LVGD. IIII. CIVI. *Numero* VII.

Metr. Ciu. Senonum
Ciu. Carnorum
Ciu. Antisioderum
Ciu. Tricassium
Ciu. Aurelianotum
Ciu. Parisiorum   Ciu. Melduorum.

BELLICA. I. CIVI. *Numero* IIII.

Mett. Ciu. Treuerorum
Ciu. Mediomatricorum, id est, Metris
Ciu. Leucorum, id est, Tullo
Ciu. Veredonensium.

BELLICA. II. CIVI. *Num.* XII.

Metr. Ciu. Remorum
Ciu. Suessionum
Ciu. Catalaunorum
Ciu. Veromannotum
Cin. Atrauatum
Ciu. Camaracensium
Ciu. Turnacensium
Ciu. Siluanectum
Cin. Bellouacorum
Ciu. Ambianensis
Ciu. Morinnm, id est, Ponticum.
Ciu. Bononensium.

PROVINC. GERM. I. CIVI. *Num.* IIII.

Metr

Metr. Ciu. Magontiacensis
Ciu. Argentoraceusium
Ciu. Nemetrum, id est, Spira
Ciu. Vangioneu: id est, Vvormen.

PROVINC. GERM. II. CIVI. Numero II.

Metr. Ciu. Agrippiuensis, id est, Colonia
Ciu. Tungrorum.

PROVINC. MAXIMA SEQVANORUM CIVI. Numero X.

Metr. Ciu. Vesontiensis
Ciu. Equestrium, id est, Neuiduno
Ciu. Eluntiorum, id est, Aueuticum
Ciu. Noidenolex Auenticus
Ciu. Basilienfium, id est, Basilia
Cast. Vindonisse
Cast. Ebrodunense
Cast. Argentariense
Cast. Rauracinse, id est, portus Abucina.

PROVINC. ALPIUM GRATIArum, & Penninarum CIVI. Num. II.

Metr. Ciu. Centronium, id est, Tarantasia
Ciu. Valensium, id est, Octodorus.

ITEM IN PROVINCIA. PROVIN. Viennensis CIVI. Num. XIIII.

Metr. Ciu. Vienneusium
Ciu. Gennaueusium
Ciu. Gratianopolitano
Ciu. Albensium. Ciu. Viuario
Ciu. Decensium
Ciu. Valentinorum
Ciu. Auenicorum
Ciu. Arelatensium
Ciu. Carpentoratensis, *Num.* VI. Ndausca
Ciu. Massiliensium
Ciu. Ricartinorum
Ciu. Vasionensium
Ciu. Arausinorum
Ciu. Cabellicorum.

PROVINC. AQVITANIA. I. CIVI. Numero IX.

Metr. Ciu. Bitaricum
Ciu. Aruernorum
Ciu. Rotenorum
Ciu. Abigensium
Ciu. Cadorcorum Ciu. Lemauicum
Ciu. Gabalum Ciu. Vellauorum.

PROVINC. AQVITANIA. II. CIVI. Numero VI.

Ciu. Bardegaleusium
Ciu. Agenneusium
Ciu. Etolismensium
Ciu. Santonum
Ciu. Pictauorum
Ciu. Petrogoriorum.

PROVIN. NOVEM POPOLONIA, CIVI. Num. XII.

Metr. Ciu. Ausciorum
Ciu. Aquensium
Ciu. Lastoracium
Ciu. Conuenarum
Ciu. Consantanorum
Ciu. Boatum, quod est Bot.
Ciu. Beranensium, id est, Benalnas
Ciu. Atutensium
Ciu. Vasatica
Ciu. Tursaubica Ttalugorra
Ciu. Elloronensium
Ciu. Ellosaticum.

PROVINC. NARBONEN. CIVI. Numero VIII.

Metr. Ciu. Narbonensium
Ciu. Tolosatum, id est, Tolosa
Ciu. Betertensium
Ciu. Agateusium
Ciu. Nemausensium
Ciu. Magalonensium
Ciu. Lutuensium, id est, Lutaua Castrum
Cast. Vcetiense.

PROVINC. NARBONEN. II. CIVI. Numero VII.

Metr. Ciu. Aquensium
Ciu. Abtensium
Ciu. Retensium, id est, Reias
Ciu. Foroiuliensium
Ciu. Appencensium.
Ciu. Segesterorum
Ciu. Antipolitana.

PROVIN. ALPIUM MARITIMArum, CIVI. Num. VIII.

Metr. Ciu. Ebreduno
Ciu. Diniensium, id est, Dina
Ciu. Rigomagensium
Ciu. Sollinienfium
Ciu. Saniciensium, id est, Sanicisio
Ciu. Glannatenna
Ciu. Cemelenansium
Ciu. Vensiciensium, id est, Ventio.

Nomina Regum & Principum barbarorum.

ADeantuannus, Aquitanus, bello Sontiatum summam Imperij tenebat, & Oppidum à Cæsare oppugnatum defendebat. lib. 3. c. 6.

Ascus & Roscillus, Allobroges, duo fratres, Abducillifilij, qui principatũ in ciuitate multis annis obtinuerat, singulari virtute homines, quorum opera Cæsar omnibus Gallicis bellis optima fortissimaq; vsus erat, à Cæsare ad Pompeium defecerunt. lib. Ciuil. 3.

Ambiorix, Rex dimidiæ partis Eburonum. lib. 5. c. 8. & lib. 6. c. 6. Imperia erant eiusmodi, vt non minùs haberet iu se Iuris multitudo, quàm ipse in multitudinem. lib. 5. c. 8.

Antebrosius, Rhemus, primus suæ ciuitatis, legatus ad Cæsarem à suis missus. lib. 2. c. 1.

Ario-

Ariouistus, Rex Germanorum, à Sequanis mercede conductus aduersus AEduos, in illorum finibus annos quatuordecim consederat. libro I. cap. 12. Rex atque amicus à Senatu appellatus fuerat Cæsare Consule. cap. 13. & 15. Galliæ ciuitates, quæ aduersus ipsum coniurârant, vno prælio fuderat, stipendiariasq; sibi reddiderat. lib. primo, cap. 16.

BEllouesus Tarquinio regnante ab auunculo Ambigato Celtarum Rege delectus, qui Italiam occuparet. à Cæsare non nominatur: sed à Liuio lib. 5.

Boduognatus, Dux Neruiorum, qui summam Imperij tenebat, cùm illi aduersus Cæsarem pugnarent. lib. 2. c. 7.

CAbutus, Princeps ciuitatis Heluiorum, cuius filius C. Valerius Donataurus anno belli Gallici septimo interfectus est. lib. 7. c. 12.

Camulogenus, Aulercus, singulari scientia rei militaris, ad eum est honorem euocatus, vt Parisij & finitimæ ciuitates ei summam imperij deferrent, anno belli septimo. lib. 7. c. 11.

Cassiuellaunus, Britannus, cui, cùm Cæsar in Britanniam exercitum traduxisset, summa Imperij belliq; administrandi communi Britannorum consilio permissa est, lib. 5. c. 5.

Caruilius, Rex in ea parte Britanniæ, quæ est ad Cantium, & tota maritima est, Cassiuellauni imperio castra naualia Cæsaris improuiso adoritur. lib. 5. c. 7.

Casticus Catamanteledis filius, Sequanus, libro I. c. 2.

Catamantales regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à Senatu, populoque R. amicus appellatus erat. lib. I. c. 5.

Catiuulcus, Rex dimidiæ partis Eburonum, frater Ambiorigis. libro quinto, cap. 7. & libro 6. capite 6.

Cauarillus, AEduus, pedestribus illorum copijs, quæ ad Cæsarem missæ fuerant, præfectus, lib. 7. ca pite IX.

Cauarinus, Seno, quem Cæsar apud Senonas Regem constituerat, regno domoque à suis expulsus, ad Cæsarem confugit. lib. 5. cap. 13. Eum Cæsar Senonum equitatui præfecit, lib. 6. ca. primo.

Cimberius, Dux Sueuorum, frater Nasuæ, qui centum Sueuorum pagos primo Gallici belli anno ad Rheni ripas subsidio Sequanis adduxerat, Rhenumque transire conabatur. libro primo, cap. octauo.

Cingetorix de Treuirorum principatu contendebat cum Induciomaro. lib. quinto, cap. 2. cuius erat gener, mansitque in fide Cæsaris, lib. quinto, cap. 13. Alter fuit Britannus, Rex in ea parte, quæ est ad Cantium, qui Cassiuellauni imperio castra Cæsaris improuiso adortus est. lib. quinto, cap. septimo.

Comius, Atrebas, quem Cæsar Atrebatibus Regem constituerat. lib. 4. c. 5.

Conetodunus, & Cotuatus, Carnutes, desperati homines, quibus ducibus Carnutes anno septimo arma sumpserunt. lib. 7. c. I.

Conuictolitanis, AEduus, florens & illustris adolescens, qui summum Magistratum, quem illi Vergobretum appellant, in sua ciuitate obtinebat. lib. 7. c. 6.

Corbeus, Bellouacus, Dux suæ gentis, in bello aduersus Romanos, anno octauo, vnà cum Commio Atrebate. Ei populi R. nomen odio summo erat. lib. 8. c. 2.

Cotus, AEduus, antiquissima familia natus, homo summæ potentiæ & magnæ cognationis. Vergobretus in sua ciuitate renunciatus. lib. 7. capite sexto.

Critognatus, summo in Aruernis natus loco, & magnæ habitus auctoritatis. Alesiæ summam imperij tenebat. suasit, vt qui ad bellum inutiles essent, eorum corporibus Oppidani vitam tolerarent. lib. 7. c. 14.

DIuico, Heluetius, Princeps legationis ad Cæsarem missus. lib. I. c. 2.

Diuitiacus, AEduus, principatum in ciuitate sua obtinebat, cui Cæsar ex alijs Gallis maximam fidem habebat, Romanorũ aduentu in antiquum locum gratiæ atq; honoris restitutus est. Eius summum erat in Populum Ro. studium. Itaque ipsius suasu Cæsar de Gallia occupanda consilium sumpsit. lib. I. c. 3.

Drapes, Seno, vt primùm Gallia defecit, collectis vndique perditis hominibus, impedimenta & commeatus Romanorum intercepit. lib. 8. c. 4. Captus à Caninio, paucis diebus sese cibo abstinuit, atque ita interijt. libro octauo, capite septimo.

Dumnacus, Dux Andiũ, anno octauo Lemouicum oppugnauit. lib. 8. c. 4.

Dumnorix, AEduus, frater Diuitiaci AEduorum Principis, gratia & largitione apud Sequanos plurimùm poterat. libro primo, cap. 4. Equitatui AEduorum præerat. In Cæsarem perfidus, cap. septimo. ob rebellionem interfectus, libro quinto, cap. 3.

Duracius, Picto, qui perpetuò in amicitia Ro. permansit. lib. 8. c. 4.

EPasnactus, Aruernus, amicissimus populi R. qui Lucterium Cadurcum cepit, & vinctum ad Cæsarem adduxit. lib. 8. c. 7.

Eporedorix, AEduus, summo loco natus adolescens, & summæ domi potentiæ: qui de principatu cum Viridomaro contendebat, lib. 7. ca. 7. quo duce ante aduentum Cęsaris AEdui cum Sequanis bello contenderant. lib. septimo, cap. duodecimo.

GAlba, Rex Suessionum, XII. Oppidorum dominus, ad quem Belgæ anno belli Gallici secundo propter iustitiam prudentiamq; summam totius belli detulerant, & ad id bellum millia armata quinquaginta pollicebatur. lib. 2. cap. I. Eius duo filij Nouioduno capto, Cæsari obsides dati sunt. lib. 2. c. 4.

Gobanicio, Aruernus, Vercingetorigis patruus, Aruernorum princeps. lib. 7. c. I.

Gutur-

Guturnatus, Princeps Carnutum, rebellione & bello concitato, captus, & verberibus exanimatus, securi percussus est. lib 8.c.6.

ICcius, Rhemus, primus suæ ciuitatis, legatus ad Cæsarem à suis missus. lib.2.c.1.

Immanuentius, Britannus, qui in ciuitate Trinobantium regnum obtinuerat. lib 5. capite septimo.

Induciomarus, de Treuirorum principatu cum Cingetorige contendebat. lib.5.c.2.

LIscus, AEduus, summo Magistratui in sua ciuitate præerat. lib.1.c.7.

Litauicus, AEduus, amplissima familia natus, præfectus decem millium militum, quæ Cæsari ad bellum ab AEduis missa sunt. lib.7. cap.7. 8. & decimo.

Lucterius, Cadurcus, homo summæ audaciæ, à Vercingetorige Imperatore in Ruthenos missus. lib.7.c.1. eam ciuitatem Aruernis conciliauit. lib. 7.cap.2.

MAndubratius, Britannus adolescens, qui Cæsaris fidem secutus, ad eum in continentem Galliam venerat: cuius Pater Immanuentius regnum in Trinobantium ciuitate obtinuerat, interfectusque erat à Cassiuellauno. lib.5. capite septimo.

Moritasgus aduectu in Galliam Cæsaris regnum in Senonibus obtinebat: huius fratrē Cauarinum Cæsar, illo, vt credi par est, mortuo, Regem constituerat. lib.5.c.13.

NAsua, Dux Sueuorum, frater Cimberij: qui primo belli Gallici anno cētum Sueuorum pagos ad Rheni Ripas Sequanorum subsidio adduxerat: & Rhenum transire conabatur. lib.1. capite tertio.

Numeius, Heluetius, nobilissimus suæ ciuitatis, princeps eius legationis, quam primam Heluetij ad Cæsarem miserunt. lib.1.c.3.

OLlouico, Rex Nitiobrigum, qui à Senatu R. amicus erat appellatus. libro septimo, capite 6.

Orgetorix, apud Heluetios longè nobilissimus, & ditissimus fuit, regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, de Gallia occupanda. Cuius rei accusatus, mortem sibi consciuit. libro 1.c.1.

PIso, Aquitanus, amplissimo genere ortus, cuius auus in ciuitate sua regnum obtinuerat, amicus ab Senatu appellatus. libro quarto, capite 3.

SEgonax, Rex in ea Britanniæ parte, quæ tota maritima est, & Galliam spectat, qui à Cassiuellauno castra Cæsaris adoriri iussus est. lib. 5. capite septimo.

Sedulius, Dux & Princeps Lemouicum, postremo Galliæ motu. lib.7.c.15.

Sigouesus, Tarquinio regnante, ab auunculo suo Ambigiato Celtarum Rege missus, qui agros ad Hercinium saltum occuparet. Liuius lib. quinto.

Surus, AEduus, qui & virtutis & generis summam nobilitatem habebat: solusque ex AEduis vsque ad annum octauum in armis permansit, captus in Treuiris à Labieno. lib.8.

TAsgetius, Carnutus, cuius maiores in sua ciuitate regnum obtinuerant. Hunc Cæsar in maiorum locum restituerat. libro quinto, capite octauo.

Taximagulus, Rex in ea Britanniæ parte, quæ est ad Rantium, quæ tota maritima est. libro quinto, cap.7.

Teutomatus, Rex Nitiobrigum, cuius pater ab Senatu R. amicus appellatus erat. lib. 7.c.6. & capite 8.

VErcingetorix, Celtilli filius, Aruernus, summæ potentiæ adolescens, cuius pater principatum Galliæ totius obtinuerat. auctor defectionis & belli contra Cæsarem gerendi. Rex à suis appellatus. lib.7.c.1.

Vetodoctius, Heluetius, nobilissimus suæ ciuitatis, princeps eius legationis, quam Heluetij primam ad Cæsarem miserunt. libro primo, capite tertio.

Vedeliacus, AEduus, qui Vergobretus in sua ciuitate fuerat. lib.7.c.6.

Vergasillaunus, Aruernus, Vercingetorigis consobrinus, postremo Galliæ motu vnus è quatuor summis ducibus deligitur, quibus summa Imperij tradita est. libro septimo, capite decimoquarto.

Vertiscus, Rhemus, suæ ciuitatis princeps, & præfectus eorum equitum, quos Rhemi Cæsari auxilio miserunt, anno belli octauo. libro 8. capite 2.

Viridouix præerat Vnellis, ac summam imperij tenebat earum omnium ciuitatum, quæ defecerant. lib.3.c.5.

Viridomarus, AEduus, adolescens summæ domi potentiæ, quem Cæsar ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat: & cum Eporedorige de principatu contendebat. libro septimo, capite septimo. Postremo Galliæ motu vnus è quatuor Ducibus fuit aduersus Cæsarem. lib. septimo, cap.14.

Voccio, Germaniæ Rex, cuius sororem Ariouistus ab ipso in Galliam missam, vxorem duxerat. In Ariouisti fuga perijt. libro primo, cap. vltimo.

E FRANC.

FRANC. HOTOMANI IVRISC. IN LIBROS DE BELLO CIVILI NOTAE.

LIBER I. CAP. I.

De bello ciuili.] Vetus lib. sic, Commentariorum belli Ciuilis Pompeiani lib. primus. quod non displicet.

A C. Fabio Cæsaris.] Sic vetus lib. Aldin. & alij complures, A Fabio C. Cæsaris. Sed consuetudo Cæsaris perpetua hæc est, vt prænomine non vtatur.

Literis Cæsaris.] Literarum argumentum hoc fuit, vt sibi absenti alter Consulatus mandaretur. Nam, vt lib. 8. diximus, lege Pompeia Licinia latum erat, vt eius absentis ratio comitijs Consularibus haberetur. Sueton. Senatum, inquit, literis deprecatus est, ne sibi populi beneficium adimeretur: aut vt cęteri quoque Imperatores ab exercitibus discederent. Plutarch. in Pomp. & item in Cæs. scribit, Antonium inuito Senatu Cæsaris literas ad populum recitâsse, quibus postulabat, vt prouincijs exercituque dimissis, vterque apud populum actionum suarum rationes redderet. item in Cæs. Alteras ab eodem literas allatas, quibus petebat, vt citerior saltem Gallia & Illyricum, sibi cum duabus legionibus concederetur, vsque ad alterius Consulatus petitionem. Hæc eadem Dio libro 41. & Appian. Ciu. 2. & Orosius. His autem Cæsaris postulatis Cicero libro ad Attic. 7. epist. 6. De Rep. (inquit) valdè timeo. nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putârit Cæsari, quod postularet, potiùs quàm depugnandum. Cur autem nunc primùm ei resistam, quàm cùm quinquennium prorogabamus? aut cùm vt absentis ratio haberetur, ferebamus? Contrà tamen epist. 8. Nam quid impudentius? tenuisti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per vim & per factionem datos. præterijt tempus, non legis, sed libidinis tuæ. fac tamen legis. vt succedatur, decernitur. impedis, & ais: Habe mei rationem. habe tu nostrûm. exercitum tu habeas diutiùs, quàm populus iussit, inuito Senatu? Hæc perterritæ ac perturbatæ Ciceronis mentis argumenta sunt. Legenda etiam Famil. lib. 16. epist. 12.

A C. Fabio.] A C. Fabio Curione: de quo superiore libro extremo: qui Tribunus anno proximo fuerat. Quem enim hic Cæsar Fabium, Dio libro 41. Curionem appellat. Appianus quoque lib. Ciu. bell. 2. Curionem literarum latorem nominat: & triduo M. C C C. stadia ab exercitu Cæsaris Romam confecisse scribit.

Consulibus.] C. Claudio Marcello, L. Corn. Lentulo, qui paucis antè diebus Consulatum inierãt. Hæc enim historia omnis ad Ianuar. mensem pertinet.

Tribunorum pl.] Tribunos Dio nominat, M. Antoniũ, Q. Cassiũ, quos Cęsaris partiũ studiosos fuisse cõstat. C. tamen Cassiũ, & M. Lepidũ, & L. Torquatum Pompeianos Cicero nominat, ad Att. lib. 7. epist. 21. Plutarch. in Pomp. Metellum Cæsarianis adiungit. At ipse Cæsar paulò pòst in fin. c. 7. apertè L. Metellum in suis aduersarijs numerat.

Scipio.] Q. Cæcilius Metellus Pius, Scipio: qui triennio antè Consul fuerat cum Pompeio: cuius filiam morte P. Crassi viduam vxorẽ duxerat Pompeius. Plutarch. in Pompeio. vbi tamen legitur, *Corneliam*.

In ciuitate.] Magnoperè assentior Faërno & Vrsino, verba duo hæc abundare. Nam in vrbe quidem id factum esse, mox dicetur. Sed In ciuitate, pro Intra mœnia vrbis, duriùs videtur. Et cùm ita loquebantur, velut in Quintiana: Quæ res in ciuitate, &c. hoc significabant, id est, In populo R. & sic paulò infrà. Ciuitatem esse in armis. Et apud

pud Liu. lib. 21. Ciuitatem omnem in expectationem belli erectam inuenerunt. Item lib. de Legib. 3. Qui illa vrbe pulsi, carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba, maluerunt. Durius tamen vi detur id glossæ attribui. Quòd si vetus aliquis Codex haberet *Infinitè*, valde arrideret. ac planè mi hi persuadeo, id ex glossa sumptum: cùm eruditus aliquis veterem formulam esse sciret, Referre de Rep. pro, Referre de summa Reip. infinitè, non de singulari aliquo negotio. Cic. Philip. 3. Quamobrem Tribuni pl. quanquam vos nihil aliud nisi de præsidio retulistis, tamen mihi videmini magno consilio potestatem nobis de tota Rep. fecisse dicendi. Item Catil. 3. Senatum consului de summa Reip. quid fieri placeret. Sueton. in Iul. M. Marcellus Coss. edicto præfatus, de summa se Rep. acturum, retulit ad Senatum, vt ei succederetur. Liu. lib. 40. Secundum rem diuinã, vt de Repub. Senatum consulerent. Et lib. 26. De Rep. tamen primùm, ac de prouincijs ambo Coss. ad Senatũ retulêre.

De ea re ad Senatum referri.] Ald. de Repub. quod sine dubio rectum est.

Senatus in vrbe habebatur.] Hæc non cohærent: Senatum in vrbe habitum: & Pompeium adfuisse. Nam Pompeio, cui Proconsuli decreta Hispania fuerat, in vrbe adesse ius non erat. Qui enim cum imperio erant, ijs intra vrbem esse non licebat. eoque Senatus eis extra vrbem dabatur in æde Bellonæ: vt in libel. de Senatu exposuimus. Itaque sub finem huius lib. Vt idem, inquit, ad portas vrbanis præsideat rebus, & duas bellicosissimas Prouincias absens tot annos obtineat. Itaque lib. 8. cap. vlt. Proximis, inquir, diebus habetur Senatus extra vrbem. & Dio lib. 41. Tum, inquit, Pompeius in suburbio cum exercitu erat. Quæ cùm ita sint, P. Victorius disputabat legendum esse, *Aberat*. quod Faërnus & Vrsinus rectissimè improbârunt. Nam quo sensu dixisset, quòd Senatus in vrbe habebatur, Pompeiusque aberat, Scipionis orationem ex ore Pompeij mitti visam fuisse? Rursus autem absurdum videtur, admoneri Senatum in vrbe habitum. Itaque non dubito, scriptum à Cæsare fuisse, *Ad vrbem*: & ab imperito quopiam vel in glossa, vel in textu repositum, *In vrbe*. Aderat ergo Pompeius in Bellonæ templo, singulorumque sententias notabat, vt mox intelligetur, cùm dicet, quosdam laudatos, quosdam reprehen sos.

Sibi consilium capturum.] Consilium sibi capere dicebãtur honesto verbo, qui ab alijs discessionem faciebant, sibique separatim consulebant. Sic hoc ipso libro, non procul ab extremo: Vtiurent omnes, se exercitum ducesque non deserturos, neque sibi separatim à reliquis consilium capturos. Et libro 2. in seq. cap. Si id non fecisset, sibi consilium capturos.

Antè de ea re.] Sic vetus, & alij complures. melius Ald. & nonnulli impressi, *De Republica*: id est, de summa Reipubl. vt paulò antè.

Dixerat aliquis.] Nihil muto. magis tamen placuisset numero plurali: Dixerant aliqui. Nam post parenthesim sic infert: Hi omnes, &cæt.

Primò M. Marcellus.] Qui biennio antè Consul cum Ser. Sulpitio fuerat.

Tutò & liberè.] Nam eo præsidio tutus Senatus aduersus Cæsaris & Pompeij exercitus fuisset.

In suas prouincias.] Obtinebat (inquit in Cæsare Plutarch.) duas prouincias Pompeius: Hispaniam & Africam vniuersam: quas per Legatos administrabat. Sic infrà c. 17. Bellicosissimas prouincias absens tot annos obtineat.

Abreptis duabus legionibus.] Vetus, & alij Nonnulli, Correptis. Vitiosè. Nam primã & decimam quintam legionem Cæsari Pompeius abripuerat: vt dictum est superiore lib. extremo. Neque hanc legionum duarum abductionem videtur Cicero probâsse, scribens ad Att. lib. 7. Epi. 12. Spes omnis (de Pompeianis loquitur) in duabus inuidiosè retentis penè alienis legionibus. Habebat autem hoc tempore Cæsar legiones x 1. vt scriblt idem ad Att. lib. 7. epist. 7.

Pronunciaturum.] Moris erat, dictis sententijs, vt eas Consul pronunciaret: id est, commemoraret: vt, si videretur, discessio fieret: cuius rei exemplũ est in epist Cicer. ad Lentul. lib. 1.

Sententia graues.] Acerbæ, & vehementes in Cæsarem.

Misso ad vesperum sen.] Apparet verum esse, quod alio loco scripsi contra Vrsini sententiam, vtrunque vsitatum fuisse, Ad vesperam, & Ad vesperum.

Omnes qui sunt eius ordinis.] Notãda locutio. Non enim senatorium ordinem hic significat: cùm essent hoc tempore propè mille Senatores, quos omnes non est verisimile à Pompeio domum euocatos. Sed face rè ordinem vsurpauit, pro numero eorum, qui inimici Pompeij erant.

Laudat Pompeius.] Sic omnes lib. Pantagathus tamen Promptos, ex ingenio restituebat: quod mi hi non probatur. Nam vniuersè laudauit, pòst qui reprehendi videbantur, singulatim reprehendit.

M. Antonius, Q. Cassius.] Liuius Epit. c 1 x. Cùm S. C. factum esset, vt successor Cæsari mitteretur, M. Antonio, & Q. Cassio, Tribunis pl. quoniam intercessionibus id S. C. impediebanr, vrbe pulsis, mãdatum à Senatu, Consulibus & Cn. Pompeio, vt viderent, ne quid detrimenti Respub. caperet.

Adimi comitiorum.] Postulat, vt ius comitiorum seruetur. diebus autem comitialibus Senatum haberi non licebat ex lege Pupia: vt posteriùs dicetur. Curio superiore proximo Decembri mense Tribunatu abierat, quem anno proximo gesserat. Dio lib. 40. scribit, eum Pontificem fuisse, & postulâsse, vt mẽsis vnius intercalatio fieret, ne quid noui in Rep. decerneretur.

Atque eorum.] Magis placeret, *Atque ij*: si modò vetus liber adiuuaret.

C. Curio.] De hoc diximus lib. superiore. Bello ciuili (inquit Velleius lib. 2.) non alius maiorem flagrantioremque quàm C. Curio Tribunus pl. subiecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, suæ a-

 lienæq;

lienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissimè nequam, & facundus malo publico.

L. Piso Censor.] Censuram enim hoc anno gesse runt Appius Claudius Pulcher, L. Piso Cæsonius, Cæsaris socer. vt ait Dio lib. 40.

Dolor repulsæ.] M. Cato in petitione Præturæ, prælato Vatinio repulsam tulit. Idem cùm legem impediret, qua prouinciæ Consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Gallo Syria, & Parthicum bellum: Cæsari Gallia & Germania dabātur: à C. Trebonio Tribuno pl. auctore in vincula ductus est. Epito. 105. Dio verò libro 40. scribit, eum Cæsaris & Pompeij opera Consulatu deiectum fuisse: factosque Marcellum & Sulpitium.

Regum appellandorum largitionibus.] Satis ostendit, Reges exteros, qui à Senatu amici & Reges appellabantur, magnis id largitionibus ab eius anni Consulibus redemisse. Qua ex re vel exterarum gentium stultitia, vel Romani nominis terror cognosci potest.

Pro necessitudine.] Nam Pompeij filiam In matrimonio habebat. Plutarch.

Ostentatiosus.] Legendum arbitror, *Assentatiosus*, vt alibi locutus est. nam quorsum ad hanc rem potentium ostentatio pertinuisset?

Illo affinitatis tempore.] Ad retinendam Pompeij necessitudinem ac voluntatem, Octauiam sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit: sibique filiam eius in matrimonium petijt, Fausto Syllæ destinatam. Sueton.

Infamia duarum legionum.] Infamia propter duas legiones abductas.

CAP. II.

R*Aptim atque turbatè.*] Faern. Vrsin. & meus vetus, *Ruptim*. quod valdè placet. Nam, vt opinor, Ruptim agere, & Ordine agere, opponuntur.

Extremi iuris intercessionem.] Vox Intercessionem ociosa hoc loco videtur, & ex glossa in contextum irrepsisse. Cùm plebs Romana ciuili bello à Marianis partibus stetisset, Sylla victor multa ei ademit: in his Tribunitiæ potestatis partē maximam. Intercessionem tamen reliquerat, vt infrà cap. 3. Cicero de Legib. 3. Quamobrem in ista quidem re Syllam vehementer probo, qui Tribunis pl. sua legeimuriæ faciendæ potestatem ademerit: auxilij ferendi reliquerit. extremum autem ius appellat, minimum & postremū. Hæc olim ita scripseram. Et video nunc idem Manutio doctissimo viro placuisse.

Octauo denique mense.] Locus mihi obscurus. nisi fortè Saturninum, Gracchos, & similes intelligat, atque ita rem exponamus: Tribuni Magistratum nonis Decemb. inibant. Octauo pòst Mense Consularia comitia habebantur. Tum igitur non nis Consulibus designatis, de suis superiorum octo mensium actionibus cogitare consueuerant, quomodo accusationem anni insequentis effugerent.

Extremum atque vltimum.] Malè, qui alterutrum tollendum putant. Sic enim Cic. diuin. 2. Cœlum extremum atq; vltimum dicit. Hoc autem S. C. quale esset, copiosè exposui in lib. de Senatu, sub voce S. C. vltimæ necessitatis.

Dent operam Coss. Populi R. Tribuni.] Rectè iampridem emendatus ab alijs hic locus est, vt pro Populi R. reponatur, Prætores. & hæc eadem Cic. Famil. 16. Epist. 11.

Quiq; Coss. sunt ad vrbem.] Proconsules legendum esse non dubium est. Significat autem Pompeium Hispaniæ Proconsl. Item Scipionem, cui Syria, L. Domitium, cui Gallia, decretæ fuerant. Ciceronem quoque, qui è Cilicia reuersus ad vrbem erat. Fam. 16. Epist. 11.

Biduo excepto comitiali.] Lege Pupia cauebatur, ne diebus comitialibus Senatum haberi liceret. Sic in epist. ad Quint. Frat. Consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Et ad Lent. Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Pupiam (id quod scis) non potest.

Profugiunt ex vrbe.] Antonius, Cassius, Curio. Fam. 16. epist. 11.

Erat Rauennæ.] Sic Sueton. Transijt, inquit, in citeriorem Galliam, conuentibusque peractis, Rauennæ substitit, bello vindicaturus, si quid de Tribunis pl. intercedentibus pro se grauius à Senatu constitutum esset.

Aut sequantur saltem.] Delenda vox *Saltem*, auctore Antiquo lib. pro qua video plerisq; in libris restitutum *Statim*. sed illa ex glossa erat: vt cuius perspicuum est.

Suis lenissimis postulatis.] Sic rectè: cùm in plerisque antiquis & scriptū & impressum sit *Leuissimis*. Nam Cæsar Pompeij postulata, acerba: sua, lenia, & placida vult videri. Sed longè aliter Cic. Fam. 16. epist. 11. Omninò & ipse Cæsar amicus noster, minaces ad Senatum & acerbas literas misit.

L. Domitio Gallia.] Sueton. scribit, hunc per tumultum successorem Cæsari nominatum. Vlterior autem huic, citerior Considio obuenit. Fam. 16. epist. 12.

S. C. perscribuntur.] Perscribi S. C. dicebantur, quę quapiam de causa rata non erant: velut cùm aut Tribuni intercessetāt, aut nō legitimo loco habitus Senatus fuerat. Ea Auctoritas dicebatur. Dio lib. 55.

Prouinciæ priuatis decernuntur.] Hoc est, quod in huius libri fine quæritur, in se iura Magistratuum commutari, nec ex prætura & consulatu, vt semper, sed per paucos probati & electi in prouincias mittantur. Plutarchus in Pompeio scribit, Catonem in Siciliam abijsse, quæ Prouincia ei obuenerat.

Scipioni obuenit Syria.] Plutar. scribit, Pompeiū misisse Scipionem suum socerum, & Cn. filium suum in Syriam, classis parandæ causa.

Philippus & Marcellus.] L. Martius Philippus, qui v. i. abhinc annis Consul cum Cn. Lentulo fuerat, alter ab illo Tribuno pl.

Sortes

Sortes deijciuntur.] Quorum ratio in decernendis prouincijs habebatur, eorum nomina in sortibus scripta, in vrnam conijciebantur, dein vrna cõmota deijciebantur. Id erat, prouincias sortiri. Cice. in Lig. Tuberonis sors coniecta est ex S. C. cùm ipse non adesset.

Paludati votis nuncupatis.] Hac de re dictum est in Verr. 7.

Quod ante id tempus acciderat nunquam.] Cicero tamen hac ipsa de re scribens ad Attic. lib. 8. epist. 23. Ipsi Coss. inquit, quibus more maiorum concessum est, vel omnes adire Prouincias, aut legati sunt eorum, &c.

Lictores habent priuatim.] Scribatur *Priuati*, vt in alijs quibusdam. nihil obscuri relinquetur. Sed nunc video in Manutiano ita impressum. quod placet.

Et è fanis tolluntur.] De hoc more commendandarum fanis pecuniarum, Cic. de Legib. 2.

Cæsar concionatur.] Sic Sueton. Atque ita traiecto Rubiconem exercitu adhibitis Tribuni pl. qui pulsi superuenerant, pro concione fidem militum flens, ac veste à pectore discessa inuocauit.

A quibus deductum.] Vetus *Diductum*. Aldin. *Inductum*. Vetus placet. Nam Diducere, pro Distrahere vsitatum est: vt hic noster: Diducendique erant milites.

Armis restituta.] Hoc, vt verè dicam, non intelligo. non enim armis, sed lege Pompeius Tribunitiam potestatem restituit Consul cum M. Crasso, vt Plutarch. in eius vita, & Pedian. in Diuin. demonstrant. Quare aut vox *Armis* delenda est, aut potiùs *sine armis*, legendum. Cic. quidem lib. de Legib. 3. scribit, Pompeium sensisse, necessarium id fuisse, neque potuisse ciuitati diutiùs eam potestatem deberi. At iam video Vrsini testimonium de Ant. August. qui vocem *Armis* tollendam censebat.

Dona etiam quæ antè habuerit.] Sic meus codex: quod idem Vrsinus de suo testatur. Placet tamen P. Victorij coniectura, libro Var. 10. c. 24. vt *Bona* legatur, quam vsitatam esse locutionem omnes eruditi norunt. *Habuerat* autem paulò infrà legitur in meo Antiquo: meliùs quàm in vulgatis, *Habuerit*.

Hanc enim euocauerat.] Liuius tamen dimidiatam tantùm legionem numerat. Cæsar, inquit Orosius, Rubicone flumine transmeato, mox vt Ariminum venit, v. cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus (vt ait Liuius) orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit. nisi fortè x. pro v. apud Orosium reponamus.

CAP. III.

Ad arma sit vocatus.] Sic apud Sallust. in Catil. & Cic. in Mil. Videret, ne quid Respub. detrimenti caperet: quo vno versiculo satis armati sem per Consules fuerunt, etiam nullis armis datis.

Locisq; editioribus occupatis.] Nihil affirmo. tantùm dico, veteres libros Ciceronis de Leg. consulendos, si qui reperiri possint, in quibus vox *Editis*, vel (vt hîc) *Editioribus* ascripta sit. Nam vulgò lib. 3. ita legitur: Cuius primum ortum, si recordari volumus, inter arma ciuium, & occupatis & obsessis vrbis locis, procreatum videmus.

L. Cæsar.] Cicero ad Attic. lib. 7. epist. 12. L. Cæsarem vidi Minturnis ad VIII. Kal. Feb. manè cum absurdissimis mandatis non hominem, sed scopas solutas: vt idipsum mihi ille videatur irridendi caussa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi fortè non dedit: & hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. At epist. seq. L. Cæsar mandata Cæsaris ad Pompeium detulit ad VIII. Kal. cùm isesset cum Coss. Theani. Probata conditio est, sed ita, vt ille de his oppidis, quæ extra suam prouinciam occupauisset, præsidia deduceret. Id si fecisset, responsum est, ad vrbem nos redituros esse, & rem per Senatum confecturos. Spero etiam in præsentia pacem nos habere: nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppœniret.

Cæsaris legatus.] Nominatur lib. 7. c. 12.

Priuatis necessitudinibus.] Meus Antiquus. *Necessitatibus*. quod idem Faërn. de suo testatur. & ita sine dubio corrigendum est.

Eadem ferè atque eisdem de rebus.] Nihil sine veteris libri subsidio temerè mutandum puto. Attamen idem esse arbitror, Agere eadem, & Agere iisdem de rebus. præterea verbum Commemorâsse, per se non satis constat. Itaque videndum, ecquis vetus ita scriptum haberet, Eisdem de rebus commemorâsse.

Liberare possint.] Meus & Ald. *Possent*. quod verius arbitror.

Semper Reip. primum.] Deleo *Reip.* nam de sua, non de Reip. dignitate loquitur. Et rectiùs fuit in lib. Vrsini, quàm ipse existimet.

Populi R. beneficium.] Rectè sic iampridem in Ald. emendatum est: cùm in meo Antiq. & reliquis ita legatur: Quod pro beneficio sibi contumelia ab inimicis extorqueretur. Error natus est ex nota P. R. ac beneficiũ intelligit, vt eius absentis ratio in Consulatus petitione haberetur. Populi autem beneficiũ appellat, quia lege id sancitum fuerat, pugnante Cn. Pompeio III. Coss. Epist. 3. lib. 8. ad Att. & Fam. lib. 6. epist. 6.

Semestri imperio.] Tantum enim adhuc Cæsari restabat.

Hæc omnia tandem.] Vox *Tandem*, abest à meo, & Aldin. & Antiquis.

Ipsi exercitus dimittantur.] August. tollebat vocem *Ipsi*, quod non probo. Nam in meo & Faërni, & Vrsini libris ita est rectè: Ipsi exercitus dimittãt. Hoc est, ipsi Pomp. & Cæs. de quibus agitur. omnes reliqui discedant ab armis. Sic Cœlius Fam. 8. epist. 14. Cn. Pompeius constituit non pati C. Cæsarem Consulem aliter fieri, nisi exercitum & prouincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se saluum esse non posse, si ab exercitu recessisset: fert illam tamen conditionem, vt ambo exercitus tradant.

In Italia.] Sic Fam. 16. epist. 12. Ferunrut omni-

nò conditiones ab illo, vt Pompeius erat in Hispaniam, deiectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur.

Capuam peruenit.] Cicero tamen (vt modò dixi) Theanum nominat.

Illi deliberata respondent.] Sic omnes Antiq. Placet tamen peruulgata: Illi re deliberata respondent. vt Gall. bell. 4. c. 2. Legari hæc se ad suos relaturos dixerunt, & re deliberata post diem tertium ad Cæsarem reuersuros.

Per eos remittunt.] Fortè *Eosdem.*

Si peracto Cæsaris consulatu.] Nam Cæsar ad Consulatus petitionem se venturum pollicebatur: & se præsentem trinundinum petiturum. Fam. 16. epist. 12.

Mendacij religione obstrictus.] Honestè, pro Periurus.

C A P. I I I I.

P*isaurum, Fanum.*] Omnes hæ nominantur Famil. 16. Epist. 12. Præter Fanum. vbi scribit, illis occupatis Pompeium & Coss. vrbem reliquisse.

Tignium, Thermum prætorem.] Corrigendum *Inguium*, primùm ostedi Cic. ad Att. 7. epist. 13. Quid agat, inquit, Domitius in Marsis, Inguij Thermus, P. Attius Cinguli. deinde, quòd Inguium in Vmbria est, Tignium in Piceno. Plin. 3. c. 14. Sed nunc video idem quoque à Manutio ex Plinio annotatum.

Tigniorum.] Legendum ergo Inguiorum. & mox, Inguium recipit.

Apertè sanctiore ærario.] Sanctius ærarium fuisse videtur, in quo pecuniæ ad vltimos casus reseruabantur. Liu. lib. 27. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant Consulibus, aurum vicesimariũ, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit. Cic. ad Att. 7. epist. 20. Hoc cuiusmodi est? v t I. Id. Feb. Capuam C. Cassius Tribunus pl. venit. attulit mandata ad Coss. vt Romam venirent: pecuniam de sanctiore ærario auferrent, statim exirent vrbe relicta? Appia. de bell. Ciu. 2. scribit ærarium fuisse, in quo pecuniæ bellici tantùm tumultus causa asseruabantur. si quis attigisset, eius caput sacrum fuisse.

Citra Capuam.] Quæ Ciceroni Procos. attributa fuerat, vt eam aduersus Cæsarem tueretur. Famil. 10. epist. 11.

Lege Iulia.] De colonijs, quam in lib. de Legib. exposuimus.

Libertati confirmat.] Mirè dictum, pro Liberos esse iubet.

Circum familiares conuentus.] Cic. ad Att. 7. epist. 13. Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, sanè commodè Pompeius distribuit, binos singulis patribusfa. Scutorum in ludo I ɔ ɔ. fuerunt, Eruptionem facturi fuisse dicebantur.

Labienus.] Hic est T. Labienus, cuius Legati opera fortissima & fidelissima Cæsar annos nouem vsus erat in Gallia, qui nunc à Cæsare desciuit. Famil. 16. Epist. 10. Maximam autem plagam accepit, quòd is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus sceleris socius esse noluit. reliquit illum, & nobiscum est. Sic ad Atti. 7. Epist. 11.

C A P. V.

Q*Vadraginta in singulos ingens.*] Summa immensa. nam x x x. fuisse cohortes, modò dixit. Itaq; Manutius, Quaterna reposuit. Sed quid illud est quod infert, Pro rata parte Centurionibus euocatisq;? nam quibus ad eam rem latifundijs opus esset? Notandum est autem quod ait Domitiũ agros è suis possessionibus esse pollicitum militibus. primùm vt intelligatur, eiusmodi fuisse Colonos Domitij, de quibus posterius cõmemorabit. deinde vocem Possessiones, hoc loco non propriè vsurpari, pro ijs quæ vsu tantùm, non proprietatis iure habebantur: de quibus in Feudali Dictionario diximus: sed pro Latifundijs. impropriè.

Centurionibusq; euocatisq;.] Euocati dicebantur, qui legitimo militiæ tẽpore perfuncti, cùm emeritis & confectis stipendijs essent, tamen propter rei militaris scientiam, & quòd pleriq; beneficijs affecti fuerant, nominatim literis ac nuntijs ab Imperatore, magis officij & amicitiæ causa, quàm pro imperio euocabantur: ijsq; plerunque præfectus aliquis attribuebatur. Dio lib. 55. ἐν τούτῳ δὲ καὶ ἄλλοι, καὶ τι καὶ ἕτερον σύστημα (οὓς οἱ ἀνακλήτους ἀπὸ τοῦ ... ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας ἐπ' αὐτὴν πάλιν ἀνακαλοῦνται, ὀνομάζουσι) ἐνομίσθη. Cæsar sup. c. 1. Multi vndiq; ex veteri b. Pompeij exercitibus, spe præmiorum atq; ordinum, euocantur. Idem infrà lib. 3. Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum ad eum conuenerant, quæ tota acie dispersa erat. Itẽ: Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris, qui apud eum primum pilum in legione decima duxerat. Hic signo dato, Sequimini me, inquit, manipulares mei qui fuistis. Cic. In epist. ad Appium: Antonium præfectum euocatorũ misi ad te, cui si videbitur, cohortes traderes. Sallust. in Iugurth. Præterea ex Latio fortissimum quemque, plerosque militia, paucos fama cognitos accire, & ambiendo cogere homines emeritis stipendijs secum proficisci. Hinc etiam in exteros translatum. Cæsar Gall. 3. cap. 5. Multis prætereà viris fortibus Tolosa & Narbone nominatim euocatis, &c. Euocati autem modò peditibus, modò equitibus admiscebantur. De peditibus, Crastinus, de quo modò diximus, testimonio est. de equitibus Cæs. lib. 7. cap. 12. Eorum aduentu (de Germanis loquitur) quòd minùs idoneis equis vtebantur, à Tribunis militum, reliquisque equitibus R. atque euocatis equos sumit, Germanisque distribuit.

Auximo Cæsar progressus.] P. Victorius vir doctiss. Var. 4. cap 15. contra omnium lib. consensionem reponendum putat, Maximo Cæsar progressu: id est, magnis itineribus. Sed Victorius animaduertere debuit, primùm Cæsarem itinerum suorum seriem contexere. superiùs autem dixerat, se Auximum venisse, atque illud recepisse. deinde cùm dicat, Percurrit, nunquid satis celeritatem in itinere faciendo demonstrat?

Ibi in præsidio habuerat.] Antiq. Ibi præsidio. quod magis probo.

Finiti-

Finitimis regionibus coëgerat.] Legendũ vt in Antiq. & Ald. Finitimis ab regionibus.

Cohorteſq́ amplius x x.] Oroſius ſimiliter legiones tres numerat.

Sulmonenſes.] Malè ergo apud Oroſium legitur, *Apud Salonem.* corrigendumq; *Sulmonem*, aucto. Plin. 3. c. 12.

A. Q. Lucretio.] Hirtius Lucretij crebra mentio eſt in Epiſt. ad Att. vt eorum temeritas qui *Lucretie* mutârunt, dilucidè appareat.

Et oppid. & milites.] Sic Aldin. De militibus tamen nihil noſter Antiq. vbi ſcriptum ita eſt: Vniuerſiq; oppidani obuiam, &c. quod ſanè verius eſſe arbitror. Nam modò dixit, Sulmonenſes à cohortibus coërceri. Deſerti autem à ſuis Ducibus milites Antonio ſe dediderunt: vt modò ſubiunget.

A Rege Norico.] Agrum Noricum in Gallia nominat lib. 1. Gall. cap. 3. à Boijs occupatum, ſed Regem Noricum ex Germania, eodem lib. extremo. Non puto Regem vllum Boiorum à Cæſare in Gallia relictum. Itaque ad Germanum id referendum arbitror.

Circummunire inſtituit.] Meus Antiq. & Aldinus *Circumuenire.* Et infrà lib. 2. Curio Vticam obſidere, & vallo circumuenire inſtituit. Multi tamen hoc ipſum mutant.

Domitius diſſimulans.] Meus Antiquus, *Simulans.* quod magis probo. Nam iſta pronuncians, non diſſimulat, ſed ſimulat, & fingit. Hanc antẽ Pompeij deſertionem Cicero mirificè exagitat, ad Att. 8. Epiſt. 7. & 8. Culpam tamen omnem Pompeius in Domitium conferebat. quod ipſius literis cognoſci poteſt, quarum exemplum extat eod. lib. Epiſt. 17. 18. 19. 20. Summa autem hæc erat, ſe neq; pares cum Cæſare copias habere, neq; ijs duabus, quas habebat, legionibus ſatis cõfidere, vt ijs Reipub. fortunas committeret. Itaq; cenſere, vt Domitius oppido relicto ſuas Copias cum ipſius copijs coniungeret.

Conſulendi cauſa.] Hoc puto è gloſſa ſumptum, eò magis quod Faërnus & meus Antiq. habent *Conſiliandi*, quam vocem Longobardicam eſſe, facilè ex lib. legum Barbaricarum intelligitur. Memorabile eſt autem, quod de hoc Domitij terrore Seneca ſcribit lib. de benef. 3. Corfinium, inquit, Cæſar obſidebat. Tenebatur incluſus Domitius. Imperauit medico, eidemq́; ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret. Cùm tergiuerſantem videret, Quid cunctaris, inquit, tanquam in tua poteſtate totum iſtud ſit? mortem rogo armatus. Tum ille promiſit, & medicamentum innoxium bibendum illi dedit. quo cùm ſopitus eſſet, acceſſit ad filiũ eius. Iube me, inquit, adſeruari, dum ex euentu intelligis, an venenum patri tuo dederim. vixit Domitius, & ſeruatus à Cæſare eſt: prior tamen illum ſeruus ſeruauerat.

Prima veſpera.] Meus Antiq. & Ald. Prima veſperi. Sed ita puto illum locutum, vt alibi prima nocte, pro Ineunte nocte.

Parui momentis.] Cic. Phil. 5. Minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiunt, cùm in omni caſu Reip. tùm in bello, & maximè ciuili, quod opinione plerunq; & fama gubernatur.

Exitus obſeruent.] Meus Antiq. & Ald. *Aſſeruent.*

Neq; eorum.] Meus & Aldin. *Neq; eo.* Placet Faërni, Neq; verò.

Tanta erat ſumma expectatio.] Mirè dixit, Tanta ſumma erat: pro Tanta erat. Cicero de Offic. 1. Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo.

Vt alius in alium.] Sic valde arridet: cùm in meo & Ald. & alijs permultis legatur *Nullus.*

Ea re ex ciuitate expulſos.] Meus lib. In ea re. Faërnus ex ingenio, Ex iniuria. Sed *Ea re*, apud Ciceronẽ vſitatum eſt pro Hac de cauſa. Cauſam autem ſignificat, Cæſaris in Italiam aduentum. Notanda etiã locutio Ex ciuitate expelli, pro Ex vrbe. Nam ſuperiùs, Profugiunt, inquit, ex vrbe Tribuni pl. Cic. ad Att. 10. Epiſt. 4. Hi ſunt, qui niſi me ciuitate expuliſſent, obtinere ſe non poſſe, &c.

Dimittit omnes incolumes.] De hac Corfinienſi clementia extat Cæſaris ad Ciceronem Epiſtola ad Att. 9. Epiſt. 19.

Pauca apud eos locutus.] Ita ſine dubio legendum, quamuis in Antiq. & Ald. legatur, *Loquutus.*

Apertè eorum.] Sic Ald. meus Antiq. & alij permulti. Legendum *A parte*, vt in alijs nonnullis.

H. S. LX.] Scribatur plenè Sexagies. ne pro Sexaginta ea nota ſumatur.

Quod aduexerat Domitius.] Vetus Cod. & Aldin. Quod aurum adduxerat, &c.

Sacramentum dicere.] Alio loco expoſuimus.

CAP. VI.

R*Eprehenſus in itinere.*] Deprehenſus in itinere. Vetus. Deprehenſus ex itinere. quod probo.

Præfectus fabrum Cn. Pompeij.] Liuius lib. 1. vbi de claſſibus à Seruio Rege deſcriptis commemorat: Additæ, inquit, huic claſſi duæ fabrûm centuriæ, quæ ſine armis ſtipendia facerent. datum munus, vt machinas in bello ferrent. Sed de Præfecto fabrûm Veget. lib. 2. cap. 11.

Cn. Magius.] Hac de re extat Cæſaris ipſius Epiſt. ad Att. 9. Epiſt. 8. Cn. Magium Pompeij præfectũ deprehendi ſcilicet, & meo inſtituto vſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. Iam duo præfecti fabrûm Pompeij in meam poteſtatem venerunt, & à me miſſi ſunt.

Ad ſuam dignitatem.] Meus, In ſuam. quod magis probo.

Atque ad ſe Brunduſium.] Sic Ald. Meus verò, Atque ad eum. Legendum opinor, Atq; ad Brunduſium. quæ verus locutio eſt.

Communis ſalutis.] Ald. Salutis cauſa. quod apertè mendoſum eſt: etiã Antiquo meo lib. auctore.

Idem perfici.] Pro Tantum, vel Tantundem.

Cum cohortibus x x.] Id eſt, duabus legionibus, ſiue decem hominum millibus. Meus codex, *Decem* habebat: quod magis placet, cùm modò dixerit Coss. ſecum magnam exercitus partem abduxiſſe. Et Cic. ad Att. 9. Epi. 11. ſcribat Claudiũ dimidio plus ſcripſiſſe Pompeiũ habere, quàm reuera habuerit. Scripſerat autẽ de triginta millib. Epiſt. 4.

Ibi restitisset.] Vetus, *Remansisset*. Sed parui refert.

Administrationesq;.] Id est, vias, cômeatum, itiones & reditiones. Qua de re scribit Cic. ad At. 9. ep. 14. Epistola mihi affertur à Lepta, circumuallatū esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Sed & ipse Cæsar epist. 17. eiusd. lib. Pompeius, inquit, se oppidò tenet. nos ad portas castra habemus. conamur opus magnum, & multorum dierum propter altitudinem maris. sed tamen nihil est quòd potiùs faciamus. ab vtroq; portus cornu moles iacimus, vt aut illum quàm primum traijcere, quod habet Brundusij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

Magium non remitti.] Quid igitur est, quod Cæsar ipse scribit, lib. ad Att. 9. Epist. 16. Ad VII. Id. Mart. Brundusium veni. ad murum castra posui. Pompeius est Brundusij. misit ad me Cn. Magiū de pace. quæ visa sunt, respondi. Hoc vos statim scire volui. Cùm in spem venero de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam. Nisi fortè eum cum Caninio Rebilo, de quo mox dicetur, remisit. Sed hæc mera diuinatio est. Ac planè hoc aliquid argumenti est, contra auctorem Commentariorum Cæsaris.

Pedes XXX.] Noster, Pedibus XXX. Vtrumque mendosè. melius Ald. Pedum. nam latitudinem & longitudinem ostendit, vt paulò pòst constabit: cùm alias pari magnitudine adiectas.

Multis tormentis.] Vox Multis abest à meo Antiq. & rectè abest, meo quidem iudicio. Satis est enim dixisse completas.

Telis pugnabatur.] Vet. *Pugnabant.* quod probo.

Etsi impetus eius.] Vocem, *Etsi*, redundare ac planè tollendam esse arbitror.

Vt ipse colloqueretur.] Ipse autem erat non Pythagoras, sed Pythagora callidior Cæsar. enius hæc fuit perpetua ratio, etiam cum Ariouisto Germanorum Duce.

Ab armis discedatur.] Placet lectio nostri Antiq. à quo duæ primæ voces absunt. nam & sæpe Discedi, simpliciter ita vsurpatur: & iam non de discessione ab armis, sed à colloquio agitur.

Nihil sine illis.] Vetus *Nec sine*. quod magnopere probo. Nam illud proximum, Renunciat quòd Consules absint, vetustè dixit, pro Renūciat Consules abesse. Cuius locutionis exempla eruditis nota sunt. Plau. in Asin. Equidem iam scio, filius quòd amet meus.

Vicos plateasq;.] Hic notandus error Fl. Sosipatri, qui dixit, vicos esse humiles domos, & qua incedimus, non vicos, sed vias esse vicorum.

Plateas inædificat.] Hæc ead. Plutar. in Pomp. & Veget. lib. 4. cap. 5.

Quòd Coss. absint.] Nam superioribus proximis diebus Dyrrachium profectos modò dixit. quamuis Cic. Epist. 4. ad Att. 9. vnà cum Pompeio profectos scribat.

Diebus nouem.] Cæsar VII. Id. Matt. Brundusium venit, vt ipse scribit, Epist. 16. Pompeius fugit ad XVI. Kal. April. vti patet ex Epist. 18. qua ratione numerus quadrat. Mutius & Trebatius Ciceroni Impe. S. Cum Capua exissemus, ex itinere audiuimus, Pompeium Brundusio ad XVI. Kalen. April. cum omnibus copijs, quas habuerat, profectum esse. Cæsarem postero die in oppidum introijsse. concionatum esse. inde Romam contendisse. velle ante Kal. esse ad vrbem: & paucos ibi dies commorari. deinde in Hispanias proficisci.

CAP. VII.

Maximè pertinebat.] Noster, Aldin. & alij complures, *Probabat*.

Naues conscendissent.] In ead. Epist. conscendisse Pompeius dicitur ad 4. Non. Mart.

Facultatem ademerat.] Idem scribit Plutarch. Cæsarem nauium penuria impeditum, quò minùs Pompeium persequeretur. Ac memorabile est, quod eodem loco scribit, Italiam isto modo à Cæsare dierum LX. spacio in suam potestatem redactam, sine vllo prælio & sanguine. Atq; hæc quidem Plutarch. in Cæs. In Pompeio verò scribit historicos omnes hanc ex Italia Pompeij discessionem in summi stratagematis numero posuisse. Quotum quantus error sit, licet ex Cice. ad Attic. Epist. cognoscere.

Proprætorem Roma.] In meo Antiq. *Romanum*. Vtrunq; ab Ald. abest. quod magis probo.

Africam sorte Tubero. Cicer. in Ligat. Tuberonis sors coniecta est ex S. C. cùm ipse non adesset.

Ex prætura.] Sic Cic. in eadem: Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum statim concursum est, atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperium: si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum clamore multitudinis imperitæ nullo publico consilio deferebatur.

Ex prouincia fugit.] Cic. ad Att. 10. Epi. 14. Cato, qui Siciliam tenere nullo negocio potuit, &, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII. Kal. Maij.

Vacuas ab imperijs.] Sic Ald. Noster verò, Vacuas prouincias ab imperijs. vtraq; placet.

Filium exponere in terram.] Cicero in Ligat. Prohibiti estis in prouincia vestra pedem ponere, vt perhibetis, summa cum iniuria.

Ad vrbem proficiscitur.] Trebat. ad Cicer. lib. ad Attic. 9. Epist. 14. Pompeium Brundusio profectum: Cæsarem postero die in oppidum introijsse. concionatum esse. inde Romam contendisse. velle ante Kal. esse ad vrbem.

Expectato legitimo tempore.] Decem enim anni inter superiorē Cæsaris Consulatū intercesserant.

Quod ab omnibus.] Corrigendum vt in alijs quàm multis: Quod omnibus ciuibus pateret. Atq; ibi puncto interposito, noua iucunda sententia, quasi repetito verbo *Docet*.

Latum ab decē Trib. pl.] Sic Cic. ad Att. 7. Ep. 3. Cur imperium illi, aut illo modo prorogatum est? cur tantoperè pugnatum est, vt de eius absentis ratione habenda x. Tribuni pl. ferrent?

Pristina consuetudine.] C. Cæsar Cos. M. Catonem sententiam rogauit. Cato rem, quæ consulebatur, quoniam non è Repub. videbatur, perfici nolebat.

nolebat. Eius rei grat a ducendæ, longa orationc vtebatur, eximebatq; dicẽdo diem. Erat enim ius Senatori, vt sententiam rogatus, diceret antè, quicquid vellet alius rei: & quò ad vellet. Cæsar Cos. viatorem vocauit: cumq; cùm finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit: Senatus consurrexit: & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac inuidia facta, Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit. Hæc ex Capitonis historia Gell. lib. 4. cap. 10.

Ipso Cos. Pompeio.] III. Consule, atq; adeò pugnante. Fam. 6. Epist. 6. lib. 8. Epist. 3. ad Attic.

Cur fieri passus esset.] Sic noster & Ald. & alij permulti. Video tamen in quibusdam impressis, Ferri. quod verius puto.

Circunscribendis Trib. pl.] Hanc eandẽ belli causam Cicero Philipp. 2. commemorat. Quam causam, inquit, de Cæsare significans, dementissimi sui consilij & facti afferebat, nisi quòd intercessio neglecta, ius tribunitiũ sublatum, circumscriptus à Senatu esset Antonius? Est autem Circunscribere aliquem, ab Rep. remouere, & curia foroque prohibere. Nam superiùs hac ipsa de re loquens, cap. 1. Nec tribunis pl. inquit, spacium datur sui periculi deprecandi: sed de sua salute die septimo cogitare coguntur. & Cicero hac ipsa de re ad Att. 7. Epist. 9. Si fortè Tribunus pl. Senatũ impediens, aut populum incitans notatus, aut S. C. circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicénue se expulsum, ad illum confugerit. Et Orosius: M. Antonius & P. Cassius Tribuni pl. pro Cæsare intercedentes, intercedente Lentulo Consule, curia foroq; prohibiti, ad Cæsarem profecti sunt. Sic vsurpatur in Miloniana: Nunquam illum Respub. suo iure esset vlta. Senatus, credo, Prætorem eum circunscripsisset. Nec cùm solebat quidem id facere in priuato, eodem hoc, aliquid profecerat. Exemplum infrà extat lib. 3. cap. 5. vbi ita scribitur: De quibus rebus Seruilius ad Senatum retulit: Senatusq; Cœlium ab Repub. remouendũ censuit. Hoc decreto eum Consul Senatu prohibuit: & concionari conantem de rostris deduxit. Sic Philip. 13. Senatus in Capitolium. Parata de circunscribendo adolescente sententia consularis. Loquitur de C. Cæsare, quem Consul ab Repubi. remouere conabatur. Hæc cùm iampridem scripsissem, animaduerti posteà Manutium doctis. virum locos eiusdem modi multos protulisse.

Illi se honori defuturum.] Sunt qui sic emendent: Sin timore defugiant, illi suo honori non defuturum, sed per se Remp. administraturũ. Quãtò meliùs noster Antiq. Sin timore defugiãt, illis se oneri nõ futurũ, & per se Remp. administraturũ. Neq; disputatione, aut argumentis opus esse arbitror. Sed iam ita video à Manutio hũc impressum locũ.

Vt operibus antè studuerit.] Sic noster vetus & Ald. opinor, pro, Rebus gestis. quæ sententia proba est, si locutio exemplum haberet. Alioqui corrigendum videretur, Vt opibus ille studuerit. vt de Pompeio intelligatur. Sunt autem qui *Cæteris* hoc loco reponant: quod sine vetustorum librorum auctoritate fieri certè non debuit.

Timoris causa.] Quòd Pompeium ab sede fettum metuerent: vt Plutarchus quoque in Cæsa. commemorat.

Reliquasq; res.] Astutè reticet quod Plutarchus scribit, cùm Cæsar ad ærarium venisset, vt pecunias inde auferret, Metellum hunc grauiter intercessisse: Cæsarem ei atrociter minatũ esse: & eùm claues nusquam inuenirentur, accitis fabris fores effregisse. quod etiam Oros. memoriæ prodidit.

CAP. VIII.

EX *Sicilia & Sardinia.*] P. Victorius Variarum 1. cap. 2. hunc locum ex Antiq. libro ita restituit: Quas Sicilia & in Cosano à priuatis coactas, seruis, libertis, colonisq; suis compleuerat. Docet autem dicit Cæsar, quibus Domitius agros ex suis possessionibus & latifundijs attribuerat. vt superiùs dictum est. Et de huiusmodi colonis locus est insignis apud Appianum ἐμφυλ. β. Et nunc video Manutium Victorij sententiam secutum, & vocem *Cosano* impressisse.

Noua Cæsaris officia.] Vtriusq; merita paucis pòst versib. exponet.

In eorum fide.] Hæc vniuersæ Galliæ fuit ratiò, quemadmodum superioribus lib. intellectum est: vt tenues aliquot, vel pagi, vel ciuitates in potentiorum fide & clientela essent: hoc est, vt & ab his illæ defenderentur, & illæ his, cùm vsus veniret, subsidium ferrent.

Massiliensium XV. *primos.*] Vetus lib. Massilia. quod magis probo. Decuriones autem erant alijs in vrbibus, idem qui Romæ Senatores. Ex eorum ordine certus virorum numerus deligebatur, cui primorum nomen imponebatur modò X. modò XV. quibus certa muneris publici procuratio mandabatur.

Ex auctoritate.] Ex decreto Decurionum.

Victas Gallias attribuerit.] Suspectus mihi locus. Corrigendum videtur, vel hoc modo: Victa Gallia, in sexto casu, vt quos Pompeius simpliciter fruendos concesserat, eos Cæsar absolutè dono dederit. vel, Gallias attriuerit. quod beneficium, nihilo magis ad Massilienses, quàm ad vniuersam prouinciam Galliã pertinebat. Sed superior coniectura eò magis probatur, quòd paria vtriusq; beneficia mox appellantur.

Neutrum eorum.] Valet ad quæstionem Feudisticam, de Vasallo duorum patronorum, si illi inter se contendant, quod Vasalli officium sit.

CAP. IX.

L. *Afranio Legato.*] Difficile dictu est, non potiùs scriptum sic fuisse, L. Afranio Pompeij legato. præsertim cùm illum vsq; adhuc nusquam nominârit.

Totius Lusitaniæ.] Sic omnes Antiqui. Legendũ arbitror *Toti*, casu tertio. nam sensus est, Toti Lusitaniæ auxilia imperantur à Petreio: Celtiberis, & reliquis, ab Afranio.

Scuta-

Scutata, cetrata.] Videntur hæc nomina his prouincijs ex cetris & scutis imposita.

Quem ipse petiuerat.] Sic Ald. Faernus, Quam ipse pacauerat. Quasi verò eius rei commemorandæ, vel tempus, vel causa vlla fuerit. Meum igitur antiq. sequor, vbi *Parauerat* legitur. Nam ita parasse dicit, vt nobilissimum & fortissimum quemque nominatim euocaret.

Consuetudine congressæ.] Progressæ corrigendum putarem. atque hoc ad Cæsaris consuetudinem magis accedit.

Pignore deuinxit.] Nam Centurionum pecunia, quasi pro pignore tenebatur à Cæsare, ne ab illo ad Pompeium propinquantem deficerent. Præclarum strategema.

Subite iumentorũ.] Acutissimè Oct. Pantagathus animaduertit, legendũ *Vi ventorũ*, cui; magnopere assentior. non enim pondere iumentorum, sed tempestate pons interruptus est, vt mox dicet.

Aggere atq; cratibus.] Agger hoc loco perspicuè pro trabibus & longurijs, quibus pons constabat.

Sub castris Afranij constitit.] Antiq. *Consistit*: quod magis probo.

Contra hostem.] Notandus locus, in quo ciues, nõ iam Aduersarij, vt sæpe aliàs, sed Hostium nomine appellantur.

Prima & secunda acies.] Hoc Cæsaris facinus tetulit Veget. in numerum strategematum. sed tamen, non satis, vt videtur, intellectum. C. Cæsar, inquit, cùm aduersus Afranium copias educeret, & recipiendi se sine periculo facultatem non haberet, sicut constituerat, prima & secũda acie furtim à tergo ad opus applicata, xv. pedum fossam fecit, intra quam sub occasum Solis armati se milites eius receperunt.

Longiùs agger petendus.] Aggeris nomine materię, & vimina, & fasces virgulto tũ nunc intelligit.

CAP. X.

E*Xprime bastate.*] Sic antiq. & Ald. nonnulli impressi, *Primus bastatus.*

Decliui fastigio.] Vetus sic, Editus locus tenui fastigio. quod non placet. sed pro Decliui legendum arbitror, vt sæpe aliàs, Leni. Nam inter Decliuitatem & Fastigium apud hunc nostrum nihil interest. Similis locus infrà lib. 2. Id autem est iugum directum, eminens in mare, vtraque ex parte præruptum, atq; asperum, sed paulò tamen leniore fastigio ab ea parte, &c.

Impetum aduersus montem.] Magis placet antiqua: Aduersus montem impetum in cohortes faciunt.

Nonnulla parte compulsis.] Ad sensum, non ad verba relatio fit præsæpe. vt alijs locis annotauimus.

Primipili centurio.] De quo alio loco commemoratum est.

Vtrique superiores.] Vetus, *Vtrinque.* sed vulgata placet.

Nostrorum impetum.] Vetus, Nostrorum diu impetum.

Numero essent quod.] Verbum *Essent*, abest ab Aldin. Sanè si particula quoq; insequens deleretur, concinnior sententia videretur.

Hostes terga vertere.] Mirum est in Aldin. non esse *Hostes*, sed hoc modo: Terga vertere aduersarios coëgissent.

Nix profluit.] Sic Ald. Noster verò *Proluit.* quod etiam habent impressi quidam. Magis placet Faerni coniectura, Profluxit. ac fortasse etiam *Flumen* pro *Fluminis* meliùs legeretur. Nam sic Cicero in lib. de Clar. Orat. dixit, Fluuium extra ripas diffluere.

Maximi comitatus.] Sic Antiq. Aldin. & quidam impressi. Alij *Commeatus.* vitiosè. nam Comitatum pro parte exercitus veteres dixerunt. vt paulò infrà, Magnos comitatus, qui ad Cæsarem iter habebant.

Pecora secundum subsidium.] Animaduerte, primum commeatus genus fuisse frumentarium: alterum, pecuarium. Et sic cap. inseq. Cæsar ciuitatibus quo minor erat frumenti copia, pecus imperabat.

Vsus Britanniæ.] Sup. lib. Gall. 4. cap. 5.

Imperat militibus.] Milites Cæsaris munia omnia obibant: pontes extruebãt: frumenta demetebãt: naues ædificabãt. Sic Gall. 5. ca. 1. & alibi persæpe.

Demonstratum est.] Sup. cap. 8.

Colonis pastoribusq;.] De quibus dictum est eo. lib. sed legendus Appianus ἐμφυλ. β. sub initium.

Tempus erat autem.] In meo vox *Autem* abest. Placet Faerni lectio: Tempus autem erat anni. Puto Cæsarẽ scripsisse, Tempus erat anni difficillimũ.

CAP. XI.

V*T fert Galliæ consuetudo.*] Noster & Ald. Galliæ consuetudo.

Millia sex cum seruis liberisq;.] Legendum arbitror, Libertis. nam hæc vsitata locutio est, pro, In his serui libertiq;. Quod vulgò dicitur, Computando seruos libertosq;. Sic paulò pòst: Eo die naues Massiliensium, cum ijs quæ sunt captæ, intereunt nonem.

De nocte proficiscitur.] Rectè: & sic in Ald. cùm in meo sit, Diu noctuq;. vitiosè.

His tamen omnibus.] Legendum arbitror Tum pro Tamen: cui locus hic esse non videtur.

Quæ ferè res.] Cùm modò dixerit *Annona*, non video quemadmodum voci *Res* locus esse possit. Eadem autem sententia vsurpatur à Cicerone in ea pro Pomp.

Magni domum concursus.] Non placet. Faernus restituit, *Demum.* quod etiam video in meo Antiq. Videtur legendum, *Magni ad domum Afranij concursus, magnæ gratulationes fiebant.* Nam Romæ videntur hæ gratulationes factæ.

Carinæ ac statumina.] Nonnulli *Stramina.* quod planè absurdum est. nam infimam nauis partem ex tabulis conficiebat: tum viminibus reliquum corpus aptabat. Lucan. in 4.

Primum cana salix madefacto vimine, paruam
Texitur in puppim, cæsoq; induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem:
Sic Venetus stagnante Pado, fusoq; Britannus
Nauigat Oceano, &c.

CAP.

CAP. XII.

Cognitio hostium.] Hostiũ nomine vtitur, opinor, quòd non tam Romani erant aduersarij, quàm Galli, Albici & pastores: vt modò dixit.

Pastoresq́ indomiti.] Hoc significat, opinor, quod dixit initio Gall. 4. de Sueuis. Libertate vitæ, quòd à pueris nullo officio, aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, vires ali, & immani corporum magnitudine homines effici.

Spe libertatis incitati,] In Antiq. & Ald. *Excitati,* quod magis probo.

Sub oculis Domitij.] Sic omnes lib. præter solum Aldinum. vbi scriptum est, *Domini,* quod magnoperè arridet, atque ad seruorum nomen valde accommodatum est.

Remos transcurrentes detergere.] Detergere remos dicebant veteres, cùm obiecta nauis transuersæ hostili, eius remos impetu suo perfringeret. ridiculo fortasse nautico: quasi transcurrentibus remis fœdaretur. Itaque nauem remis detergi dicebant. Hirc. de bell. Alex. Ac tantum doctrina potuit, vt in dispari numero nulla transuersa hosti obijceretur: nullæq; remis detergerentur: sed semper venientibus aduersæ occurrerent. Liuius lib. 36. Duæ regiæ vnam circunsistunt, & ab vtroq; latere remos detergunt. Hinc Detergere pinnas muri, apud eundem lib. 38. Afferibus falcatis deter gebat pinnas. Idem lib. 37. Si qua concurrerat rostro cum hostium naui, aut proram lacerabat, aut remos detergebat.

Atque artificio.] Sic Antiq. & Ald. Sed *Artificij* probo: vt est in vulgatis.

CAP. XIII.

Diuersi pugnabant.] Vna naue inter duas interposita.

Alias non longe.] Noster *Alij.* & mox *Alij longiore.* quod non improbo.

Cum Oscensibus contributi.] Propter viciniam.

Triginta in latitudinem.] Sic vetus codex & Ald. & multi impressi. Vrsini lib. *Altitudinem,* quod non probo. nam quòd erat flumius auertendus, maior latitudinis quàm altitudinis ratio habenda erat.

Partem aliquam Sicoris auerteret.] Antiq. Parte aliqua Sicorim auerteret. quod valde arridet.

Duobus contrarijs generibus.] Sertorianorum & Pompeianorum.

Absentis.] Pompeij, qui Sertorianos vicerat, cuiusq; nomine & auspicijs nunc bellum gerebatur.

In barbaris.] Non dixit infinitè, *In Hispanis.* sed in barbaris: quasi vulgus & plebem significet.

Naues conquiri.] Sic placet: quamuis in Antiq. & Aldin. sit, Conquirere.

Sustinere extremum agmen.] Sic Antiquus & Aldinus Sustinere, hoc loco est, Subsistere & morari, iter supprimere. In quibusdam vulgatis est, Subsistere.

Totis verò castris milites conturbari.] P. Victorius ex suo libro restituit *Circulari.* quod mihi vehementer placet. nam cùm palàm de Cæsare queri non auderent, in circulis querebantur. Legendus Victor. Variar. 8. cap. 13.

Suprà atque infrà.] Cæsaris institutum alioloco notauimus, vt peditatu per flumen transportando, equites suprà atq; infrà constitueret. vt patet lib. 7. cap. 11. vbi instituti huius rationem exposuimus ex Veget. lib. 3. cap. 7.

Interijt tamen nemo.] Nihil muto. atque ita legi placet. veruntamen si quo in vetusto & bono libro ita legeretur: *Tamen non nemo,* libenter eam scripturam cum hac commutarem. Quorsum enim vox *Tamen?* neq; verò eò minus traductus incolumis exercitus dici potest.

Huc iam reduxerat rem.] Antiq. & Aldin. Hue iam rem duxerat. Faërn. Huc iam adduxerat rem. Fortasse, Hnc iam rem perduxerat.

Ad transeundum impedirentur.] Noster, Non impedientur. Et modò dixit eos transire potuisse.

CAP. XIIII.

Prorsul visos conspexit.] Sic omnes lib. Neque vllum inuenire licuit, in quo non verbum *Visos* legeretur.

Vasa militari more conclamari.] In stratagematis loco Frontinus hoc numerat lib. 1. C. Cæsar, inquit, per exceptũ quendam aquatorẽ, cùm comperisset Afranium, Petreiumq; castra noctu moturos, vt citra vexationem suorum, hostilia impediret consilia, in initio statim noctis, vasa conclamare milites, & præter aduersariorum castra agi mulos eum fremitu, & sonum iussit continuare, quos retentos volebat, & arbitrari castra Cæsarem mouere.

Timori magis quàm religioni.] Maiorem sui timoris, quàm sacramenti rationem ducere. Causam autem esse arbitror, animorum ardorem, qui in ciuili dissensione multo maiore odio inflãmantur: vt nulla salutis spes sit. Nisi hæc sit potius, quòd in bellis ciuilibus remissior esse militaris disciplina solet, ne milites abalienati in aduersariorum partem discedant. Id enim proximè significare videtur.

Lacem multum per se pudorem.] Sic lib. 2. capit. 6. Namq; huiusmodi res, aut pudore, aut metu tenentur: quibus rebus nox maximè aduersaria est.

Atque ad Ilerdam reuerti.] Hoc Cæsaris factum Frontinus landat, & in stratagematis loco numerat. lib. Stratag. 2.

Nec necessary victus.] Ita est in meo & Faërni lib. vt ipse testatur.

Difficultas tardabat.] Noster & Ald. Difficultates tardabant.

Excelsissimus.] Abest ab Antiq. lib. &, si retinendum videtur, Excelsissimum, legendum erit.

Iugis Octogesam perueniret.] Per iuga montium.

CAP. XV.

Cæsar in eam spem venerat.] Front. lib. Strata. 1. factũ Cæsaris aliter interpretatur. Cæsar (inquit) cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum

latum siti angeret, isq; ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset, continuit suos, arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduersarios & ira & desperatio incenderat.

Et quod non ab initio.] Duos versus deesse arbitror, quibus Cæsarianorum querelas & sermones exponebat. Nam verbum *Conqueruntur* ad Cæsarianos pertinere puto. Itemq; illud, His prouocati sermonibus: Cæsarianorum scilicet. Arma autem conferre, modò dixit pro Coniungere.

Cum Cæsare per Sulpitium.] Hæ duæ voces, *Cum Cæsare*, absunt à nostro antiq. & meo iudicio absunt, non desunt.

Armat familiam.] Familiæ nomine intelligit, opinor, quos Proconsules ex domesticis conuictionibus, aut necessarijs apparitionibus secum habere consueuerant: qui quasi ex cohorte prætoria appellari solent: vt ait Cicero Epist. ad Q. Fr. in qua nullum aliud genus animaduerto, quod ex Familia dici possit. Nam seruos certè ad arma non vocaret. Colonos quidem, de quibus superiùs diximus, potest etiam hoc verbo significare.

Beneficiarijs suis.] Suo aliquo beneficio obligatis.

Aduersarijs tradit.] Aduersario habet V.C. quod valde probo.

Consilium capturos.] Iam antè dictum est, Sibi consilium capere, vocem esse seditiosam: cùm defectio fit à maiore parte.

Ad idem iusiurandum.] Vetus placet, Ipse idem iusiurandum adigit Afranium. Nam sæpe Præpositionem Verbo adiungebant. vt Arbitrum adigere: pro Ad arbitrum. Sic Rhodanum exercitum transijcere dixit Plancus ad Cicer. Epist. 9. lib. 10. Et puto Ciceronem de Fin. 3. sic scripsisse, Si Annibal ad portas venisset, murumq; iaculum transiecisset: vbi vulgò legitur *Iaculo*.

Vt producatur.] Noster producant. quod non minùs arridet.

Quos ceperant.] Non dubito, quin *Receperant* legendum sit: vt in nostro antiquo. Vrsinus restituebat, *Plerosque*. quod non probo.

Vana religio iurisiurandi.] Sic Ald. sed multò veriùs Antiquus, vbi *Noua* scriptum est. vt renouatũ superioris diei sacramentum significet. Sic enim posterius lib. 2. cap. 6. Relinquitur noua religio, vt eo neglecto sacramento, quo nunc tenemini, &c. Vrsinus quoq; idem de suo testatur.

Insueta ad onera portanda.] Diximus alio loco ex Tusculan. Cicer. magnam fuisse cuiusq; Romani militis sarcinam: cùm præter arma & vallum, etiã dimidiati mensis cibaria portarent.

CAP. XVI.

COnsilium explicaturos.] Sic legitur in impressis permultis. Aldinus tamen & noster vetus, Expleturos. quod non æquè probatur.

In locis campestribus subsistebant.] Noster, *sustinebant*, vt aliquantò superiùs: ac nonnunquam, Sustinere extremum agmen.

Desuper protegebant.] Vox prior abest à nostro & Aldino.

In aduersarios tela conijciebant. Sic noster, itemq; ne Aldinus. nonnulli Aduersos. placet Faërni coniectura. *Auersos.*

Tum inquirebant.] Fort. *Requirebant.*

Sexta eius diei.] Aldinus, & noster, *Eiusdem diei.*

Relictis religionibus.] Sic noster & Aldin. Placet Faërnini lib. lectio, *Eductis legionibus.*

Munitiones proferunt.] Longiùs vallum & fossam producunt.

Præsenti malo alijs malis remedia dabantur.] Vt minore incommodo maius vitaretur.

Ad id expeditiores.] Ad crebras eruptiones. quanquã Faër. lib. scriptura non displicet, vt *Ad iter*, legamus. Et hac de re Frontin. lib. Strat. 2. Cæsar, inquit, cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum siti angeret, isq; ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnã descendisset, continuit suos: arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduersarios & ira & desperatio incenderat.

Prælio diffugisse.] Sic omnes lib. Ego tamen contra omnium auctoritatem legendum esse arbitror, Prælium defugisse.

CAP. XVII.

VT feminas circummunitos.] Sic Ald. & omnes reliqui. Noster, *Circumuentos.* quod magis placet.

Minùs conuenisse.] Quàm Afranio, qui modò verba fecerat.

Se qui etiam.] Se, nimirum Cæsarem.

Quam integerrima.] Quasi verò prælio, non alia de causa, quàm vt paci consuleretur, supersederit.

Exercitum suum.] Totus hic locus interpunctionis vitio sententiam obscurauit. Zeugma figura est. Officium suum Cæsar præstitit. Exercitus Cæsaris præstitit. Itaque Exercitum suum, id est, Cæsaris.

Suisq; interfectis.] Hoc eodem lib. cap. 16. Quos deprehendit, interfecit. & cap. 17. Productos palàm in prætorio interficiunt.

Quos in sua potestate habuit.] Noster, Habuerit. quod sine dubio verum est. idemq; de suo Vrsinus testatur. Sed voce *Tamen* interposita multò commodior sententia videretur: ibi, Tamen quos in sua potestate, &c.

Conseruârit & texerit.] Hoc lib. cap. 17. Summa diligentia conquiri & remitti iubet.

Illius denique.] Afranij.

Illorum humilitate.] Sunt qui reponant, *Humanitate*: quos facere imperitè, cùm loci sententia, tùm Cæsaris consuetudo conuincit, qui Humilitatem crebrò vsurpat, pro infima & abiecta conditione ac fortuna.

Iura Magistratuum commutari.] Non seruari vetera Magistratuum iura, sed induci noua.

Ex prætura & consulatu.] Post præturam & Consulatum.

Per paucos probati & electi.] Hi sunt Scipio & Domitius

militius priuati, de quibus suprà, capite secundo.

Aetatis excusationem.] Quid hoc loco significet, aperuit sup. cap. 1. Multi vndiq; ex veteribus Pompeij exercitibus, spe præmiorum atq; ordinũ euocantur. Nam Obtinere exercitus modò dixit, pro Ducere ordines & præfecturas habere.

Firmum esse posse.] Quod promisissent. id est, quamuis fidem Afranio darent, atq; in eius verba iurarent, tamen se fidem non seruaturos.

Aequa facta aestimatione.] Precio cuiusq; rei facto.

Introduxerunt.] Quasi controuersiarum introductio, signum sit imperij approbati.

Liber II.

CAP. I.

A*Digit ad ostium Rhodani.*] Sic omnes Antiq. Nonnulli autẽ *Attingit* reposuerunt. Sed Adigere præcisè dixisse videtur, pro Naues adigere. quæ fuit vsitata veterum locutio.

Materiamq́.] Trabes, ad aggeris latera firmanda: Vimina, ad vineas contexendas.

Asseres enim.] Asseres hoc loco non pro tabulis vsurpat, sed pro validis sudibus. & palis cuspide præacutis. vt alibi pro trabibus. interdũ pro contis: etiam pro longurijs vsurpantur. Liuius lib. 44. Per procliue sumpto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur. in eos transuersi incumbentes tigni, vt pons esset, iniungebantur, humusq́; insuper inijciebatur. Solido præcedebat Elephas in pontem: cuius priusquam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons prolabi cum leniter cogebat. Tacitus lib. 20. Eduxerant turrim duplici tabulato: quam prætoriæ portæ propinquantem promoti contra validi asseres & incussæ trabes perfregêre. Pro contis verò apud eundem lib. 30. Postremo asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus inijci in Romanas cœpti. Et lib. 38. Arietibus muros quatiebat, asseribus falcatis detergebat pinnas. Et mox: Falces anchoris ferreis iniectis in interiorem partem muri trahentes asserem præstringebant.

Inter manus proferebatur.] Quod vulgus dicit de manu in manum. vt alio loco diximus. Seneca de breuit. vit. Cùm ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, &c.

Fortissimis lignis.] Equi fortitudinem Cicero dici testatur. Ligni fortitudinem anteà nõ legeram. Cicero dixisset, Firmissimis. Vegetius tamen crebrò ita loquitur.

Aequandi loci causa facta.] Vitiosa interpunctio loci sententiam deprauat. Nam vox Facta cum insequentibus coniungenda est, hoc sensu: Testudo facta ex fortissimis lignis antecedebat, æquandi loci causa. Nisi fortè *Soli* potiùs quàm *Loci* legendum videtur.

Euoluta.] Dictum est pro *Inuoluta*. Cicero tamen in contraria significatione posuit. lib. de Orat. 2. Lubenter enim te cognitũ iam artificẽ, aliquandoq; euolutum illius integumentis dissimulationis tuæ, nudatumq́; perspicio.

Ignis iactus.] Posterius lutum, coria, centones, tomenta, & crates in hoc numero reponit.

Per Albicos.] Homines asperos, montosos, indomitos: de quibus dictũ est superiore lib. cap. 8.

Pauca erant aerata.] Hoc est, rostratæ. Vergil.

Quot prius aerata steterant in littore puppes.

Nam ab æreis rostris sic appellantur.

Inopinante Curione.] Quem proprætorem cum tribus legionibus in Siciliam Cæsar miserat, libro primo, cap. 7.

Vehementiusq́; exterreamur.] Sic lib. 7. capite 16. Omnia, inquit, plerunq; quæ absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant.

Ex publicis custodijs.] Sic noster Antiquus. Magis tamen Ald. lectio probatur: Publicisq́; custodijs. Nam stationes intelligit eorum, qui præsidio vrbi relicti fuerant.

Victoriam ab dijs.] Vetus *Ab his*. vt Ver. 1. Sese iam ne Deos quidem habere, &c.

Vel externis auxilijs.] Si domesticæ copiæ non sufficerent.

Quibus in pugna.] Vetus: *In pugnando*. quod æquè arridet.

Magna vis eminùs.] Legendum vt in nostro Antiquo, *Magna vi*: & vt in cæteris omnib. Antiquis, *Inferebãt*. nam ad coniunctos Albicis hoc refertur.

De improuiso imprudentibus.] Suspectus mihi locus: qui tamen in omnibus libris ita legitur.

Tanta re prouisa.] Noster *Præmisa*: & mox pro *Enisus*, Visus: quod magis placet. nisi *Tantum* vt in Aldin. corrigamus.

Respectus patriae.] Sic noster Antiq. Ald. tamen, *Conspectus*. quod magis placet.

CAP. II.

P*Luteiac vinearum.*] Pluteus nunc pro machina vsurpatur: quæ vnà cum vineis opposita erat ante milites, qui opus faciebãt, ne telis ex oppido missis vulnerarentur. Plutei & vinearum formam sub exitum libelli adscribemus.

Vel externis auxilijs.] Si domesticæ copiæ non sufficerent.

Vitae periculum cederet.] Manifestum mendum. Legendum vt in alijs *Accideret*.

Laterculo.] Lateribus minoribus & luto. Lateres autem crudos non coctos fuisse, posterius ex musculi descriptione intelligetur.

Suspenderent.] Sustinerent tectum.

Supra eum locum tigna transuersa.] Sic Aldin. & pleriq;. Noster verò & nõnulli impressi, *Duo tigna*. quo modo sine dubio legendum est. Nam hæc duo tigna transuersa crucis figuram (vt vulgò loquimur) habebant. Nihil ad huius turris intelligentiam æquè notandum est.

Directò transuersas.] Planum igitur & subtensum fuit tectum, non fastigiatum.

Asseribus religauerunt.] Asseres imposuerunt, eósque clauis defixerũt. *Axibus* tamen legitur in quibusdam: quod non displicet.

Tegumenta perpendere.] Sic omnes Antiqui. nonnulli impressi Præpēdere, vt paulò pòst. quod magis probo. Quanquam *Vnde* prò *Vbi* planiùs fuisset. Tegumenta autem intelligit storeas, quæ inde præpendebant, dum in contignatione superiore parietes fiebant: nimirum, quia pluteorum & vinearum tectis satis muniti non erant.

Contabulationem.] Tectum illud planum ex asseribus factum.

Pluteos ad alia opera.] Nunc machinas intelligit.

Vt est rerum omnium magister vsus.] Sic Cic. 1. de Orato. Vsus qui magistrorum omnium præcepta superat. Sed initio Luculli, quantum in re militari valeat, ostendit: & Vegetius initio lib. 1.

Storias autem.] Storeas legendum putarem. Liuius lib. 30. Numidæ præcipuè arundine textis storeaq; pars maxima tectis passim nullo ordine, &c. Tres autem icciteo tantùm fecit, quia tres tantùm turris partes ijs storeis obtexit.

Latas quatuor pedes.] id est, crassas. Nam latitudo cuiusq; pedum erat triginta: quantum erat turris spacium, quoquò versus.

Traijci posse.] Quia teli impetum mollius sustinebant.

Ea pars turris.] Quantum altitudo pluteorum & vinearum passa est.

Pluteos abduxerunt.] Pluteorum nomine latiùs etiam vineas comprehendit: vt ex superioribus intelligitur.

Turris tectum per se ipsum.] Nihil in hac structura æquè notandum est, vt quod de tecto dicitur. Intelligendum est enim, illud coniunctum operi ab initio non fuisse: sed tantisper per se cōstitisse, sensimq; cochlea subleuatum fuisse, dum opus fieret, sextaq; contabulatio poneretur.

Prehensionibus.] Prehensionem hoc loco accipere cogimur pro machina, qua tigna ædificiorū adhibita cochlea subleuantur: vel potiùs pro ipsa subleuatione, & instrumenti opere. Hanc Fabri nostri appellāt *Guindal.* Cùm hæc iampridem scripsissem, animaduerti Adr. Turnebum virū eruditissimum libro Aduers. 11. cap. 24. in hunc Cæsaris locum multa scripsisse, ab his notis nostris valde dissentaneā. in ijs autem illud præter cætera mirū videri potest, quod ait milites hoc tectum sine vineis & pluteis prehendisse, & leuâsse. quasi verò vel nunc manibus, vel anteà vineis & pluteis ad prehendendum vsi fuerint. Sed integrum Lectoribus iudicium relinquemus.

Aliam prehensionem.] Sic impressi complures. Meliùs noster & Ald. Alia prehensione. Nam ordo est: Alia prehensione & subleuatione expediebant sibi locum ad ædificandum. Tectum enim ita subleuabant, vt desuper eo tegumento muniti aduersus saxa & tela esse possent. à fronte verò storeis.

Vt primo.] Vt extrema parietum structura capita tignorum tegerentur.

Summam contabulationem.] Tectum contabulatum, pensile, nec dum operi coniunctum.

Aequè longè.] Pedū sexaginta: intus autē latebāt.

Columella.] Inter quas intercolumnium, id est, spacium relictum erat: cuius ab vna parte milites opus facere, & murum subruere possent: ab altera parte, si qui vulnerati essent, excedere: & alij recentes atq; integri succedere. Hæc posteà latera nominabit.

In altitudinem quinque.] Quantum hominum, qui intus latebant, altitudo poscebat.

Capreolis.] Capreoli dicuntur ab architectis ligna, quæ proclinata capitibus inter se iunguntur: interiecta trabe oblonga, quam ijdem Canterium appellant. His vtraq; ex parte tecti fastigium sustinetur. Legendus Vitruuius lib. 10. cap. 20. vbi Testudinis formam describit.

Vbi tigna.] Si trabs fuisset, Canterium, vt modò dixi, appellâsset.

Tigna bipedalia.] Plurali numero est vsus. quòd non tam facilè vnum sexaginta pedes longum reperiretur, quàm duo tricenum pedum.

Laminis clauisq; religabant.] Laminam superimponebant, eamq; clauis in tigna & capreolos adactis deuinciebant.

Lateres diluere.] Locus hic ostendit, Laterem nō esse glebam ex argilla igne decoctam: vt tegulam, vel imbricē. nam argilla cocta Testa dicitur, opinor, quasi tosta: sed esse massam ex argilla vel luto, quę tecto isti imposita Sole indurarur. quæ quia si lauetur, liquescit, & defluit, atque in cœnum resoluitur: inde natum Terentianum illud in Phormione prouerbium videtur, Laterem lauare, pro Laborem inanem sumere, operam perdere.

Ad extremum.] Id est, in extrema inferiore parte.

Lateres qui super.] Ne quid ignis hostium nocere posset.

Contineant.] Id est, Sustineant.

Tectum vineis.] Vineæ antecedebant. secūdum quas musculus sensim adigebatur.

Machinatione nauali phalangis.] id est, Phalangis eodem modo subiectis, quo in machinatione nauali, id est, in nauibus vel ex arido propellendis, vel in aridum subducendis subijci solent. Phalangas autem Cæsar Latino nomine scutulas interpretatur. infrà, lib. 3. Ligna scz. oblonga & rotunda, instar cylindri, quæ oneri subiecta vectibus impelluntur. Biremes, inquit, subiectis scutulis impulsas vectibus in interiorem partem traduxit. Interdū Phalanges pro fustibus teretibus vsurpantur. Plin. lib. 7. cap. 56. Pręliū, inquit, Afri contra Aegyptios, primum fecère fustibus, quos vocant Phalangas.

Inuoluta labuntur.] Non intelligo, cur non Euolutæ, potiùs legendum sit.

A lateribus.] Non lateres dicit tecto impositos: sed latera vtraq; ex musculi parte: quæ nos superiùs intercolumnia diximus.

Ab opere.] Inter milites, qui intus opus faciebant, quidam interiecti erant, qui furcis & longurijs cupas illas à pedibus militum remouerent.

CAP. III.

Vt vis militibus aut ignis vis nocere.] Antiquus noster multò concinniùs: Qua aut vi militibus, aut igni operibus noceri posset.

Turri-

Turribusq́ circumiri.] Meliùs idem Antiqnus, *Circumuenire*. Nam Circumuenire, pro Circummunire, alijs multis locis notauimus.

Propinquitatis interire.] Sic omnes alij. Noster multò verius, Interirent.

Inermes cum infulis.] Liuius 29. Legati Locrensium velamenta supplicum, ramos oleæ (vt Græcis mos est) porrigentes ante tribnnal, &c. Idem lib. 44. Sordidati, barba & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt. Loquitur de legatis Alexandrinis. Item libro 45. vbi de Rhodijs loquitur: Vniuersi rursus prociderunt: ramosq́; oleæ supplices iactantes tandem excitati curia excesserunt.

Eiusdem generis complura.] Nihil muto. Tantùm testificor in nostro antiquo scriptum esse: Eiusmodi complura. quod æquè placet.

Ab hominibus doctis.] Non iam literarũ doctrinã significat, vt quibusdã placere video. Sed Doctos dixit, pro Instructis. vt lib. Gall. 4. cap. 4. Hiiam antè edocti quid interrogati pronunciarent.

Portis se foras erumpunt.] Libri consentiunt. vt vetus illa fuisse locutio videatur.

Superioris temporis.] Hoc à me non intelligi fateor, nisi legamus *Superiori die*. vel potiùs vtrunq; relinquamus. Nam quod nonnulli de Contemptione dicunt, planè absurdum est.

Agger comportari.] Sic Ald. Noster verò *Comparari*, quod æquè placet.

Et conuectis.] Noster, & multi impressi, Conuectis. nimirum, in vrbem.

Eadem ferè altitudine.] Omnes veteres Latitudine. Ego non dubito, quin vtrumq; verum sit, atq; hoc modo legendum: Latitudine atq; altitudine.

Fit in hostes impetus eorum.] Vox *Eorum* superuacanea est: & à libris quibusdam rectè sublata.

CAP. IIII.

F*iduciaria opera.*] Fiduciarius dicitur, cuius quid fidei & potestati ita committitur, vt nullo iuris vinculo, sed sola fide sit obligatus. Sic, Pater fiduciarius, Hæres fiduciarius, Tutor fiduciarius, in Iure appellantur, vt in Comm. verb. iur. exposuimus. & in eandem sententiam infrà cap. vlt. Curio Cæsaris legatus ita loquitur: Nunquam amisso exercitu, quem à Cæsare fidei commissum acceperit: se in eius conspectum reuersurum confirmat. Sed Hircius belli Alexan. cap. 4. hoc verbo est abusus: Nam Fiduciarium regnum dixit, pro Vsurpatum & occupatum. Locum autem vulgatis in libris vitiosè interpunctum, à nobis emendatum subscribemus. Paratam enim omnem multitudinem esse, confectam tædio, & puellæ fiduciario regno, dominationeq́; crudelissima Ganimedis, facere id quod Rex imperâsset: nam Arsinoe testamento vacuam Regni possessionem occupârat, &c. Liuius lib. 34. Optimum ratus Nabidi & cam Lacedæmoniorum tyranno, velut fiduciariam dare.

Omnibus referebat.] Ita placet: itaq; in meis omnibus constanter scriptum est. Vrsinus tamen, Ferebat. quod non æquè arridet.

Ad Massiliã distineri.] Non video cur veterũ omniũ scripturã repudiemus, in quib. legitur *Detineri*.

Procurandæ hæreditatis.] Motis erat, vt Senatores, quibus hæreditas in prouincia relicta testamento fuerat, legationem liberam à Senatu hæreditatis persequendæ causa impetrarent. Cicero Agr. 2. Hæreditatum obeundarum causâ, quibus vos legationes dedistis, qui & priuati & priuatum ad negocium exierunt, non maximis opibus, neque summa auctoritate præditi: tamen auditis profectò, quàm graues eorum aduentus socijs vestris esse soleant. Idem Fam. lib. 2. Epi. ad Cornif. scribit, eos qui cum libera legatione proficiscebantur, lictores à prouincialibus Magistratibus, & insignia cæterorum legatorum accepisse.

Perterritis ciuibus R.] Sic Aldinus, & multi impressi. Noster multò veriùs, Perterritos ciues R.

H-S CXC. *mill.*] Id est, quatuor millia coronatorum, septingentos quinquaginta: quæ pertenuis ad Varronis negocium summa est. Quare legendum censeo: H-S. centies nonagies: & voce͂ *Millia* tollendam, vt efficiatur summa coronatorum quadringentorũ septuaginta quinq; milliũ.

Tritici modios CXX. *mill.*] Modium in casu secundo, quin sit legendũ, dubitaturũ neminẽ arbitror.

Iudicia in priuatos reddebat.] Iudicia de priuatorum rebus constituere, non modò iniquum non est, sed etiam prætorium. Quare nihilo probabilior Vrsini aut Octauij Pantagathi emendatio est: demitorq́; hoc ab illis non obseruatum. Locus enim sic emendandus est, vt sine interpunctione continenter legatur: quasi scriptum ita esset: Et iudicia in priuatos, qui verba atque orationem aduersus Rempublicam habuissent, reddebat: eorumq́; bona in publicum addicebat. Edictum scilicet proposuerat: Si quis aduersus Remp. (id est, aduersus Pompeium) verba fecisset, se iudicium eo nomine daturum: damnatiq́; bona in publicum addicturum. Quare, qui partic. Verò, intericcerit, ibi, Qui verò verba, stultissimè illos fecisse apparet. Et similis iudicij formula extat apud Liuium libro 24. Pronunciârunt, verba orationemq́; eos aduersus Rempub. habuisse, quò coniuratio deferendæ Italiæ causa fieret. Totus autem locus, qui variè conturbatus est, ita restituendus est: Quas Cæsari esse amicas ciuitates arbitrabatur, ijs grauiora onera iniungebat, præsidiaq́; eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat, qui verba atq; orationem aduersus Remp. habuissent, eorumq́; bona in publicum addicebat. Quod autem sequitur: Prouinciam omnem in sua & Pompeij verba per iusiurandum adigebat: fateor in meis omnibus ita scriptum esse: ac testificor nihil à me immutari. Tantum dico videri posse ex aliorum locorum comparatione, vocem Per, abundare. vt suprà lib. 1. In hæc verba iurat ipse: idem iusiurandum adigit Afranium. Vt hoc modo similiter dictum sit, Prouinciam in iusiurandum adigere. Cùm hæc iampridẽ scripsissem, animaduerti Manutium ex Nicasij doctiss. viri coniectura reponere, Aduersus Pompeium. quam coniecturam primùm Liuij locus refellit: deinde quis nescit eos, qui rerum potiũtur, semper Reip. nomine abuti?

Pompeij beneficia.] Insignis locus: ex quo intelligitur, quæ Longobardi Feuda nominârunt, ea Romano more Beneficia dici consueuisse: & quos illi Vasallos, hos Clientes appellatos.

Ad statutum diem.] Vox *Statutum* abest à meo Antiquo, Aldino, & alijs nonnullis: planeq; repudianda est.

Per se portas Varroni clausit.] Priuato consilio, nulla expectata auctoritate.

Deductis tribus.] Id est, cùm Varro tres in arcem cohortes præsidij causa induxisset.

Voluntate prouinciæ reperiebantur.] Noster & Ald. Voluntas prouinciæ reperiebatur: quod probo.

In Italiam venturum promisisset.] Italicam rectè iampridem Rhellicanus restituit: Faërnus nuper, Pronunciasset. Plin. lib. 3. cap. 1. Oppida Hispalensis conuentus, Celtiaca, Vacumana, Acria, Ilipa, cognomine Italica.

Pedibusq; Narbonam peruenit.] Pedibus & pedestri itinere dicebant veteres, pro eo, quod iam dicimus Terrestri. Sic infrà, cap. 6. Eoq; illos compulerim, vt neq; pedestri itinere, neque nauibus commeatu iuuari possint?

Legem de Dictatore.] Dio lib. 41. scribit, M. Aemilium Lepidum, cum qui posteà Triumuir factus est, huius anni Prætorē populo persuasisse, vt Cæsarem Dictatorem facerent. Plutarchus à Senatu dictum, & dies XI. gessisse.

CAP. V.

Panico vetere.] Frugis genus, de quo Plin. lib. 18. cap. 7. & 10. Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur.

Dedere fine fraude.] Antiqua locutio, pro Verè & ex animo. Liuius 41. Vt prætor fine fraude, cùm de bello aut pace agere velit, aduocet conciliū. Idem 24. Nihil prætereà cum Consule pacti, quàm vt fine fraude Punicum emitteretur præsidium.

Qua missu Bruti.] Sic Aldinus & complures impressi. Noster *Iussu*, quod etiam in quibusdam impressis rectissime legitur.

Pro nomine & vetustate.] Noster, Pro nomine vetustatis. De Massiliæ autem antiquitate Strabo multa præclarè, itemq; Cic. Ora. pro Flac. Quemadmodum autem conseruârit, docet Orosius his verbis: Cæsar Massiliam rediens obsidione domitam, vita tantùm & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. Plutarchus in Solone Massiliā à mercatore conditam, memoriæ prodidit.

Remulco abstraxit.] Laz. Bayfius putat fictū verbum ex Græco ῥυμουλκεῖν, quasi ῥύμασιν ἕλκειν, funibus trahere: cum funibus illigata nauis è scapha trahitur. Sic infrà, lib. 3. Submersam nauem remulco, multis contendens funibus, eduxit. Sed si hoc verum est, inflexam fuisse consuetudine pronunciationem oportet. alioqui Rymulcare, vel Rumulcare scribendum fuisset. Sext. Pompeius: Remulco (inquit) est cùm nauis magna scaphæ remis trahitur. Itaq; Nonius à Remis & Mulcendo deduxit: quasi nauis leni tractu ad progressum mulceatur. Liuius lib. 25. Marcellus nocte nauim onerariā cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam iussit. Idem lib. 32. Tardè inde ad Maleā trahendis plerunq; remulco nauibus peruenit. Video sanè pro fune vsurpatū, quo deligata nauis trahitur. vt apud Valgium Poëtam veterem:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitijs.

Regnum Iubæ publicauerit.] Iuba Hiempsalis filius, Rex Numidiæ, Pompeij partes secutus est. Curio cùm Tribunus pl. esset, legem tulerat, eius regnum vt populo R. addiceretur. A Pompeio Rex appellatus, à Cæsare hostis iudicatus. Dio lib. 41.

Exercitus conclamatione.] De hoc more Imperatoris appellandi, abundè dixi in Præf. Institu. Iuris. Appianus quidem lib. de bell. Ciuil. 2. hanc eandem historiam commemorans, subiungit, honorem hunc olim tribui solitum ducibus, ob quodnis præclarum facinus militare. sua autem ætate nemini concedi, nisi qui x. hostium millia vno prælio cæcidisset.

Auribus Vari seruiunt.] Seruire auribus, idem est, quod loqui ad gratiam.

Suprà demonstratum est.] Suprà, libro 1. cap. 5. extremo.

Traduxerat Curio.] Sic Ald. & aliquot impressi. Video tamen esse qui vocē *Curio* suis in libris sustulerunt: quos facere perperam & huius loci sententiam corrumpere, non difficile intellectu est. Cæsar enim cohortes ampliùs XXX. Corfinio capto receperat, & sacramentum apud se dicere iusserat. Suprà lib. 1. cap. 5. Eas igitur tres legiones Curio secum in Africam traduxerat. Planior tamen esset sententia, si pro *Legionesq;* vetus liber emendaret, *Quo legiones.*

Apud Domitium.] Quem Corfinij præfuisse dictum est illo lib. cap. 5.

Magnus omnium incessit timor.] Sic omnes lib. Legendum tamen putarem, *Omnes*, vel *Omnium mentes.*

Alius alij tradiderat.] Sic Ald. Noster tamen, *Atque illi alijs ediderunt.* quod non minùs arridet.

Atque in castris Curionis.] Ante hæc verba desiderari quippiam necesse est. Ac planè tota hæc ferè pagina mendosè descripta est.

Ciuile bellum.] Locus fine dubio mendosus: atq; vt opinor, fine veteris ope codicis, insanabilis.

Commilitesq;] Alterum item mendum, & opis eiusdem indigens.

CAP. VI.

Huiusmodi militum.] Noster, *Himilitum*. Locus hic eiusdem opis indiget.

Circumuentos à suis.] A tribus legionibus Domitianis, quas Cæsar Sacramentum apud se dicere iusserat.

Aut pudore aut metu.] Similis propè sententia suprà, lib. 1. cap. 14. Perterritus miles in ciuili dissensione timori magis, quàm religioni consulere consueuit.

Dimisso concilio, concionem aduocat.] Puto me alibi docuis-

docuisse Concilium esse, cùm Legati & cæteri, qui cum potestate aut imperio sunt, in consilium adhibentur: Côcionem, cùm ad omnes milites oratio habetur. Sic ad Heren. 3. Si quam rem in concione, aut in concilio faciendam censebimus.

Vestri facti præiudicio.] Modò dixit, *Authoritate.* Vtrunq; tum dicitur, cùm alicuius factum alij pro exemplo sequuntur.

Incerta victoria.] Ita legendum est sine dubio: quamuis in nonnullis legatur *Certa.*

Capitis munitione.] Acerbè, quasi Domitius, qui in Cæsaris potestatem venerat, seruus aut certè dedititius eius factus sit. Sed hoc elatoriè dictum est. Nam, vt ait Vlpianus, in ciuilibus dissensionibus, quamuis sæpè per eas Resp. lædatur, non tamen in exitium Reip. contenditur. Quare, qui in alterutras partes discedunt, vice hostium non sunt, inter quos iura captiuitatum & postliminiorum sunt. Liuius lib. 22. Imò desideratè, dum patria est, dum ciues eius estis. serò nunc desideratis diminuti capite, abalienati iure ciuium, serui Carthaginensium facti.

Neque pedestri itinere, neq; nauibus.] Locus hic ostendit, quod superiùs aliquoties diximus, Iter pedestre dici ab Antiquis solitum, pro eo, quod vulgus dicit, *Terrestre.*

Consensu suo.] Faërnus, Suorum. Ego, Summo, legendum arbitrabar: sed Faërnum locus duabus paginis interiectis adiuuat: in quo ita legitur: Itaq; suorum omnium consensu Curio reliquas copias expectare parabat.

CAP. VII.

A *Missis equis.*] Mendum quidem turpe. sed multò turpius est, à nullo adhuc emendatû. Corrigendum est, *Admissis.* qua locutione & hic noster alibi est vsus. neq; vlia propè apud auctores frequentior est, pro Incitatis. Hæc cùm ante annos decem scripsissem, animaduerti posteà in quibusdam nouis impressis locum hunc emendatû fuisse.

Praeoccupatis animis.] Vrsinus, *Præoccupatus animus.* & mox: *Cogitabat.* cui propterea non assentior, quia multis locis Cæsarem ita locutum animaduertimus, nonnullos etiam notauimus.

A fugientium.] Omnes Antiq. *Ac*: quod rectissimè Vrsinus commutauit in *Hac* cum aspiratione.

Atq; iter impeditur.] Nonnulli, *Atque impediuntur.* quod perspicuè rectum est. Significat enim cum hominû multitudine receptus impediretur, turba oppressos interijsse.

Castris expellerentur.] Vetus, *Pellerentur.* quod magis placet.

Atque vulneratis.] Vrsinus affirmat legi in suo libro, *Ac mille vulneratis.* Ego scripsisse Cæsarem arbitror, Aut vulneratis.

Vallo circummunire.] Omnes Antiq. & Aldi. *Circumuenire.* quo verbo quàmplurimis alijs locis vsum Cæsarem adnotauimus.

Conuentus qui constaret.] Rectè sic: cùm alij Constarent reposuerint. Nam conuentum vnius oppidi significat. Ex varijs autem generibus, id est, vel ex varijs municipijs, vel ex varijs hominum ingenijs, quorum alij Cæsaris rebus fauebant: alij aduersabantur.

Equites conuenit.] Sic omnes Antiq. Video tamen in quibusdam recentioribus *Iuuenit.* quod magis probo.

Insolenter quidem, sed libenter.] Sic plerįq;. Magis tamen Aldina probatur: *Vt de suis homines laudibus libenter prædicant.*

Spolia præferebantur.] Legendum putarem: *Proferebantur.*

Homines equitesq; producebantur.] Fortasse *Equiq;*

Curionem ab spe morabatur.] Noster Antiq. Aldin. multi impressi, *Ad spem.* quod cur mutetur, causam non video. Nam idem est, ac si dixisset, Curionis spem morabatur.

CAP. VIII.

I *Naciem immittit.*] Iidem libri, *Mittit*, quod sine dubio rectum est.

Parentes suos commendabant.] Commendare, verbum extremo vitæ tempore vsitatum. Cicero de Orat. 1. Filios suos paruos tuteiæ populi R. cômendaret. Et de fin. 2. Nam ista commendatio puerorum, memoria & charitas patriæ. Loquitur de testamento Epicuri, quo Metrodori liberos cômendârat. Item lib. 3. Quorum vterq; tibi testamento liberos suos commendauit. Hirc. de bell. Afr. Ipse omnibus rebus diligentissimè constitutis, liberis suis L. Cæsari commendatis, ferrum in cubiculû tulit, atq; ita se traiecit. Cic. Offic. 3. Et is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulauisset.

Si quos ex eo periculo.] Si quos amicos, notos, commilitones.

Vt in reliquis rebus.] Sic omnes Antiqui, quos mibi videre licuit. Vrsinus testatur in suo scriptum: Vt miseris in rebus. quod Vascosanus Lutetiæ impresserat XXX. abhinc annis.

Paucis lenunculis.] Hos etiam Lemnunculos appeliant Grammatici, & eosdem esse dicunt, qui & Lembi appellantur: hoc est, nauiculas piscatorias. Nonius exempla profert. Tacitus lib. 14. vbi de Agrippina Neronis matre loquitur: Nâdo, inquit, deinde occursu lemnunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt. Ammianus lib. 16. Auido, inquit, flatu ventorû lemnunculo secommisisse piscantis.

Legatis cum Centurionibus.] Sic noster vetus. Ald. tamen, Legatorum numero centurionibus. quod magis placet, quasi dixisset, Pro legatis, vel Legatorum loco.

Liber III.

CAP. I.

D*ictatore Cæsare.*] Dictum enim à M. Aemilio Legato prætore, superiùs ostendit. lib. 2. cap. 4.

Per leges.] Per legem Corneliam, à L. Sylla latam, ne cui eundem Magistratum

ftratum, nisi decennium intercessisset, petere licèret. Appianus de bello Ciuil. Tantum autem à primo ipsius Consulatu intercesserat.

Fides esset angustior.] Ipse interpretationem subiecit. Cicero in Manil. sic ferè locutus est. Nam tùm cùm in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romæ solutione impedita fidem concidisse.

Arbitri darentur.] Dio libro 41. Sorte deligerentur.

Aestimationes possessionum.] Planiùs hæc Sueton. De pecunijs mutuis, inquit, disiecta nouarum tabularum expectatione (quæ crebrò mouebatur) decreuit tandem, vt debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti; quasq; ante Ciuile bellum comparâssent. deducta summa æris alieni, si quid vsuræ nomine numeratum, aut perscriptũ fuisset, qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Atque hoc nimirum est, quod Plutarchus significat in vita Cæsaris cũ ita scribit: καὶ συναχθεῖσα περὶ τόκων τοὺς χρεωφειλέτας ἐκούφισε. Quod autem Dio 41. scribit, Cæsarem tulisse, ne quis vel in argento, vel auro plus pecuniæ possideret, quàm I. X. sestertiûm, non intelligo. Multò cõmodiùs Appianus, qui belli Ciuil. 2. sic scribit: τὰς μὲν ἀποκοπὰς οὐκ ἔδωκε, τιμητὰς δὲ τῶν ὠνίων ἀπέφηνεν, ὧν ἔδει τὰς χρέας. τοῖς δανείσασιν ἀντὶ τῶν χρημάτων διδόναι. Nouas quidem tabulas non concessit: æstimatores verò possessionum constituit, quibus oportebat debitores creditoribus pro pecunijs satisfacere. De simili ratione Aestimationis, Liuius libro septimo.

Ambitus Pompeia lege.] Huius capita exposui in indice Legum Roma. vbi Pompeiam de Ambitu nominaui.

Rogationes ferentibus.] Ipso auctore & impulsore Cæsare: qui ea ratione gratificari populo volebat: vt mox dicet.

Singulis diebus.] Vna actione, non pluribus.

In otio Ciuilis belli.] Sic Aldinus. vitiosè, sine dubio. Legendum *Initio*, vt in multis impressis.

Suffecissent.] Turpe mendum parua litura corrigitur: *Sui fecissent*. Et ita video iam in multis impressis.

Iudicio populi.] Qua de causa leges illas rogandas curauerat.

Ferijs Latinis.] Celebrabantur à Latinis ciuitatibus XLVII. quæ cum populo R. in Albanũ montem quotannis conueniebant, Dionys. lib. 4.

XI. *dies tribuit.*] Idem scribunt Plutarchus & Appianus.

Hoc unum inopia nauium.] Totum hoc, *Inopia nauium*, ex glossa videtur in contextum irrepsisse. Tametsi non inopia fuit, sed copia.

Vacuum atque ociosum.] Suspicor de mendo. Non enim tempus aut spacium temporis otiosum, vt opinor, dicitur. Quare videndũ, an *Vacuus & ociosus* potiùs legendum sit.

Societates earum prouinciarum.] Societates publicanorum, qui in illis prouincijs negotiabantur, & Vectigalia exercebant.

Mercenarias duas.] Noui libri, *Sexcenarias*, quo verbo necesse est significari sexcentos in cohorte fuisse: cùm legitimus vulgatium numerus quingentorum esset. qua de causa Quingentariæ dicebantur. quãquã prima Milliaria eo ex numero vocaretur. Paucis tamen pòst versibus Mercenarios ab ijs, qui vel imperio, vel gratia comparati fuerant, distinguit.

A. Gabinius.] Cui Ptolemæi Regis reducendi potestas data fuerat.

CAP. II.

Ternum attingit Græc.] Duo lib. veteres, Germanorum. sed P. Victorius vir doctissimus Variar. 13. cap. 11. docuit legendum esse *Ceraunniorum*.

Iussu D. Lælij præerat.] Hic spiritus sustinendus, & punctõ distinguendus locus. vt intelligatur Minutium Rufum iussu D. Lælij præfuisse.

Iracundia erupit.] Potest disputari Pronomen *Sua*, positum esse pro *Ipsius*: sed tamen relinquetur nomen *Nactus*, cui verbum nullum respondebit. Nam ad verbum *Erupit* referre, nulla ratio est. Consulendus igitur liber aliquis antiquus: ecquis meam hanc coniecturam confirmet. Nam cùm Cæsar hoc loco Bibulum, dissimulanter tamen, perstringat: fieri potest, vt Iracundiam expuit, facetè dixerit. Quo verbo Terentius est vsus, Quasi vbi illam expueret miseriam ex animo. De Bibuli autem iracundia paulò pòst cap. 4. iterum mentio fit. *Indiligentia* verò pro *Diligentia*, quod Vrsinus ex suo lib. restituit, incredibile dictu est, quàm mihi probetur. Seriùs enim Bibulus eis occurrerat.

Complexum veniret.] Sic noster & Aldinus. Facetè autem Bibulum eludit. pro, In Cæsaris manus, aut potestatem. Itaq; mendosè in multis libris legitur: Si in conspectũ Cæsaris venire posset. Duabus igitur de causis excubabat, primùm vt Cæsaris, si posset, nauem aliquam interciperet: deinde ne ipse interciperetur. Nam vitę subsidium ac misericordiam à Cæsare nullam expectabat.

Sese munierunt.] Noster, His sese munierunt. quod placet.

Re frumentaria laborabant.] Noster, *A re.* quam veterem esse locutionem, nemo ignorat.

Præfectis mulierum crinibus.] In neruorum inopia subsidium hoc fuit, vt obsessi mulierum capillis tormenta efficerent: quod in Capitolij obsidione factitatum Vegetius scribit lib. 3. cap. 9. Et de re eadem est apud Iul. Capitolinum in vita Maxim. & Plutarchum in lib. de fœnore.

Hyems appropinquabat.] Nihil mutandum. nam hæc fuit orationis ἀρχή, à capite: Sed post discessum Lyburnarum. Domitius enim prius hoc incommodum accepit, quàm ad Pompeium cum Lyburnis nauibus veniret.

CAP. III.

Vibullium Rufum præfectum.] Hunc, opinor, significat præfectũ fabrûm, quem ad Attic. 9. Epist. 8. scribit cum Cn. Magio altero præfecto in suam potestatem venisse.

Ad Corfinium.] Lib.1.cap.5.

Iterum in Hispania.] Hoc nominatim quidem demonstratum non fuit, sed in Hispaniam à Pompeio missum ad tres ipsius legatos, Afranium, Petreium & Varronem, lib.1.ca.8. Cùm autem Afranius & Petreius in Cæsaris potestatem cum suis omnibus copijs venerunt, vult intelligi, in eo numero hunc quoq; fuisse.

Africani exercitus.] Sanè *Afraniani* scriptum est in meo Antiquo: vti de suo Vrsinus testatur. sed mendosè, vt opinor. Nam etsi Cæsari se Afraniani milites dediderant, tamen non hoc incommodũ Cæsaris, sed lucrũ numerabitur. Rectè igitur Africanum exercitũ præter Curionem numerat. quia præter Curionem, qui Imperator appellatus fuerat, multò maxima pars ipsius exercitus in Africa interierat.

Romæ à Senatu & à pop.] Non videtur æqua conditio, cùm Cæsar in Senatu, & planè in populo dominaretur.

Et Reip. & ipsis.] Totus hic locus ita mendosus est, vt sine veterum codicum auctoritate sanari facilè non possit. Faërnus restituebat, Expedire. sed quàm consentaneũ illud videtur, Placere si vterque: pro Vt vterq;. deinde illud necessario iudicio, quid significat? Etiam illud, Si vterq; iurauisset, fore vtrunq; contentum.

Triduo proximo.] Paulò aliter Plutarch. Si inter se congressi exercitibus intra diem tertium dimissis reconciliata gratia & iureiurando dato, in Italiam redirent.

Græcos murum ascendere.] Locus mihi integerrimus videtur, neq; Vrsini emendatione indigere.

Contra imperium populi R.] Primum nulla lege id erat prohibitum, deinde non Imperium, sed Imperatorem dixisset. Quare non dubito quin Imperatorem legendum sit.

Simulac Cæsar.] Vrsini emendatio nondum mihi satisfacit: potiùs enim scripsisset, *Dictum est*, quàm Dicebatur. Itaq; quod iam aliquot locis obseruatum est, versum hunc suo loco motum arbitror, ibiq; collocandum: Cognitis ijs rebus quæ erant Orici atque Apolloniæ gestæ, simul quòd Cæsar appropinquare dicebatur, Dyrrachio timens, &c. Placet autem quod Vrsinus restituit, *Terrorq;*.

Princeps Labienus.] Hic est T. Labienus, qui cùm Cæsaris legatus in Gallia fuisset, & res magnas gessisset, initio ciuilis belli à Cæsare desciuit, seseq; Pompeio adiunxit. Cicero ad Attic. 7. Episto.11. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. Si ita factum esset, vt ille Romam veniens Magistratum & Senatum Romæ offenderet, magno vsui causæ nostræ fuisset. damnâsse enim sceleris huius amicum Reipubl. causa videretur. Et Epist. seq. Labienum ἥρωα iudico. facinus iamdiu ciuile nullum præclarius. qui vt aliud nihil, hoc tamen profecit. dedit illi dolorem. Dio libro 41. scribit, eum discessionis causam hanc habuisse, quòd cùm opibus & gloria creuisset, maiores sibi spiritus sumpserat. qua de causa Cæsari suspectus atque inuisus esse cœperat.

CAP. IIII.

P*Erfecto occupato itinere.*] Vet. noster & Ald. *Profecto.* Vrsi. scribit restitui à Statio *Profectus*, quod non displicet. magis tamen placeret, Profectionis occupato itinere. Nam significat anteuertente Pompeio iter ad Dyrrachiũ præoccupatum fuisse.

Sub pellibus.] Dixi lib. Gall. 3.cap.7.

Benemeritæ ciuitates tutæ essent præsidio.] Ita est in omnibus, quos vidi, libris. Faërnus restituit, Ciuitati esset præsidio: quasi verò de vnica Apollonia, ac non de finibus Apolliniatium loquatur. Plin. libro 3. cap. 23. Cuius in finibus celebre Nymphæũ accolunt Barbari, Amantes, ac Bulliones.

Quantum nauium.] Id est, quantum quod nauiũ habebat, passum est. nam Faërni emendationem non intelligo.

Nudanda litora.] Nudari litora dicuntur, siue ab hominibus relinquantur, siue ab aqua. Tacitus libro 5. Flatibus Etesiarum implentur vada, hybernus Auster reuoluit fluctus, pulsoq; introrsus freto, breuia litorum nudantur.

Profectum aliquid Bibuli mandatis.] Antiq. noster, & Aldi. Perfecturum aliquid de Bibuli mandatis. Iampridem credidi reponendum esse Vibullij: quem superioris capitis initio dictum est, à Cæsare legatũ de pace ad Pomp. missum. In eaq; sententia video quoque nonnullos esse. Sed posteà veritus sum, ne non satis commodè Legati mandata dicerentur. nam & suprà, & infrà vbique Cæsaris ipsius mandata hæc appellantur. Eò accedit, quòd nondum exposita hæc fuisse à Vibullio mandata videntur. Nam pag. seq. Vibullius, inquit, sedato tumultu de mandatis Cæsaris agere instituit. Perexigua fortasse mutatio integritatẽ huic loco restitueret: si *Perfectum iri* aliquid Bibuli mandatis: legeremus. Vt mox: Missuros ad Pompeium, atq; illum reliqua perfecturum, hortantibus ipsis. Sic infrà cap. 12. vbi simili de negotio agitur: Scipionem, inquit, ea auctoritate esse, vt magna ex parte compellere, atque errantem regere posset. Sperabant ergo fore, vt si Bibulus, cuius tanta erat auctoritas, aliquem è suo numero ad Pompeiũ mitteret, multum ipsius mandatis proficeretur. Nam Pompeius imperij partem Bibulo concesserat: neque quisquã erat, qui maiore odio Cæsarem prosequeretur.

Buthrotum oppidum Corcyræ.] Sic Aldinus. Corrigendum *Oppositum*. Plin. lib.4. cap.12. Insulæ autem ex aduerso Thesprotiæ Corcyra à Buthroto XII. millibus passuum.

Reliqua perfecturum.] Noster Antiq. Reliqua per se acturum. quod placet, cùm modò dixerit, summam omnium rerum ad illum delatam.

Nihilominus tamen.] Vox *Tamen* abest à meo Antiquo, & rectè abest, sententiaque manet integerrima.

Periculum præstare.] Promittere legatos ad Pompeium sine periculo ituros, & ad Cæsarem redituros.

A fugitiuis ab saltu Pyrenaeo.] Sertorianos significat. Docet autem hic locus etiam inter fugitiuos & ciues iurisgentium communionem intercedere.

Auditus.] Ita est in Ald. mendosè, vt cuiuis perspicuum est. Legendum, vt in nostro Antiquo, & aliquot impressis: Militibus facto, auditum responsum est.

Beneficio Caesaris.] Idem de Rege Alexandrino scribit Seneca, lib. de Consolat. ad Mart. Quid erat, inquit, turpius, quàm Pompeium viuere beneficio Regis?

Nisi cùm in Italiam.] Placet Vrsini emendatio, vt vox *Nisi* tollatur: si modò vetustum librum auctorem habet. Alioqui legendum putarem, Si cum exercitu in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor. Nam Lucanus aliud in tempus hanc Pompeij orationem conferens, & aliquantum inflectens sententiam, ita loquentem eum facit:

--- Nunquam me Caesaris, inquit,
Exemplo reddam patriae, nunquamque videbit
Me, nisi dimisso redeuntem milite Roma, &c.

Sed hic aliam secutus sententiam Pompeius videtur.

Admodum tuto.] Ne hoc quidem admodum placet: videturque desiderari verbum Impetraturum.

Summissa oratione.] Non video quomodo vel flumine interiecto loqui summissa oratione posset: vel Altercandi verbum cum oratione summissa aut exitu colloquij turbulento conueniat.

Orationem interrumpunt.] Noster Antiquus, *Intercipiunt.* Quintil. lib. 6, c. 4.

Pax esse nulla.] Noster Antiq. Pax esse non potest.

Causa debitorum suscepta.] De quibus dictum est suprà cap. 1.

Initio magistratus.] Legendum esse arbitror, Inito magistratu.

CAP. V.

R*ufus Praetor.*] Liuius Epit. 3. C. Caecilius Rufus Praetor, cùm seditiones in vrbe quàm maximè concitaret, nouarum tabularum spe plebe solicitata, abrogato Magistratu, pulsus vrbe Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit. Vterque cùm bellum molirentur, interempti sunt. Haec ille. Fuit autem hic Rufus Praetor, vt opinor, peregrinus. Erat enim ius inter se collegis intercedendi. Simillimumque video in Verr. 3. locum, ad quem etiam hunc nostrum in Commentarijs accommodaui. Itaque L. Piso, inquit, multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita intercessit, quòd iste aliter, vt edixerat, decreuisset. quod vos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo, ad Pisonis sellam isto Praetore solitus sit conuenire. quem iste collegam, nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro.

Per arbitrium fierent.] Noster, *Per arbitrum.* quod idem Vrsinus de suo affirmat. Sed plures adhibitos arbitros superiùs dictum est.

Praesens constituerat.] Huius lib. 7. c. 1.

Sexies seni dies.] Obscurus mihi locus. Videndum an ita emendari possit: Sexies senis Idibus. primùm quia constat Idibus solui pensiones solitas. vnde illud Horatij:

Omnem relegit Idibus pecuniam. Deinde quia spatium hoc esset triennij, vt menstruae pensiones essent. Coelius ergo legem tulit, vt creditae pecuniae soluerentur sine vsuris: non semel, sed pensionibus ita diuisis, vt intra triennium persoluerentur: quę ferè illorum temporum consuetudo fuit. Liu. lib. 6. Creatique Tribuni C. Licinius, & L. Sextius promulgauêre legem de aere alieno, vt deducto eo de capite, quod vsuris pernumeratū esset, id quod superesset triennio aequis portionibus persolueretur. Hircius de bell. Afr. Itaque bis mille H-S. his imposito, vt per triennium sex pensionibus populo R. soluerent, &c. Liuius lib. 7. Semunciarium tantùm ex vnciario foenus factum, & in pensiones aequas triennij. Nunc video Manutium mendum quoque animaduertisse: & pro Sexies seni dies, reposuisse Sex pensionibus. Longè à vestigijs vsitatae lectionis. sed integrum Lectoribus iudicium relinquo.

Ab Rep. remouendam.] Diximus lib. 1. hoc esse, quod Antiqui Circunscribere dicebant: cùm alicui curia & foro interdiceretur.

Eum Italiam euocato.] Scripsisse Caesarem arbitror, Eum euocatum, nisi vocem Quod tollamus: &, vt in meo libro est, legamus, Reliquias quas habebat.

Visaque proditione oppidi apparere.] Nonnulli impressi: Et familia Neapoli visa, atque proditio oppidi appareret. Quo meliùs nihil sine ope librorū veterum afferre possumus.

Per Bibulum delata.] Sunt qui *Vibullium* reponūt: quem à Caesare legatum de pace ad Pompeiū missum, dictum est initio cap. 3. Sed hoc nemo probabit, qui meminerit Vibullium non Pompeij, sed Caesaris legatum fuisse. deinde non paucis illis diebus haec significare Milonem sibi à Pompeio per Bibulum nunciata, sed iam tum cùm per Italiam Bibulus copias cogebat.

Ea quae faceret.] Subauditur: Quibus scribebat ea quae faceret, &c.

Eo cùm à Q. Pedio.] Legendum videtur *Et*, pro *Eo*. Praetorem autem eum legione cur dicat, non intelligo, nisi fortè illum ei oppido cum legione vna praefuisse significet.

CAP. VI.

O*Mnium litora.*] Omnia litora legendum arbitrarer.

Clausos tueri.] Ald. *Teneri*, noster, *Tenere*, quod probo.

Sine ad litora.] Ald. Et ad Oricum, siue Ad litora. Vetus noster valdè placet: Ne occasionem nauigandi dimitterent: si vel ad litora Apolloniatium cursum dirigere, atque eò naues eijcere possent.

Cno-

A nostris distraberetur.] An pro Subleuaretur, è naufragio eriperetur?

Q. Coponius.] Hunc Cicero Caium appellat lib. de Diu. 1. vbi quædam ad hunc locum pertinentia subiungit, quæ subscribemus. C. Componium ad te venisse Dyrrachio cum prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, cùm primis hominem prudentem atque doctum: eumq; dixisse, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorũ vaticinatum, madefactum iri minus xxx. diebus Græciã sanguine: rapinas Dyrrachij, & cõscensionem in naues cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari: tum neq; ipsum non esse commotum: M. q́ue Varronem & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines vehementer esse perterritos: paucis sanè pòst diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum: qui cùm interitum exercitus nunciauisset, reliqua vaticinationis breui esse confecta. nam & ex horreis direptum effusumque frumentum, vias omnes, angiportusque constrauerat, & vos naues subitò perterriti conscendistis, & nocte ad oppidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis: postremò à Rhodia classe deserti, verum vatem fuisse sensistis.

Pontones quod est genus.] Naues traijciendis fluminibus idoneæ, quos, opinor, Baccos hodie appellamus. Auson. in Monosyll. Lintribus in geminis constratus ponto fit, an pons. Isidorus Pontonium appellat. Gell. lib. 10. c. 25. Pontones.

CAP. VII.

M. *Crassum interfecerant.*] De quo est apud Flor. & in Epit. Liuij.

Columnaria, hostiaria.] Tributum in singulas columnas, in singula hostia. Cic. ad Att. 13. Columnarium vide vt nullum debeamus. Idem lib. Fam. 3. epist. 8. Ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignotas, capitum atque hostiorum inducerentur sumptus minimè necessarij.

Singulis cum imperio perficiebatur.] Sine dubio legendum, Singuli cum imperio præficiebantur: quamuis ita sit in omnibus, quos vidi, antiquis.

Suo etiam priuato imperio compendio seruiebant.] Sic Aldin. & multi impressi. Ac disputari posset sensum hunc esse, vt suo compendio seruirent: idque priuato imperio. Sed assentior ijs, qui in nonnullis impressis vocem Imperio sustulerunt. nisi fortè veteris mei libri scripturam probemus: Imperio compendioque. Vt facetè ita locutus sit. pro, Non modò publico imperio, quod eis mandatum fuerat, sed etiam suo priuato seruiebant.

Honesta præscriptione.] Cicero dicere solet: Nomine. Alij, Prætextu, aut Colore.

Vniuersis imperatis.] Cùm pecuniæ non singulis, sed vno nomine vniuersitati imperantur. Hirt. de bell. Afr. Petierunt q; à Cæsare, vt vniuersis trecentis vno nomine pecuniam imperaret.

Donationem esse dicebant.] Prolatio diei species donationis est: quia vt plus perit, qui ante diem petit, ita minùs soluit, qui tardiùs soluit.

Ceteras q; eius Deæ statuas.] Vrsinus corrigendum putat: Cetera q; ei rei die constituta. sed mox dicet Præsentem exactam, neque diem constitutam. Legendum puto Certasque: vt aureæ & argenteæ intelligantur.

Vectigal pro mutuo.] Priùs pecunias exegerant: nunc vectigal ipsum, id est, decumas. Videndum tamen, an *Promutuum* vno verbo legendum sit: quod esse verbum Iuris in Comment. eorum verborum docuimus: cùm pecunia repræsentatur, id est, antequàm debeatur, persoluitur. Sic paulò suprà: Debitam bienij pecuniam exegerat: & ab eisdem insequentis anni mutuã præceperat. Ex quo intelligitur Promutuum esse, cùm mutua pecunia præcipitur, quæ nondum debebatur. Quod Gallicè dicimus. *Aduancer.*

Naupacto relictis.] Sic Aldini & Antiqui. Corrigendum, Reiectis. vt in quibusdam impressis.

CAP. VIII.

D*Vobus amissis.*] Sic omnes quos videre licuit, tum manuscripti, tum impressi. Corrigendum vt in nostro Antiquo: Nostri duobus amissis, &cæt.

Ab Acilio.] Rectè ab alijs notatum est vel *Caninio*, hîc, vel superiùs, *Acilio* legendum esse.

Ad libram turres.] Facere turres ad libram, opinor, est facere turres eadem altitudine, qua sunt aliæ, cum quibus conferuntur. Vnde Librare aquã veteres dicebant, cum altitudo loci vnde ducebatur, cum eo quò ducebatur, quasi libra imaginaria conserebatur. Turres enim in nauibus exstruebant, quibus milites per machinationes quasdam in oppida maritima inferebant. Vnde illud Vergilij:

--- *Credas innare reuulsas*
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

CAP. IX.

P*Arua parte noctis itinere intermisso.*] Nihil muto. sed scio Cæsaris consuetudinẽ esse, vt *Paruam partem* dicat. velut de bello Gall. 5. Qui magnã partem omnis temporis in his locis flare consueuit.

Secundo vsus consilio.] Cepit consilium, quod erat ordine secundum.

Nostri perpet. mun. videbant.] Noster Antiq. Habebant. quod multò certiùs est, quàm ex Faërni coniectura iungebant. sed prætereà vox Qui, vt in quibusdam impressis, necessariò interponẽda est: hoc modò, Nostri qui, &c.

Illi interiore spatio.] Sic Ald. Noster, In minore. quod minùs placet.

Ex subcoactis.] Laz. Bayfius Subcoactas interpretatur, quæ apud Vlpianum Coactilia: sermone Gal-

Ibi restitisset.] Vetus, *Remansisset.* Sed parui refert.

Administrationesq;] Id est, vias, cōmeatum, itiones & reditiones. Qua de rē scribit Cic. ad At. 9. ep. 14. Epistola mihi affertur à Lepta, circumuallatū esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Sed & ipse Cæsar epist. 17. eiusd. lib. Pompeius, inquit, se oppidō tenet. nos ad portas castra habemus. conamur opus magnum, & multorum dierum propter altitudinem maris. sed tamen nihil est quod potiùs faciamus. ab vtroq; portus cornu moles iacimus, vt aut illum quàm optimum traijcere, quod habet Brundusij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

Magium non remisit.] Quid igitur est, quod Cæsar ipse scribit, lib. ad Att. 9. Epist. 16. Ad VII. Id. Mart. Brundusium veni. ad murum castra posui. Pompeius est Brundusij. misit ad me Cn. Magiū de pace. quæ visa sunt, respondi. Hoc vos statim scire volui. Cùm in spem venero de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam. Nisi fortè eum cum Caninio Rebilo, de quo mox dicetur, remisit. Sed hæc mera diuinatio est. Ac planè hoc aliquid argumenti est, contra auctorem Commentariorum Cæsaris.

Pedes XXX.] Noster, Pedibus XXX. Vtrumque mendosè. melius Ald. Pedum. nam latitudinem & longitudinem ostendit, vt paulò pòst constabit: cùm ait alias pari magnitudine adiectas.

Multis tormentis.] Vox Multis abest à meo Antiq. & rectè abest, meo quidem iudicio. Satis est enim dixisse completas.

Telis pugnabatur.] Vet. *Pugnabant.* quod probo.

Etsi impetus eius.] Vocem, *Etsi*, redundare ac planè tollendam esse arbitror.

Vt ipse colloqueretur.] Ipse autem erat non Pythagoras, sed Pythagora callidior Cæsar. cuius hæc fuit perpetua ratio, etiam cum Arionisto Germanorum Duce.

Ab armis discedatur.] Placet lectio nostri Antiq. à quo duæ primæ voces absunt. nam & sæpe Discedi, simpliciter ita vsurpatur: & iam non de discessione ab armis, sed à colloquio agitur.

Nihil sine illis.] Vetus *Nec sine.* quod magnoperè probo. Nam illud proximum, Renunciat quòd Consules absint, vetustè dixit, pro Renūciat Consules abesse. Cuius locutionis exempla eruditis nota sunt. Plau. in Asin. Equidem iam scio, filius quòd amet meus.

Vicos plateasq;] Hîc notandus error Fl. Sosipatri, qui dixit, vicos esse humiles domos. & qua incedimus, non vicos, sed vias esse vicorum.

Plateas inædificat.] Hæc ead. Plutar. in Pomp. & Veget. lib. 4. cap. 5.

Quòd Coss. absint.] Nam superioribus proximis diebus Dyrrachium profectos modò dixit. quamuis Cic. Epist. 4. ad Att. 9. vnà cum Pompeio profectos scribat.

Diebus nouem.] Cæsar VII. Id. Mart. Brundusium venit, vt ipse scribit, Epist. 16. Pompeius fugit ad XVI. Kal. April. vti patet ex Epist. 18. qua ratione numerus quadrat. Mutius & Trebatius Ciceroni Impe. S. Cum Capua exissemus, ex itinere audiuimus, Pompeium Brundusio ad XVI. Kalen. April. cum omnibus copijs, quas habuerat, profectum esse. Cæsarem postero die in oppidum introijsse. concionatum esse. inde Romam contendisse. velle ante Kal. esse ad vrbem: & paucos ibi dies commorari. deinde in Hispanias proficisci.

CAP. VII.

MAximè pertinebat.] Noster, Aldin. & alij complures, *Probabat.*

Naues conscendissent.] In ead. Epist. conscendisse Pompeius dicitur ad 4. Non. Mart.

Facultatem ademerat.] Idem scribit Plutarch. Cæsarem nauium penuria impeditum, quò minùs Pompeium persequeretur. Ac memorabile est, quod eodem loco scribit, Italiam isto modo à Cæsare dierum LX. spacio in suam potestatem redactam, sine vllo prælio & sanguine. Atq; hæc quidem Plutarch. in Cæs. In Pompeio verò scribit historicos omnes hanc ex Italia Pompeij discessionem in summi strategematis numero posuisse. Quorum quantus error sit, licet ex Cice. ad Attic. Epist. cognoscere.

Proprætorem Roma.] In meo Antiq. *Romanum.* Vtrunq; ab Ald. abest. quod magis probo.

Africam sorte Tubero. Cicer. in Ligar. Tuberonis sors coniecta est ex S.C. cùm ipse non adesset.

Ex prætura.] Sic Cic. in eadem: Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum statim concursum est, atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperium: si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum clamore multitudinis imperitæ nullo publico consilio deferebatur.

Ex prouincia fugit.] Cic. ad Att. 10. Epi. 14. Cato, qui Siciliam tenere nullo negocio potuit, &, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII. Kal. Maij.

Vacuas ab imperijs.] Sic Ald. Noster verò, Vacuas prouincias ab imperijs. vtraq; placet.

Filium exponere in terram.] Cicero in Ligar. Prohibiti estis in prouincia vestra pedem ponere, vt perhibetis, summa cum iniuria.

Ad vrbem proficiscitur.] Trebat. ad Cicer. lib. ad Attic. 9. Epist. 14. Pompeium Brundusio profectum: Cæsarem postero die in oppidum introijsse. concionatum esse. inde Romam contendisse. velle ante Kal. esse ad vrbem.

Expectato legitimo tempore.] Decem enim anni inter superiorē Cæsaris Consulatū intercesserant.

Quod ab omnibus.] Corrigendum vt in alijs quàm multis: Quòd omnibus ciuibus pateret. Atq; ibi puncto interposito, noua incunda sententia, quasi repetito verbo *Docet.*

Latum ab decē Trib. pl.] Sic Cic. ad Att. 7. Ep. 3. Cur imperium illi, aut illo modo prorogatum est? cur tantoperè pugnatum est, vt de eius absentis ratione habenda X. Tribuni pl. ferrent?

Pristina consuetudine.] C. Cæsar Cos. M. Catonem sententiam rogauit. Cato rem, quæ consulebatur, quoniam non è Repub. videbatur, perfici nolebat.

nolebat. Eius rei gratia ducendæ, longa oratione vtebatur, eximebatq; dicēdo diem. Erat enim ius Senatori, vt sentētiam rogatus, diceret antè, quicquid vellet alius rei: & quòad vellet. Cæsar Cos. viatorem vocauit: eumq; cùm finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit. Senatus consurrexit: & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac inuidia facta, Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit. Hæc ex Capitonis historia Gell. lib. 4. cap. 10.

Ipso Cos. Pompeio.] itt. Consule, atq; adeò pugnante. Fam. 6. Epist. 6. lib. 8. Epist. 3. ad Attic.

Cur fieri passus esset.] Sic noster & Ald. & alij permulti. Video tamen in quibusdam impressis, Ferri. quod verius puto.

Circunscribendis Trib. pl.] Hanc eandē belli causam Cicero Philipp. 2. commemorat. Quam causam, inquit, de Cæsare significans, dementissimi sui consilij & facti afferebat, nisi quòd intercessio neglecta, ius tribunitiū sublatum, circumscriptus à Senatu esset Antonius? Est autem Circunscribere aliquem, ab Rep. remouere, & curia foroque prohibere. Nam superiùs hac ipsa de re loquens, cap. 2. Nec tribunis pl. inquit, spacium datur sui periculi deprecandi: sed de sua salute die septimo cogitare coguntur. & Cicero hac ipsa de re ad Att. 7. Epist. 9. Si fortè Tribunus pl. Senatū impediens, aut populum incitans notatus, aut S. C. circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicénsue se expulsum, ad illum confugerit. Et Orosius: M. Antonius & P. Cassius Tribuni pl. pro Cæsare intercedentes, intercedente Lentulo Consule, curia foroq; prohibiti, ad Cæsarem profecti sunt. Sic vsurpatur in Miloniana: Nunquam illum Respub. suo iure esset vlta. Senatus, credo, Prætorem eum circunscripsisset. Ne cùm solebat quidem id facere in priuato, eodem hoc, aliquid profecerat. Exemplum infrà extat lib. 3. cap. 5. vbi ita scribitur: De quibus rebus Seruilius ad Senatum retulit: Senatusq; Cœlium ab Repub. remouendū censuit. Hoc decreto eum Consul Senatu prohibuit: & concionari conantem de rostris deduxit. Sic Philip. 13. Senatus in Capitolium. Parata de circunscribendo adolescente sententia consularis. Loquitur de C. Cæsare, quem Consul ab Republ. remouere conabatur. Hæc cùm iampridem scripsissem, animaduerti posteà Manutium doctis. virum locos einsdem modi multos protulisse.

Illi se honori defuturum.] Sunt qui sic emendent: Sin timore defugiant, illi suo honori non defuturum, sed per se Remp. administraturū. Quātò meliùs noster Antiq. Sin timore defugiāt, illis se oneri nō futurū, & per se Remp. administraturū. Neq; disputatione, aut argumentis opus esse arbitror. Sed iam ita video à Manutio hūc impressum locū.

Vt operibus antè studuerit.] Sic noster vetus & Ald. opinor, pro, Rebus gestis. quæ sententia proba est, si locutio exemplum haberet. Alioqui corrigendum videretur, Vt opibus ille studuerit. vt de Pompeio intelligatur. Sunt autem qui *Anteire* hoc loco reponant: quod sine vetustorum librorum auctoritate fieri certè non debuit.

Timoris causa.] Quòd Pompeium ab se desertum metuerent: vt Plutarchus quoque in Cæsa. commemorat.

Reliquasq; res.] Astutè reticet quod Plutarchus scribit, cùm Cæsar ad ærarium venisset, vt pecunias inde auferret, Metellum hunc grauiter intercessisse: Cæsarem ei atrociter minatū esse: & cùm claues nusquam inuenirentur, accitis fabris fores effregisse. quod etiam Oros. memoriæ prodidit.

CAP. VIII.

EX *Sicilia & Sardinia.*] P. Victorius Variarum 1. cap. 2. hunc locum ex Antiq. libro ita restituit: Quas Sicilia & in Cosano à priuatis coactas, seruis, libertis, colonisq; suis compleuerat. Docet autem Cosanum Domitij villam fuisse. Colonos autem dicit Cæsar, quibus Domitius agros ex suis possessionibus & latifundijs attribuerat. vt superiùs dictum est. Et de huiusmodi colonis locus est insignis apud Appianum ἐμφυλ. ά. Et nunc video Manutium Victorij sententiam secutum, & vocem *Cosano* impressisse.

Noua Cæsaris officia.] Vtriusq; merita paucis pòst versib. exponet.

In eorum fide.] Hæc vniuersæ Galliæ fuit ratio, quemadmodum superioribus lib. intellectum est: vt tenues aliquot, vel pagi, vel ciuitates in potentiorum fide & clientela essent: hoc est, vt & ab his illæ defenderentur, & illæ his, cùm vsus veniret, subsidium ferrent.

Massiliensium xv. primos.] Vetus lib. Massilia. quod magis probo. Decuriones autem erant alijs in vrbibus, ijdem qui Romæ Senatores. Ex eorum ordine certus virorum numerus deligebatur, cui primorum nomen imponebatur modò x. modò xv. quibus certa muneris publici procuratio mandabatur.

Ex auctoritate.] Ex decreto Decurionum.

Victas Gallias attribuerit.] Suspectus mihi locus. Corrigendum videtur, vel hoc modo: Victa Gallia, in sexto casu, vt quos Pompeius simpliciter fruendos concesserat, eos Cæsar absolutè dono dederit. vel, Gallias attriuerit. quod beneficium, nihilo magis ad Massilienses, quàm ad vniuersam prouinciam Galliā pertinebat. Sed superior coniectura eò magis probatur, quòd paria vtriusq; beneficia mox appellantur.

Neutrum eorum.] Valet ad quæstionem Feudisticam, de Vasallo duorum patronorum, si illi inter se contendant, quod Vasalli officium sit.

CAP. IX.

L. *Afranio Legato.*] Difficile dictu est, non potiùs scriptum sic fuisse, L. Afranio Pompeij legato. præsertim cùm illum vsq; adhuc nusquam nominârit.

Totius Lusitania.] Sic omnes Antiqui. Legendū arbitror *Toti*, casu tertio. nam sensus est, Toti Lusitaniæ auxilia imperantur à Petreio. Celtiberis, & reliquis, ab Afranio.

scuta-

Scutata, cetrata.] Videntur hæc nomina his prouincijs ex cetris & scutis imposita.

Quem ipse potiuerat.] Sic Ald. Faërnus, Quam ipse pacauerat. Quasi verò eius rei commemorandæ, vel tempus, vel causa vlla fuerit. Meum igitur antiq. sequor, vbi *Parauerat* legitur. Nam ita patâsse dicit, vt nobilissimum & fortissimum quemque nominatim euocaret.

Consuetudine congressæ.] Progressæ corrigendum putarem. atque hoc ad Cæsaris consuetudinem magis accedit.

Pignore deuinxit.] Nam Centurionum pecunia, quasi pro pignore tenebatur à Cæsare, ne ab illo ad Pompeium propinquantem deficerent. Præclarum strategema.

Subito iumentorũ.] Acutissimè Oct. Pantagathus animaduerrit, legendũ *Vi ventorũ*, eiq; magnopere assentior. non enim pondere iumentorum, sed tempestate pons interruptus est, vt mox dicet.

Aggere atq; cratibus.] Agger hoc loco perspicue pro trabibus & longurijs, quibus pons constabat.

Sub castris Afranij consistit.] Antiq. *Consistit*: quod magis probo.

Contra hostem.] Notandus locus, in quo ciues, nõ iam Aduersarij, vt sæpe aliàs, sed Hostium nomine appellantur.

Prima & secunda acies.] Hoc Cæsaris facinus retulit Veget. in numerum strategematum. sed tamen, non satis, vt videtur, intellectum. C. Cæsar, inquit, cùm aduersus Afranium copias educeret, & recipiendi se sine periculo facultatem non haberet, sicut constituerat, prima & secũda acie furtim à tergo ad opus applicata, xv. pedum fossam fecit, intra quam sub occasum Solis armati se milites eius receperunt.

Longiùs agger petendus.] Aggeris nomine materiẽ, & vimina, & fasces virgultorũ nunc intelligit.

CAP. X.

EX *primo hastato.*] Sic antiq. & Ald. nonnulli impressi, *Primus hastatus.*

Declini fastigio.] Vetus sic, Editus locus tenui fastigio. quod non placet. sed pro Decliui legendum arbitror, vt sæpe aliàs, Leni. Nam inter Decliuitatem & Fastigium apud hunc nostrum nihil interest. Similis locus infrà lib. 2. Id autem est iugum directum, eminens in mare, vtraque ex parte præruptum, atq; asperum, sed paulò tamen leniore fastigio ab ea parte, &c.

Impetum aduersus montem.] Magis placet antiqua: Aduersus montem impetum in cohortes faciunt.

Nonnulla parte compulsis.] Ad sensum, non ad verba relatio fit præsepe. vt alijs locis annotauimus.

Primipili centurio.] De quo alio loco commemoratum est.

Vtrique superiores.] Vetus, *Vtrinque.* sed vulgata placet.

Nostrorum impetum.] Vetus, Nostrorum diu impetum.

Numero essent quod.] Verbum *Essent*, abest ab Aldin. Sanè si particula quoq; insequens deleretur, concinnior sententia videretur.

Hostes terga vertere.] Mirum est in Aldin. non esse *Hostes*, sed hoc modo: Terga vertere aduersarios coëgissent.

Nix profluit.] Sic Ald. Noster verò *Proluit*, quod etiam habent impressi quidam. Magis placet Faerni coniectura, Profluxit. ac fortasse etiam *Flumen* pro *Fluminis* meliùs legeretur. Nam sic Cicero in lib. de Clar. Orat. dixit, Fluuium extra ripas diffluere.

Maximi comitatus.] Sic Antiq. Aldin. & quidam impressi. Alij *Commeatus*. vitiosè. nam Comitatum pro parte exercitus veteres dixerunt. vt paulò infrà, Magnos comitatus, qui ad Cæsarem iter habebant.

Pecora secundum subsidium.] Animaduerte, primum commeatus genus fuisse frumentarium: alterum, pecuarium. Et sic cap. inseq. Cæsar ciuitatibus quo minor erat frumenti copia, pecus imperabat.

Vsus Britanniæ.] Sup. lib. Gall. 4. cap. 5.

Imperat militibus.] Milites Cæsaris munia omnia obibant: pontes extruebãt: frumenta demetebãt: naues ædificabãt. Sic Gall. 5. ca. 1. & alibi persæpe.

Demonstratum est.] Sup. cap. 8.

Colonis pastoribusq.] De quibus dictum est eo. lib. sed legendus Appianus ἐμφυλ. 2. sub initium.

Tempus erat autem.] In meo vox *Autem* abest. Placet Faërni lectio: Tempus autem erat anni. Puto Cæsarẽ scripsisse, Tempus erat anni difficillimũ.

CAP. XI.

VT *fert Galliæ consuetudo.*] Noster & Ald. Galliae consuetudo.

Millia sex cum seruis liberisq.] Legendum arbitror, Libertis. nam hæc vsitata locutio est, pro, In his serui libertiq;. Quod vulgò dicitur, Computando seruos libertosq;. Sic paulò pòst: Eo die naues Massiliensium, cum ijs quæ sunt captæ, intereunt nouem.

De nocte proficiscitur.] Rectè: & sic in Ald. cùm in meo sit, Diu noctuq;. vitiosè.

His tamen omnibus.] Legendum arbitror Tum pro Tamen: cui locus hic esse non videtur.

Quæ ferè res.] Cùm modò dixerit *Annona*, non video quemadmodum voci *Res* locus esse possit. Eadem autem sententia vsurpatur à Cicerone in ea pro Pomp.

Magni domum concursus.] Non placet. Faernus restituit, *Demum*. quod etiam video in meo Antiq. Videtur legendum, *Magni ad domum Afranij concursus, magnæ gratulationes fiebant.* Nam Romæ videntur hæ gratulationes factæ.

Carinæ ac statumina.] Nonnulli *Stramine.* quod planè absurdum est. nam infimam nauis partem ex tabulis conficiebat: tum viminibus reliquum corpus aptabat. Lucan. in 4.

Primùm cana salix madefacto vimine, paruam
Texitur in puppim, cæsoq; induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem:
Sic Venetus stagnante Pado, fusoq; Britannus
Nauigat Oceano, &c.

CAP.

CAP. XII.

Cognitio hostium.] Hostiũ nomine vtitur, opinor, quòd non tam Romani erant aduersarij, quàm Galli, Albici & pastores: vt modò dixit.

Pastoresq́ indomiti.] Hoc significat, opinor, quod dixit initio Gall. 4. de Suenis. Libertate vitæ, quòd à pueris nullo officio, aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, vires ali, & immani corporum magnitudine homines effici.

Spe libertatis incitati.] In Antiq. & Ald. *Excitati*, quod magis probo.

Sub oculis Domitij.] Sic omnes lib. præter solum Aldinum. vbi scriptum est, *Domini*, quod magnoperè arridet, atque ad seruorum nomen valde accommodatum est.

Remos transcurrentes detergere.] Detergere remos dicebant veteres, cùm obiecta nauis transuersæ hostili, eius remos impetu suo perfringeret. ridiculo fortasse nautico: quasi transcurrentibus remis fœdaretur. Itaque nauem remis detergi dicebant. Hirc. de bell. Alex. Ac tantum doctrina potuit, vt in dispari numero nulla transuersa hosti obijceretur: nullæq; remis detergerentur: sed semper venientibus aduersæ occurrerent. Liuius lib. 36. Duæ regiæ vnam circunsistunt, & ab vtroq; latere remos detergunt. Hinc Detergere pinnas muti, apud eundem lib. 38. Asseribus falcatis deter gebat pinnas. Idem lib. 37. Si qua concurrerat rostro cum hostium naui, aut proram lacerabat, aut remos detergebat.

Atque artificio.] Sic Antiq. & Ald. Sed *Artificij* probo: vt est in vulgatis.

CAP. XIII.

Diuersi pugnabant.] Vna naue inter duas interposita.

Alias non longe.] Noster *Alij*. & mox *Alij longiore*. quod non improbo.

Cum Oscensibus contributi.] Propter viciniam.

Triginta in latitudinem.] Sic vetus codex & Ald. & multi impressi. Vrsini lib. *Altitudinem*, quod non probo. nam quòd erat flumius auertendus, maior latitudinis quàm altitudinis ratio babenda erat.

Partem aliquam Sicoris auerteret.] Antiq. Parte aliqua Sicorim auerteret. quod valde arridet.

Duobus contrarijs generibus.] Sertorianorum & Pompeianorum.

Absentis.] Pompeij, qui Sertorianos vicerat, cuiusq; nomine & auspicijs nunc bellum gerebatur.

In barbaris.] Non dixit infinitè, *In Hispanis*. sed in barbaris: quasi vulgus & plebem significet.

Naues conquiri.] Sic placet: quamuis in Antiq. & Aldin. sit, Conquirere.

Sustinere extremum agmen.] Sic Antiquus & Aldinus Sustinere, hoc loco est, Subsistere & morari, iter supprimere. In quibusdam vulgatis est, Subsistere.

Totis verò castris milites conturbari.] P. Victorius ex suo libro restituit *Circulari*. quod mihi vehementer placet. nam cùm palàm de Cæsare queri non auderent, in circulis querebantur. Legendus Victor. Variar. 8. cap. 13.

Suprà atque infrà.] Cæsaris institutum alio loco notauimus, vt peditatu per flumen transportando, equites suprà atq; infrà constitueret. vt patet lib. 7. cap. 11. vbi instituti huius rationem exposuimus ex Veget. lib. 3. cap. 7.

Interijt tamen nemo.] Nihil muto. atque ita legi placet. veruntamen si quo in vetusto & bono libro ita legeretur: *Tamen non nemo*, libenter eam scripturam cum hac commutarem. Quorsum enim vox *Tamen*? neq; verò eò minus traductus incolumis exercitus dici potest.

Huc iam reduxerat rem.] Antiq. & Aldin. Huc iam rem duxerat. Faërn. Huc iam adduxerat rem. Fortasse, Huc iam rem perduxerat.

Ad transeundum impedirentur.] Noster, Non impedirentur. Et modò dixit eos transire potuisse.

CAP. XIIII.

Procul visos conspexit.] Sic omnes lib. Neque vllum inuenire licuit, in quo non verbum *Visos* legeretur.

Vasa militari more conclamari.] In stratagematis loco Frontinus hoc numerat lib. 1. C. Cæsar, inquit, per exceptũ quendam aquatorē, cùm comperisset Afranium, Petreiumq; castra noctu moturos, vt citra vexationem suorum, hostilia impediret consilia, in initio statim noctis, vasa conclamare milites, & præter aduersariorum castra agi mulos cum fremitu, & sonum iussit continuare, quos retentos volebat, & arbitrari castra Cæsarem mouere.

Timori magis quàm religioni.] Maiorem sui timoris, quàm sacramenti rationem ducere. Causam autem esse arbitror, animorum ardorem, qui in ciuili dissensione multo maiore odio inflāmantur: vt nulla salutis spes sit. Nisi hæc sit potius, quòd in bellis ciuilibus remissior esse militaris disciplina solet, ne milites abalienati in aduersariorum partem discedant. Id enim proximè significare videtur.

Lucem multum per se pudorem.] Sic lib. 2. capit. 6. Namq; huiusmodi res, aut pudore, aut metu retenentur: quibus rebus nox maximè aduersaria est.

Atque ad Ilerdam reuerti.] Hoc Cæsaris factum Frontinus laudat, & in stratagematis loco numerat. lib. Stratag. 2.

Non necessarij victus.] Ita est in meo & Faërni lib. vt ipse testatur.

Difficultas tardabat.] Noster & Ald. Difficultates tardabant.

Excelsissimus.] Abest ab Antiq. lib. &, si retinendum videtur, Excelsissimum, legendum erit.

Iugis Octogesam perueniret.] Per iuga montium.

CAP. XV.

Cæsar in eam spem venerat.] Front. lib. Strata. 1. factũ Cæsaris aliter interpretatur. Cæsar (inquit) eùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum

latum ſiti angeret, iſq; ob hoc exaſperatus, Inrerfectis omnibus impedimentis ad pugnam deſcendiſſet, continuit ſuos, arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduerſarios & ira & deſperatio incenderar.

Et quod non ab initio.] Duos verſus deeſſe arbitror, quibus Cæſarianorum querelas & ſermones exponebat. Nam verbum *Conqueruntur* ad Cęſarianos pertinere puto. Itemq; illud, His prouocati ſermonibus: Cæſarianorum ſcilicet. Arma aurem conſerre, modò dixit pro Coniungere.

Cum Cæſare per Sulpitium.] Hæ duæ voces, *Cum Cæſare*, abſunr à noſtro antiq. & meo iudicio abſunt, non deſunt.

Armat familiam.] Familiæ nomine intelligit, opinor, quos Proconſules ex domeſticis conuictionibus, aur neceſſarijs apparitionibus ſecum habere conſueuerant: qui quaſi ex cohorte prætoria appellati ſolent: vt ait Cicero Epiſt. ad Q. Fr. in qua nullum aliud genus animaduerto, quod ex Familia dici poſſit. Nam ſeruos certè ad arma non vocaret. Colonos quidem, de quibus ſuperiùs diximus, poteſt etiam boc verbo ſignificare.

Beneficiarijs ſuis.] Suo aliquo beneficio obligatis.

Aduerſarijs traduēt.] Aduerſario babet V.C. quod valde probo.

Conſilium capturos.] Iam antè dictum eſt, Sibi conſilium capere, vocem eſſe ſeditioſam: cùm defectio fit à maiore parte.

Ad idem iuſiurandum.] Vetus placet, Ipſe idem iuſiurandum adigit Afranium. Nam ſæpe Præpoſitionem Verbo adiungebant. vt Arbitrum adigere: pro Ad arbitrum. Sic Rhodanum exercitum tranſijcere dixit Plancus ad Cicer. Epiſt. 9. lib. 10. Et puto Ciceronem de Fin. 3. ſic ſcripſiſſe, Si Annibal ad portas veniſſet, murumq; iaculum tranſieciſſet: vbi vulgò legitur *Iaculo*.

Vi producatur.] Noſter producant. quod non minùs arridet.

Quos ceperant.] Non dubito, quin *Receperant* legendum ſit: vt in noſtro antiquo. Vrſinus reſtituebat, *Pleroſque*, quod non probo.

Vana religio iuriſiurandi.] Sic Ald. ſed multò veriùs Antiquus, vbi *Noua* ſcriptum eſt. vt renouatū ſuperioris diei ſacramentum ſignificet. Sic enim poſterius lib. 2. cap. 6. Relinquitur noua religio, vt eo neglecto ſacramento, quo nunc tenemini, &c. Vrſinus quoq; idem de ſuo teſtatur.

Inſueta ad onera portanda.] Diximus alio loco ex Tuſculan. Cicer. magnam fuiſſe cuiuſq; Romani militis ſarcinam: cùm præter arma & vallum, etiā dimidiati menſis cibaria portarent.

CAP. XVI.

Conſilium explicaturos.] Sic legitur in impreſſis permultis. Aldinus tamen & noſter vetus, Expleturos. quod non æquè probatur.

In locis campeſtribus ſubſiſtebant.] Noſter, *ſuſtinebant*, vt aliquanrò ſuperiùs: ac nonnunquam, Suſtinere extremum agmen.

Deſuper protegebant.] Vox prior abeſt à noſtro & Aldino.

In aduerſarios tela conijciebant. Sic noſter, Itemque Aldinus. nonnulli Aduerſos. placet Faërni coniectura. *Auerſos*.

Tum inquirebant.] Fort. *Requirebant*.

Sexta eius diei.] Aldinus, & noſter, *Eiuſdem diei*.

Relictis religionibus.] Sic noſter & Aldin. Placet Faërnini lib. lectio, *Eductis legionibus*.

Munitiones proferunt.] Longiùs vallum & foſſam producunt.

Præſenti malo alijs malis remedia dabantur.] Vt minore incommodo maius vitaretur.

Ad id expeditiores.] Ad crebras eruptiones. quanquā Faër. lib. ſcriprura non diſplicet, vt *Aditer*, legamus. Et hac de re Frontin. lib. Strat. 2. Cæſar, inquit, cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum ſiti angeret, iſq; ob hoc exaſperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnā deſcendiſſet, continuit ſuos: arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduerſarios & ira & deſperatio incenderat.

Prælio diffugiſſe.] Sic omnes lib. Ego tamen contra omnium auctoritatem legendum eſſe arbitror, Prælium defugiſſe.

CAP. XVII.

Vt fœminas circummunitos.] Sic Ald. & omnes reliqui. Noſter, *Circumuentos*. quod magis placet.

Minùs conueniſſe.] Quàm Afranio, qui modò verba fecerar.

Se qui etiam.] Se, nimirum Cæſarem.

Quam integerrima.] Quaſi verò prælio, non alia de cauſa, quàm vr paci conſuleretur, ſuperſederit.

Exercitum ſuum.] Totus hic locus interpunctionis vitio ſententiam obſcurauit. Zeugma figura eſt. Officium ſuum Cæſar præſtitit. Exercitus Cæſaris præſtitit. Itaque Exercitum ſuum, id eſt, Cæſaris.

Suiq; interfecti.] Hoc eodem lib. cap. 16. Quos deprehendit, interfecit. & cap. 17. Productos palàm in prætorio interficiunt.

Quos in ſua poteſtate habuit.] Noſter, Habuerit. quod ſine dubio verum eſt. idemq; de ſuo Vrſinus teſtatur. Sed voce *Tamen* interpoſita multò commodior ſententia videretur: ibi, Tamen quos in ſua poteſtare, &c.

Conſeruârit & texerit.] Hoc lib. cap. 17. Summa diligentia conquiri & remitti iubet.

Illius denique.] Afranij.

Illorum humilitate.] Sunt qui reponant, *Humanitate*: quos facere imperitè, cùm loci ſententia, tùm Cæſaris conſuetudo conuincit, qui Humilitatem crebrò vſurpat, pro infima & abiecta conditione ac fortuna.

Iura Magiſtratuum commutari.] Non ſeruari vetera Magiſtratuum iura, ſed induci noua.

Ex prætura & conſulatu.] Poſt præturam & Conſulatum.

Per paucos probati & electi.] Hi ſunt Scipio & Domitius

initius priuati, de quibus suprà, capite secundo.

Aetatis excusationem.] Quid hoc loco significet, aperuit sup. cap. 1. Multi vndiq; ex veteribus Pompeij exercitibus, spe præmiorum atq; ordinũ euocantur. Nam Obtinere exercitus modò dixit, pro Ducere ordines & præfecturas habere.

Firmum esse posse.] Quod promisissent. id est, quamuis fidem Afranio darent, atq; in eius verba iurarent, tamen se fidem non seruaturos.

Aequa facta aestimatione.] Precio cuiusq; rei facto.

Introduxerunt.] Quasi controuersiarum introductio, signum sit imperij approbati.

Liber II.

CAP. I.

ADigis ad ostium Rhodani.] Sic omnes Antiq. Nonnulli autẽ *Attingis* reposuerunt. Sed Adigere præcisè dixisse videtur, pro Naues adigere. quæ fuit vsitata veterum locutio.

Materiamq́.] Trabes, ad aggeris latera firmanda: Vimina, ad vineas contexendas.

Asseres enim.] Asseres hoc loco non pro tabulis vsurpat, sed pro validis sudibus. & palis cuspide præacutis. vt alibi pro trabibus. interdũ pro contis: etiam pro longurijs vsurpantur. Liuius lib. 44. Per procliue sumpto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur. in eos transuersi incumbentes tigni, vt pons esset, iniungebantur, humusq; insuper inijciebatur. Solido præcedebat Elephas in pontem: cuius priusquam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons prolabi eum leniter cogebat. Tacitus lib. 20. Eduxerant turrim duplici tabulato: quam prætoriæ portæ propinquantem promoti contra validi asseres & incussæ trabes perfregêre. Pro contis verò apud eundem lib. 30. Postremo asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus inijci in Romanas cœpti. Et lib. 38. Arietibus muros quatiebat, asseribus falcatis detergebat pinnas. Et mox: Falces anchoris ferreis iniectis in interiorem partem muri trahentes asserem præfringebant.

Inter manus proferebatur.] Quod vulgus dicit de manu in manum. vt alio loco diximus. Seneca de breuit. vit. Cùm ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, &c.

Fortissimis lignis.] Equi fortitudinem Cicero dici testatur. Ligni fortitudinem anteà nõ legeram. Cicero dixisset, Firmissimis. Vegetius tamen crebrò ita loquitur.

Aequandi loci causa facta.] Vitiosa interpunctio loci sententiam deprauat. Nam vox Facta cum insequentibus coniungenda est, hoc sensu: Testudo facta ex fortissimis lignis antecedebat, æquandi loci causa. Nisi fortè *Soli* potiùs quàm *Loci* legendum videtur.

Enoluta.] Dictum est pro *Inuoluta.* Cicero tamen in contraria significatione posuit. lib. de Orat. 2. Lubenter enim te cognitũ iam artificẽ, aliquandoq; euolutum illius integumentis dissimulationis tuæ, nudatumq; perspicio.

Ignis iactus.] Posterius lutum, coria, centones, tomenta, & crates in hoc numero reponit.

Per Albicos.] Homines asperos, montosos, indomitos: de quibus dictũ est superiore lib. cap. 8.

Paucæ erant æratæ.] Hoc est, rostratæ. Vergil.

Quot priùs æratæ steterant in littore puppes.

Nam ab æreis rostris sic appellantur.

Inopinante Curione.] Quem proprætorem cum tribus legionibus in Siciliam Cæsar miserat, libro primo, cap. 7.

Vehementiusq́ exterreamur.] Sic lib. 7. capite 16. Omnia, inquit, plerunq; quæ absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant.

Ex publicis custodijs.] Sic noster Antiquus. Magis tamen Ald. lectio probatur: Publicisq; custodijs. Nam stationes intelligit eorum, qui præsidio vrbi relicti fuerant.

Victoriam ab dijs.] Vetus *Ab his.* vt Ver. 1. Sese iam ne Deos quidem habere, &c.

Vel externis auxilijs.] Si domesticæ copiæ non sufficerent.

Quibus in pugna.] Vetus: *In pugnando.* quod æquè arridet.

Magna vis eminùs.] Legendum vt in nostro Antiquo, *Magna vi*: & vt in cæteris omnib. Antiquis, *Inferebãt.* nam ad coniunctos Albicis hoc refertur.

De improuiso imprudentibus.] Suspectus mihi locus: qui tamen in omnibus libris ita legitur.

Tanta re prouisa.] Noster *Praeuisa* & mox pro *Enisus.* Vsus: quod magis placet. nisi *Tantum* vt in Aldin. corrigamus.

Respectus patriae.] Sic noster Antiq. Ald. tamen, *Conspectus.* quod magis placet.

CAP. II.

PLutei ac vinearum.] Pluteus nunc pro machina vsurpatur: quæ vnà cum vineis opposita erat ante milites, qui opus faciebãt, ne telis ex oppido missis vulnerarentur. Plutei & vinearum formam sub exitum libelli adscribemus.

Vel externis auxilijs.] Si domesticæ copiæ non sufficerent.

Vitae periculum cederet.] Manifestum mendum. Legendum vt in alijs *Accideret.*

Laterculo.] Lateribus minoribus & luto. Lateres autem crudos non coctos fuisse, posterius ex musculi descriptione intelligetur.

Suspenderent.] Sustinerent tectum.

Supra eum locum tigna transuersa.] Sic Aldin. & pleriq;. Noster verò & nõnulli impressi, *Duo tigna.* quo modo sine dubio legendum est. Nam hæc duo tigna transuersa crucis figuram (vt vulgò loquimur) habebant. Nihil ad huius turris intelligentiam æquè notandum est.

Directò transuersas.] Planum igitur & subtensum fuit tectum, non fastigiatum.

Asseribus religauerant.] Asseres imposuerunt, eósque clauis defixerũt. *Axibus* tamen legitur in quibusdam: quod non displicet.

Tegumenta perpendere.] Sic omnes Antiqui. nonnulli impressi Præpēdete, vt paulò post. quod magis probo. Quanquam *Vnde* pro *Vbi* planiùs fuisset. Tegumenta autem intelligit storeas, quæ inde præpendebant, dum in contignatione superiore parietes fiebant: nimirum, quia pluteorum & vinearum tectis satis muniti non erant.

Contabulationem.] Tectum illud planum ea assetibus factum.

Pluteos ad alia opera.] Nunc machinas intelligit.

Vt est rerum omnium magister vsus.] Sic Cic. 1. de Orato. Vsus qui magistrorum omnium præcepta superat. Sed initio Luculli, quantum in re militari valeat, ostendit: & Vegetius initio lib. 1.

Storias autem.] Storeas legendum putarem. Liuius lib. 30. Numidæ præcipuè arundine textis storeaq; pars maxima tectis passim nullo ordine, &c. Tres autem idcirco tantùm fecit, quia tres tantùm turris partes ijs storeis obtexit.

Latas quatuor pedes.] Id est, crassas. Nam latitudo cuiusq; pedum erat triginta: quantum erat turris spacium, quoquo versus.

Traijci posse.] Quia teli impetum mollius sustinebant.

Ea pars turris.] Quantum altitudo pluteorum & vinearum passa est.

Pluteos abduxerunt.] Pluteorum nomine latiùs etiam vineas comprehendit: vt ex superioribus intelligitur.

Turris tectum per se ipsum.] Nihil in hac structura æquè notandum est, vt quod de tecto dicitur. Intelligendum est enim, illud coniunctum operi ab initio non fuisse: sed tantisper per se cōstitisse, sensimq; cochlea subleuatum fuisse, dum opus fieret, sextaq; contabulatio poneretur.

Prehensionibus.] Præhensionem hoc loco accipere cogimur pro machina, qua tigna ædificiorū adhibita cochlea subleuantur: vel potiùs pro ipsa subleuatione, & instrumenti opere. Hanc Fabri nostri appellāt *Guindal*. Cùm hæc iampridem scripsissem, animaduerti Adr. Turnebum virū eruditissimum libro Aduers. 13. cap. 24. in hunc Cæsaris locum multa scripsisse, ab his notis nostris valde dissentanea. In ijs autem illud præter cætera mirū videri potest, quod ait milites hoc tectum sine vineis & pluteis præhendisse, & leuâsse. quasi verò vel nunc manibus, vel anteà vineis & pluteis ad prehendendum vsi fuerint. Sed integrum Lectoribus iudicium relinquemus.

Aliam prehensionem.] Sic impressi complures. Meliùs noster & Ald. Alia præhensione. Nam ordo est: Alia præhensione & subleuatione expediebant sibi locum ad ædificandum. Tectum enim ita subleuabant, vt desuper eo tegumento muniti aduersus saxa & tela esse possent. à fronte verò storeis.

Vt primo.] Vt extrema parietum structura capita tignorum tegerentur.

Summam contabulationem.] Tectum contabulatum, pensile, nec dum operi coniunctum.

Aequè longè.] Pedū sexaginta: intus autē latebāt.

Columella.] Inter quas intercolumnium, id est, spacium relictum erat: cuius ab vna parte milites opus facere, & murum subruere possent: ab altera parte, si qui vulnerari essent, excedere: & alij recentes atq; integri succedere. Hæc posteà latera nominabit.

In altitudinem quinque.] Quantum hominum, qui intus latebant, altitudo poscebat.

Capreoli.] Capreoli dicuntur ab architectis ligna, quæ proclinata capitibus inter se iunguntur: interiecta trabe oblonga, quam ijdem Canterium appellant. His vtraq; ex parte tecti fastigium sustinetur. Legendus Vitruuius lib. 10. cap. 20. vbi Testudinis formam describit.

Vbi tigna.] Si trabs fuisset, Canterium, vt modò dixi, appellâsset.

Tigna bipedalia.] Plurali numero est vsus. quòd non tam facilè vnum sexaginta pedes longum reperiretur, quàm duotricenum pedum.

Laminis clauisq; religabant.] Laminam superimponebant, eamq; clauis in tigna & capreolos adactis deuinciebant.

Lateres diluere.] Locus hic ostendit, Laterem nō esse glebam ex argilla igne decoctam: vt regulam, vel imbricē. nam argilla cocta Testa dicitur, opinor, quasi tosta: sed esse massam ex argilla vel luto, quę tecto isti imposita Sole induratur. quæ quia si lauetur, liquescit, & defluit, atque in cœnum resoluitur: inde natum Terentianum illud in Phormione prouerbium videtur, Laterem lauare, pro Laborem inanem sumere, operam perdere.

Ad extremum.] Id est, in extrema inferiore parte.

Lateres qui super.] Ne quid ignis hostium nocere posset.

Contineant.] Id est, Sustineant.

Tectum vineis.] Vineæ antecedebant. secūdum quas musculus sensim adigebatur.

Machinatione nauali phalangis.] Id est, Phalangis eodem modo subiectis, quo in machinatione nauali, id est, in nauibus vel ex arido propellendis, vel in aridum subducendis subijci solent. Phalangas autem Cæsar Latino nomine scutulas interpretatur. infrà, lib. 3. Ligna scz. oblonga & rotunda, instar cylindri, quæ oneri subiecta vectibus impelluntur. Biremes, inquit, subiectis scutulis impulsas vectibus in interiorem partem traduxit. Interdū Phalanges pro fustibus teretibus vsurpantur. Plin. lib. 7. cap. 56. Pręliū, inquit, Afri contra Aegyptios, primum fecêre fustibus, quos vocant Phalangas.

Inuoluta labuntur.] Non intelligo, cur non Euolutæ, potiùs legendum sit.

A lateribus.] Non lateres dicit tecto impositos: sed latera vtraq; ex musculi parte: quæ nos superiùs intercolumnia diximus.

Ab opere.] Inter milites, qui intus opus faciebant, quidam interiecti erant, qui furcis & longurijs cupas illas à pedibus militum remouerent.

CAP. III.

A*Vt vis militibus aut ignis eis nocere.*] Antiquus noster multò concinniùs: Qua aut vi militibus, aut igni operibus noceri posset.

Turri-

Turribusq́ circumiri.] Meliùs idem Antiquus, *Circumueniri*, Nam Circumuenire, pro Circummunire, alijs multis locis notauimus.

Propinquitatis interire.] Sic omnes alij. Noster multò veriùs, Interirent.

Inermes cum infulis.] Liuius 29. Legati Locrensium velamenta supplicum, ramos oleæ (vt Græcis mos est) porrigentes ante tribunal, &c. Idem lib. 44. Sordidati, barba & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt. Loquitur de legatis Alexandrinis. Item libro 45. vbi de Rhodijs loquitur: Vniuersi rursus prociderunt: ramosq́; oleæ supplices iactantes tandem excitati curia excesserunt.

Eiusdem generis complura.] Nihil muto. Tantùm testificor in nostro antiquo scriptum esse: Eiusmodi complura. quod æquè placet.

Ab hominibus doctis.] Non iam literarũ doctrinã significat, vt quibusdã placere video. Sed Doctos dixit, pro Instructis. vt lib. Gall. 4. cap. 4. Hiiam antè edocti quid interrogati pronunciarent.

Portis se foras erumpunt.] Libri consentiunt. vt vetus illa fuisse locutio videatur.

Superioris temporis.] Hoc à me non intelligi fateor, nisi legamus *Superiori die.* vel potiùs vtrunq; relinquamus. Nam quod nonnulli de Contemptione dicunt, planè absurdum est.

Agger comportari.] Sic Ald. Noster verò *Comparari.* quod æquè placet.

Et conuectis.] Noster, & multi impressi, Conuectis. nimirum, in vrbem.

Eadem ferè altitudine.] Omnes veteres Latitudine. Ego non dubito, quin vtrumq; verum sit, atq; hoc modo legendum: Latitudine atq; altitudine.

Fit in hostes impetus eorum.] Vox Eorum superuacanea est: & à libris quibusdam rectè sublata.

CAP. IIII.

Fiduciaria opera.] Fiduciarius dicitur, cuius quid fidei & potestati ita committitur, vt nullo iuris vinculo, sed sola fide sit obligatus. Sic, Pater fiduciarius, Hæres fiduciarius, Tutor fiduciarius, in iure appellantur, vt in Comm. verb. iur. exposuimus. & in eandem sententiam infrà cap. vlt. Curio Cæsaris legatus ita loquitur: Nunquam amisso exercitu, quem à Cæsare fidei commissum acceperit: se in eius conspectum reuersurum confirmat. Sed Hircius belli Alexan. cap. 4. hoc verbo est abusus: Nam Fiduciarium regnum dixit, pro Vsurpatum & occupatum. Locum autem vulgatis in libris vitiosè interpunctum, à nobis emendatum subscribemus. Paratam enim omnem multitudinem esse, confectam tædio, & puellæ fiduciario regno, dominationeq; crudelissima Ganimedis, facere id quod Rex imperâsset: nam Arsinoe testamento vacuam Regni possessionem occupârat, &c. Liuius lib. 34. Optimum ratus Nabidi & eam Lacedæmoniorum tyranno, velut fiduciariam dare.

Omnibus referebat.] Ita placet: itaq; in meis omnibus constanter scriptum est. Vrsinus tamen, Ferebat. quod non æquè arridet.

Ad Massiliã distineri.] Non video cur veterũ omniũ scripturã repudiemus, In quib. legitur *Detineri.*

Procurandæ hæreditatis.] Moris erat, vt Senatores, quibus hæreditas in prouincia relicta testamento fuerat, legationem liberam à Senatu hæreditatis persequendæ causa impetrarent. Cicero Agr. 2. Hæreditatum obeundarum causa, quibus vos legationes dedistis, qui & priuati & priuatum ad negocium exierunt, non maximis opibus, neque summa auctoritate præditi: tamen auditis profectò, quàm graues eorum aduentus socijs vestris esse soleant. Idem Fam. lib. 2. Epi. ad Cornif. scribit, eos qui cum libera legatione proficiscebantur, lictores à prouincialibus Magistratibus, & insignia cæterorum legatorum accepisse.

Perterritis ciuibus R.] Sic Aldinus, & multi impressi. Noster multò veriùs, Perterritos ciues R.

H-S CXC. *mill.*] Id est, quatuor millia coronatorum, septingentos quinquaginta: quæ pertenuis ad Varronis negocium summa est. Quare legendum censeo: H-S. centies nonagies: & voce *Millia* tollendam, vt efficiatur summa coronatorum quadringentorũ septuaginta quinq; milliũ.

Tritici modios CXX. *mill.*] Modium in casu secundo, quin sit legendũ, dubitaturũ neminẽ arbitror.

Iudicia in priuatos reddebat.] Iudicia de priuatorum rebus constituere, non modò iniquum non est, sed etiam prætorium. Quare nihilo probabilior Vrsini aut Octauij Pantagathi emendatio est: demirorq́; hoc ab illis non obseruatum. Locus enim sic emendandus est, vt sine interpunctione continenter legatur: quasi scriptum ita esset: Et iudicia in priuatos, qui verba atque orationem aduersus Rempublicam habuissent, reddebat: eorumq́; bona in publicum addicebat. Edictum scilicet proposuerat: Si quis aduersus Remp. (id est, aduersus Pompeium) verba fecisset, se iudicium eo nomine daturum: damnatiq́; bona in publicum addicturum. Quare, qui partic. Verò, interjecerũt, ibi, Qui verò verba, stultissimè illos fecisse apparet. Et similis iudicij formula extat apud Liuium libro 24. Pronunciârunt, verba orationemq́; eos aduersus Rem pub. habuisse, quò coniuratio deserendæ Italiæ causa fieret. Totus autem locus, qui variè conturbatus est, ita restituendus est: Quas Cæsari esse amicas ciuitates arbitrabatur, ijs grauiora onera iniungebat, præsidiaq́; eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat, qui verba atq; orationem aduersus Remp. habuissent, eorumq́; bona in publicum addicebat. Quod autem sequitur: Prouinciam omnem in sua & Pompeij verba per iusiurandum adigebat: fateor in meis omnibus ita scriptum esse: ac testificor nihil à me immutati. Tantùm dico videri posse ex aliorum locorum comparatione, vocem Per, abundare. vt suprà lib. 1. In hæc verba iurat ipse: idem iusiurandum adigit Afranium. Vt hoc modo similiter dictum sit, Prouinciam iusiurandum adigere. Cùm hæc iampridẽ scripsissem, animaduerti Manutium ex Nicasij doctiss. viri coniectura reponere, Aduersus Pompeium. quam coniecturam primùm Liuij locus refellit: deinde quis nescit eos, qui rerum potiũtur, semper Reip. nomine abuti?

Pompeij beneficia.] Insignis locus: ex quo intelligitur, quæ Longobardi Feuda nominârunt, ea Romano more Beneficia dici consueuisse: & quos illi Vasallos, hos Clientes appellatos.

Ad statutum diem.] Vox *Statutum* abest à meo Antiquo, Aldino, & alijs nonnullis: planeq; repudianda est.

Per se portas Varroni clausit.] Priuato consilio, nulla expectata auctoritate.

Deductis tribus.] Id est, cùm Varro tres in arcem cohortes præsidij causâ induxisset.

Voluntate prouinciæ reperiebantur.] Noster & Ald. Voluntas prouinciæ reperiebatur: quod probo.

In Italiam venturum promisisset.] Italicam rectè iampridem Rhellicanus restituit: Faërnus nuper, Pronunciasset. Plin. lib. 3. cap. 1. Oppida Hispalensis conuentus, Celtiaca, Vacumana, Acria, Ilipa, cognomine Italica.

Pedibusq; Narbonam peruenit.] Pedibus & pedestri itinere dicebant veteres, pro eo, quod iam dicimus Terrestri. Sic infrà, cap. 6. Eoq; illos compuletim, vt neq; pedestri itinere, neque nauibus commeatu iuuari possint?

Legem de Dictatore.] Dio lib. 41. scribit, M. Aemilium Lepidum, eum qui posteà Triumuir factus est, huius anni Prætorē populo persuasisse, vt Cæsarem Dictatorem facerent. Plutarchus à Senatu dictum, & dies XI. gessisse.

CAP. V.

P*Anico vetere.*] Frugis genus, de quo Plin. lib. 18. cap. 7. & 10. Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur.

Dedere sine fraude.] Antiqua locutio, pro Verè & ex animo. Liuius 41. Vt prætor sine fraude, cùm de bello aut pace agere velit, aduocet conciliū. Idem 24. Nihil prætereà cum Consule pacti, quàm vt sine fraude Punicum emitteretur præsidium.

Qua missu Bruti.] Sic Aldinus & complures impressi. Noster *Iussu.* quod etiam in quibusdam impressis rectissime legitur.

Pro nomine & vetustate.] Noster, Pro nomine vetustatis. De Massiliæ autem antiquitate Strabo multa præclarè, itemq; Cic. Ora. pro Flac. Quemadmodum autem conseruârit, docet Orosius his verbis: Cæsar Massiliam rediens obsidione domitam, vita tantùm & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. Plutarchus in Solone Massiliā à mercatore conditam, memoriæ prodidit.

Remulco abstraxit.] Laz. Baysius putat fictū verbum ex Græco ῥυμουλκεῖν, quasi ῥύμασιν ἕλκειν, funibus trahere: cum funibus illigata nauis è scapha trahitur. Sic infrà, lib. 3. Submersam nauem remulco, multis contendens funibus, eduxit. Sed si hoc verum est, inflexam fuisse consuetudine pronunciationem oportet. alioqui Rymulcare, vel Rumulcare scribendum fuisset. Sext. Pompeius: Remulco (inquit) est cùm nauis magna scaphæ remis trahitur. Itaq; Nonius à Remis & Mulcendo deduxit: quasi nauis leni tractu ad progressum mulceatur. Liuius lib. 25. Marcellus nocte nauim onerariā cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam iussit. Idem lib. 32. Tardè inde ad Maleā trahendis plerunq; remulco nauibus peruenit. Video sanè pro fune vsurpatū, quo deligata nauis trahitur. vt apud Valgium Poëtam veterem:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitijs.

Regnum Iubæ publicauerat.] Iuba Hiempsalis filius, Rex Numidiæ, Pompeij partes secutus est. Curio cùm Tribunus pl. esset, legem tulerat, eius regnum vt populo R. addiceretur. A Pompeio Rex appellatus, à Cæsare hostis iudicatus. Dio lib. 41.

Exercitus conclamatione.] De hoc more Imperatoris appellandi, abundè dixi in Præf. Institu. Iuris. Appianus quidem lib. de bell. Ciuil. 2. hanc eandem historiam commemorans, subiungit, honorem hunc olim tribui solitum ducibus, ob quoduis præclarum facinus militare. sua autem ætate nemini concedi, nisi qui x. hostium millia vno prælio cæcidisset.

Auribus Vari seruiunt.] Seruire auribus, idem est, quod loqui ad gratiam.

Suprà demonstratum est.] Suprà, libro 1. cap. 5. extremo.

Traduxerat Curio.] Sic Ald. & aliquot impressi. Video tamen esse qui vocē *Curio* suis in libris sustulerunt: quos facere perperam & huius loci sententiam corrumpere, non difficile intellectu est. Cæsar enim cohortes ampliùs XXX. Corfinio capto receperat, & sacramentum apud se dicere iusserat. Suprà lib. 1. cap. 5. Eas igitur tres legiones Curio secum in Africam traduxerat. Planior tamen esset sententia, si pro *Legionesq;* vetus liber emendaret, *Quo legiones.*

Apud Domitium.] Quem Corfinij præfuisse dictum est illo lib. cap. 5.

Magnus omnium incessit timor.] Sic omnes lib. Legendum tamen putarem, *Omnes*, vel *Omnium mentes.*

Alius alij tradiderat.] Sic Ald. Noster tamen, *Atque illi alijs ediderant.* quod non minùs arridet.

Atque in castris Curionis.] Ante hæc verba desiderari quippiam necesse est. Ac planè tota hæc ferè pagina mendosè descripta est.

Ciuile bellum.] Locus sine dubio mendosus: atq; vt opinor, sine veteris ope codicis, insanabilis.

Commilitesq;] Alterum item mendum, & opis eiusdem indigens.

CAP. VI.

H*Uiusmodi militum.*] Noster, *Hi militum.* Locus hic eiusdem opis indiget.

Circumuentos à suis.] A tribus legionibus Domitianis, quas Cæsar Sacramentum apud se dicere iusserat.

Aut pudore aut metu.] Similis propè sententia suprà, lib. 1. cap. 14. Perterritus miles in ciuili dissensione timori magis, quàm religioni consulere consueuit.

Dimisso concilio, concionem aduocat.] Puto me alibi docuis-

docuisse Concilium esse, cùm Legati & cæteri, qui cum potestate aut imperio sunt, in consilium adhibentur: Côcionem, cùm ad omnes milites oratio habetur. Sic ad Heren. 3. Si quam rem in concione, aut in concilio faciendam censebimus.

Vestri facti præiudicio.] Modò dixit, *Auctoritate.* Vtrunq; tum dicitur, cùm alicuius factum alij pro exemplo sequuntur.

Incerta victoria.] Ita legendum est sine dubio: quamuis in nonnullis legatur *Certa.*

Capitis munitione.] Acerbè. quasi Domitius, qui in Cæsaris potestatem venerat, seruus aut certè dedititius eius factus sit. Sed hoc elatoriè dictum est. Nam, vt ait Vlpianus, in ciuilibus dissensionibus, quamuis sæpè per eas Resp. lædatur, non tamen in exitium Reip. contenditur. Quare, qui in alterutras partes discedunt, vice hostium non sunt, inter quos iura captiuitatum & postliminiorum sunt. Liuius lib. 22. Imò desideratè, dum patria est, dum ciues eius estis. serò nunc desideratis diminuti capite, abalienati iure ciuium, serui Carthaginensium facti.

Neque pedestri itinere, neq; nauibus.] Locus hic ostendit, quod superiùs aliquoties diximus, Iter pedestre dici ab Antiquis solitum, pro eo, quod vulgus dicit, *Terrestre.*

Consensu suo.] Faërnus, Suorum. Ego, Summo, legendum arbitrabar: sed Faërnum locus duabus paginis interiectis adiuuat: in quo ita legitur: Itaq; suorum omnium consensu Curio reliquas copias expectare parabat.

CAP. VII.

A*Missis equis.*] Mendum quidem turpe. sed multò turpius est, à nullo adhuc emendatũ. Corrigendum est, *Admissis.* qua locutione & hic noster alibi est vsus. neq; vlla propè apud auctores frequentior est, pro Incitatis. Hæc cùm ante annos decem scripsissem, animaduerti posteà in quibusdam nouis impressis locum hunc emendatũ fuisse.

Praeoccupatis animis.] Vrsinus, *Praeoccupatus animus.* & mox: *Cogitabat.* cui propterea non assentior, quia multis locis Cæsarem ita locutum animaduertimus, nonnullos etiam notauimus.

A fugientium.] Omnes Antiq. *Ac*: quod rectissimè Vrsinus commutauit in *Hac* cum aspiratione.

Atq; iter impeditur.] Nonnulli, *Atque impediuntur.* quod perspicuè rectum est. Significat enim cum hominũ multitudine receptus impediretur, turba oppressos interijsse.

Castris expellerentur.] Vetus, *Pellerentur.* quod magis placet.

Atque vulneratis.] Vrsinus affirmat legi in suo libro, *Ac mille vulneratis.* Ego scripsisse Cæsarem arbitror, Aut vulneratis.

Vallo circummunire.] Omnes Antiq. & Aldi. *Circumuenire.* quo verbo quàmplurimis alijs locis vsum Cæsarem adnotauimus.

Conuentus qui constaret.] Rectè sic: cùm alij Constarent reposuerint. Nam conuentum vnius oppidi significat. Ex varijs autem generibus, id est, vel ex varijs municipijs, vel ex varijs hominum ingenijs, quorum alij Cæsaris rebus fauebant: alij aduersabantur.

Equites conuenit.] Sic omnes Antiq. Video tamen in quibusdam recentioribus *Inuenit.* quod magis probo.

Insolenter quidem, sed libenter.] Sic pleriq;. Magis tamen Aldina probatur: *Vt de suis homines laudibus libenter prædicant.*

Spolia præferebantur.] Legendum putarem: *Proferebantur.*

Homines equitesq; producebantur.] Fortasse *Equiq;.*

Curionem ab spe morabatur.] Noster Antiq. Aldin. multi impressi, *Ad spem.* quod cur mutetur, causam non video. Nam idem est, ac si dixisset, Curionis spem morabatur.

CAP. VIII.

I*N aciem immittit.*] Iidem libri, *Mittit.* quod sine dubio rectum est.

Parentes suos commendabant.] Commendare, verbum extremo vitæ tempore vsitatum. Cicero de Orat. 1. Filios suos paruos tutelæ populi R. cômendaret. Et de fin. 2. Nam ista commendatio puerorum, memoria & charitas patriæ. Loquitur de testamento Epicuri, quo Metrodori liberos cômendârat. Item lib. 3. Quorum vterq; tibi testamento liberos suos commendauit. Hirc. de bell. Afr. Ipse omnibus rebus diligentissimè constitutis, liberis suis L. Cæsari commendatis, ferrum in cubiculũ tulit, atq; ita se traiecit. Cic. Offic. 3. Et is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulauisset.

Si quos ex eo periculo.] Si quos amicos, notos, commilitones.

Vt in reliquis rebus.] Sic omnes Antiqui, quos mihi videre licuit. Vrsinus testatur in suo scriptum: Vt miseris in rebus. quod Vascosanus Lutetiæ impresserat xxx. abhinc annis.

Paucis lenunculis.] Hos etiam Lemnunculos appellant Grammatici, & eosdem esse dicunt, qui & Lembi appellantur: hoc est, nauiculas piscatorias. Nonius exempla profert. Tacitus lib. 14. vbi de Agrippina Neronis matre loquitur: Nãdo, inquit, deinde occursu lemnunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ intulerunt. Ammianus lib. 16. Auido, inquit, flatu ventorũ lemnunculo se commisisse piscantis.

Legatis cum Centurionibus.] Sic noster vetus. Ald. tamen, Legatorum numero centurionibus. quod magis placet, quasi dixisset, Pro legatis, vel Legatorum loco.

Liber III.

CAP. I.

D*Ictatore Cæsare.*] Dictum enim à M. Aemilio Legato prætore, superiùs ostendit. lib. 2. cap. 4.

Per leges.] Per legem Corneliam, à L. Sylla latam, ne cui eundem Magi-

ſtratum, niſi decennium intereeſſiſſet, petere liceret. Appianus de bello Ciuil. Tantum autem à primo ipſius Conſulatu intereeſſerat.

Fides eſſet anguſtior.] Ipſe interpretationem ſubiecit. Cicero in Manil. ſic ferè locutus eſt. Nam tùm cùm in Aſia res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romæ ſolutione impedita fidem concidiſſe.

Arbitri darentur.] Dio libro 41. Sorte deligerentur.

Aeſtimationes poſſeßionum.] Planiùs hæc Sueton. De pecunijs mutuis, inquit, diſiecta nouarum tabularum expectatione (quæ crebrò mouebatur) decreuit tandem, vt debitores creditoribus ſatiſfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti, quaſq; ante Ciuile bellum comparâſſent. deducta ſumma æris alieni, ſi quid vſuræ nomine numeratum, aut perſcriptũ fuiſſet, qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Atque hoc nimirum eſt, quod Plutarchus ſignificat in vita Cæſaris cũ ita ſcribit: *καὶ συναχθεῖσα περὶ τόκων τοὺς χρεωφειλέτας ἐκούφισε.* Quod autem Dio 41. ſcribit, Cæſarem tuliſſe, ne quis vel in argento, vel auro plus pecuniæ poſſideret, quàm I. X. ſeſtertiûm, non intelligo. Multò cõmodiùs Appianus, qui belli Ciuil. 2. ſic ſcribit: *τὰς μὲν ἀποκοπὰς οὐκ ἔδωκε, τιμητὰς δὲ τῶν ὠνίων ἀπέφηνεν, ὧν ἔδει τοὺς χρεώστας τοῖς δανείσασιν ἀντὶ τῶν χρημάτων διδόναι.* Nouas quidem tabulas non conceſſit: æſtimatores verò poſſeſſionum conſtituit, quibus oportebat debitores creditoribus pro pecunijs ſatisfacere. De ſimili ratione Aeſtimationis, Liuius libro ſeptimo.

Ambitus Pompeia lege.] Huius capita expoſui in indice Legum Roma. vbi Pompeiam de Ambitu nominaui.

Rogationes ferentibus.] Ipſo auctore & impulſore Cæſare: qui ea ratione gratificari populo volebat: vt mox dicet.

Singulis diebus.] Vna actione, non pluribus.

In otio Ciuilis belli.] Sic Aldinus. vitioſè, ſine dubio. Legendum *Initio*, vt in multis impreſſis.

Suffeciſſent.] Turpe mendum parua litura corrigitur: *Sui feciſſent.* Et ita video iam in multis impreſſis.

Iudicio populi.] Qua de cauſa leges illas rogandas curauerat.

Ferijs Latinis.] Celebrabantur à Latinis ciuitatibus XLVII. quæ cum populo R. in Albanũ montem quotannis conueniebant, Dionyſ. lib. 4.

XI. *dies tribuit.*] Idem ſcribunt Plutarchus & Appianus.

Hoc vnum inopia nauium.] Totum hoc, *Inopia nauium*, ex gloſſa videtur in contextum irrepſiſſe. Tametſi non inopia fuit, ſed copia.

Vacuum atque ociosum.] Suſpicor de mendo. Non enim tempus aut ſpacium temporis otioſum, vt opinor, dicitur. Quare videndũ, an *Vacuus & ociosus* potiùs legendum ſit.

Societates earum prouinciarum.] Societates publicanorum, qui in illis prouincijs negotiabantur, & Vectigalia exercebant.

Mercenarias duas.] Noui libri, *Sexcenarias*, quo verbo neceſſe eſt ſignificari ſexcentos in cohorte fuiſſe: cùm legitimus vulgarium numerus quingentorum eſſet. qua de cauſa Quingentariæ dicebantur. quãquã prima Milliaria eo ex numero vocaretur. Paucis tamen pòſt verſibus Mercenarios ab ijs, qui vel imperio, vel gratia comparati fuerant, diſtinguit.

A. Gabinius.] Cui Ptolemæi Regis reducendi poteſtas data fuerat.

CAP. II.

TErram attingit Grae.] Duo lib. veteres, Germanorum. ſed P. Victorius vir doctiſſimus Variar. 13. cap. 1. docuit legendum eſſe *Ceraunorum.*

Iuſſu D. Lælij praeerat.] Hic ſpiritus ſuſtinendus, & puncto diſtinguendus locus. vt intelligatur Minutium Rufum iuſſu D. Lælij præfuiſſe.

Iracundia erupit.] Poteſt diſputari Pronomen *Sua*, poſitum eſſe pro *Ipſius*: ſed tamen relinquetur nomen *Nullus*, cui verbum nullum reſpondebit. Nam ad verbum *Erupit* referre, nulla ratio eſt. Conſulendus igitur liber aliquis antiquus: ecquis meam hanc coniecturam confirmet. Nam cùm Cæſar hoc loco Bibulum, diſſimulanter tamen, perſtringat: fieri poteſt, vt Iracundiam expuit, facetè dixerit. Quo verbo Terentius eſt vſus, Quaſi vbi illam expueret miſeriam ex animo. De Bibuli autem iracundia paulò pòſt cap. 4. iterum mentio fit. *Indiligentia* verò pro *Diligentia*, quod Vrſinus ex ſuo lib. reſtituit, incredibile dictu eſt, quàm mihi probetur. Setiùs enim Bibulus eis occurrerat.

Complexum veniret.] Sic noſter & Aldinus. Facetè autem Bibulum eludit. pro, In Cæſaris manus, aut poteſtatem. Itaq; mendosè in multis libris legitur: Si in conſpectũ Cæſaris venire poſſet. Duabus igitur de cauſis excubabat, primùm vt Cæſaris, ſi poſſet, nauem aliquam interciperet: deinde ne ipſe interciperetur. Nam vitę ſubſidium ac miſericordiam à Cæſare nullam expectabat.

Seſe munierunt.] Noſter, His ſeſe munierunt. quod placet.

Re frumentaria laborabant.] Noſter, *A re.* quam veterem eſſe locutionem, nemo ignorat.

Præſectis mulierum crinibus.] In neruorum inopia ſubſidium hoc fuit, vt obſeſſi mulierum capillis tormenta efficerent: quod in Capitolij obſidione factitatum Vegetius ſcribit lib. 3. cap. 9. Et de re eadem eſt apud Iul. Capitolinum in vita Maxim. & Plutarchum in lib. de fœnore.

Hyems appropinquabat.] Nihil mutandum. nam hæc fuit orationis ἰδέα, à capite: Sed poſt diſceſſum Lyburnarum. Domitius enim prius hoc incommodum accepit, quàm ad Pompeium cum Lyburnis nauibus veniret.

CAP. III.

VIbullium Rufum præfectum.] Hunc, opinor, ſignificat præfectũ fabrûm, quem ad Attic. 9. Epiſt. 8. ſcribit cum Cn. Magio altero præfecto in ſuam poteſtatem veniſſe.

Ad Cor-

Ad Corfinium.] Lib. 1. cap. 5.

Iterum in Hispania.] Hoc nominatim quidem demonstratum non fuit, sed in Hispaniam à Pompeio missum ad tres ipsius legatos, Afranium, Petreium & Varronem, lib. 1. ca. 8. Cùm autem Afranius & Petreius in Cæsaris potestatem cum suis omnibus copijs venerunt, vult intelligi, in eo numero hunc quoq; fuisse.

Africani exercitus.] Sanè *Afraniani* scriptum est in meo Antiquo: vti de suo Vrsinus testatur. sed mendosè, vt opinor. Nam etsi Cæsari se Afraniani milites dediderant, tamen non hoc incommodû Cæsaris, sed lucrû numerabitur. Rectè igitur Africanum exercitû præter Curionem numerat. quia præter Curionem, qui Imperator appellatus fuerat, multò maxima pars ipsius exercitus in Africa interierat.

Romæ à Senatu & à pop.] Non videtur æqua conditio, cùm Cæsar in Senatu, & planè in populo dominaretur.

Et Reip. & ipsis.] Totus hic locus ita mendosus est, vt sine veterum codicum auctoritate sanari facilè non possit. Faërnus restituebat, Expedire. sed quàm consentaneû illud videtur, Placere si vterque: pro Vt vterq;. deinde illud necessario iudicio, quid significat? Etiam illud, Si vterq; iurauisset, fore vtrunq; contentum.

Triduo proximo.] Paulò aliter Plutarch. Si inter se congressi exercitibus intra diem tertium dimissis reconciliata gratia & iureiurando dato, in Italiam redirent.

Graecos murum ascendere.] Locus mihi integerrimus videtur, neq; Vrsini emendatione indigere.

Contra imperium populi R.] Primum nulla lege id erat prohibitum, deinde non Imperium, sed Imperatorem dixisset. Quare non dubito quin Imperatorem legendum sit.

Simulac Cæsar.] Vrsini emendatio nondum mihi satisfacit: potiùs enim scripsisset, *Dictum est*, quàm Dicebatur. Itaq; quod iam aliquot locis obseruatum est, versum hunc suo loco morum arbitror, ibiq; collocandum: Cognitis ijs rebus quæ erant Orici atque Apolloniæ gestæ, simul quòd Cæsar appropinquare dicebatur, Dyrrachio timens, &c. Placet autem quod Vrsinus restituit, *Terrore*.

Princeps Labienus.] Hic est T. Labienus, qui cùm Cæsaris legatus in Gallia fuisset, & res magnas gessisset, initio ciuilis belli à Cæsare desciuit, seseq; Pompeio adiunxit. Cicero ad Attic. 7. Episto. 11. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. Si ita factum esset, vt ille Romam veniens Magistratum & Senatum Romæ offenderet, magno vsui causæ nostræ fuisset. damnâsse enim sceleris huius amicum Reipubl. causa videretur. Et Epist. seq. Labienum ἥρωα iudico. facinus iamdiu ciuile nullum præclarius. qui vt aliud nihil, hoc tamen profecit. dedit illi dolorem. Dio libro 41. scribit, eum discessionis causam hanc habuisse, quòd cùm opibus & gloria creuisset, maiores sibi spiritus sumpserat. qua de causa Cæsari suspectus atque inuisus esse cœperat.

CAP. IIII.

Perfecto occupato itinere.] Vet. noster & Ald. *Profecto.* Vrsi. scribit restitui à Statio *Profectus.* quod non displicet. magis tamen placeret, Profectionis occupato itinere. Nam significat anteuertente Pompeio iter ad Dyrrachiû præoccupatum fuisse.

Sub pellibus.] Dixi lib. Gall. 3. cap. 7.

Bene meritæ ciuitates tuta essent præsidio.] Ita est in omnibus, quos vidi, libris. Faërnus restituit, Ciuitati esset præsidio: quasi verò de vnica Apollonia, ac non de finibus Apolliniatium loquatur. Plin. libro 3. cap. 23. Cuius in finibus celebre Nymphæû accolunt Barbari, Amantes, ac Bulliones.

Quantum nauium.] Id est, quantum quod nauiû habebat, passum est. nam Faërni emendationem non intelligo.

Nudanda litora.] Nudari litora dicuntur, siue ab hominibus relinquantur, siue ab aqua. Tacitus libro 5. Flatibus Etesiarum implentur vada, hybernus Auster reuoluit fluctus, pulsoq; introrsus freto, breuia litorum nudantur.

Profectum aliquid Bibuli mandatis.] Antiq. noster, & Aldi. Perfecturum aliquid de Bibuli mandatis. Iampridem credidi reponendum esse Vibullij: quem superioris capitis initio dictum est, à Cæsare legatû de pace ad Pomp. missum. In eaq; sententia video quoque non nullos esse. Sed postea veritus sum, ne non satis commodè Legati mandata dicerentur. nam & supra, & infra vbique Cæsaris ipsius mandata hæc appellantur. Eò accedit, quòd nondum exposita hæc fuisse à Vibullio mandata videntur. Nam pag. seq. Vibullius, inquit, sedato tumultu de mandatis Cæsaris agere instituit. Perexigua fortasse mutatio integritatê huic loco restitueret: si *Perfecturum iri* aliquid Bibuli mandatis: legeremus. Vt mox: Missuros ad Pompeium, atq; illum reliqua perfecturum, hortantibus ipsis. Sic infrà cap. 12. vbi simili de negotio agitur: Scipionem, inquit, ea auctoritate esse, vt magna ex parte compellere, atque errantem regere posset. Sperabant ergo fore, vt si Bibulus, cuius tanta erat auctoritas, aliquem è suo numero ad Pompeiû mitteret, multum ipsius mandatis proficeretur. Nam Pompeius imperij partem Bibulo concesserat: neque quisquâ erat, qui maiore odio Cæsarem prosequeretur.

Buthrotum oppidum Corcyræ.] Sic Aldinus, Corrigendum *Oppositum*. Plin. lib. 4. cap. 12. Insulæ autem ex aduerso Thesprotiæ Corcyra à Buthroto XII. millibus passuum.

Reliqua perfecturum.] Noster Antiq. Reliqua per se acturum. quod placet, cùm modò dixerit, summam omnium rerum ad illum delatam.

Nihilominus tamen.] Vox Tamen abest à meo Antiquo, & rectè abest, sententiaque manet integerrima.

Periculum præstare.] Promittere legatos ad Pompeium sine periculo ituros, & ad Cæsarem redituros.

A nostris distraheretur.] An pro Subleuaretur, è naufragio eriperetur?

Q. Coponius.] Hunc Cicero Caium appellat lib. de Diu. 1. vbi quædam ad hunc locum pertinentia subiungit, quæ subscribemus. C. Componium ad te venisse Dyrrachio cum prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, eùm primis hominem prudentem atque doctum: eumq; dixisse, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorũ vaticinatum, madefactum iri minus XXX. diebus Græciã sanguine: rapinas Dyrrachij, & cõscensionem in naues cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari: tum neq; ipsum non esse commotum: M. que Varronem & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines vehementer esse perterritos: paucis sanè pòst diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum: qui cùm interitum exercitus nunciauisset, reliqua vaticinationis breui esse confecta. nam & ex horreis direptum effusumque frumentum, vias omnes, angiportusque constrauerat, & vos naues subitò perterriti conscendistis, & nocte ad oppidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis: postremò à Rhodia classe deserti, verùm vatem fuisse sensistis.

Pontones quod est genus.] Naues traijciendis fluminibus idoneæ, quos, opinor, Baccos hodie appellamus. Auson. in Monosyll. Lintribus in geminis constratus ponto fit, an pons. Isidorus Pontonium appellat. Gell. lib. 10. c. 25. Pontones.

CAP. VII.

M. *Crassum interfecerant.*] De quo est apud Flor. & in Epit. Liuij.

Columnaria, hostiaria.] Tributum in singulas columnas, in singula hostia. Cic. ad Att. 13. Columnatium vide vt nullum debeamus. Idem lib. Fam. 3. epist. 8. Ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque hostiorum inducerentur sumptus minimè necessarij.

Singulis cum imperio perficiebatur.] Sine dubio legendum, Singuli eum imperio præficiebantur: quanuis ita sit in omnibus, quos vidi, antiquis.

Suo etiam priuato imperio compendio seruiebant.] Sic Aldin. & multi impressi. Ac dubitari posset sensum hunc esse, vt suo compendio seruirent: idque priuato imperio. Sed assentior ijs, qui in nonnullis impressis vocem Imperio sustulerunt. nisi fortè veteris mei libri scripturam probemus: Imperio compendioque. Vt facetè ita locutus sit, pro, Non modò publico imperio, quod eis mandatum fuerat, sed etiam suo priuato seruiebant.

Honesta præscriptione.] Cicero dicere solet: Nomine. Alij, Prætextu, aut Colore.

Vniuersis imperatis.] Cùm pecuniæ non singulis, sed vno nomine vniuersitati imperantur. Hirc. de bell. Afr. Petierunt q; à Cæsare, vt vniuersis trecentis vno nomine pecuniam imperaret.

Donationem esse dicebant.] Prolatio diei species donationis est: quia vt plus petit, qui ante diem petit, ita minùs soluit, qui tardiùs soluit.

Ceterasq; eius Deæ statuas.] Vt finius corrigendum putat: Certaq; ei rei die constituta. sed mox dicet Præsentem exactam, neque diem constitutam. Legendum puto Certasque: vt aureæ & argenteæ intelligantur.

Vectigal pro mutuo.] Priùs pecunias exegerant: nunc vectigal ipsum, id est, decumas. Videndum tamen, an *Promutuum* vno verbo legendum sit: quod esse verbum Iuris in Comment. eorum verborum docuimus: eùm pecunia repræsentatur, id est, antequàm debeatur, persoluitur. Sic paulò suprà: Debitam biennij pecuniam exegerat: & ab eisdem insequentis anni mutuã præceperat. Ex quo Intelligitur Promutuum esse, cùm mutua pecunia præcipitur, quæ nondum debebatur. Quod Gallicè dicimus *Aduancer.*

Naupacto relicta.] Sic Aldini & Antiqui. Corrigendum, Reiectis. vt in quibusdam impressis.

CAP. VIII.

D*Vobus amissis.*] Sic omnes quos videre licuit, tum manuscripti, tum impressi. Corrigendum vt in nostro Antiquo: Nostri duobus amissis, &cæt.

Ab Acilio.] Rectè ab alijs notatum est vel *Caninio*, hìc, vel superiùs, *Acilio* legendum esse.

Ad libram turres.] Facete turres ad libram, opinor, est facere turres eadem altitudine, qua sunt aliæ, cum quibus conferuntur. Vnde Librare aquã veteres dicebant, cum altitudo loci vnde ducebatur, eum eo quò ducebatur, quasi libra imaginaria conferebatur. Turres enim in nauibus extruebant, quibus milites per machinationes quasdam in oppida maritima inferebant. Vnde illud Vergilij:

--- Credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

CAP. IX.

P*Arua parte noctis itinere intermisso.*] Nihil muto. sed scio Cæsaris consuetudinẽ esse, vt *Paruam partem* dicat. velut de bello Gall. 5. Qui magnã partem omnis temporis in his locis flare consueuit.

Secundo vsus consilio.] Cepit consilium, quod erat ordine secundum.

Nostri perpet. mun. videbant.] Noster Antiq Habebant. quod multò certius est, quàm ex Faërni coniectura iungebant. sed præterea vox Qui, vt in quibusdam impressis, necessariò interponẽda est: hoc modò, Nostri qui, &c.

Illi interiore spatio.] Sic Ald. Noster, In minore. quod minùs placet.

Ex subcoactis.] Laz. Bayfius Subcoactas interpretatur, quæ apud Vlpianum Coactilia: sermone Gal-

Gallico *Feltra* dicuntur. de quibus Plinij locum hunc profert ex li. 8. c. 48. Lanæ & per se coactæ vestem faciunt: &, si addatur acetum, etiam ferro resistunt: imò verò etiam ignibus nouissimo sui purgamento. quippe alienis polientium extracta, in tomenti vsum veniunt.

Occupandis præsidijs.] Occupare præsidia, est locum castello faciendo, & pręsidio imponendo idoneū capere, & in ea re celeriter hostibus anteuertere. Alibi dicitur, Occupari locus præsidijs. Hirc. bell. Afr. Locaq; idonea opportunaque complura præsidijs occupare.

Recipere se iussit.] Noster, Statuit. quod idem de suo Faërnus testatur.

Subitò conspicati.] Faërn. Constipati. quod valdè probo.

CAP. X.

S*Vperiore anno in Hispania.*] Libro 1. cap. 14. 15. & cæt.

Aduersus pilum.] Manut. *Cliuum.* quod verum arbitror.

Ad Alesiam.] Lib. 7. c. 12.

Ad Auaricum.] Lib. 7. c. 3.

Appellatur chara.] Sunt qui Carus reponant: & κάρον designari putent, de quo Dioscorides libro 3. c. 66. quasi verò Carij aut Cari & nomen & vsus Romanis ante hoc Valerij inuentum incognitus fuisset. Præterea Plin. lib. 19. c. 8. vbi hanc Dyrrachini cibi historiam narrat, aliquantò pòst Careum ab illo diuersum commemorat. Charam igitur Cæsar appellatam hanc radicem scribit, nimirùm ab incolis & Dyrrachinis. alioqui non dubium est, quin Carium & Tranquillus & Lucanus, κάρον autem Plutarchus & Appianus nominâssent. Famem (inquit Tranq.) & cæteras necessitates, non, cùm obsideretur modò, sed etiam si alios ipsi obsiderent, tantoperè tolerabant, vt Dyrrachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur: cum feris sibi rem esse dixerit: amouerique ocyus, nec cuiquam ostendi iusserit: ne patientia & pertinacia hostis animi suorum frangerentur. Lucanus autem libro 6.

Sed patitur sæuam veluti circundatus arcta
Obsidione famem: nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos: & carpere dumos:
Et morsu spoliare nemus, lethumq; minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morsu,
Quæq; per abrasas vtero demittere fauces.
Plurimaq; humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.

Equos tolerari.] Aegrè sustentari. vt inf. libro 3. cap. 12. Quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare.

Vniuersas in multitudinem sagittas.] Noster Antiq. Vniuersam. quod non dubitamus esse verissimum.

CAP. XI.

I*Gnes facerent interim.*] Video in recentibus impressis: Alio loco ignes facerent, alio excubarent: quod vt meo iudicio verissimum est: ita perabsurdum esset putare, nihil aliud hoc loco desiderari. Versus enim multos, fortasse etiam paginam integram deesse, facilè cum ex sequentibus, tum etiam ex Lucano & Suetonio intelligitur. Vna, inquit, sextæ legionis cohors, præposita castello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas sustinuit: penè omnis confixa multitudine hostilium sagittarum. Lucanus autem rem gestam narrat lib. 6. ab illo versu: *Vt primum libuit, &c.*

Sed in castello.] Vbi vna cohors quatuor Pompeij legiones sustinuit. Sueton.

Foramina CXXX.] Sic Plutarch. Apud Suetonium tamen CXX. leguntur. Vterque autem addit excussum eidem oculum, fœmoreq; & humero transfixum fuisse. quod idem Lucanus scribit. & Valer. Maximus 3. cap. 2.

Asinam obtinuerat.] Pro quo extat Ciceronis oratio.

Scæua centurionis.] Appian. de bell. Ciu. 2. Minutium pręfectum annumerat, cuius scutum CXX. telis confixum fuerat: ipse sex vulneribus affectus, oculum etiam amiserat.

Ad primipilum.] De hoc promotionis genere vide Veget. 2. c. 21.

Frumentône & specearijs.] Apparet esse mendum. & placeret Ant. Augustini emendatio: Frumento, veste, pecunia, alijsque militaribus donis: si vel auctoritate libri veteris niteretur: vel cùm Cæsar duplex iam stipendium dixisset, non frustra nunc pecuniam iteraret. P. Victorius restituebat, Veste, diarijs. Var. 1. cap. 23. Sed ad militaria dona Diaria non pertinent.

CAP. XII.

A*Micitia Cæsaris conciliare.*] Faërnus, Amicitiæ. Ego Cæsari in tertio casu legendum arbitror. vt contraria contrarijs referantur. Quasdam per vim expugnabat: alias amicitia conciliabat. Notanda etiam differentia inter Vrbem & Ciuitatem.

Fructus ex arboribus.] Modò paulò antè dixit: Folia. Itaq; cogitandum videtur rectiúsne Frondes legi & restitui posset. Hæc cùm multis abhinc annis scripsissem, exierunt Vrsini notæ, quibus idē Faërno placere testatur.

Monuitq; equites.] Placet Vrsini liber, vt vox Equites tollatur.

Vera diligentia.] Varia diligentia legitur in nouis libris: quod magis placet.

CAP. XIII.

P*Rima cohortis centurionibus.*] Veget. libro 2. cap. 8. significat in prima cohorte quatuor cēturias siue quadringentos milites fuisse. Principem autem primæ cohortis gubernâsse centuriam

riam & semis: hoc est, C L. homines, ad eumque propè omnia, quæ in legione ordinanda erant, pertinuisse.

CAP. XIIII.

OBiectus portis Ericius.] Quem Græci ἐχῖνον hūc Varro Ericium, appellat. Itaque militarem Ericium interpretor, truncum arboris ramosæ, cuius ex ramis aculei bipedales fiebant: vbi naturales deerant, inserebantur, vt echini animalis instar omnibus ex partibus aculeis horreret. Truncum autem illum aliquantò ante castrorum portas intermisso spatio pro repagulo & claustro collocabāt, qui ianuæ modo aperiebatur. In Gallia truncis quidem arborum passim in plerisq; pagis pro claustris & repagulis vtuntur: sed non hirsutis. In Germania Romanorum consuetudinem multis locis retinuerunt. Sallust. apud Non. Saxaq; ingentia & axe iunctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum Ericij militaris veruta binum pedum. Adr. Turneb. aduers. 4. c. 8. præclarè restituit: Axe vincti orbes. Sed quòd Ericium definit Machinam, infestis vndique telis horrentem, idcircò non probo, quia Ericius non Machina est, sed Repagulum: neque Telis horret, (nam tela missilia sunt) sed aculeis. Minùs etiam placet quod P. Victorius scribit, genus munitionis fuisse, cùm humi tela palisue defigebantur. Var. 24. cap. 1. Denique Ericius est repagulum ex arboris trunco aculeato factum, ne vel ascensu, vel successu introiri possit. Liuius videtur obicem appellâsse. Nam lib. 6. Nec Romanos, inquit, subeuntes mœnia, molientesque obices portarum arcere possunt. Verùm aliud est Ericius, aliud Cataracta, quæ in ipsa porta est. Idem lib. 27. Porta cataracta deiecta clausa erat eam partem vectibus leuant, partim funibus subducunt, in tantam altitudinem, vt subire recti possent. Et mox: Remisso fune, quo suspensa erat cataracta, magno sonitu cecidit.

Fortuna, quæ plurimum potest.] Sic superiùs lib. 6. c. 6. Sic Liu. lib 9. Fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas potens.

Eodem quò venerant, receptui consulebant.] Vetus noster: Eodem quo venerant, recessu sibi consulebant. Faernus, Eadem qua venerant, receptui consulebant. Quod si est ex libris Antiquis, magis probo.

Signa fugientium.] Plutarchus scribit: Signa tum à signiferis abiecta, & duodetriginta ab hostibus capta fuisse. Cæsarem autem à quodam suo milite, quem apprehenderat, propè interfectum fuisse: sed ipsius armigerum manū ei amputâsse. Suetonius ait, Aquiliferum moranti cuspide esse comminatum.

Alij dimissis equis.] Alter hic locus est, in quo iterum restituo *Admissis*.

Pompeius insidias timens.] Hoc prælium est, quo Cæsar Pompeium scire vincere negauit: vt Sueton. & Plutarch. tradunt.

Pompeius Imperator est appellatus.] Ex quo intelligitur, non solùm hoc nomen tribui solitum, sed quoties maior victoria adepta esset.

In literis.] Patet etiam ex Ciceronis Ora. in Pis. & alijs locis sexcentis, moris fuisse, vt qui Imperatores appellati essent, in literis, quas ad Senatum scribebant, & in lictorum suorum fascib. lauream adhiberent.

Laurea prætulit.] Dio lib. 41 causam hanc affert, quod indignum censeret, ob ciues victos ijs insignibus gloriari.

CAP. XV.

COncionem habuit.] Quanta fortitudine (inquit Sueton.) Cæsaris milites dimicauerint, testimonio est, quòd aduerso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se vltrò deposcerent: vt consolandos eos magis, quàm puniendos habuerit.

Ad Gergoviam accidisset.] Lib. Gall. 9. cap. 9.

CAP. XVI.

PAucis antè diebus.] Quod Faër. & Vrsin. de suis libris testantur, idem ego de meo testor, scriptum habere *Mensibus*.

Pleno atq; opulento.] Plutarch. in Cæs scribit, milites ipsius vino in ea ciuitate reperto recreatos corporis habitum meliorem in modum immutâsse. Appianus autem de Germanis hoc addit: [illegible]

Casu ciuitatis comprehensis.] Non dubito reponendum esse *Gomphensis*. Postremam quidem vocem superuacaneam esse, nemo (vt opinor) negauerit.

Delectari imperio.] Agamemnonem (inquit in Cæs. Plutarch.) & Regem Regum Pompeium appellabant, quòd tot principes viros à se pendere, atq; ad prætorium suum ventitare gauderet.

De sacerdotio Cæsaris.] De Pontificatu maximo: vt scribit Plutarch. in Cæs. & Dio lib. 41. & huc pertinet fabula de Venatoribus, qui vrsi nondum capti pellem vendiderant. de qua est apud Phil. Cominium Gallicum historicum. quanquam argumentum sumptum videtur ex fabulis Aniani, quæ cum Æsopicis coniunctæ sunt.

Cum ipsis interfuissent.] Sic Ald. & multi impressi. Noster Antiq. *Non interfuissent*, quo modò sine dubio corrigendum est.

Ternas tabulas dari.] De more tabularum cognosce ex Asconio. Ternas autem sic interpretor, vt in prima, A. nota esset absolutionis. In secunda C. nota condemnationis. In tertia M. nota mulctæ.

Satis perspectum habere.] Magnoperè Faërno & Vrsino assentior emendantibus ex suis libris: Perspectum militum animum habere. Nam mutilatum esse locum dubitari non potest.

Armis inter equites.] Obseruatu dignum, Cæsarem Germanorum institutum imitatum fuisse, vt pedites velocissimos & fortissimos equitibus admisce-

misceret, qui eorum cursum ferè adæquarent. de quo instituto dictum est Gall. 1. c. 17.

Commodiore frumentaria.] Noster; Commodiore passim frumentaria re vteretur.

CAP. XVII.

IN eo loco Pompeius.] Loquitur de sinistro cornu. At Plutarch. & in Cæs. & in Pomp. vita, dextrum Pompeio cornu disertè attribuit: enimq; Antonio, quem Cæsar sinistro in cornu locat, opponit. Rursus Cæsar ipse paulò pòst scribit, se contra Pompeium constitisse. At Plutarchus Cæsari perspicuè dextrum cornu attribuit. Rursus Appian. libro 2. in parte Pompeij Scipioni mediam aciem attribuit, L. Domitio sinistrum cornu, Lentulo dextrum: In Cæsaris verò Syllam, Antonium, & Cn. Domitium simpliciter numerat. Itaque obscura tota hæc ratio est. Nam quod idem subiungit, Afranium cum Pompeio in castrorum præsidio fuisse, ex Cæsaris testimonio falsum esse apparet: neq; verisimile est. Frontinus autem lib. Stratag. 2. de hac tota re, & acierum instructarum forma legendus.

Tradita à Cæsare.] De quibus dictum est lib. 8. c. vlt.

Millia L V.] Faërnus emendat X L V. quod absurdum est. nam alijs multis locis docuimus in cohorte quingentos milites fuisse. Vndecim igitur legiones Pompeius habebat. Hæc tamen cum Plutarchi & Appiani numero non consentiunt: qui scribunt, Cæsarem hominum X X I I. millia opposuisse Pompeianorum X L V. millibus. Sanè paulò pòst Cæsar ipse Pompeianorum numerat occisorum X V. millia, captorum verò X X I I I I. millia.

Euocatorum circiter duo millia.] Circiter duæ quæ dispersæ erant, scriptum est in meo, & Faërni, & Vrsini libro: rectissimè. De Euocatis, alibi dictum est.

Summa erat M. X X I I.] Vitiosa summa. nam cohortes octoginta, millia quadraginta efficiunt. Quadrat tamen cum Plutarchi, Dionis & Appiani ratione, qui X X I I. millia Cæsari tribuunt. Vt legendum videatur, Cohortes in acie X L I I I I. Appian. autem fatetur hunc numerum variè ab auctoribus traditum: alios enim in vtroque exercitu numerare L X X. millia, quosdam L X. alios verò C C C C.

Ipse contra Pompeium.] In dextro cornu, vt Plutarchus scribit: decimamq; legionem pro cohorte prætoria habebat.

Vexillo signum daturum.] Plutarch. in Pompeio scribit, Cæsarem ante prætorium purpureum sagum suspēdisse, idq; pugnæ signū Romanis fuisse. πρὸ τῆς σκηνῆς ἐκκρεμάσας προθεῖναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα. τοῦτο γὰρ μάχης Ῥωμαίοις ἐστὶ σύμβολον.

Primumpilum duxerat.] De primipilo alijs locis dictum est.

Quæ studio pugnæ incenditur.] Plutarch. & Appia. sic interpretantur: quasi dixisset, quæ cursu incenditur: quasi cum ignis motu inflammatur, quæ sententia preclara est. Καίτοι τὴν (inquit Plutarch.) ἀεὶ τῶν διαμελλόντων φυσὶν αὐτὸν, ἀγνοήσαντα τὴν μετ' ὁρμῆς καὶ φορᾶς ἐν ἀρχῇ γινομένην σύῤῥαξιν, ὡς ὄντι ταῖς πληγαῖς βίαν προστίθησι καὶ συνεκκαίει τὸν θυμὸν ἐκ πάντων ἀναρριπιζόμενον.

Externa acie.] Felicissimè Latinus Latinius hunc locum emendauit (quod Vrsinus in Scholijs testatur) vt *Extrema* potiùs quàm *Externa* legeretur. nam & in Cæs. Plutarch. ita scribit: ἐκ δ' ἐσχάτης τάξεως ἀδήλως ὑπαγαγὼν σπείρας πρὸς ἑαυτὸν ἓξ σπείρας. Sed neque Detrahere extrema acie satis placet. neque Ex extrema: neque illud Singulas ex acie, pro Sex. Nam cùm triplex esset acies, si singulas cuique detraxisset, tres tantùm confecisset. Puto igitur ita corrigendum, Extremæ aciei sex cohortes detraxit.

Hodie laudabis.] Ἐμὲ γὰρ ἢ ζῶντα τήμερον, ἢ τεθνεῶτα ἐπαινέσεις. ait Plutarch. in Cæs.

Sed augere Imperatores debent.] Hinc illud Cicer. Philip. 4. Faciam igitur, vt Imperatores instructa acie solent: quanquā paratissimos milites ad præliandum videant, vt eos tamen adhortentur, sic ego vos erectos & ardentes ad libertatem recuperandam adhortabor.

CAP. XVIII.

EX cohortium numero.] Sex, Faërnus & Vrsinus rectissimè restituerunt: de quo superiùs dictum est.

Omnesq; conuersi.] Plutarchus & Appian. conuersionis causam scribunt hanc fuisse, quòd Cæsariani Pompeianorum ora & vultus tantùm peterent. Iuuenes autem forma florentes, huiusmodi vulnerum metu territos, cessisse. Frontinus quoque lib. Stratag. 4. C. Cæsar, inquit, cùm in partibus Pompeianis magna equitū R. esset manus, eaq; armorum scientia milites conficeret, ora oculosq; eorum gladijs peti iussit, & sic aduersam faciem cedere coëgit. Sic Lucanus 7.

Aduersosq; iubet ferro contundere vultus.

In os aduersum.] Sic, vt acies gladij, supra occiput exiret: vt ait Plutarch.

Triclinia strata.] Noster *Trichilas stratas.* quo eodem modo impressum videre licet in libro Romæ edito à Petro de Maximis, anno M. C C C C L X X I I. Sunt qui affirment, in quibusdam legi Triclinia mensis instrata. quod nullis adhuc me in libris, aut nostra, aut Patrum memoria impressis reperire potuisse, confitmo, quantumuis multos inuestigārim. Quod autem ex manuscriptis (vt aiunt) exemplaribus restituunt Trichilas mensis instratas: sanè propter illorum doctrinæ præstantiam non contemnendum arbitror. sed scrupulos aliquot proponā. Trichilas autem interpretantur vitium aut cucurbitarum iugamentum & vmbraculum, quod lingua nostra *Treilles* appellamus. Videamus igitur primùm, cùm Cæsar luxuriem & delitias Pompeianis obiectet, satísne conueniat trichilas & istiusmodi vmbracula in eo genere numerare, quorum vsum ne lixis quidem aut calonibus quisquam inuideret. Liu. li. 35. Cùm ibi statiua essent, & pauci tabernacula haberent, multitudo alia ca-

sas

sas ex arundinibus textas, fronde, quæ vmbram modò præberet, texissent, &c. Deinde cùm Sternendi verbum absolutè non vsurpetur, non magis quàm Tegendi, dubitare me fateor, satisne Latinè dicantur Trichilæ sterni, proerigi vel institui. nam vocem Mensis, vt iam testatus sum, nusquam reperire potui. Iam verò cui probari poterit, tot in illis Pharsalicis campis vitium, aut cucurbitarum trichilas fuisse? Præterea quod Cæsar scripsit, Triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, id Plutarchus in Pomp. Græcè sic expressit: καὶ τραπέζας ἐκπωμάτων μεστάς, καὶ κρατῆρες οἴνου ἐφρόνησαν. Quin etiam Lucan. 7. de lectis disertè commemorat:

– Capit improba plebes
Cespite patritio somnos vacuumque cubile,
Regibus infandus miles premit. Eodem accedit, quod Sternere triclinium & argentum exponere, quæ Cæsar hoc loco coniunxit, vsitatè ab alijs auctoribus coniunguntur, item vt Conuiuium apparare: vt Rhetor. ad Herenn. 4. Perspicit argentum quod erat expositum, visit triclinium stratum. Item in Verr. 6. Cùm essent triclinia strata, argentumque expositum in ædibus. Item Verrina 5. Cùm Apronius è palæstra redisset, & in triclinio, quod in foro strauerat, decubuisset, statuitur Lollius in illo gladiatorum conuiuio. Et mox: Publicè sibi conuiuia parari, sterni triclinia etiam in foro iubebat. Idem in Mutæn. Rogatus est à Maximo, vt triclinium sterneret. Et mox: Strauit pelliculis hœdinis lectulos Puniceos, exposuit vasa Samia. Postremò video genus hoc ipsum deliciarum, Triclinij scilicet in castris parati, similiter à Liuio vitio verti Romanis quibusdam. Nam lib. 40. Prætorio, inquit, deiecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium, forum, quintanamque hostes peruenerunt. Ibi cùm omnium rerum paratam expositamq; copiam, & stratos lectos in quæstorio inuenissent, Regulus accubans epulari cœpit. Cœlius autem Rhodig. lib. 18. cap. 11. Trichilas, inquit, apud Cæsarem stragulæ vestis prætenuis genus, sunt qui putent. nimirum, (vt arbitror) quam vulgò *Trellis* alemanicum appellamus. quod quàm ineptum sit, quiuis, vt opinor, intelligit. Ad extremum autem prætereundum non videtur, quod multi de Cæsaris moderatione testantur. in quibus Seneca lib. de iraa. Cùm sarcinam, inquit, deprehendisset Epistolarũ ad Pompeium missarum, ab his qui videbantur aut in aduersis, aut in neutris fuisse partibus, combussit. quamuis enim moderatè soleret irasci, maluit tamen non posse. Gratissimum putauit genus veniæ, nescire quid quisq. peccasset.

Circiter mille x v.] Plutarchus tamen & Appian. Asinium Pollionem auctorem laudant, qui in eo prælio à Cæsaris partibus steterit, scripseritq; non ampliùs sex hominum millia cecidisse.

CAP. XIX.

Cassium cum classe.] Memorabile est, quod Plutarch. in Pomp. scribit: cùm Pompeius tantùm naualibus copijs valeret, nõ aliud ipsius grauius peccatum fuisse, aut callidius Cæsaris consilium, quàm quòd tam procul à classis auxilio prælium abstraxerit.

Pari atque antè ratione egerunt.] Noster, Pari vt antè ratione egit. quod probo.

Pecuniæ societatis.] Societatem publicanorum intelligit. Nam qui in prouincijs publica exercebant, Romæ societatem contraxerant.

Bello confecto.] Quo Ptolemæum Ægypti Regem huius pueri patrem reduxerat.

Rex erat Ptolemæus.] Ptolemæi Auletis filius, quem regno à suis pulsum Pompeius per Gabiniũ restituerat. Dio lib. 42.

Duobus temporibus.] Hoc ipso lib. cap. 7.

Vniuersi simul Larissam.] Sic nostri omnes. P. Victorius Varr. 9. cap. vlt. scribit, se in optimo libro legisse: Vniuersi iuris eius Larissam. quod video quibusdam eruditis placuisse: cùm tamen sensus in eiusmodi verbis nullus sit. Cùm autem dixerit, Vniuersi, placet repudiari vocem Simul, quasi planè superuacaneam. sed pro Iuris eius, videndum an Cursim, vel aliud quiddam commodè restitui possit. Verùm bene habet. Nam Manutius ab homine doctissimo restitutum testatur Viris æquis. quo nihil acutiùs, nihil commodiùs excogitari potuit, Et locutio vetus doctis iampridem cognita est.

Comitum equitum triginta.] Ex quo licet varietatem rerum humanarum perspicere, cùm is, qui XXXIIII. annorum spacio gentes omnes terra & mari superare solitus esset, tum demum in senectute quid esset vinci, & fugere condisceret: vt ait Plutarch. in Pompeio.

Amici Regis.] Epitom. 112. Cn. Pompeius cùm Ægyptum petijsset, iussu Ptolemæi Regis pupilli, auctore Theodoro præceptore, cuius apud Regem maxima erat auctoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in nauicula.

Ab Achilla & Septimio interficitur.] Plutarchus scribit, Septimium primùm ensem in eum auersum adegisse: secundum Saluium, qui centurio ipsius fuerat: tertium Achillam vulnerasse. Pompeium nihil se indignum locutum, vtraque manu vultum sua toga texisse, atque ita concidisse, annos natum vndesexaginta. tùm deinde præcisum caput ad Regem allatum, cadauer autem in littore abiectum, ac diu relictum, donec Philippus quidam Pompeij libertus fragmentis nauiculæ piscatoriæ pro rogo congestis, ipsum combussit. Qua de re Cicero lib. de Diuin. 11. ita scribit: An Cn. Pompeium censes tribus suis Consulatibus, tribus triumphis maximarum rerum gloria lætaturum fuisse, si sciisset se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu: post mortem verò ea consecutura, quæ sine lachrymis non possumus dicere? Item lib. Thusc. 3. Constabat eos qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidissent, cùm in illo ipso acerbissimo miserrimoq; spectaculo sibi timerent, quòd se classe hostium circunfusos viderent, nihil tum egisse, nisi vt remiges hor-

ges hortarentur, & vt salutem adipiscerenti e fuga: posteaquàm Tyrum venissent, tùm afflictari, lamentariq; cœpisse.

CAP. XX.

S*imulacrum victoriæ.*] Hæc eadem Valerius lib. 1. cap. 6.

Antiochiæ in Syria.] Idem Obsequens in lib. de prodig.

Ex pauimento.] ἀπὸ τῆς βάσεως τοῦ ἀνδριάντος, ait Plutarch. in Cæsar.

Ac remotis templis.] Lambinus reponebat, Templi, casu secundo. Faërnus ex suo lib. Reconditis templis: quod magis placet: cùm verisimile sit plura templa fuisse: & Valerius illo loco ita hæc edat: Sonum Tympanorum Pergami abditis delubris editum.

Tympana sonuerunt.] In templo Bacchi, vt scribit Dio.

Ad valuas se templi.] Dio lib. 41. ad Cæsaris simulachrum. Sed hæc omnia Dionis ex hoc loco corrigenda sunt. Mirum autem, nullam à Cæsare mentionem eius Cornelij auspicis fieri, de quo mira Liuius scripserat, quæ Plutarchus in Cæsare, & Dio cod. lib commemorant. Plin. etiam lib. 5. cap. 9. scribit: Nilum quinq; tantùm cubitorum fuisse, veluti, inquit, necem Magni prodigio quodam flumine auersante.

In tecto.] Mirè ergo & Valerius, & Obsequens scribunt, sub Cæsaris statua palmā enatam. Nam Cæsar in templo suam statuam fuisse narrat: in tecto palmam enatam.

Quòd fasces anteferrētur.] Hoc quid sit, verba Trebellij Pollionis in Aemiliani Tyranni vita, quæ subscribam, declarant. Qui cùm Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, à sacerdotibus est prohibitus: qui dixerunt, fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem, cùm contra Gabinium loquitur, meminisse satis nouimus. deniq; non extat memoria rei frequentatæ. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem, dum Cōsulatum cupit, hoc quod desiderat non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Aegyptijs literis scriptum, tunc demum Aegyptum liberam fore, cùm in eam venissent Romani fasces & prætexta Romanorum: quod apud Proculum Grammaticum doctissimum sui temporis virum, cum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.

Nutritius eius.] κορυφαιότατος γὰρ ἐδόκει κατὰ τῶν ἄλλων καὶ πλεῖστα τοῖς ἄλλοις ἦν σύμβουλος, inquit Plutar. de Photino & Achilla.

CAP. XXI.

P*Harus est in insula.*] De Pharo & eius turribus Plin. lib. 36. cap. 12. & alijs locis. item Ioseph. bell. Iudaic. 5. Ammian. lib. 22. Strab. lib. 17. In eam noster Dictator Coloniam duxit. Solinus: Est & Pharos, inquit, colonia à Cæsare Dictatore deducta, ex qua facibus accensis nocturna dirigitur nauigatio. Nam Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, cæco mari.

EIVSDEM HOTOMANI DE ALIQVOT rei bellicæ instrumentis obseruatio.

QVoniam in his Cæsaris Commentarijs passim quorundam instrumentorum militarium mentio fit, de quorum interpretatione mihi neq; cum Valturino viro doctissimo, neq; cum alijs recentioribus, ac ne cum veteribus quidem Grammaticis satis conuenit, optimum factu existimaui, nostrā de ijs obseruationē subijcere. Primùm autem dicemus:

De Aggere.

AGgeris nomen tripliciter ab Antiquis vsurpari video: primùm pro mole admœnia oppidorum, deinde pro munitione castrorum, postremò pro materia, qua moles munitióve extruitur. Molem intelligimus tumulū ex lignis & glebis ac cespitibus extructum, vt in vrbium aut castrorum muros vel militibus, vel turribus mobilibus ascensus præbeatur. Cæs. lib. Ciuil. 2 cap. 1. Magnam iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina materiámque comportari iubet. quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedū octoginta extruit. Lucanus 3.

-- tunc omnia latè
Procumbunt nemora & spoliantur robore syluæ:
Vt cùm terra leuis mediam virgultaq; molem
Suspendant structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.

Ex quibus intelligitur, trabes à lateribus adhiberi solitas, quæ latera firmarent, ne terra diffluerat: interiorem autem partem viminibus, virgultis & terra repleri atque infarciri solitam. Liuius lib. 10. Fortè quodam loco malè densatus agger, pondere suprastantium in fossam procubuit. Tanta autem aggeris interdum altitudo erat, vt propè mœnia adæquaret. vt bell. Gall. 2. capite vltimo. At morum magna multitudine de muro in fossam, quæ erat ante oppidum iacta, sic vt propè summā muri aggerisque altitudinem aceruí armorum ad æquarent, &c. Liuius lib. 5. Nam cùm agger promotus ad vrbem, vineæq; tantùm non iam iunctæ mœnibus essent, &c. Salust in Iugurth. Vineas agere, superq; aggerem iacere, impositis, & super aggerem turribus, opus & administros tutari. Cæsar lib. 7. cap. 5. Aggerem latum pedes CCCXXX. altum pedes LXXX. extruxerunt. Cùm is murum hostium penè contingeret, &c. Itaq; plerunque obsessi cuniculos sub mœnibus agebant, ijsque vel

aggeris

aggetis terram ſubtrahebant, vt adacta turris corrueret, vel viminibus ignem ſubijciebant, vt lib. Gall. 3. capit. 5. Cuniculis ad aggerem vincisque actis, cuius rei longè ſunt peritiſſimi Aquitani, proptereà quòd multis locis apud eos ærariæ ſectura ſunt. Item libro 7. cap. 4. Et aggerem cuniculis ſubtrahebant, eò ſcientius, quòd apud eos magnæ ſunt ferrariæ. Item capite quinto, eodem libro. Eſt animaduerſum fumare aggerem, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant. Et mox: Alij faces atq; aridam materiam de muro in aggerem eminùs iaciebant. Atque hæc quidem de mole, ad quam extruendam non modò fabri, verùm etiam milites his ferramentis inſtructi erant: bidentibus, ligonibus, raſtris, alueis, cophinis, qualis: vt Vegetius ſcribit lib. 2. cap. 24. & lib. 3. capite vltimo. Iam verò Aggerem pro muro & munitione caſtrorum vſurpari, ex his intelligitur locis. Cæſar Ciuil. 3. cap. 13. Erat eo loco foſſa pedum x v. & vallus in altitudinem pedum x. tantundemq; eius valli agger in latitudinem patebat. Item libro 7. cap. 13. Poſt eas foſſas aggerem & vallum x i i. pedum extruxit. Quibus ex locis intelligitur, cùm caſtra foſſa & vallo munirentur, inferiorem valli partem, & quaſi baſim Aggerem appellatam fuiſſe. Poſtremò Aggerem pro ipſa materia poni ſolere, multis Cæſaris locis intelligitur. Triplex autem erat materia: trabium, quæ, vt dixi, latera firmabant, frondium, & ceſpitum. veluti Ciuil. 2. cap. 3. Quòd vnde agger omnino comportari poſſet, nihil erat reliquum: omnibus arboribus longè latéque in finibus Maſſilienſium excisis, &c. & mox: Atque ille congeſtus ex materia fuerat agger. Item Gall. 2. cap. 6. Lapidibus telisq; ſubminiſtrandis & ad aggerem ceſpitibus comportandis. vbi Ceſpites ſine dubio pro glebis poſuit. Ioſephus lib. bell. Iudaic. 7. cap. 1. ſcribit in obſidenda Hieroſolyma arbores omnes quoquoverſus ad ſtadia x c. defrondatas fuiſſe. Cæſar libro 7. cap. 5. Hi reuinciuntur introrſus, & multo aggere veſtiuntur. & cap. 11. Cratibus atque aggere paludem explere, atq; iter munire conabantur. & cap. 14. Agger ab vniuerſis in munitionem coniectus, & aſcenſum dat Gallis. & ea quæ in terra occultauerant Romani, contegit. & cap. 13. Aggere & cratibus foſſas explent.

De turribus mobilibus.

TVrris mobilis, ſiue (vt Vegetius appellat) ambulatoria, erat machina, inſtar ædificij ex trabibus & tabulis interdum decem contignationibus extructa. Intus erat aries, quem ſuſpenſum milites in hoſtium murum impellebant. ex ſuperiore parte pons demittebatur in eũdem murum, & ſcalæ confeſtim inijciebantur. Tota autem machinatio ſubiectis rotis à militibus circiter quinquaginta introrſus promouebatur, cùm muſculus aut vineæ præcederent, ſub quibus foſſores raſtris & ligonibus viam muniebant: aggeremque, de quo diximus, ſolidabant: vt mœnibus Turris propinquari poſſet. In eandem ſententiam ſcribit Veget. libro 4. capite 27. Eius ædificandæ rationem tradit Vitruuius lib. 10. cap. 19. & de illius forma locus eſt inſignis apud Cæſarem lib. Gall. 2. cap. 8. Liuius lib. 21. Ipſe Annibal, qua turris mobilis omnia munimenta vrbis ſuperans altitudine agebatur, hortator aderat. Eius autem altitudo tanta fuit, vt plerunque denum tabulatorum eſſet. velut lib. Gall. 8. cap. 6. Extruitur agger in altitudinem pedum nouem. collocatur in eo turris decem tabulatorum. Et bell. Alexan. Has altiſſimis turribus denum tabulatorũ munierant. præterea alias ambulatorias totidem tabulatorum conſtruxerant, ſubiectisque eas rotis, funibus iumentisq; obiectis, directis plateis, in quancunque erat viſum partem, mouebant. Ioſephus quidem belli Iudaic. lib. 6. cap. 8. tres Romanorum turres in Hieroſolymitana obſidione teſtatur quinquagenum cubitorum fuiſſe. De pontibus verò, quos iniungi ſolere diximus, inſignis extat locus apud Hircium Gall. 8. cap. 2. Turres inquit, crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus traiectis conſtratisq; coniungi: quorum frontes viminea loricula munirentur. Lucanus 3.

-- Stellatis axibus agger
Erigitur, geminasq; æquantes mœnia turres
Accipit. hæc nullo fixerunt robore terram.
Sed pariter longum cauſa repſere latenti.
Illinc tela cadunt excelſas vrbis in arces.

Multa etiam in eandem ſententiam ſcribit Procopius lib. Gott. 1. vbi turrim deſcribit à Virtige Gottorum Duce factam in oppugnatione vrbis Romæ. nam cùm Romani quinquaginta milites introrſus adhiberent, qui turrim rotis in quatuor angulis ſubiectis propellerent, Vittiges bobus extrorſus erat vſus: quibus ab oppidanis interfectis, Gottorum inſania & ſtoliditas ridendi materiam præbuit. Aliam quoque lib. 2. deſcribit ab eodem Vittige in Arimini oppugnatione factam, cuius altitudo vrbis mœnia ſuperabat, & quatuor rotis ſuſtinebatur: ſed caſu illo edoctus, non boues ad trahendum adhibuerat: verùm intra vineas homines collocârat, qui machinam traherent. Vtrobique autem ſcribit, ſcalas ſummæ altitudinis in turribus adhibitas, quibus ad murum admotis, conſcenderetur. Liuius lib. 32. Nam cùm turris per aggerem parum denſati ſoli ageretur, rota vna in altiorem orbitam depreſſa, ita turrim inclinauit, vt ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationemq; inſanam ſuperſtantibus armatis præbuerit. Ioſephus autem eodem lib. ſcribit, vnam ex illis turribus eodem aggeris vitio concidiſſe.

De teſtudine.

TEſtudo (inquit Veget. libro 4. cap. 14.) à ſimilitudine veræ teſtudinis vocabulum ſumpſit: quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machinamentum interdum reducit trabem, interdum exerit, vt fortiùs cædat. Liuius lib. 34. Iam teſtudinibus admotis, murus ſubruebatur, iam arietibus quatiebatur. Exiſtimabam autem Teſtudinem ex eo dictam, partim quòd teſtudinis figura facta eſſet, partim quòd, non rotu-

lis, vt vinea & turris, sed subiectis scutulis, & vectibus impelleretur: quasi testudineo gradu incederet. Sed Amm. Marcellinus libro 23. ei rotas attribuit: vbi eius formam his describit verbis: Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detrectet & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides, præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vt quicquid petierit aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admouet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. Hæc Marcellinus. Plura autem Vitruuius libro decimo, cap. 19. & 20. Ex quibus, multisq; Cæsaris locis intelligitur, Testudinem ex trabibus ac pluteis fieri solitam: coriisque ac ciliciis contegi: sub eaq; latuisse qui viam turribus aut vineis muniebant, & saxa de via remouerent, ac solum æquarent. Cæsar Ciuil. 2. cap. 1. Antecedebat testudo pedum sexaginta, æquandi loci causa facta, ex fortissimis lignis, conuoluta omnibus rebus, quibus ignis iactus & lapides defendi possent.

De musculo.

MVsculos Veget. lib. 4. cap. 16. interpretatur machinas, quib. tecti milites apportatis lapidibus, lignis & terra fossas complebant, vt turri ambulatoriæ viam munirent. At Cæsar Musculorum tecto vsum tribuit, non viæ aggere supportato muniendæ, sed muri subruendi, lapidesque vectibus subducendi: quos *Mantelletos* vulgò appellamus: quamuis interdum Musculi subiectis rotulis impellerentur: cùm mantelletti plutei sint, quasi scuta grandiora, quæ capiti superimposita, ictus oppidanorum defendunt. Cæs. Gall. 7. cap. 14. Vercingetorix ex oppido egreditur, longurios, musculos, falces, reliquaq; quæ eruptionis causa parauerat, profert. quo loco musculos pro pluteis tantùm posuit. Itemque Ciuil. 3. capite decimoquarto: Cæsar castris munitis scalas musculósque ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iussit. Sed eorum, qui rotulis agebantur, formam insignem Cæsar describit lib. Ciuil. 2. cap. 5. vbi musculum pedes sexaginta longum à Trebonio factum exponit: cuius inter columnas spaciaque vacua milites vectibus muros subruebant. Interim, inquit, sub muro milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt.

De vineis.

VIneas Veget. libro quarto, capite 15. interpretatur machinationem tabulatis cratibúsque constratam, quæ subiectis rotulis impellitur, cuius tecto muniti obsidentes, murorum fundamenta subruunt. Opinor autem inde dictas, quòd vt plerisque locis vineæ sepibus vimineis, ita illæ tectis vimineis muniri solebant. velut apud Cæsa. lib. Ciuil. 2. cap. 1. Tantaq; multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent, &c. Vsum autem vinearum Lucan. lib. 3. his describit verbis:

Tunc adoperta leui procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia, nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem soluere muri
Tentat, impositis vnum subducere saxis.

Alium prætereà vsum vinearum esse video, vt eùm plures ordine impellerentur, milites post eas occulti sequerentur, adeò magno numero, vt legionem Cæsar numeret. velut libro septimo, cap. 5. Legiones extra vineas in occulto expeditas cohortatus, &c. Salustius in Iugurth. Tum verò cohortatus milites, &c. & ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, & simul hostem tormentis sagittariisq; & funditoribus eminùs terrere. At Numidæ sæpe anteà vineis Romanorum subuersis, item incensis. Et non multò antè: Vineæ cum ingenti periculo frustrà agebantur. nam cùm hæ paululum processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur. milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci, neque inter vineas, sine periculo administrare. Hinc Sub vitem præliari dicebantur milites, cùm sub vinea militari pugnabant, inquit Festus. vnde illud Lucilij: Neq; prodire in altum: præliari procul sub vite. Quæ cùm ita sint, quis non miretur Adr. Turnebum, tandiu in Cæsaris & veterum scriptorum libris versatum, vineas tamen credidisse gestabiles fuisse, & quinq; perticis corio & ciliciis tectis constitisse? Nam lib. Aduers. 11. cap. 24. Apollodorus, inquit, in Polior-ceticis Vineas appellat minores & leues testudines. quasi verò Romanas Vineas aut Testudines Apollodorus describat: ac non alias potiùs, quibus Romanum nomen attribui solebat: aut quasi non Apollodori descriptio apertissimè ab illa Marcellini ac Vitruuij discrepet. Sed Apollodori locum, quem Græcè Turnebus proposuit, Latinè sic exscribemus: Milites leuibus testudinibus tegendi sunt, quæ Vineæ appellantur, aduersus sagittarum & lapidum ictus. Sunt autem huiusmodi: Milites perticas longas & directas habeant circiter quinque: fibula inter se coniunctas: vt quinque interuallum seruetur. Hæ ab imo præacutæ sunt, vt & ipsæ figi in terram possint, & qui eas ferunt, quiescere. Iam pelles, siue cilicia extrorsus atque à fronte, appenduntur. Supra autem perticis erectis imponuntur institæ, non contentæ, sed laxæ, vt missilium impetus frangatur. Fiunt autem hæ perticæ non pari altitudine, sed omnes inter se dispares, vt figuram efficiant testudinis.

De pluteis.

PLutei, inquit Turnebus, vir doctissimus, erant similes illis appendicibus, quas ædificiis applicamus:

plicamus: & tectum in vnam partem deuexum habebant: vt & plutei, in quibus scribimus. Hæc ille lib. Aduerſ. 11. capite 24. Quis hæc tanto excidisse viro non miretur? cùm ex Latinis omnibus historicis, ac præſertim ex Vegetio conſtet, pluteum mobilem & ambulatoriam machinam fuiſſe, ex tabulis, vimine, & corio conſtratam, trinisque rotulis adigi ſolitam ad muros, vt qui in ijs conſiſtebant, ſagittis & miſſilibus deturbari poſſent: vt ait idem Veget. libro quarto, capite 15. Hinc illud Cæſaris Ciuil. libro ſecundo, capite ſecundo. Hanc inſuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum paſſum eſt, laterculo aſtruxerunt. Et mox: Pluteos ad alia opera abduxerunt. Loquitur de ijs, qui ante Maſſiliam turrim latericiam extruebant: & ne telis Oppidanorum vulnerarentur, pluteos ac vineas ante vrbis mœnia promouerant, quæ tela miſſa exciperent, dum opifices ijs machinis tecti turrim ædificabant. Neque verò illud prætermittendum videtur, Pluteos crebrò vſurpari ſolitos pro tabulis, ſiue aſſeribus: velut apud Cæſ. bell. Ciuil. 1. A fronte, atque ab vtroq; latere, cratibus ac pluteis protegebat. & libro tertio, Scaphas magnarum nauium circiter LX. cratibus, pluteiſque contexit. Sic Gall. 7. capite octauo: Pluteoſque vallo addere, id eſt, aſſeres pro lorica, quam vulgò *Parapettum* (quod pectus regat) appellamus. Item cap. 5. Eò magis quòd deuſtos pluteos turrium videbant, & cæt. Item cap. decimotertio: Grandibus ceruis eminentibus ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, id eſt, aſſerum.

De Vallo.

Vallus, ſiue Vallum dicebatur ſtipes ramoſus, in aggeris ſumma parte defigi ſolitus, ad aggerem confirmandum, & loricas extruendas. Hunc Vallum legionarij milites vnà cum armis in itinere ferebant, vnde illud Horatij: Romanus, eheu poſteri negabitis, Emancipatus fœminæ, Fert vallum, & arma miles. Epito. Liu. 58. Et triginta dierum frumentum, ad ſeptenos vallos ferre cogebat. ægrè propter onus incedenti dicebat, Cùm gladio rectè vallare ſcieris, vallum ferre deſinito. de Scipione Africano loquitur. Cic. Tuſc. 2. Noſtri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides, deinde qui labor, quantus agminis. ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis eſſe dicunt. Liuius lib. 3. Imperant vt militem cum armis valloque redire in ordines ſuos iubeant. Et mox: Clamore ſublato ante ſe quenque ducere foſſam, & facere vallum. Quinetiam vallum dici video pro ſudibus & ſtipitibus præacutis conſertiſque. Nam cùm Cæſar libro Ciuil. 1. cap. 7. ita ſcripſiſſet: Foſſas tranſuerſas vijs perducit, atque ibi ſudes, ſtipiteſque præacutos defigit: mox ita ſubiungit: Muniti à Brundiſinis, vt vallum cæcum, foſſaſque caueant, ſubſiſtunt. Idem libro 7. capite 13. Quò qui intrauerant, ſeipſi acutiſſimis vallis induebant. Vallum autem & Vallus (nam vtrunque Cæſar vſurpat) ſuperior pars aggeris ex illis vallis & viminibus intericctis conſtans. Cæſar lib. Ciu. 1. c. 8. Vallo muniri vetuit, quod eminere & procul videri neceſſe erat, Item Ciu. 3. c. 13. Erat eo loco foſſa pedum XV. & vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem. tantundemque eius valli agger in latitudinem patebat. Hirt. bell. Hiſpa. cap. 4. Noſtri cogebātur neceſſariò eos circumuallare ex hoſtium armis. Pro ceſpite cadauera collocabantur: ſcuta & pila pro vallo inſuper occiſis, & gladij, & mucrones, & capita, & cæt. Plinius libro 35. capite 14. Hinc & Ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata, contra fluminum impetus, aggeribus. Sed quoniam Valli, ſiue ſudis militaris, inſignis extat deſcriptio apud Polybium libro decimoſeptimo, meliùs fore arbitror locum exſcribere, & Latinam interpretationem ſubſcribere.

ὁ δὲ τίτος ἀδυνάμενος ἐπιγνῶναι τοὺς πολεμίους ὅπου στρατοπεδεύουσι, τοῦτο δὲ σαφῶς εἰδὼς, ὅτι πάρεισιν εἰς θετταλίαν, προσέταξε κόπτειν χάρακα πᾶσιν ἕνεκα τοῦ παρακομίζειν μεθ' ἑαυτῶν πρὸς τὰς ἐκ τοῦ καιροῦ χρείας. τοῦτο δὲ κατὰ μὲν τὴν ἑλληνικὴν ἀγωγὴν, ἀδύνατον εἶναι δοκεῖ, κατὰ δὲ τὴν τῶν ῥωμαίων, εὔκοπον. οἱ μὲν γὰρ ἕλληνες μόλις αὐτῶν κρατοῦσι τῶν σαρισῶν ἐν ταῖς πορείαις, καὶ μόλις ὑπομένουσι τὸν ἀπὸ τούτων κόπον. ῥωμαῖοι δὲ τοὺς μὲν θυρεοὺς τοῖς ὀχεῦσι τοῖς σκυτίνοις ἐκ τῶν ὤμων ἐξηρτηκότες, ταῖς δὲ χερσὶν αὐτοὺς τοὺς γαίσους φέροντες ἐπιδέχονται τὴν παρακομιδὴν τοῦ χάρακος. ἅμα δὲ καὶ μεγάλην εἶναι συμβαίνει τὴν διαφορὰν τούτων. οἱ μὲν γὰρ ἕλληνες τοῦτον ἡγοῦνται χάρακα βέλτιστον, ὃς ἂν ἔχῃ πλείστας ἐκφύσεις καὶ μεγίστας πέριξ τοῦ πρέμνου. παρὰ δὲ ῥωμαίοις δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἔχουσιν οἱ χάρακες, οἱ δὲ πλεῖστοι τέτταρας. καὶ ταύτας* ἔχοντας λαμβάνουσι* ἐκ ἐναλλάξ. * ἐκ δὲ τούτου συμβαίνει τὴν μὲν κομιδὴν εὐχερῆ γίγνεσθαι τελέως. ὁ γὰρ εἷς ἀνὴρ φέρει τρεῖς καὶ τέτταρας συνθεὶς ἐπ' ἀλλήλους. τὴν δὲ χρείαν ἀσφαλῆ διαφερόντως. ὁ μὲν γὰρ τῶν ἑλλήνων ὅταν τεθῇ πρὸ τῆς παρεμβολῆς, πρῶτον μέν ἐστιν εὐδιάσπαστος. ὅταν γὰρ τὸ μὲν κρατοῦν καὶ πιεζόμενον ὑπὸ τῆς γῆς, ἓν ὑπάρχῃ μόνον. αἱ δ' ἀποφύσεις τούτου πολλαὶ καὶ μεγάλαι, κἄπειτα δύο παραστάντες ἢ τρεῖς ἐκ τῶν ἀποφύσεων ἐπισπάσωνται τὸν αὐτὸν χάρακα, ῥᾳδίως ἐκσπᾶται. τούτου δὲ συμβαίνοντος, εὐθέως πύλη γίγνεται διὰ τὸ μέγεθος, καὶ τὰ παρακείμενα λελύμανται. τὰς βραχείας τὰς εἰς ἀλλήλους ἐμπλοκὰς καὶ τὰς ἐπαλλάξεις γίγνεσθαι τοῦ τοιούτου χάρακος. παρὰ δὲ ῥωμαίοις συμβαίνει τοὐναντίον. τιθέασι γὰρ εὐθέως ἐμπλέκοντες εἰς ἀλλήλους οὕτως, ὥστε μήτε τὰς κεραίας διαγνῶναι ῥᾳδίως ἐκ ποίας εἰσὶν ἐκφύσεως τῶν ἐν τῇ γῇ κατωρυγμένων, μήτε τὰς ἐκφύσεις ποίων κεραιῶν. λοιπὸν οὔτ' ἐπιλαβέσθαι παρείραντα τὴν χεῖρα δυνατόν, ἅτε συνεχῶν ὄντων καὶ προσπιπτόντων αὑτοῖς. ἔτι δὲ φιλοπόνως ἀπωξυμμένων τῶν κεραιῶν, οὔτ' ἐπιλαβόμενον ἐκσπάσαι ῥᾴδιον, τὸ πρῶτον μὲν πάσας τὰς προσβολὰς χαλεπὸν ἀντερείδοντα τὴν ἐκ τῆς γῆς δύναμιν ἔχειν. δεύτερον δὲ τὸ μὴ μίαν ἐπισπώμενον κεραίαν, πολλοὺς ἀναγκάζεσθαι συνακολουθεῖν ἅμα βαστάζειν διὰ τὴν εἰς ἀλλήλους ἐμπλοκήν. δύο δὲ καὶ τρεῖς ἐπιλαβόμενοι ταὐτοῦ χάρακος, οὐ ῥᾳδίως εἷλκον. ἐὰν δ' ἐπιτύχῃ καὶ κατακρατήσαντες ἐκσπάσωσι ἕνα ἢ καὶ δεύτερον, ἀνεπίγνωστον γίγνεται τὸ διάστημα. διὸ καὶ μεγάλης διαφορᾶς οὔσης καὶ τὴν εὕρεσιν ἑτοίμην εἶναι τοῦ τοιούτου χάρακος, καὶ τὴν κομιδὴν εὐχερῆ, καὶ τὴν χρείαν ἀσφαλῆ, καὶ μόνιμον. φανερὸν ὡς εἴ τι τῶν ἄλλων πολεμικῶν ἔργων ἄξιον ζήλου καὶ μιμήσεως ὑπάρχει παρὰ ῥωμαίοις, καὶ τοῦτο κατά γε τὴν ἐμὴν γνώμην.

Locum autem ita Latinè reddi poſſe arbitramur: Cùm Titus, vbi caſtra hoſtes facerent, ſcire non poſſet, illud verò certum ſciret, eos ad Theſſaliam aduentare, imperat, vt omnes vallum exſcindant, ſecumque ad vſum & opportunitatem efferant. Hoc Græcorum inſtituto planè difficilè videtur. Romanorum moribus perfacile eſt. nam Græci, cùm iter faciunt, non lubenter grauant

sua corpora, neque labores huiusmodi, nisi admodum ægrè suscipiunt. At Romani etsi scuta loris coriaceis appendunt ex humeris, manibusque galeas ferunt, insuper tamen valli ferendi laborem sustinent. Quin hoc quoque inter illos magnoperè interest, quòd Græci optimum illud vallum iudicant, quod est maximè ramosum, & magnam circum baculi corpus habet propaginem. apud Romanos verò vallum duos, trésue, aut summum quatuor habet surculos: * & hos * habentes accipiunt * non alternatim. ex quo accidit, vt perfacilis eius gestatio sit. Itaque vnus tria atque etiam quatuor simul ferre consueuit. Iam verò certus eorum vsus apud illos differt. nam vallum Græcorum, cùm in munitione defixum est, primùm facilè reuellitur. cùm enim pars eius firmior in terram impacta est, surculi autem eminent magni & plurimi, si duo trésue accedant, qui surculos illius extrahant, nullo negotio reuellitur. ita facilè aditus propter latitudinem aperitur, quæque compacta erant, dissoluuntur: quippe cùm implicationes & compacturæ huiusmodi valli sint perexiguæ. Apud Romanos dissimillima ratio est. Primùm enim ita valla inter se circumplicant, vt neque facilè quorum ramorum in terram impactorum sint virgulta, neque quorum virgultorum sint rami, agnoscas. præterea difficilè est, si quis euellere conetur, manum admouere: quoniam densissimè inter se contexta & conserta sunt. Eò accedit, quòd virgulta ita accuratè inflexa & intertexta sunt, vt reuelli ab eo, qui præhenderit, facilè non possint. primùm quia eminentiæ & surculi omnes suam & propriam in terra firmitudinem obtinent. Deinde, cùm vnum è virgultis trahitur, necesse est propter mutuam contexturam, magnam simul propagiem educi. neque verò fieri potest, vt duo trésue vnum idemque vallum præhendere possint. Quòd si quis vnum aut alterum commoueat ac reuellat, exiguum tamen interuallum patefiet. Magna igitur inter Græcorum & Romanorum institutum differentia est. quod hi & huiusmodi vallum repererint, & perfacilem eius gestationem & vsum certissimum ac firmissimum excogitârint. Ex quo intelligi potest, si quod aliud è militari Romanorum opere imitatu dignum sit, hoc (meo quidem iudicio) io eo numero habendum esse.

C. IVLII CAESARIS FRAGMENTA, A FVLVIO VRSINO COLLECTA.

EX LIBRO EPISTOLARVM AD M. T. C.

Cæsar Imp. S. D. Ciceroni Imp.

CVM Furnium nostrum tantùm vidissem, neque loqui, neque audire me commodè potuisset, cùm properarem, atque essem in itinere, præmissis iam legionibus, præterire tamen non potui, quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiasque agerem. etsi hoc officium, & feci sæpè, & sæpiùs mihi facturus videor: ita de me mereris. in primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad vrbem venturum, vt te ibi videam; vt tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum vti possim. ad propositum reuertar: festinationi meæ, breuitatique literarum ignosces. reliqua ex Furnio cognosces. Vale. *Ex libro 9. Epist. ad Attic.*

Cæsar Imp. Ciceroni Imp. S.

RECTE angnraris de me (benè enim tibi cognitus sum) nihil à me abesse longiùs crudelitate. atque ego cùm ex ipsa te magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho & gaudeo. neque illud me mouet, quòd ij, qui à me dimissi sunt, discessisse dicuntur, vt mihi rursus bellum inferrent: nihil enim malo, quàm & me mei similem esse, & illos sui. Tu velim mihi ad vrbem præstò sis, vt tuis consilijs, atque opibus, vt consueui, in omnibus rebus vtar. Dolabella tuo nihil mihi scito esse iucundius. hanc adeò habeo gratiam illi. neque enim aliter facere potuit: tanta eius humaoitas, is sensus, ea in me est beocuolentia. Vale. *Ex libro 9. Epist. ad Attic.*

Cæsar Imp. M. Ciceroni Imp. S.

ETSI te nihil temerè, nihil imprudenter, facturum iudicâram, tamen, permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui, & pro nostra beneuolentia petendum, ne quo progredereris inclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non existimâsses. namque & amicitiæ grauiorem ioiuriam feceris, & tibi minùs commodè consulueris, si non fortunæ obsecutus videbêre; omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse videtur: nec causam secutus, eadem enim tum fuit, cùm ab eorum consilijs abesse iudicâsti: sed meum aliquod factum condemnauisse: quo mihi grauius abs te nihil accidere potest. quod ne facias, pro iure nostræ amicitiæ à te peto. Postremò, quid viro bono, & quieto, & bono ciui, ma-

ui, magis conuenit, quàm abeſſe à ciuilibus controuerſijs? quod uonnulli cum probarent, periculi cauſa ſequi uon potuerunt. tu, explorato, & vitæ meæ teſtimonio, & amicitiæ iudicio, ueque tutiùs, ueque honeſtiùs reperies quidquam, quàm ab omni contentione abeſſe. xv. Kal. Maij, ex itinere. Vale. *Ex lib. 10. Epiſt. ad Atticum.*

EX EPIST. CAESARIS ad Ciceronem.

M. Furium, quem mihi commeudas, vel regem Galliæ faciam, vel Leptæ Legatum: ſi vis tu, ad me alium mitte, quem ornem. *Ex lib. 7. Epiſt. ad Cæſarem.*

EX EPIST. CAESARIS ad Ciceronem.

NEque pro cauto, ac diligente, ſe caſtris coutinuit. *Cariſ. lib. 1.*

EX CICERONE AD Atticum lib. x.

CAEſar mihi ignoſcit per literas, quòd non venerim: ſeſeque in optimam partem id accipere dicit. Facilè patior quod ſcribit, ſecum Tullum & Seruium queſtos eſſe, quia non idem, ſibi, quod mihi remiſiſſet, &c. ſed tùm exemplum miſi ad te Cæſaris literarum.

EX LIB. XIII. AD Atticum.

SExtius apud me ſuit, & Theopompus pridie: veniſſe à Cæſare narrabat literas: hoc ſcribere, ſibi certum eſſe Romæ manere; cauſamq; eam adſcribere, quæ erat in epiſtola noſtra, ue ſe abſente leges ſuæ negligerentur, ſicut eſſet neglecta Sumptuaria.

EX LIB. EPIST. AD C. Oppium & Cornelium.

Cæſar Oppio, Cornelio S.

GAudeo me herculè vos ſignificare literis, quàm valde probetis ea, quæ apud Corfinium ſunt geſta. conſilio veſtro vtar libenter, & hoc libentiùs, quod mea ſpontè facere conſtitueram, vt quàm leniſſimum me præberem, & Pompeium, darem operam, vt reconciliarem. tentemus hoc modo, ſi poſſumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti: quoniam reliqui diuturnitate odiũ effugere non potuerunt, neq; victoriam diutiùs tenere, præter vnũ L. Sullam, quem imitaturus non ſum. hæc noua ſit ratio vincendi; vt miſericordia, & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri poſſit, nonnulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri poſſunt. de his rebus, rogo vos, vt cogitationem ſuſcipiatis. Cn. Magium Pompeij præfectum, deprehendi: ſcilicet meo inſtituto vſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. Iam duo Præfecti Fabrũ Pompeij in meam poteſtatem venerunt, & à me miſſi ſunt. ſi volent grati eſſe, debebunt Pompeium hortari, vt malit mihi eſſe amicus, quàm ijs, qui & illi, & mihi ſemper fuerunt Inimiciſſimi: quorum artificijs effectum eſt, vt Reſpubli. in hunc ſtatum perueniret *Ex libro 9. Epiſtol. ad Atticum.*

Cæſar Oppio, Cornelio S.

AD VII. Id. Mart. Brundiſium veni: ad murũ caſtra poſui. Pompeius eſt Brundiſij: miſit ad me Cn. Magium de pace. quæ viſa ſunt reſpondi. hoc vos ſtatim ſcire volui. cùm in ſpem veneto, de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim vos certiores ſaciam Valete. *Ex lib. 9. Epiſt. ad Att.*

Libri ſunt Epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res eius abſentis curabant. in his Epiſtolis quibuſdam in locis inueniuntur literæ ſingulariæ, ſine coagmentis ſyllabarum, quas tu putes poſitas inconditè. nam verba ex his literis confici nulla poſſunt. erat autem conuentum inter eos clandeſtinum, de commutando ſitu literarũ, vt inſcriptio quidem alia aliæ locum, & nomen teneret: ſed in legendo locus euique ſuus, & poteſtas reſtitueretur, &c. eſt autem Probi Grammatici commentarius ſatis curioſè factus. de occulta literarum ſignificatione Epiſtolarum C. Cæſaris ſcriptarum. *Ex Gel. lib. 1. cap. 9.*

EX LIB. EPISTOLArum ad Q. Pedium.

Cæſar Q. Pedio S.

POmpeius ſe opido tenet: nos ad portas caſtra habemus: conamur opus magnũ, & multorum dierum, propter altitudinem maris: ſed tamen nihil eſt, quod potiùs faciamus. ab vtroque portus cornu moles iacimus, vt aut illum quàmprimum traijcere, quod habet Brundiſij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus. *Ex lib. 9. Epiſt. ad Atticum.*

EX LIB. EPISTOLArum ad Piſonem.

LOcellam tibi ſignatum remiſi. *Ex Cariſ. libro primo.*

EX LIB. II. EPISTOlarum ad Frontonem.

VEſpera fatigatus luce dormitans. *Ex Cariſ. libro 2.*

EX LIB. EPISTOLArum ad Antonium.

NAm ad me miſit Antonius exemplum Cæſaris ad ſe literarum, in quibus erat: ſe audiuiſ-

ſe Cæſarem,& L. Metellum in Italiam veniſſe, Romæ vt eſſent palàm: id ſibi non placere; ne qui motus ex eo fierent; prohiberiq; omnes Italia, niſi quorum ipſe cauſam cognouiſſet. deque eo vehementiùs erat ſcriptum, *Ex Cicerone ad Atticum, libro 11.*

Epiſtolæ quoque eius ad Senatum exſtant: quas primus videtur ad paginas, & formam memorialis libelli, conuertiſſe: cùm antea Conſules & Duces, non niſi tranſuerſa charta mitterent ſcriptas. Exſtant & ad Ciceronem; item ad familiares domeſticis de rebus. in quibus ſi qua occultiùs perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet. quę ſi quis inueſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam id eſt, O pro A. & perinde reliquas, commutet. *Ex Suet. in Cæſare.*

Scribere, & legere ſimul, dictare, & audire ſolitum accepimus, epiſtolas verò tantarum rerum quaternas pariter librarijs dictare, aut, ſi nihil ageret, ſeptenas, *Ex Plin. lib. 7. cap. 25.*

Ἐν ἐκείνῃ δὲ τῇ στρατείᾳ προσεξήσκησεν ἱππαζόμενος τὰς ἐπιστολὰς ὑπαγορεύειν καὶ δυσὶν ὁμοῦ γράφουσιν ἐξαρκεῖν. ὡς δ' Ὄππιός φησι, καὶ πλείοσιν. λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν, Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι. *Ex Plutarcho in Cæſare.*

C. IVLII CAESARIS ORAtionum fragmenta.

EX ORATIONE IN funere Iulia.

Quæſtor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam, defunctas laudauit è more pro roſtris. ſed in amitæ quidē laudatione, de eius ac patris ſui origine ſic refert: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab Regibus ortū, paternum cum dijs immortalibus coniunctū eſt. nam ab Anco Marcio ſunt Marcij Reges: quo nomine fuit mater. à Venere Iulij, cuius gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cerimonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges. *Ex Suet. in Cæſare.*

Ὅτι τῆς Μαρίου γυναικὸς ἀποθανούσης, ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτῆς ἐγκώμιόν τε λαμπρὸν ἐν ἀγορᾷ διῆλθεν, καὶ περὶ τὴν ἐκφορὰν ἐτόλμησεν εἰκόνας Μαρίου προθέσθαι. *Ex Plut. in Cæſ.*

EX ORATIONE PRO Bithynis.

C. Cæſar Pont. Max. in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio vſus eſt, Vel pro hoſpitio regis Nicomedis, vel pro horum neceſſitate, quorum res agitur, refugere hoc munus M. Vinici, non potui. nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin proximis retineatur: neq; clientes ſine ſumma infamia deſeri poſſunt, quibus etiam à propinquis noſtris opem ferre inſtituimus. *Ex Gel. lib. 5. cap. 13.*

Quid ergo? ſyngraphæ non ſunt, ſed res aliena eſt. *Ex Iulio Rufiniano de Figuris.*

EX ORATIONE PRO Lege Plautia.

Reperi tamē in oratione C. Cæſaris, qua Plautiam rogationem ſuaſit; Neceſſitatem dictā pro neceſſitudine: id eſt, iure affinitatis. verba hæc ſunt: Equidem mihi videor pro noſtra neceſſitate, non labore, non opera, non induſtria defuiſſe. *Ex Gel. lib. 13. cap. 3.*

EX ORATIONE IN Cn. Dolabellam.

Cæſar in Dolabellā: Actionis illi buiſti, quorum in ædibus, fanisq; poſita, & honori erāt, & ornatu. In libris quoq; Analogicis omnia iſtiuſmodi ſine I. litera dicēda cenſet. *Ex Gel. lib. 4. cap. 16.*

Nono decimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, vno & vigeſimo Cæſar Dolabellam, altero & xxx. Aſinius Pollio Catonem, non multo ætate antecedens Caluus Vatinium, ijs orationibus inſecuti ſunt, quas hodieq; cum admiratione legimus. *Ex Cornel. Tacit. in Dialogo de Oratoribus.*

Cæterùm compoſita ſeditione ciuili, Cornelium Dolabellam conſularem & triumphalem virum repetundarum poſtulauit. abſolutoq; Rhodum ſecedere ſtatuit. *Ex Suet. in Cæſ.*

Diuus quoque Iulius, quum cœleſtis numinis, tùm etiam humani ingenij perfectiſſimum columen, vim facundiæ propriæ expreſſit, dicendo in accuſatione Cn. Dolabellæ, quem reum agit, extorqueri ſibi cauſam optimam L. Cottæ patrocinio. *Ex Valer. Max. lib. 8. cap 9.*

C. Cæſar Cn. Dolabellā accuſauit, nec damnauit. *Ex Pediano in orat. pro Marc. Scaur.*

Significat & Cæſarem, item adoleſcentem, in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus eſt quantum oportuit per Hortenſium, &c. *Ex Pedia. in Diu.*

Ἐπανελθὼν δ' εἰς Ῥώμην, Δολοβέλλαν ἔκρινε κακώσεως ἐπαρχίας, καὶ πολλαὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος πόλεων μαρτυρίας αὐτῷ παρέσχον. ὁ μὲν οὖν Δολοβέλλας ἀπέφυγε τὴν δίκην. *Ex Plut. in Cæſ.*

EX ORAT. AD MILITES.

Fama verò hoſtilium copiarū perterritos, non negando, minuendóve, ſed inſuper amplificando, ementiendoq; confirmabat. Itaque cùm exſpectatio aduentus Iubæ terribilis eſſet, conuocatis ad concionem militibus, Scitote, inquit, pauciſſimis his diebus Regem affuturum cum x. legionibus equitum. xxx. leuis armaturæ c. millibus. elephantiſq; ccc. proinde deſinant quidam quærere vltra, aut opinari, mihiq; qui compertū habeo, credant: aut quidā vetuſtiſſima naue impoſi-

impositos quocunque vento in quascunque terras iubebo auehi. *Ex Suet. in Caf.*

Vt C. Cæsar apud milites de incommodis eorum. Non frustrabo vos milites. *Ex Diomede libro primo.*

EX ORATIONE PRO Decio Samnite.

NIsi fortè quisquã aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro rege, cæterósque cuiusdam lenti luminis ac temporis libros legit, &c. *Ex Tacit. in Dialog. de orat.*

EX ORATIONE PRO Sextilio.

QVO enim Iambo, qua procella verborum, impium Sextilij caput obrui meretur? quòd C. Cæsarem, à quo cùm studiosè, tùm etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat, &c. *Ex Val. Max. lib. 5. cap. 3.*

EX ORATIONE DE coniuratis.

CAtonem primùm putat de animaduersione dixisse, quàm omnes antè dixerant præter Cæsarem. & cùm ipsius Cæsaris iàm seuera fuerit, qui tùm Prætorio loco dixerit, &c. *Ex Cic. ad Atticum lib. 12.*

Sed Cæsar vbi ad eum peruentum est, rogatus sententiam à Consule, huiuscemodi verba locutus est: Omnes homines, &c. *Ex Salust. in Coniur.*

Ὁ δὲ Καῖσαρ ἀναστάς, λόγον διῆλθε πεφροντισμένον, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν ἀκρίτους ἄνδρας ἀξιώματι καὶ γένει λαμπρούς, οὐ δοκεῖ πάτριον, οὐδὲ δίκαιον εἶναι, μὴ μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης. εἰ δὲ φρουροῖντο δεθέντες ἐν πόλεσι τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν αὐτὸς ἕλοιτο Κικέρων, μέχρι οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας, ὕστερον ἐν εἰρήνῃ καὶ καθ' ἡσυχίαν περὶ ἑκάστου τῇ βουλῇ γνῶναι παρέξειν. οὕτω δὲ τῆς γνώμης φιλανθρώπου φανείσης, καὶ τοῦ λόγου δυνατῶς ἐπ' αὐτῇ ῥηθέντος, οὐ μόνον οἱ μετὰ τοῦτον ἀνιστάμενοι προσετίθεντο, πολλοὶ δὲ καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ, τὰς εἰρημένας γνώμας ἀπειπάμενοι, πρὸς τὴν ἐκείνου μετέστησαν, ἕως ἐπὶ Κάτωνα τὸ πρᾶγμα καὶ Κάτουλον περιῆλθεν. *Ex Plut. in Caf.*

EX ORATIONE IN funere Corneliæ.

QVæstor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam, defunctas laudauit è more pro rostris. *Ex Suet. in Caf.*

Τὸ μὲν οὖν ἐπὶ γυναιξὶ πρεσβυτέραις λόγους ἐπιταφίους διεξιέναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις. νέαις δ' οὐκ ὂν ἐν ἔθει, πρῶτος εἶπεν Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποθανούσης. *Ex Plut. in Caf.*

Tum Brutus. Orationes quidem eius mihi vehementèr probantur. complures autem legi, &c. *Ex Cic. in Bruto.*

Orationes aliquás reliquit, inter quás temerè quædam feruntur pro Q. Metello, quam non immeritò Augustus existimat magis ab actuarijs exceptam, malè subsequentibus verba dicentis, quã ab ipso editam. nam in quibusdam exemplaribus inuenio, ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cùm ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum, seq; aduersus communium obtrectatorum criminationes purgantis. Apud milites quoque in Hispania, idem Augustus orationem esse vix eius putat: quæ tamen duplex fertur, vna quasi priore habita prælio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse cum dicit, subita hostium incursione. *Ex Suet. in Caf.*

C. IVLII CAESARIS FRAGMENTA Anticatonis, Liber I.

VNO enim excepto, quem alius modi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros. *Priscian. lib. 6. Cæsar in Anticatone priore. Vno enim, &c. & libro 7, & libro 13.*

INCERTA EX ANTIC.

ERuut officia antelucana, in quæ incidere impunè ne Catoni quidem licuit. quem tamen C. Cæsar ita reprehendit, vt laudet. describit enim eos, quibus obuius fuerit, cùm caput ebrij retexissent, erubuisse. deinde adijcit: Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. Potuit ne plus anctoritatis tribui Catoni, quàm si ebrius tam venerabilis erat? nostræ tamen cœnæ vt apparatus & impendij, sic temporis modus constet. neque enim hi sumus, quos vituperare ne inimici quidem possunt, nisi vt simul laudent. *Ex Plin. lib. 3. epist. ad C. Ætil. Seue.*

C. etiam Cæsar, grauis auctor linguæ Latinæ, in Anticatone: Vnius inquit, arrogantiæ, superbiæq; dominatuq;. *Ex Gell. libro 4. cap. 16.*

Qualis futura sit Cæsaris vituperatio cõtra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hircius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. itaq; misi librum ad Muscam, vt tuis librarijs daret. volo enim eum diuulgari. *Ex Cic. ad Att. lib. 12.*

Hircij epistolam si legeris, quæ mihi quasi σκίασμα videtur eius vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone. *Ex lib. 12. ad Attic.*

Cùm mihi Balbus nuper in Lanuuino dixisset, se & Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, & vehementer probâsse. *Ex lib. 13. ad Attic.*

Quibus omnibus generibus vsus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum. *Ex Cic. in Topic.*

M. Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquauit, quid aliud dictator Cæsar, quàm rescripta oratione, velut apud iudices respondit? *Ex Tacit. libro quarto.*

His

His quoque vsum C. Cæsarem in vituperando Catone notauerit Cicero. *Ex Quinct. lib. 3.*

Reliquit & de Analogia duos libros, & Anticatones totidem. *Ex Suet. in Cæsa.*

Vt Catonem Tullius laudans: & duobus voluminibus Cæsar accusans. *Ex Mart. Capell. libro quinto.*

Πυθόμενος δὲ ὡς ἑαυτὸν ὁ ἀνὴρ διειργάσατο, δῆλος μὲν ἦν δηχθείς, ἐφ' ᾧ δὲ ἄδηλον. εἶπε δ' οὖν· ὦ Κάτων φθονῶ σοι τοῦ θανάτου. καὶ γάρ σύ μοι τῆς σωτηρίας ἐφθόνησας. ὁ μὲν οὖν μετὰ ταῦτα γραφεὶς ὑπ' αὐτοῦ πρὸς Κάτωνα τεθνεῶτα λόγος, οὐ δοκεῖ πράως ἔχοντος, οὐδ' εὐδιαλλάκτως σημεῖον εἶναι. πῶς γὰρ ἐφείσατο ζῶντος, εἰς ἀναίσθητον ἐκχέας ὀργὴν τοσαύτην, Paulò pòst: καὶ τὸν λόγον ἐκεῖνον ... ἀλλὰ φιλοτιμίας πολιτικῆς συντετάχθαι διὰ τοιαύτην αἰτίαν. ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα· καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπουδῆς ὡς εἰκός, ὑπὸ τοῦ δεινοτάτου τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίστην πεποιημένος ὑπόθεσιν. τοῦτο ἠνία Καίσαρα, κατηγορίαν αὐτοῦ νομίζοντα, τὸν τοῦ τεθνεῶτος δι' αὐτὸν ἔπαινον. ἔγραψεν οὖν πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών. τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται, καὶ σπουδαστὰς ἔχει τῶν λόγων ἑκάτερος διὰ Καίσαρα καὶ Κάτωνα πολλούς. *Ex Plut. in Cæs.*

Αὐτὸς δ' οὖν ὕστερον ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ, παραιτεῖται, μὴ στρατιωτικοῦ λόγον ἀνδρὸς ἀντεξετάζειν πρὸς δεινότητα ῥήτορος εὐφυοῦς, καὶ σχολὴν ἐπὶ τοῦτο πολλὴν ἄγοντος. *Ex Plut. in Cæs.*

Ἐπεὶ δὲ τοῦτο διετέλει καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος, ἀντιγράφων, τούς τε λόγους αὐτοῦ καὶ τὸν βίον, ὡς μάλιστα τῷ Περικλέους ἐοικότα καὶ Θηραμένους, ἐπαινεῖν. ὁ μὲν οὖν Κικέρωνος λόγος Κάτων, ὁ δὲ Καίσαρος Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. *Ex Plut. in Cicer.*

C. IVLII CAESARIS DE ANAlogia, Liber I.

AD M. T. CICERONEM.

Vin etiam in maximis occupationibus cùm ad te ipsum, inquit, in me intuens, de ratione Latinè loquendi accuratissimè scripserit. primoq; in libro dixerit, verborum delectũ originem esse eloquentiæ: tribueritq; mi Brute huic nostro, qui me de illo maluit, quàm se dicere, laudem singularẽ (nam scripsit his verbis, cùm hunc nomine esset affatus) Ac si cogitata præclarè eloqui possent, nonnulli studio, & vsu laborauerunt, (cuius te penè principem copiæ, atque inuentorem, bene de nomine ac dignitate Populi Romani meritum esse existimare debemus) hunc facilem, & cotidianum noluisse sermonem, nunc pro relicto est habendum. Tum Brutus, amicè hercule, inquit, & magnificè te laudatum puto, quem non solùm Principem atque Inuentorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam benemeritum de Populi Romani nomine & dignitate. *Ex Cic. in Bruto.*

C. Cæsar in libris quos ad M. Ciceronẽ de Analogia scripsit, Arenas vitiosè dici existimabat: quod Arena nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque Cælũ, neque Triticum. contra aurẽ quadrigas etiam si currus vnus equorum quatuor iunctorum vnum sit, pluratiuo semper numero dicendas putat. (paulò pòst, ex libro I. de Analogia) nam cùm suprà dixisset, neque cælum, triticúmve, neque arenam multitudinis significationem pati. Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quod vnam terram, & plures terras, & vrbem, & vrbes, & imperium, & imperia dicamus? neque quadrigam in vnam nominis figuram redigere, neque arenam in multitudinis appellationem conuertere possumus. *Ex Gell. lib. 19. cap. 8.*

Atque id, quod à C. Cæsare, excellentis ingenij ac prudentiæ viro, in I. de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum sic fugias inauditum atq; insolens verbum. *Ex Gell. lib. 1. cap. 10. & Macrob. libro 1. Sat.*

Liber II.

SEd C. Cæsar in libro de Analogia secundo, huius die, & huius specie, dicendũ putat. *Ex Gell. lib. 9. cap. 14.*

Panium, Cæsar de Analogia lib. II. dici debere ait: sed Verrius contra. *Ex Car. lib. 1.*

C. Cæsar de Analogia lib. II. fagos, populos, vlmos. *Ex Car. lib. 1.*

Nisi quia Cæsar libro II. singulariter Idem, pluraliter Iidem, dicendum affirmat. *Ex Car. lib. 1.*

Sed Cæsar de Analogia II. turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait. *Ex Car. lib. 1.*

Cæsar de Analogia lib. II. Paniũ dixit. sed Verrius Panum sine i. *Ex Car. lib. 1.*

Lacet, &c. Cæsar de Analogia libro II. nec non Valgius de rebus per Epistolam quæsitis. *Ex Car. libro 1.*

INCERTA EX LIBRIS Analogicis.

IN libris quoq; Analogicis omnia istiusmodi sine i, litera dicenda censet. *Ex Gel. lib. 4. cap. 16.*

C. Cæsar, quasi indiscretum hoc sit, ait, I, litera Nominatiuo singulari neutra finita nomina, candem definitionem capere, quam capiant E litera terminata, huic animali, & ab hoc animali: huic puteali, & ab hoc puteali. *Ex Car. lib. 1.*

Quam C. Cæsar poni in fœminis, vt puppim, restim, puluim. hæc enim modò, & ab hoc cani, & ab hoc cane. *Ex Car. lib. 1.*

Hic & hæc Samnis, huius Samnitis. sic Cæsar de Analogia. *Ex Prisc. lib. 6.*

Iubar: Plinius ait inter cætera etiã istud C. Cæsarem dedisse præceptum, quorum neutra nomina, ar Nominatiuo clausa per i, Datiuum Ablatiuumq; singularis ostendant, iubar tamẽ ab hac regula dissidere. nam vt huic Iubari dicimus, ab hoc iubare

iubare dicendum est; vt huic farri ab hoc farre. *Ex Car. lib. 1.*

Omnium nominum, quæ sunt Neutri generis, & in e, terminantur, aut Plinius Cæsarem sciffe eosdem esse Ablatiuos, quales sunt Datiui singulares. At literis nomina Neutralia terminata; idē non minùs ait Cæsar quod Datiuo & Ablatiuo pariiure funguntur, vt idem Plinius ait. *Ex Car. lib. 1.*

Partum Cæsar in Analogicis, harum partum. *Ex Car. lib. 1.*

Nam tribus iii. iunctis, qualis posset syllaba pronunciari? nam postremum i pro vocali est accipiendum, quod Cæsari artis Grammaticæ doctissimo placitum fuisse à Victore quoq; in arte Grammatica de syllabis comprobatur. *Ex Prisc. lib. 1.*

At vim C. Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri. *Ex Quinct. lib. 1.*

Reliquit de Analogia duos libros, & Anticatones totidem. *Ex Suet. in Cæsare.*

Prætereà Cæsar declinat Pubis, puberis. *Ex Priscian. lib. 6.*

Quamuis Cæsar non incongruè protulit Ens, à verbo Sum, es, est. *Ex Prisc. lib. 18.*

Sed Augustus quoq; in Epistolis ad C. Cæsarem scriptis emendat, quod is Calidum dicere, quàm Caldum malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, & vt ipse Græco verbo significauit, περίεργον. *Ex Quinct. lib. 1.*

Neque enim tam Calypsionem dixerim, vt Iunonem, quam secutus Antiquos C. Cæsar vtitur hac ratione declinandi. *Ex Quintilian. libro primo.*

De quo genere optimè C. Cæsarem prætextarū adbuc accepimus dixisse, Si cantas, malè cantas, si legis, cantas. *Ex Quintil. lib. 1.*

Sic M. Tullius & C. Cæsar, Mordeo, memordi: Pungo, pepugi: Spondeo, spepondi, dixerunt. *Ex Gel. lib. 7. cap. 9.*

Pro quo digamma, Cæsar hanc figuram Ⅎ scribere voluit. *Ex Prisc. lib. 1.*

Vnguenta autem dicuntur à locis, vt Telinum: cuius Iulius Cæsar meminit, dicens: Corpusque suaui Telino vngimur, hoc conficiebatur in insula Telo, quæ est vna ex Cycladibus. *Ex Isidoro lib. 4. cap. 12.*

Apud Cæsarem, & Catulum, & Caluum lectum est, quorum vacillat auctoritas. cùm iam fulua cinis fueris. *Ex Non. Marc. in voce Cinis.*

Salue primus omnium Parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæq; lauream merite, & facundiæ, Latiarumque literarum parens: atque (vt dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quantò plus est, ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quàm imperij. *Ex Plinio libro 7. capite 30.*

Variè etiam scriptitatum est, mancipium, aucupium, manubiæ. siquidem C. Cæsar per i scripsit, vt apparet ex titulis ipsius. *Ex Velio longo de Orthographia.*

Hoc Lutum atq; Macellum singulari exire memento; licèt Ennius, ista Macella, dicatq;, & Cæsar, lutea. *Ex Capro.*

C. IVLII CAESARIS LIBER *Apophthegmatum.*

SED tùm ipse Cæsar habet peracre iudicium. & vt Seruius frater tuus, quē literatissimum fuisse iudico, facilè diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas habeat aures notandis generibus Poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, cùm volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reijcere solere. quod eò nunc magis facit, quia viuunt mecum ferè quotidie illius familiares. *Ex Cic. lib. 9. Epist. ad Pætum.*

Feruntur & à puero, & ab adolescentulo quædam scripta, &c. item dicta collectanea, &c. *Ex Suet. in Cæsare.*

C. IVLII CAESARIS LIBER *Auspiciorum.*

SED contra Iulius Cæsar XVI. auspiciorum libro negat nundinis concionem aduocari posse, id est, cum populo agi, ideoq; nundinis Romanorum haberi comitia non posse. *Ex Macro. Sat. libro primo.*

De Syderum motu.

NAM Iulius Cæsar, vt Syderum motus, de quib. non indoctos libros reliquit, ab Aegyptijs disciplinis hausit: ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, vt ad Solis cursum finiendi anni tempus extenderet. *Ex Macro. Sat. lib. 1.*

Cæsaris de singulorum syderum ortu & Occasu obseruationes, in quibus & Idus Martias sibi ferālesannotauit. *Ex Plin. lib. 8. cap. 26.*

Tres autem fuêre sectæ, Chaldæa, Aegyptia, Græca: his addit apud nos quartam Cæsar dictator, annos ad Solis cursum redigens singulos, qui priùs antecedebat. *Ex Plin. lib. 18. cap. 25.*

A Bruma in Fauonium Cæsari nobilia sydera significant. (paulò pòst) Pridie Nonas Ianuarij Cæsari Delphinus matutino exoritur, & postero die fidicula, quo Aegypto sagitta Vesperi occidit. (paulò pòst) A Fauonio in æquinoctium vernum Cæsari significat XVII. Kalen. Martij triduum varie. & VIII. Kalen. hirundinis visu, & postero die arctu-

actuti exortu vespertino. item III. Non. Martij Cæsar Cancri exortu id fieri obseruauit. Paulò pòst Cæsar & Idus Martias Ferales sibi annotauit Scorpionis occasu. Paulò pòst: Tertio Nonas Aprilis in Attica vergiliæ vesperi occultantur. eædem postridie in Bœotia. Cæsari autem & Chaldæis, nonis. Paulò pòst: Cæsar sexto Idus significatur Imber libræ occasu: XIV. Kalen. Maij Aegypto suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, & tetra, mariq; turbidum, XVI. Atticæ XV. Cæsari, continuoq; triduo significat. Paulò pòst: VI. Non. Maij Cæsari suculæ matutino exoriuntur, & VIII. Idus Capella pluuialis. *Ex Plin. lib. 18. cap. 26.*

A Vergiliarum exortu significant Cęsari postridie Arcturi occasus matutini. Paulò pòst: Vndecimo Kal. Cæsari Orionis gladius occidere incipit. tertio Non. Iunij Cæsari, & Assyriæ Aquila vesperi oritur, &c. vndecimo Kal. eiusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. *Ex Plinio libro 18. capite 27.*

A Solstitio ad fidiculæ occasum sexto Kal. Iunij, Cæsari Orion exoritur. Paulò pòst: XVIII. Kal. Augusti, Aegypto aquila occidit matutino, Etesiarumq; prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X. Kalend. sentire Italiam existimauit. Paulò pòst: Aquila Atticæ matutino occidit. tertio Kal. regia in pectore Leonis stella matutino Cæsari immergitur. *Ex Plin. lib. 18. cap. 28.*

AVGVRALIA.

CAesar in Auguralibus. Si sincera pecus erat. *Ex Prisc. lib. 6.*

C. Cæsar, quæ res augurantur [illegible]. *Ex Prisc. lib. 8.*

EPHEMERIDES.

C. Iulius Cæsar cùm dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit quidam de hostibus, qui eum nosset: & insultans ait: Cecos Cæsar. quod Gallorum lingua, Dimitte, significat: & ita factum est, vt dimitteretur. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, vbi propriam commemorat felicitatem. *Ex Seru. in lib. 11. Aeneid.*

C. IVLII CAESARIS POEMAtum fragmenta.

Tu quoque tu in summis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque vtinam scriptis adiuncta foret vis
Comica, vt æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus parte iaceres,
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deesse Terenti.

Ex Donato in vita Terentij.

EIVSDEM, C. IVLIVS CAESAR.

FELTRIA PERPETVO NIMIVM DAMNATA RIGORE
FORTE MIHI POSTHAC NON ADEVNDA, VALE.

Ex antiquo lapide.

EIVSDEM.

Thrax puer adstricto glacie dum ludit in Hebro,
Pondere concretas frigore rupit aquas.
Dumq; imæ partes rapido traherentur ab amne:
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inuentum mater dum conderet vrna,
Hoc peperi flammis, cætera dixit aquis.

Ex libro lusuum in Priap. quidam Germanic. inscribunt.

Reliquit & de Analogia, &c. ac prætereà poëma quod inscribitur Iter, quorum librorũ primos in transitu Alpium, cùm ex citeriore Gallia, conuentibus peractis, ad exercitum rediret: sequentes sub tempus Mundensis prælij confecit. nouissimum, dum ab vrbe in Hispaniam vlteriorem quarto & vigesimo die peruenit. *Ex Sueton. in Cæsare.*

Nec non olus quoq; syluestre est trium foliorũ, Diui Iulij carminibus præcipuè, iocisq; militaribus celebratum. alternis quippe versibus exprobrauère lapsana se vixisse apud Dyrrachium, præmiorum parcimoniam cauillantes. est autem id Cyma syluestris. *Ex Plin. lib. 19. cap. 8.*

C. Cæsar inter primos temporis sui oratores, & Tragicus Poëta bonus admodum habitus est. huius sunt enim Tragœdiæ, quæ inscribuntur Iulij. & hi autem Iulij, & Antonius ab satellitibus Marij sunt occisi. *Ex Ascon. Pedian.*

Feruntur & à puero, & ab adulescentulo, quædam scripta, vt laudes Herculis, Tragœdia Oedipi, item dicta collectanea. quos omnes libellos vetuit Augustus publicari. *Ex Suet. in Cæs.*

Nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, &c. nisi qui & carmina eorundem miratur. Fecerunt enim & carmina, in Bibliothecas retulerunt, non melius, quàm Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. *Ex Tacit. in Dialog. de Orat.*

Καὶ ποιήματα γράφων, καὶ λόγους τινὰς, ἀκροαταῖς ἐκείνοις ἐχρῆτο, καὶ τοὺς μὴ θαυμαζομένους ἄντικρυς ἀπαιδεύτους καὶ βαρβάρους ἀπεκάλει. *Ex Plutarch. in Cæsa.*

C. IV-

C. IVLII CAESARIS DICTA.

MAximè autem de Bruto nostro, de quo quidem ille, ad quem diuerti, Cæsarem solitum dicere: Magni refert, hic quid velit; sed quidquid vult, valde vult. idq; cum animaduertisse, cùm pro Deiotaro Nicææ dixerit. *Ex Cicerone ad Attic. lib. 18.*

Alebat Cæsarem secum, quo tempore Sextij rogatu, veni ad eum, cùm expectatem sedens, dixisse: Ego nunc tam sim stultus, vt hunc ipsum facilem hominē, putem mihi esse amicum, cùm tam diu sedens meum commodū exspectet? (de Bruto.) *Ex Cic. ad Attic. lib. 18.*

Interrogatusq; cur repudiâsset vxorem, quoniā (inquit) meos tam suspicione, quàm crimine, iudico carere oportere. *Ex Suet. in Cæsa.*

Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, vidi, vici. *Ex Suet. in Cæs.*

Consecutusq; cohortes ad Rubiconem flumē, qui prouinciæ eius finis erat, paululum constitit. ac reputans quantū moliretur, conuersus ad proximos, & etiam nunc, inquit, regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. *Ex Suet. in Cæs.*

Tunc Cæsar, Eatur, inquit, quo Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta est alea, inquit. *Ex Suet. in Cæs.*

Quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum in seditione Sulpiciana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantē gloriabatur, nunquam fugiens respexeris inquit. aut crimen obiectum vt Cicero, &c. *Ex Quinct. lib. 7.*

Est & illa ex ironia fictio, qua vsus est C. Cæsar. nam cùm testis diceret à reo fœmina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio, cur illam potissimùm partem corporis vulnerare voluisset. Quid enim faceret, inquit, cùm tu galeā & loricam haberes? *Ex Quinct. lib. 6.*

Nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli, sic enim appellabat, laudataq; honorificentissimè & æquitate tua, & prudentia, repentè præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. *Ex Cic. lib. 4. Epis. ad Ser. Sulpic.*

Cùm propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina ciuitate donatorū incisa essent, reuelli iussisset, eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur; beneficium suum in eo manere. *Ex Cicerone libro 13. Epistola ad Acilium.*

DE C. IVLIO CAESARE.

SED tamen Brute, inquit Atticus, de Cæsare & ipse ita iudico, & de hoc huius generis acerrimo æstimatore sæpissimè audio, illum ferè omnium Oratorum Latinè loqui elegātissimè, nec id solùm domestica consuetudine, vt dudum de Læliorum & Domitiorum familijs audiebamus, sed quanquam id quoque credo fuisse, tamen vt esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & ijs quidem reconditis & exquisitis est consecutus, &c. *Ex Cic in Bruto.*

Sed perge Pomponi de Cæsare, & redde quæ restant. Solum quidem, inquit ille, & quasi fundamentum oratoris, &c. Cæsar autem rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam, pura & incorrupta consuetudine emendat. itaq;, cùm ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quæ, etiamsi Orator non sis, & sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illi oratoria ornamenta dicendi: tùm videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. hanc cùm habeat præcipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere, splendidam quandam, minimeq; veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generosa quodammodo. Tum Brutus, orationes quidem eius, &c. atque etiam Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti, & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere. sanos quidem homines à scribendo deterruit, &c. *Ex Cic. in Bruto.*

Quid Oratorum? quem huic antepones eorū, qui nihil aliud egerunt? quis sententijs aut acutior, aut crebrior? quis verbis ornatior, aut elegantior? *Ex Cic. ad Cornelium Nepot. apud Suet. in Cæsare.*

Quid noster hic Cæsar? nónne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè singulare? quis vnquā præter hunc Tragicas penè comice, tristes remisse, seueras hilare, forenses scenica propè venustate tractauit? atque ita, vt neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur. *Ex Cic. lib. 3. de Orat.*

Sed bene loquendi de Catulis opinio non minor, sale verò conditus, & facetijs Cæsar. *Ex Cicer. de Offic.*

Reliquit & rerum suarum Commentarios Gallici, ciuilisq; belli Pompeiani. nam Alexandrini, Africiq; & Hispaniensis incertus auctor est. alij enim Oppium putant, alij Hircium: qui etiam Gallici belli nouissimum, imperfectumq; librum suppleuerit. Paulò pòst: Pollio Asinius parum diligenter, parumq; integra veritate compositos putat. cùm Cæsar pleraque & quæ per alios erant gesta, temerè crediderit; & quæ per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit; existimatq;

ſtimatq́; teſcripturum, & correcturum fuiſſe. *Ex Suet. in Cæſ.*

C. verò Cęſar ſi tantum foro vacâſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat: exornat tamen hæc omnia mita ſermonis, cuius propriè ſtudioſus fuit, elegantia. *Ex Quinct. lib.* 10.

Quid tantum noceret vim Cęſaris, aſperitatem Cœlij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibuſdam in locis aſſumere? *Ex Quinct. lib.* 10.

Hinc vim Cęſatis, indolem Cœlij, ſubtilitatem Calidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatem Caſſij, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſalæ, ſanctitatem Calui teperiemus. *Ex Quinct. lib.* 12.

At triſtior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior, & pleniot, & valentior Cicero. *Ex Tacit. in Dialog. de Orat.*

Λέγεται ἢ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ, ἄριστα καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν, *&c.* *Ex Plutarch. in Cæſ.*

Ἐν δὲ Ῥώμῃ πολλὴ δ' ἐπὶ τῷ λόγῳ περὶ τὰς συνηγορίας αὐτοῦ χάρις ἐξέλαμπεν. *Ex Plutarch. in Cæſare.*

Ac mihi ex Græcis orationes Lyſiæ oſtentat, ex noſtris Gracchorũ, Catoniſq́;, quorum ſanè plurimæ ſunt circumciſæ & breues. ego Lyſiæ, Demoſthenem, Aeſchinem, Hyperidem, multoſq́; prætereà, Gracchis, & Catoni Pollionem, Cæſarem, Cœlium, in primis M. Tullium oppono, cuius oratio optima fertur eſſe, quæ maxima. *Ex Plinio lib.* 1. *Epiſt.*

Sed ego vereor ne me nõ ſatis deceat, quod decuit M. Tulliũ, C. Caluum, Aſinium Pollionem, M. Meſſalam, &c. Diuum Iulium, Diuum Auguſtum, Diuum Neruam, Ti. Cæſarem, &c. *Ex Plin. lib.* 5. *Epiſt.*

Hi verſus debebant poni in fine Frag. Anticatonis.

Atque vtinam ritus veteres, & publica ſaltem
His intacta malis agerentur ſacra, ſed omnes
Nouerunt Mauri, atq; Indi, quæ pſaltria penem
Maiorem, quàm ſint duo Cæſeris Anticatones,
Illuc, &c. *Ex Iuuen. Sat.* 4.

FVLVII

FVLVII VRSINI ROMANI EMENDATIONES IN CAII IVLII CAESARIS LIBRVM PRIMVM

DE BELLO GALLICO.

CAP. I.

QVOD *vndique loci natura tuti Heluetij continentur.*] Vox Tuti, abest ab antiquissimis libris Vaticano, & meo. rectè igitur illam reiecit Manutius, quæ putidi alicuius Grãmatici (vt opinor) glossa, ab imperito Librario recepta, Cæsaris locũ contaminauit. pro Continentur autem, legebat Octauius Pantagathus, Contineantur.

2 *Lacu Lemano.*] Lemanno duplici nn, scriptum est in Vaticano exemplari & meo: eamq; scripturam confirmat Plinij vetustus codex Vaticanus.

4 *Propterea quòd aliud iter haberent nullum.*] Ita legitur in Vaticano codice, & meo. videturq; venustior lectio.

Ad Id. Ap.] Gabriel Faernus antiquis libris auctoribus legebat, Ad. Id. April. hoc est, ante diem Iduum Aprilium. est autem genus loquendi, quo Cæsar ipse alibi quoq; vtitur.

5 *Hedui.*] Aedui, veterum librorum auctoritate scribendum est. apud Strabonem quoq; & Ptolemæum, αἰδούϊοι, scribitur.

6 *Et internecione exercitus nomen caperet, aut memoriam proderet.*] Locum sine dubio deprauatum ita emendari posse existimabat Faernus, si, memoriæ proderetur, legeremus.

7 *Quin etiam quòd necessariam rem coactus Cæsari enunciârit.*] Hunc quoque locum ope vetusti codicis ita restituit Faërnus, quòd necessariò rem Cæsari enunciârit.

Regni per Heluetios obtinendi.] Ita est in Faerni libro.

8 *Per C. Valerium Procilium.*] Libri Vaticanus & meus habent, Procillum. eius autem fit mentio paulò infrà,

9 *Et iisdem ducibus.*] Faërnus, ijs ducibus.

A Gallicis armis.] Delet Faërnus particulam, à.

10 *Nam hoc toto prælio, cùm ab hora septima ad vesperum.*] Liber Vaticanus habet, ad vesperam. quam lectionem non omnino reijciendam esse opinor: Citat enim Charisius libro 11. Cæsaris exemplum ex Epistola ad Frontonem, quo ostendit, illum Vespera pro Vesperi dixisse.

Et nõnulli inter carros, rotasq; mataras ac tragulas subijciebant.] Mataras, reponendum ex libris Vaticano & meo. Idem error irrepsit in Liuij librum 7. & eiusdem libri Epitomen. emendandi etiam Strabo libro 9. Nonius Marcellus, & Iulius Pollux περὶ βαρβαρικῶν ὅπλων.

11 *In nullam partem noctis itinere intermisso.*] Nulla parte noctis, legebat Faërnus, ex veteribus libris. quam lectionem quis non videt meliorem esse, quàm quæ in vulgatis circumfertur?

Prima nocte.] Prima noctis vigilia, reperitur in antiquo meo libro. quomodo scriptũ esse in alijs quoq; codicibus, notauit Faernus, ita locutus est & lib. 5.

12 *Vti sibi secreto in occulto.*] Delebat Faern. in occulto, vel quòd abesse à veteribus libris obseruâsset, vel quòd, inculcatum id ab aliquo existimârit.

13 *Si quid ille se velit.*] Ita legit Faernus, quomodo in meo quoq; libro scriptum inuenitur.

Atque è molumento.] Molimento reponebat Faernus ex manuscripti libri auctoritate.

Neque de communi re dicendum sibi.] Discendum, legebat Faernus, parum ab vsitata scriptura recedens.

Si id ita fecisset.] Reijciebat Faernus particulam, ita.

Longè futurum fraternum nomen populi Romani.] Ita legit Faernus.

15 *Atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse.*] Vocem Dicebãt, Grammatici, vt opinor, Scholium, delebat, Faernus ope veteris libri.

Non magnum periculum miserabantur, quòd.] Hæc

verba non leguntur in Vaticano libro: in meo autem est, Magnũ periculũ miserabantur, quòd non, &c. mihi Vaticani libri scriptura magis probatur.

Aequitate conditionis.] Conditionum, substituit Faernus, adiutus vetere libro.

Aut ei praescribere auderent.] Viderentur, est in Faerni libro.

16 *Auctiores velit esse.*] Auctos, habet lib. Vatica.

Non Galliae oppugnandae.] Impugnandae, habet Vaticanus liber. & ita Faernus legit.

Debere se suspicari.] Delet Faernus vocem Debere, auctoribus veteribus libris.

17 *Et ad nostros adequitare.*] Videndum num rectiùs sit sine particula, Ad, vt est in meo libro.

Nam etsi sine vllo periculo legionis delectae commissum cum equitatu praelium fore videbat.] Faernus reijciebat Commissum, vocem ociosam, & inepti alicuius Grammatici glossam.

M. Valerium Procilium.] C. Valerium Procillum est in scriptis exemplaribus meo & Vaticano.

M. Titium.] Mettium, pro Titio, habent libri veteres. & in argenteo nummo C. Caesaris est, M. Mettius. Ita etiam paulò pòst scribendum.

Praesidium vtrisq; castris, &c.] In libro Faerni, & Vaticano legitur: Praesidio, &c. relicto, omnes, &c.

Duae filiae harum.] Quidam ita interpungunt, Duae filiae, harum altera, &c.

Liber II.

CAP. I.

I*Neunte aestate.*] Faernus, Inita.

Exercitus in vnum locum conduci.] Exercitum, Faernus, & paulò pòst: Primos ciuitatis miserunt.

Teutones.] Teutones scribendum est auctoritate veterum librorum Vaticani & mei: quam scripturam confirmat hoc de vetusto lapide fragmentum:

...VGVR. TR. MIL. EXTRA
....VGVRTHA. REGE. NVMID
....TRIVMPHANS. IN
....ANTE. CVRRVM. SVVM
....NSVL. APSENS. CREATVS
....NORVM. EXERCITVM
...CIMBROS. FVGAVIT. EX IEIS
....HAVIT. REMP. TVRBATAM

Caletos.] Caletes habet liber meus. καλῆται, Ptolemaeus.

Et Funditores Baleares.] Baliares, ex vetusti lapidis auctoritate scribendum, quomodo apud Graecos etiam βαλιαρεῖδες, scribi animaduerti. Inde Baliaricus, vt est in eodem lapide, dictus Metellus.

3 *Et quid nostri auderent sollicitationibus exquirebat.*] Ita scriptum est in meo libro.

Et in fronte leuiter castigatus.] Ita legit Faernus.

Quod Diuitiacum quoque.] Delet Faernus particulam, Quoque.

4 *Ex pauore, ac fuga.*] Pro pauore, Faernus legit, terrore.

5 *Cùm per eorum fines triduo iter fecisset.*] Faernus ex vetere libro emendauit, triduum, quae mihi lectio magis probatur.

Nam quòd hostis appropinquabat.] Existimabat Faernus, hosti, legendum esse. Caesar enim in motu erat, non hostes qui trans flumẽ Sabin expectabãt.

His facilè pulsis, ac perturbatis, incredibili celeritate ad flumen decurrerunt.] Proturbatis, est in libro Faerni. in meo autem, pro decurrerunt, est, decucurrerunt. quam scripturam in eo libro passim seruari animaduerti: vt etiam, ciuitatium, pro ciuitatum. videndus Charisius Grammaticus.

6 *Sed etiam ad Galeas induendas.*] Liber meus habet, inducendas.

7 *Vt in sinistra parte aciei.*] Acie, legit Faernus, pro Aciei. sic lib. 5. & Salustius hist. lib. 1. apud Priscianum.

Rursus resistentes hostes, redintegrato praelio in fugam coniecerunt.] Ita hunc locum legit Faernus ex vetere libro.

Clamor fremitusq; exaudiebatur.] Oriebatur, est in meo libro. & ita legebat Faernus.

Ausos esse.] Faernus, ausi quòd essent.

Custodiam ex suis, ac praesidium.] Ita legit Faernus, pro custodiae, & praesidio.

Tanti oneris turrim in muros sese collocare.] Opinor scribendum, muro: quo modo Faernus quoque legebat.

Vt posteà compertum est.] Placet, perspectum est: quod Faernus etiam annotauit.

Nostros praesidia deducturos.] Pro Deducturos, in meo libro scriptum est, non inducturos: quam ego huius loci veram scripturam opinor.

Osismos.] Osismos est in scriptis codicibus, quos ego vidi. & Ptolemaeus habet ὀσίσμιοι. Ita Orosij antiquum apud me exemplar.

Liber III.

CAP. I.

N*E primum quidem posse impetum suum sustineri.*] Vocem Suum, reijciebat Faernus. quae & à veteribus quoque libris abest.

Gessa.] Gaesa est in libro Faer. & meo. Ita etiam Graeci γαισὰ scribunt. videndus Pollux. paulò suprà, pro colloquendis, Faernus legebat, collocandis: quam scripturam retinuit Manutius.

Alijs occurrisse rebus viderat.] Videbat, Faernus.

2 *Proximus Oceano in Andibus.*] Proximus mari Oceano, habet liber meus. & ita olim Octauius Pantagathus emendârat. Faernus autẽ legit, proximus mare Oceanum in Andibus hyemabat.

Frumenti, commeatusq; petendi causa dimisit.] Faernus delet vocem Commeatus, & pro dimisit, legit dimiserat.

Caeteros antecedunt.] Faernus reliquos.

Vnellos.] Reponendum Eusebios, ex libro Faerni, & meo.

Quòd ille aberat longiùs.] Ipse, pro Ille, Faern. & ita puto scribendum.

Ambialites.] Ambianos habet liber meus. & ita Ptolemaeus.

Veneti reliquaeq; item ciuitates.] Ita Faernus.

Diablintres.] Diablintes, est in meo libro. Plinius tamen lib. 4. Diablindas appellat.

Quod

Quod nemen ad omnes nationes, &c.] Ita legit Faer.

Libertati studere.] Placet vt in meo libro legitur, libertatis studio se incitari.

3 *Atque eius vsus inscitiam.*] Insciientiam habet liber meus. & ita paulò infrà.

Casus erat extimescendus.] Erant extimescendi, scriptum est in meo libro.

4 *Non absimili forma muralium falcium.*] Vidi librũ manuscriptum, qui pro Muralium haberet Ruralium. paulò pòst, pro Prærumpebantur, emendat Faernus Perrumpebantur.

Quo ventus ferebat.] In quam ventus, &c. Ita est in meo libro.

Maximè fuit oportuna.] In meo libro est, Maximæ fuit oportunitati.

5 *Vt iam non solùm hostibus in contemptum Sabinus veniret.*] Faernus legebat, contemptionem: qua voce vsus est Cæsar lib. 3. de bello Ciuili.

6 *Ex tertia parte Galliæ est æxistimanda.*] In meo libro legitur, æstimanda; quam scripturam retinemus.

Tolosa & Narbone.] Locus mancus ita supplendus ex vetere meo libro, Tolosa, Carcasone, & Narbone. & Ptolemæus, τολῶσα, καρκασὼ, ναρβών.

In Sontiatium fines.] Ex eodem libro reponendum, Sociatium. quomodo & apud manuscriptum Orosium legi animaduerti. ita etiam Athenæus lib. 4.

Cetraria sectura.] In libro Faerni est, stricturæ.

Quos illi Soldurios appellant.] Athenæus libr. 4. si modò, quæ circumfertur editio, mendo vacat, Silodunos hos nominat, his verbis: νικόλαος δ' ὁ δαμασκηνὸς, &c. φησὶν, ἀδιάτομον τὸν τῶν σωτιανῶν βασιλέα, (ἔθνος δὲ τοῦτο κελτικὸν) ἑξακοσίους ἔχειν λογάδας περὶ αὐτὸν, οὓς καλεῖσθαι ὑπὸ γαλατῶν τῇ πατρίῳ γλώττῃ σιλοδούρους. τοῦτο δ' ἐστὶν ἑλληνιστὶ εὐχωλιμαῖοι. τούτους δ' οἱ βασιλεῖς ἔχουσι συζῶντας καὶ συναποθνήσκοντας, ταύτην ἐκείνων εὐχὴν ποιουμένων, ἀνθ' ἧς συνδυάζουσι τὴν αὐτὴν ἐσθῆτα καὶ δίαιταν ἔχοντες, καὶ συναποθνήσκουσι κατ' ἀνάγκην, εἴτ' ἐν νόσῳ τελευτήσει ὁ βασιλεὺς, εἴτε πολέμῳ, εἴτε ἄλλως πως, καὶ οὐδεὶς εἰπεῖν ἔχει τινὰ ἀποδειλιάσαντα τοῦτον τὸν θάνατον, ὅταν ὁ βασιλεὺς, ἢ [illegible]. Illud etiam est hoc loco notandum, quem Atheneus ἀδιάτομον appellauit, inscriptis Cæsaris codicibus Adiatonum nominari: eamque scripturam confirmari testimonio Plutarchi.

7 *Crassus in fines Vocentiorum.*] Legendum ex Dione lib. 39. & veteribus libris, Vocatium. ita etiam Cæsar paulò infrà.

Crassus cum sua cunctatione, atque opinione.] Cunctatio atque opinio habet vnus liber scriptus: post eà mutatum in cunctatione, atque opinione.

Flustates.] Elusates ex Plinio, & Claudiano in Ruf. *- muros inuadit Elusa.*

8 *Eò exercitum adduxit.*] Duxit, est in meo libro.

Liber IIII.

CAP. I.

R*Eliqui, qui domi remanserint, se atque illos alunt.*] Præstare opinor vt legamus, quomodo in libro Latini Latinij Viterbiensis scriptum inueni. reliqui domi manent; pro se atq; illis colũt.

Neque vestitus præter pelles habeant.] Deest vox, Quicquam, quam ex vet. lib. reposuit Faer.

Quibus maximè Galli delectantur.] Quibus maximè Gallia delectatur, quæq; immenso parat precio, &c. Ita legitur in meo libro.

Ac multò humiliores, infirmioresq; redegerunt.] Reddiderunt, Faernus ex vetere libro.

2 *Ad Ambiuaritos.*] Ambibaritos, habent libri scripti, & Orosij antiquum exemplar.

Mediomatricum, Tribotorum.] Legendum Tribocorum, ex Strabone lib. 4. & Ptolemæo. liber autem meus habet, Mediomatricorũ, qui μεδιοματρικοὶ Straboni. Ptolemæo tamen, μεδιομάτρικες.

3 *Cùm ipsi non ampliùs D C C C. equites haberent.*] ∞ D C C C. est in meo libro. quam ego scripturam non improbandam opinor. paulò pòst, pro Ierant trans Mosam, scriptũ est, erant trans Mosam profecti.

4 *Sicambrorum.*] Sugambrorum habet liber meus, & Orosius scriptus à Strabone etiam σούγαμβροι, & à Ptolemæo σύγαμβροι appellantur.

Tantum esse nomen apud eos, atque opinionem, &c.] Ita est in meo libro.

Hac machinationibus immissa in flumen.] Ita legitur in meo libro.

Pro ariete subiectæ.] Pariete emendârat Faernus, ope veteris libri: & ita est in meo.

5 *Adit ad illos quisquam.*] Illo adit quisquam, Faerni liber.

Atque imperio Populi R. paratos obtemperare.] Ita scriptum est in meo libro.

Neq; has tantularum rerum occupationes sibi Britanniæ anteponendas iudicabat.] Ita est in meo libro.

Atque ita montibus.] Adeò montibus, legitur in meo libro.

Simul & nauibus desiliendum.] Ita habet meus lib.

Culpam in multitudinem contecerunt.] Contulerũt, est in meo libro.

6 *Et cùm se inter equitum turmas insinuauerint, ex essedis desiliunt, & pedibus præliantur.*] Ita hunc locũ legendum puto auctoribus libris Faerni, & meo.

Infirmis nauibus hyemis nauigationem subeundam non existimabat.] Videndum an ita legi debeat, vt in meo libro scriptum est: Infirmis nauibus hyemi nauigationem subijciendam.

Liber V.

CAP. I.

M*Agis magnos ibi fluctus fieri cognouerat.*] Minus magnos, scribendũ puto: quomodo legebat Faernus. & in meo vetustissimo libro scriptum vidi. paulò etiam infrà, pro, In alio mari vti assueuerant, est, In reliquis vtimur maribus. quam scripturam agnoscit Priscian. lib. 7.

Accepta oratione eorum.] Pro, oratione, non malè habet, ratione, liber meus.

Quid fieri velit ostendit.] Vellet Faernus.

Atque omnes ad portum Iccium conuenire.] Itium est in scriptis libris. eius meminit Strabo lib. 4. his

verbis: [illegible], &c.

Circiter millium passuum XXX. *transmissum à continenti.*] Delebat Faernus vocem Transmissum, quòd illam abesse à veteribus libris animaduertisset.

2. *Ad Britannicum bellum omnibus comparatis rebus*] Ita Faernus.

3. *Ille autem reuocatus.*] Ille enim, habent libri Vaticanus, Faerni, & meus. Enim hîc nõ est Coniunctio causam reddens, sed assertionem.

4. *Vno erant visæ tempore, à litore discessserant.*] Vnà erant visæ, timore à litore, &c. ita in meo libro scriptum est.

Atque in litus eiectas esse.] In litore, Faernus.

5. *Aut annulis ferreis.*] Lancinis, pro annulis, Faernus.

Hoc millia passuum DCCC. *in longitudinem esse arbitrantur.*] Melius ex vetere libro Faernus, existimatur, pro arbitrantur.

Omnes verò se Britanni luteo inficiunt.] Ita hunc locum emendauit Petrus Victorius, cùm antea Glasto legeretur: quæ vox cùm nusquàm penitùs inueniatur, ex corruptis Plinij verbis in hunc locum irrepsit. in vetustissimo tamen codice Vaticano, pro glasto, est Vltro. & apud Pomponium Melam lib. 3. cùm de hac corporum infectione loquitur, Vltro etiam legitur. in meo autem antiquissimo libro est, Vitro. vt quam retineam, veram lectionem non habeam.

7. *Magnus ibi numerus pecorum repertus.*] Placet Pecoris, quomodo in Faerni libro legebatur.

Cùm statuisset hyemem incontinente propter repentinos Galliæ motus agere.] Ita est in meo libro.

Samarobrinæ.] Samarobrinæ habent Faerni libri & meus. Ptolemæus etiam [illegible].

8. *Inimici palàm, &c.*] Ex vetere libro legebat Faernus: Inimicis iam multis palàm ex ciuitate, & his auctoribus eum interfecerunt.

Quorum opera cognouerat.] Rectiùs in meo libro legitur, Quorumq; opera cognouerit.

Ad castra oppugnanda venerunt.] Castra oppugnatum venerunt, Faernus.

C. Carpinetus.] C. Arpinius, est in meo libro.

Subsidio venire.] Subuenire, Faernus.

Ab ijs absit.] Reijcit Faernus, ab ijs. & ita est in meo libro.

10. *Prouidere possent.*] Scire liber meus habet.

Et numero pugnandi pares nostri.] Pugnatium, pro pugnandi, ex ingenio emendauit Faernus.

A confertis vitare poterant.] Rectiùs, opinor, in meo libro, Conferti vitare poterant. Ita etiã paulò infrà, pro pugnaretur, est, pugnâssent.

T. Baluentio.] T. Bentio, est in meo libro.

Sperare se ab eo de sua, ac militũ salute impetrari posse.] Ita est in meo libro.

11. *Gladijs cespites circumcidere.*] Cespitem Faernus in vetere libro scriptum obseruauit.

Nam minùs horis tribus &c.] Faernus ita ex vetere codice legebat. nam minùs horis tribus x. milliũ in circuitu munitionem pedum xv. perfecerunt. locum opinor non vacare mendo. nam ita de hac ipsa re scripsit Orosius, vel potiùs è Cæsare exscripsit. Multitudo hostiũ ex hoc colligi potuit, quia cùm in obsidione castrorum vallum circundandum esse à captiuis Romanis doceretur, & instrumenta ruralia non haberent, gladijs concidendo terram, & sagulis exportando, vix tribus horis vallum pedum x. & fossam pedum xv. per millia passuum xv. in circuitu fecerunt.

12. *Quanta cum virtute.*] Delebat Faernus particulam, Cùm. & ita est in meo libro.

Neque hostibus diutina lætitia.] Lætatio est in Faerni libro.

13. *Exercere, à finitimis equos parare.*] Rectiùs, opinor, in meo libro legitur, Exigere à finitimis, equos parare, exsules, damnatosque tota Gallia magnis præmijs ad se allicere cœpit.

Et manu munitissimis castris.] Abest vox, manu, à meo vetere libro.

Liber VI.

CAP. I.

ILli finitimos atque Germanos.] Finitimos Germanos, est in meo libro: & ita puto scribendum.

Aut ex eo quod metuerat, odio.] Faern. Aut ex eo, quod in eum erat, odio: siue meliores nactus codices, siue ex ingenio, ita emendauit. pro Existat autem, est Oriretur in meo libro.

3. *Si ampliùs obsidum velit dari, pollicentur.*] Ita legitur in meo libro. & paulò pòst, pro Vbiorum, vbi horum.

4. *Iidem decernunt.*] Abest vox Iidem à Vaticano codice & meo.

Natio est omnium Gallorum.] Omnis est in meo libro.

Non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur.] Non posse aliter Deorum, &c. Ita est in meo libro.

Iustis funeribus.] Quum, Iusta, quæ Græci [illegible] dicunt, & funera, idem sit, suspicor mendum esse in voce funeribus: & vel funebribus scribendum, quo modo locutus est Liuius, vel omnino vocem delendam.

5. *Quàm latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere.*] Ego in optimo meo libro scriptum inueni, quàm latissimas: & ita legendum opinor. Faernus tamen legit, quàm latissimè.

Vulgò Tectosages.] Non est dubitandũ quin Volcæ Tectosages, vt in libro Faerni & meo, sit legendum. Ptolemæo etiam [illegible].

Qui se aut audisse, aut adisse ad initium eius syluæ dicat, &c.] Faernus nullo adiutus vetere libro, sed coniectura tantùm ductus, ita hunc locũ emendabat: Qui se, aut adisse ad initium eius syluæ dicat, &c.

Ab eius summo sicut palmæ, ramiq; latè diffunduntur.] Animaduertit Faernus locum non carere mendo. itaq; delebat particulam Que: in meo autem libro meliùs, pro Que, legitur Quàm.

6. *Ad bellum Ambiorigis profectus.*] Vox Profectus, abest à libro Faerni: & [illegible] posita ab aliquo videtur.

Atque

Atque etiam imparatum.] Faernus delet, etiam. & paulò suprà legit, celeriter, contra omnium opinionem, &c. quomodo in meo quoque lib. scriptum est.

Sed hoc quoque factum est.] Melius in meo libro, Sed hoc factum est. &c.

Ambiorix copias suas iudicione non conduxerit.] Ita Faernus.

Ad Vatucam contendit.] Liber meus habet, Atuatucam. quam lectionem confirmat Ptolemæus, licèt operatum vitio ἀτουάτουκον apud illum scriptum sit.

Aut locis syluestribus palus impedita.] Ita scriptum est in meo libro.

Quàm legionariorum.] Legionarius miles, est in meo libro.

7. *Deficiens ægrè per manus tractus.*] Abest vox Deficiens à Faerni libro, & meo.

Qui non rei nouitate.] Quin, legit Faernus, & ita habet liber meus.

8. *Fidem non haberent.*] Videndum ánne rectiùs sit, vt in meo libro, Fidem non faceret.

Equitatum se ex fuga recepisse dicerent.] Equitatum tantùm se ex fuga, &c. ita est in meo lib.

Ne minimo quidem casu.] Magis placet, casui, vt est in lib. Vaticano, & meo.

Durocortum.] Liber Vaticanus & meus habent, Durocortorum. Ptolemæus quoque Δουροκόρτορον. malè igitur apud Strabonem, Δουκόρτορον.

Liber VII.

CAP. I.

Q[*V*]*am à maioribus acceperāt.*] Acceperint, est inscripti in meo libro. & paulò pòst, Quoniam in præsentia obsidibus caue re, &c.

Quod more eorum grauissima ceremonia continetur.] Quo more eorum grauissimæ ceremoniæ continentur: ita est in meo libro, egoq; ita malo, quàm vt in alijs legitur.

2. *His constitutis rebus, omnibus fuit inopinantibus.*] Reijciebat Faernus vocem, omnibus: quæ à meo quoq; libro abest: ac nescio quo modo in hunc locum irrepserit. paulò pòst, pro Ibi scriptū est, Inde.

3. *Quo pabulandi causa adire posse videantur.*] Liber meus habet, adiri.

4. *Insidiarum causa.*] Insidiandi, est in meo lib.

Reliquaq; quæ ad oppugnationem oppidi.] Ita est in meo lib.

Non hæc omnia fortuitu.] Fortuito, habent libri, Vaticanus & meus.

Quem turpiter se ex hac fuga recipientem, &c.] Ita scriptum est in meo lib.

5. *Milites cùm toto tempore luto frigore, & assiduis imbribus turbarentur.*] Ita legitur in meo lib.

Quidam ante portam oppidi Gallus qui per manus seui, & cæt.] Ita hic locus legendus à Faerno primùm ex ingenio, deinde libri mei auctoritate emendatus.

Perfectisq; operibus.] Derectis habet liber meus: sic enim vbiq; pro Directis.

Vt si qua ex parte obuiam contrà ueniretur.] Faernus delebat Contra.

Vltimas oppidi partes continenti impetu petiuerūt.] Cōtinuò petiuerunt, habet liber meus.

Silentio ex fuga recepit.] Liber meus habet, silentio sic ex fuga recepit, &c. vt nisi ita legatur, non satis aptus sensus elici possit.

6. *Neq; in acie vicisse Romanos.*] Ita legitur in meo lib.

Vt omnia quæ imperarent, sibi patienda & perferenda existimarent.] Non dubito quin illud, & perferenda, sit Grammatici alicuius glossema, quod auctoritate veteris libri reijciebat Faernus.

Senatumq; omnem & quos inter controuersia esset, etiam ad se euocauit.] Liber meus antiquissimus habet, Decetiam euocauit. codex verò Vaticanus. Ad se etiam, licèt nō omninò emendatè, minùs tamen corruptè, & in quo veræ scripturæ vestigia aliqua appareant. esse autem Decetiam oppidi nomen, in finibus Aeduorum, opinor: eiusq;. quòd non adeò celebre esset, mentionem apud Scriptores non reperiri.

Atque omnibus omissis his rebus.] Faernus delebat, his.

7. *Erat in magnis Cæsaris difficultatibus res.*] Hunc locum ita reperi scriptum in meo vetustissimo libro, Erat in magnis Cæsari difficultatibus, ne, &c. & ita Faernum quoq; legisse animaduerti.

Postridie cum duabus legionibus in occulto restitit.] Postero die, Faernus. & ita legendum arbitror.

Castris pro oppido in monte positis.] Prope oppidum, est in meo lib.

Cum ijs primum communicat, hortaturq; vt se liberos, & imperio natos &c.] Liber meus pro Primum. habet præmium: quam scripturam videntur confirmare hæc quæ sequuntur verba: Celeriter adolescentibus, & ratione Magistratus, & pręmio deductis, & cæt. siue, vt emendauit Faernus, adductis.

Ad Cæsarem disceptaturi.] Placet disceptatorem, quomodo Faernus legebat, & est in meo lib.

Indicta causa.] Indicta re, Faernus.

8. *Atque omni genere telorum.*] Ita est in meo lib. infulsè legunt alij, omnis generis telorum.

Primis nuncijs.] Trinis, pro Primis habet liber meus. sed non satis placet.

Si alterum amisissent, non dubitari, quin penè circumuallati.] Ita legitur in meo lib.

Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi, mulionesq; &c.] In omnibus quæ vidi exemplaribus, locus hic mancus, mutilusque circumfertur. vnius autem optimi libri ope, insigni repleta lacuna, ita illum suppleuimus: Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris, mulorumq; produci, neq; ijs ferramenta detrahi, mulionesq;, &c.

9. *Quòd satis magna vallis intercedebat.*] Magnæ valles intercedebant, est in meo lib.

Matres familias.] Matres familiæ, habent lib. Vaticanus, & meus.

Nec minùs se in milite.] Non minùs, &c. Vaticanus liber, & meus.

Pontem refecit, exercitumq; transduxit.] Ita habent libri Vaticanus, & meus.

10. *Ne aut inferre iniuriam videretur, aut dare timoris aliquam suspicionem.*] Daret, Faërnus.

In eamq; fortunam, amplitudinemq; deduxisset.] Ita est in meo libro.

Vt, ab re frumentaria, Romanos excludere.] Rectiùs in meo libro legitur, Si aut re frumentaria, &c.

Id ne tum quidem necessariò faciundum existimabat.] In meo libro est, Vt nemo tunc quidem, &c.

11. *Id est oppidum Parisiorum, quod positum est in Insula.*] Ita legit Faërnus.

Neque nostrorum militum, victorumq; impetum sustinere potuerunt.] Hunc locum ita emendauit Faernus ex vetere libro: Neque nostrorum militum victorum impetum, &c.

12. *Eodem conueniunt vndique frequentes multitudines. suffragijs res permittitur.*] Quis non videt hunc locum ita scribendum, atq; interpungendum esse, vt in libro Faerni scriptum animaduertimus? Eodem conueniunt vndiq; frequentes. multitudinis suffragijs res permittitur.

A tribunis Mil. reliquisq;, sed & equitibus Romanis.] Ita est in meo libro.

Id quod magis futurum confidebat.] Vaticanus liber & meus habent, confidat, vt opinor, rectiùs. & paulò suprà, pro Iter facere, Iter confici.

Pugnatur vnà tunc omnibus in partibus.] Ita est in meo libro.

13. *Alexiam.*] Liber Vaticanus & meus habent, Alesiam. ita etiam Strabo lib. 4. licèt malè apud eum legatur, [illegible]. Plutarchus, Dion. libro 4. Diodorus Siculus, & Velleius Paterculus.

Qua maxima parte exercitus confidebant.] Quo maximè confidebant, liber meus.

Ab ea fossa pedibus C D. *deduxit.*] Ita liber meus habet, pro reduxit.

Huc teretes stipites feminis crassitudine.] Latinus Latinius Viterbiensis vidisse se librũ manuscriptum testatur, in quo, pro Feminis, legeretur Fœmoris. in meo autem, pro Ad summum, est, ad infimum.

Ferreis hamis infixis tota in terram infodiebantur.] Videnum rectiùs, infixę, vt est in lib. Faerni & meo.

14. *Frumenti rationem habere.*] Frumentandi Faernus legit, & ita habet liber meus.

Xantonibus.] Liber meus habet, Santonis. & ita omninò legendum. paulò infrà, Lexouijs, Aulerus, Eburonibus, &c. delendum, Aulerus, ex eiusdem libri auctoritate.

Curiosolites, Rhedones, Ambibari, Cadetes, Osismij, Lemouices, Veneti, Veneli, &c.] Ita est in meo libro, vlnam etiam Ptolemæo.

Fiduciæ pleni.] Fiducia est in meo libro.

Quid ergo? mei consilij est facere.] Ita ex meo libro interpungendum.

15. *Eosq; propulerunt.*] Pepulerunt, Faernus.

16. *In aliena videns virtute consistere.*] Constare est in meo libro.

Eruptione pugnaret.] Pugnet, liber meus.

Loca prærupta, atque ex adscensu tentans.] Ita est in meo libro.

Aggere, & cratibus aditus expediunt.] Fossas explêt, habet liber meus, pro, aditus expediunt.

Excipitur rursus ex vallo atq; omnibus munitionibus clamor.] Excipit, libri Vaticanus & meus.

Huius anni rebus cognitis.] His rebus literis Cæsaris cognitis: ita se reperisse in Antiquo libro notauit Faernus.

Liber VIII.

CAP. I.

A. *Hirtij, vel Oppij.*] A. Hirtij Pansæ. ita hic liber inscribitur in meo vetusto codice.

1. *Equitatus præsidio.*] Equitum præsidio, Faernus.

2. *Velliocassos.*] Vellocasses habet liber meus. ita Plinius, & alij.

Vt si diceretur Cæsar cum 3. legionibus venire, offerrent se, &c.] In meo exemplari totus hic locus ita legitur. Si, vt diceretur (vel, dicebatur, vt in libro Latini Latinij) Cęsar cum tribus legionibus veniret, offerre se, &c. paulò infrà, pro Permanerent, est Permanere.

Coronisq; pro ratione eius altitudinis inædificari.] Ita Faernus.

Alter quo propior hostem in vallo collocatus esset.] Faerni liber & meus habent, Alter qui propior hostem in ipso vallo collocatus esset.

Aut vicissim hostes, eodem transgressi.] Meliùs Eandem, vt est in libro Faerni & meo.

Præsidio pabulationibus mittit.] Faernus ex vetere libro legebat, pabulatoribus: quod magis placet.

3. *Fasces vbi consederant, nam, &c. stramentorum ac virgultorum, quorum summa erat in castris copia, per manus inter se transditos.*] Ita Faernus.

A conspectu texit Romanorum.] Pro texit, est in meo libro, extulit.

Vix suorum ipsi priores partes animaduerterent.] Ita est in meo libro.

Primus cum paucis se ostendit.] Videtur legendum, Primum, vt in meo libro, & non multò pòst, pro Nostri constanter, est, Nostri autem constanter.

Omnibus aduersis, cognita calamitate, interfecto Corbeo.] Faernus ex veteris libri auctoritate delebat verba illa, cognita calamitate. in meo autem exemplari, atque etiam in vetustissimo Orosij libro, qui apud me est, Correus, non Corbeus scribitur.

Velut insueta re permotus, vellet celeriter hominem conficere, à familiaribus prohibitus non potuit.] Ita est in meo libro.

4. *Qui in illis regionibus præerat.*] Abest particula In à Faerni libro, & meo.

Proximum suæ dignitati esse ducebat.] Faernus, proximum esse ducebat.

Atque omne agmen morarentur.] Reijcienda vox Agmen. auctoribus libris Faerni, & meo.

Q. Tuatius Varus.] Legendum Q. Attius Varus, vt in lib. 3. belli Ciuilis.

5. *Reliquasq; proficiscitur ciuitates.*] Cæterasque est in Faerni libro, & meo.

Profugit inde cum paucis Lucterius.] Effugit, Faernus: & ita habet meus liber.

Ipse Legionem vnam intra castra distribuit.] Pro Intra, est in Faerni libro & meo, trina.

At Germanos, equitesq́.] At Germanos equites, est in meo libro. & paulò pòst: Germani equites, pro Germani, equitesq́;.

6. *Sub ipsius enim Opidi murum magnus fons prorumpebat.*] Videndum, num meliùs in meo libro legatur, Sub ipsum enim Opidi murum magnus fons protumpebat.

Opidani enim loco superiore decurrentes, sine periculo praliabantur, multosq́, pertinaciter succedentes vulnerabant, vt tamen milites nostri non terrerentur.] Ita hic locus legitur in meo libro.

Eodem tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis.] Liber Faerni habet, Eodem tempore cuniculos tectos, crates, & vineas agunt ad caput fontis.

Sed quæ superare fontis fastigium posset.] Faernus legebat ex Antiquo libro, Sed quæ superaret fontis fastigium.

Vt ab incendio restinguendo dimicatione, & periculo deterrerentur Rom.] Ita est in meo lib.

Tamen omnia paratissimo sustinebant animo.] Fortissimo habet liber meus, pro paratissimo.

Ita vt quisq́ poterat.] Faernus, Ita quàm quisq; poterat.

Cùm pertinaciter resisterent Opidani.] Hunc locum ita legebat Faernus: Cùm pertinaciter resisterent opidani, & iam magna parte suorum siti amissa, in sententia permanerent, ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt, &c. hanc lectionē confirmat meus liber.

Manus præcidit, vitam concessit.] Ita est in meo libro, rectiùs quàm in vulgatis, manus præcidit, vitamque concessit.

7. *Qui nullus aduersus Romanos auxilia denegabant.*] Meus liber habet, qui nulli, &c. & ita legendum opinor.

Parente Romanis ciuitate.] Liber meus habet Parente sibi omni ciuitate. quæ lectio videtur non omninò improbanda.

Ille autem fuga vehementi Volusenum longiùs produxisset.] Perduxisset, Faernus.

Et conuersi hostem pellere.] Conuersis equis, est in meo libro.

8. *L. Paulo, & C. Marcello Coss.*] L. Lentulo, & C. Marcello Coss. emendauit olim Octau. Pantagathus; & ita in veteri lib. scriptū est. horum autem consulum mentio est in antiquo etiam argenteo nummo, in quo legitur: L. LENT. C. MARC. COS.

Quam sub discessu suo.] Meliùs in Faerni libro, & meo, Quam sub decessum suum.

Contendebat enim gratia cùm libenter pro homine. &c.] In Antiquo libro scriptum est, Contendebat enim libenter eum gratia pro homine, &c.

Simulq́ se & honorem suum in insequentis anni commendaret petitione.] Ita Faer. & Latini Latinij liber.

Fore eo facto liberam.] Eo pacto, Faernus.

Sed etiam per se discessionem facere cœpit.] Deest vox Senatus, quæ à Faerno reposita, locum sine dubio corruptum restituit: Sed etiam per se Senatus discessionem, &c.

Quod ne fieret, Consules, amiciq́ Pompeij insserunt.] Pro Iusserunt, emendauit Octauius Pantagathus, Intercesserunt: sed haud scio, ex auctoritate ne antiqui libri, an coniectura.

Atq́ ita rem moderando discesserunt.] Faerni liber habet, Atque ita remorando discesserunt.

Confectam ex delectu prouincia, Cæsari eam tanquam ex suo numero dedit.] Liber Faerni & meus habent, Confectam ex delectu Prouinciæ Cæsaris, ei tanquam ex suo dedit.

Cùm de voluntate Aduersariorum, &c.] Cum voluntate aduersariorum, legit Faernus deleta particula De.

Ipse exercitui distribuit hyberna.] Ita hic locus legitur in meo libro.

LIBRO I. DE BELLO CIVILI.

CAP. I.

REferunt *Consules de Rep. in ciuitate.*] Faernus delebat in ciuitate, quod fortassè ab aliquo [illegible] positum, in Cæsaris verba irrepsit.

Hæc Scipionis oratio, quòd Senatus in vrbe habebatur, Pompeiusq́ aberat.] Aderat, habent omnes manuscripti libri, & ita omninò legendum: non vt Petrus victorius, & alij eum secuti, Aberat emendârunt. valet autem, vt opinor, hoc loco, aderat, ad vrbem erat: quod rectè de Pompeio dictum est, qui quòd Procos. esset cum Imperio ad vrbem erat, cùm in vrbe esse non liceret. itaque ipse Cæsar ita de Pompeio infrà scribit: Ne ad eius periculum reseruare, & retinere eas ad vrbem Pompeius videretur. Ad vrbem verò esse, qui dicerentur, & pluribus locis docet Pædianus, & ex his Cesaris verbis colligitur. qui Procos. sunt ad vrbem, &c. quam autem reponimus lectionem, confirmant hæc, quæ sequuntur verba: Misso ad vesperum Senatu, omnes qui sunt eius ordinis, à Pompeio euocantur. paulò pòst: Proximis diebus habetur Senatus extra vrbem. Pompeius eadem illa, quæ per Scipionem ostenderat, agit, &c.

Laudat Pompeius, atque in posterum confirmat.] Octauius Pantagathus pro Pompeius, legebat, Promptos. quo nihil potest aptius huic loco excogitari, licèt nullius, quod sciam, veteris libri auctoritate confirmetur.

Atque ostentatio sui & potentium.] Sui potentium, Octauius Pantagathus.

Quorum ipse maximam partem illo affinitatis tempore adiunxerat Cæsari.] Liber meus habet, Iniunxerat. & paulò pòst, turpim, pro raptim.

2. *Quiq́ Proconsules sunt ad vrbem.*] Octauius Pantagathus legebat, Proconsulibus.

In Mauritaniam mittatur.] In meo antiquissimo libro scriptum est, Mauretaniam: quæ scriptura in Græco quoque æreo numismate reperitur. μαυρετανία enim habet.

Phi-

Philippus & Marcellus priuato consilio prætereuntur.] Pro Philippus, emendauit Octauius Pantagathus, Paullus. quòd enim superiore anno consules fuissent, prætereundi non erant, quominùs eis consulares prouinciæ decernerentur.

Paludatiq; votis nuncupatis exeunt.] Meliùs, exeant, vt est in vetere libro.

Quæ superioribus annis armis esset restituta.] Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis, delet vocem, armis.

Qui amissam restituisse videbatur, dona etiam, &c.] Ita Faërnus.

3 *Semper se Reipub. commoda priuatis necessitudinibus habuisse potiora.*] Faërnus ex vetere libro, necessitatibus legebat.

Sibi semper Reipub. primam fuisse dignitatem, &c.] In meo vetustissimo codice locus hic aliter legitur, ac in lib. Faerni scribi animaduerti. sic enim habet: Sibi semper primam fuisse dignitatem, vitaque potiorem: doluisse se quòd pro beneficio sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur. sed Faerni lectio magis placet: Sibi semper Rempublic. primam fuisse dignitate, vitaque potiorem, &c.

Proficiscatur Pompeius, in suas prouincias ipsi exercitus dimittantur.] Opinor rectiùs legi in Faërni libro & meo, exercitus dimittant. Antonius August. delet vocem ipsi.

4 *Ipse Arimini cum duabus legionibus subsistit.*] Faërnus, substitit.

Actius.] In meo vetustissimo libro, Attius duplici tt, scribitur. eius meminit Cicero ad Attic. Epist. 4. lib. 8. Sulmone C. Attium Pelignum aperuisse Antonio portas.

In ijs Camerino fugientem Vlcillem Hirum.] Liber meus corruptè habet, Veillum Hirrum. Faërnus autem pro Vlcillem, substituit Lucilium.

5 *Quaterna in singulos iugera.*] Ita emendauit Paulus Manutius, cùm malè XL. in omnibus exemplaribus scriptum sit.

Castellisq; circummunire instituit.] In libro Faërni & meo est, circumuenire.

Consultandi causa.] Faërnus, consiliandi.

Neque eorum tam remisso.] Neq; verò tam remisso, Faernus ex vetere libro.

Vt nullus in aliam partem mente atque animo.] Liber meus habet, vt alius in aliam, &c. quæ lectio non improbanda.

Vt tribunos plebis ea re ex ciuitate expulsos.] Pro ea re, reposuit Faernus, iniuria. cuius scripturæ vestigia retinet antiquus meus lib.

Erant Senatorij ordinis.] Pro Senatorij, est, primi, in libro Faerni & meo.

Ferentinorum.] Frentanorum, est in meo libro. quam scripturam confirmant Græci quoque scriptores Ptolemæus & Strabo. Φρεντανοὶ enim habent.

6 *Neque verò idem perfici.*] Profici, est in meo libro.

Reliquisq; telis pugnabatur.] Pugnabant, Faërn.

Nihil sine illis de compositione agi posse.] Faërni liber & meus habent, Sine illis non posse de compositione agi.

Deprehensas excipiunt.] Ita Faern. legit, & in meo libro scriptum est.

7 *His venientem Vticam cum nauibus Tuberonem.*] Deest particula, Cum, in Faerni libro, & meo.

Se verò vt operibus antè studuerit, sic iustitia & æquitate, velle superare.] Liber meus antiquus habet, Se verò vt opibus anteiri studuerit, &c. ac vidi qui hãc lectionem retinendam putent.

8 *Quas Sicilia & in Cosano à priuatis coactas.*] Cùm anteà legeretur Sicilia & Sardinia. ita ope veteris libri emendauit Petrus Victorius. meus autem liber eandem seruat scripturam. nisi quòd pro Sicilia, habet Sigili. minùs certè deprauatum nomen. nam Sicilia prouincia, cum Cõsano, quæ Domitia villa sit, non satis aptè coniungitur.

9 *Celtiberis, Cantabris.*] Celtiberiæ, habet liber meus.

Quem ipse petiuerat.] Faer. quam ipse pacauerat.

Subitò iumentorum & aquæ magnitudine.] Octauius Pantagathus legebat, Subito vi ventorum & aquæ, &c.

10 *Atque alijs summissis præsidijs.*] Subsidijs, habet liber meus.

Cominus tamen diu stetissent.] Meliùs legitur in meo libro, Cominus tàm diu stetissent.

Nix profluit.] Faernus, profluxit.

Tempus erat difficillimum, &c. ac ciuitates, &c.] In Faerni libro & meo legitur, Tempus autem erat anni difficillimum, &c. at ciuitates, &c.

11 *Qui iter habebant ad Cæsarem.*] Placet habeant, vt est in meo libro.

Magni domum concursus ad Afranium.] Faërnus legebat, demum, pro, domum. sed non satis placet. vide num melius sit, domo. paulò pòst: magnæq; gratulationes fiebant.

Pontem institutum perfecit biduo.] Ita Faernus.

Alij vt præda præsidio sint.] Ita est in meo libro.

12 *Et quòd licebat latiore spacio producta longiùs acie.*] Liber meus habet, aut producta, &c.

Hoc primùm Cæsari ad Ilerdam nunciatur.] Faërnus ex vetere libro, pro Primùm legebat, prælium.

13 *Hos Tarraconẽses, & Lacetani.*] Vetus liber meus habet, Iacetani. & ita ex auctoritate Strabonis & Ptolemæi scribendum censeo. Ἰακκητανοὶ enim appellantur à Strabone in libro 3. idem autem error est in Liuij & Plinij codicibus.

Et paucis pòst diebus Illurgauonenses, qui flumen Iberum attingunt.] Lurgauonenses, legitur in meo libro: & ita habet Liuius. Strabo autem appellat, opinor, Ἰλεργέτας. nam de ijs scribit, οὐ πολὺ ἄπωθεν τοῦ Ἴβηρος. sed hoc non asseueranter affirmauerim.

Octogesam.] Et ouisam, Plinius.

Huc iam rem duxerat.] Faernus, huc iam adduxerat rem.

14 *Mittitur L. Decidius Saxo.*] Saxa habet Faernus, & ita in meo libro scriptum est. is fuit metator Cæsaris. Cicero Philip. 13.

Nam quæ itinera ad Iberum.] Ita est in meo libro.

Nos necessarij victus inopia coactos.] Ita legitur in meo libro.

15 *Hoc consilium Cæsaris plerisque non probabatur.*] Ita habet meus liber.

Hæc

Hac consultantibus.] Consiliantibus, est in Faerni libro & meo.

Conquirit atque euocat.] Ita est in meo libro.

Armaq. cum hominibus necessarijs,] Liber meus habet, Armaq; quod cum hominibus, &c.

Sed plerosque ij, qui receperant, celant.] Ita scriptum est in meo libro, & paulò pòst: Cæsar qui milites aduersariorum in castra, &c. ita etiam Faernus.

Vana religio iurisiurandi.] Noua religio, &c. in Lani libro, & meo.

Centuriones, amplioriq. ordinis Equites Romanos in Tribunicium restituit honorem.] Faernus ita hunc locum legebat. Centuriones ampliori ordini, & Tribunos in Tribunicium, &c.

16 *Equites verò ex loco superiore, in aduersarios tela conijciebant.*] In auersos, pro, Aduersarios, emendabat Faernus. alij libri habent, Aduersos, minùs corruptè.

Lentè atque paulatim.] Ita Faerni liber, & meus.

Qua re animaduersa, Cæsar, relictis ijs munitionibus, subsequitur.] In libro Faerni, pro, relictis ijs munitionibus, est, eductis legionibus. & ita legēdū videtur.

Illi enim animaduerso vitio castrorū.] Ita est in meo libro.

Et quo essent ad id expeditiores.] Ad iter expeditiores habet Faerni liber: quod magis placet.

Illi impediendæ rei, quæ munitionis causa fiebat.] Faernus ope veteris libri ita locum restituit: Illi impediendæ rei causa, hora, &c.

17 *Acies erat Afraniana.*] Totum hunc locum ita legit Faernus: Acies erat Afraniana duplex, ex legione prima, & tertia: in subsidijs locum alariæ cohortes obtinebant. Cæsaris triplex, sed primam aciem quaternæ cohortes ex quinque legionibus tenebant, &c.

Aquæ, ligni & frumenti inopia.] Faern. legit, aquæ, lignorum, frumenti, &c.

Quem Cæsar deligit.] Delegit, habèt liber meus.

Quos in sua potestate habuit.] Placet, habuerit, vt est in meo libro.

Pecuniam pro ijs rebus soluit.] Pecuniam pro ijs dissoluit rebus, est in Faerni libro, & meo.

Introduxerunt.] Intus adierunt, habet meus liber: & fortasse meliùs.

Cæsar vt cognosceret, postulatum est.] Postulāt, Faer.

Eiq. negocio Q. Fusium Calenum Legatum præfecit.] Q. Fufiū, est in meo libro: & ita in argenteis nummis inuenitur, In quibus Kalenum per K, non per C, scribi animaduerti.

Liber II.

CAP. I.

QVAE ex signo facilè agnosci poterant.] Ex insigni, legebat Faernus veterum librorū auctoritate. cuius lectionis vestigia remanent in meo quoq; libro.

2 *Fastigio musculi delabitur.*] Elabitur, Faerni liber, & meus.

Hostes ex muro, ac turribus submouentur.] Ita est in Faerni libro, & meo.

3 *Interiectis aliquot diebus.*] Rectiùs legitur in meo libro, interiectisq;, &c.

Sed, vt superioris temporis contentionem nostri omnem remiserant.] Contemptionem, habet liber meus, non omnino malè. nos tamen vulgatam scripturam retinemus.

Omnibus arboribus longè, lateq. in finibus Massiliensium excisis, & conuectis.] Conuectis, est in meo libro: & ita olim emendârat ex ingenio Octauius Pantagathus.

Cùm penè inædificata in muris, &c.] Ita est in meo libro.

4 *Hæc omnibus referebat sermonibus.*] Liber meus habet, ferebat.

Hæc se certis nunciis, certis auctoribus comperisse] Hæc se certis nuncijs, &c. est in meo libro, ac vidi, qui hanc scripturam retinendam censeant.

Quas Cæsari esse amicas ciuitates.] Octauius Pantagathus ita hunc locum legendum existimabat: Quas Cęsari esse amicas ciuitates arbitrabatur, ijs grauiora onera iniungebat, præsidiaque eò deducebat: qui verba, atque orationem aduersus Rempublic. habuissent, eorum bona in publicum addicebat, & iudicia in priuatos reddebat, &c. reperi posteà in meo antiquissimo libro ita hunc locum scriptum esse.

Cùm itinere conuerso, sese Ilipam Italicam venturum promisisset.] Cùm itinere cōuerso sese Italicam venturum pronunciâsset. ita Faernus legebat: primusq;, quòd sciam, locum restituit.

5 *In publicum contulerant.*] Attulerant, Faernus.

Etiam ab initio,] Etiam ab initio, Faernus.

Caium Caninium Rebilum legatum cum legionibus relinquit.] Liber meus habet, ibi C. Caninium, &c.

Paullò ampliùs passus ∞.] Passuum, Faernus. & paulò pòst, longè, pro longiùs.

Neptimam sacramenti.] Faernus, Neptimi sacramenti, &c.

A quibus contumelia perfugæ appellarentur. huc pauca ad spem largitionis addidit.] Ita est in meo libro.

Genus hominum, quod liceret, &c.] Locus hic vereor, vt sit satis emendatus. neque verò nisi veteris alicuius libri ope purgatus fuerit, aptus ex eo sensus elici poterit. in meo autē, pro, vellent: quæ offerrentur: commilitonesq;: & accipiebant: legitur, vellet: qua offerrentur: commilitesq;: & accipiebantur.

6 *Nam neque prudentes suspicari oportet. sibi parùm credi.*] Pro, prudentes, legerem, pudentes, ex Faer. lib. & paulò pòst: quòd illis licentiam timor augeat noster, is studia deminuat: non vt in vulgatis, quòd illis licentiam timor augeat, nostris studia deminuat. confirmant hanc lectionem quæ sequuntur verba: namq; huiusmodi res aut pudore, aut metu tenentur, &c.

Quo maiorem.] Meus liber habet, qua maiorem, &c. vt ad noctem referatur.

Prouinciam, Siciliam, atque Africam.] Ita est in meo libro.

Consensu suo constituit Curio.] Suorum, Faernus.

7 *Quo æquiore loco prælium committeretur.*] Committerent, Faernus. quod placet.

Sed præoccupatis animis Attianorum militum timore, & fuga, & cæde suorum, nihil de resistendo cogitabant.] Magis

Magis placet vt est in meo libro, Sed præoccupatus animus Attianorum, &c. nihil de resistendo cogitabat.

Qua telum abijci posset.] Faërnus legit, adigi.

At fugientium multitudine.] Hac fugientium, &c. ita habet meus liber.

Ex numero aduersariorum circiter DC. *interfectis atque vulneratis.*] Huius loci integrã, incorruptamq; scripturam in vno meo libro reperi, in quo, pro, atque vulneratis, legitur, ac ∞ vulneratis. cùm manuscripti omnes, quos viderim, corruptè habeant, atque.

Qua paucis equitibus pares esse non potuerunt.] Potuerint, liber meus. quod magis placet.

At illi itinere totius noctis confecto.] Faërnus notauit in veteribus aliquot libris scriptum esse, confecti: quo modo in meo quoque libro legi animaduerti. neque dubitandum est, quin ita scribi debeat.

8 *Vnam, vt in reliquis rebus spem reliquam, &c.*] Vnã vt in miseris rebus, &c. ita corrigendum puto, meo vetustissimo libro auctore.

Diebusq; æquè pòst paucis.] Deest, æquè in libro Faërni, & Latini.

LIBER III. CAP. I.

Illis temporibus quibus in vrbe præsidia Legionum Pompeius habuerat.] Meliùs ad Vrbem, vt legit Faërnus. nam de his ipsis Legionibus lib. 1. scribit Cæsar, ne ad eius periculum reseruare, & retinere eas ad vrbem Pompeius videretur.

Anni spacium ad comparandas copias nactus.] Annuũ spacium, Faërni liber & meus.

Sasalem filium miserat.] Sadalem appellat Lucanus lib. 5.

Ex Gallogracia dederant.] Pro, dederant, est, tantundem, in Faerni libro, & Latini.

Eius rei causa omni in ora maritima.] Abest, In particula à Latini libro, & meo.

2 *Erat Orici Lucretius Hispilo.*] Vespillo, scribendum. ita habet lib. meus: & argenteus nummus in quo est, Q. LVCRETIVS. Q. F. VESPILLO.

In eas diligentia suæ, ac doloris iracundia erupit.] Indiligentiæ, est in meo libro. quod non displicet: nam paulò pòst ita de Bibulo scribit, custodijsque diligentiùs dispositis.

Si in Cæsaris conspectum veniret.] Meliùs, venire posset, vt est in meo libro.

Ibi qui concitatis Dalmatis.] Non est prætereundum hoc loco Delmatas, non Dalmatas in antiquis lapidibus inueniri, & Delmaticus, pro Dalmaticus. qua de re ita ex auctoritate Varronis scribit Velius Longus in libro de Orthographia. placet etiam, vt Delmatiam, non Dalmatiam pronunciemus, quoniam à Delminio maxima ciuitate tractum nomen existimetur.

Sese munierant.] His sese munierunt, habet liber meus.

Tantis detrimentis receptis.] Acceptis, est in meo libro: quod magis placet.

3 *Et detrimento Africani exercitus.*] Lib. meus pro Africani habet Afraniani. vt ad Afranij milites referatur, qui se Cæsari, victo Afranio, dediderant.

Interea & Reip. & ipsis placere oportere.] Faernus hunc locum ita corrigendum esse indicauit: intereà expedire, & ipsis placere oportere.

Græcos murum ascendere.] Totus hic locus ita legitur in meo libro. Cùm Græcos murum ascendere, atque arma capere iuberet. illi autem contra imperium populi Romani pugnaturos esse negarent, oppidani etiam sua sponte Cæsarem recipere conarentur, &c. neque sanè dubito quin ita legendum sit.

Diurnis eò nocturnisq; &c.] Ex meo antiquo libro ita hic locus legendus, atque interpungendus: diurnis eò, nocturnisq; itineribus contendit simul ac Cæsar appropinquare dicebatur, tantusq; terror incidit eius exercitui, &c.

4 *Cæsar profecto occupato itinere.*] Achilles Statius Lusitanus, pro, profecto, legit, profectus; quod nõ displicet. ita enim alibi locutus est Cæsar.

Vt vigilijs castellisq; benemeritæ ciuitates tutæ essent præsidio.] Libri scripti aliquot, pro, essent, habent, esset. quod Faërnus retinet. sed pro, ciuitates, ciuitati legit: tutæ, verò delet. in Aldinis recentioribus deest vox, præsidio; quæ est reponenda.

Quantum nauium facultatem habebat.] Faërnus, quã tum nauium, &c.

Atq; vno tempore accidit.] Liber meus habet, atq; vno etiam tempore accidit, &c.

Neque tum respondendum Cæsari existimabat.] Placet, existimauit, vt est in meo libro.

Quibus communicare de maximis rebus Pompeius consueuerat.] Ita est in meo libro.

Cuius rei opinio tolli non poterit, nisi cùm in Italiam, &c.] Malè hic locus in vulgatis libris, quos viderim, legitur. ita autem interpungendum, & emendandum esse existimo ex mei libri auctoritate. cuius rei opinio tolli non poterit. cùm in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor. bello perfecto ab ijs Cæsar hæc facta cognouit, qui sermoni interfuerunt.

Nisi Cæsaris capite relato.] Delato Faërnus.

5 *De solutionibus, quæ per arbitrium fierent.*] Per arbitrum, est in meo libro. & fortasse meliùs.

Aliam tabularum nouarum.] Pro, aliam, Faërnus legit, alteram: quod placet.

Ipse cùm Casilinum venisset.] Faernus, veniret, & Casilinum vnico l scribendũ. [illegible] enim habet Strabo, & liber meus.

Atque proditio oppidi appareret.] Faërnus legebat, de proditione oppidi appareret.

Quæ mandata ad se per Bibulum delata essent.] Vibullium, habet liber meus. & ita legendum opinor.

Peruenit Turios.] Thurios, liber meus. & Straboni, [illegible].

Itaq; magnarum initia rerum.] Ita est in meo libro.

6 *Vltra Lyssum.*] Lissum, habet liber meus. & ita Strabo lib. 7.

Leuiusq; tempestatis, quàm classis, periculum existimauerunt.] Aestimauerunt est in meo libro. quod magis placet.

Hat,

Has, scaphis, minoribusq; nauigijs cõpluribus sumptis.] Pro, sumptis, est, summissis, in Faerni libro, & meo.

In animi fortitudine.] Firmitudine, Faërni liber, & meus. & ita magis placet.

Qui omnes ad eum perducti.] Prodncti, est in meo libro.

Ex omnibus copijs.] Expositis copijs, Faern.

7. *Hac eodem ferè tempore.*] Ita habet lib. meus.

Ipsi iter secundum eas terras direxerant.] Pro terras, est, terra, in meo lib. vt eas, ad naues referatur.

Conferta præfectis.] Differta præceptis, habet liber meus. quam scripturã confirmat Latini quoque liber.

Cæterasq; eius deæ statuas: cùm in fanum ventum esset, &c.] In meo qnoq; libro locus hic corruptè scriptus inuenitur: ita tamẽ corruptus, vt ex eius scripturæ vestigijs vera lectio elici possit. sic enim habet: Cæteraq; eius diei constituta, cùm in fanum, &cæt. ego, si coniecturæ locus sit, veteris scripturæ vestigijs retentis legerem, certaqne eius rei die constituta, cùm in fanum, &cæt. lib. 7. bell. Gall. ita planè locutus est, tempore eius rei constituto. & hoc ipso libro, certumq; ei rei tempus constituitur. de hac autem lectione nemo dubitabit, qui Cęsaris verba, quę sequuntur, paulò attentiùs considerauerit.

Calidone, & Napacto.] Liber meus habet, Calydone. Straboni quoq; καυδών.

Adesse Scipionem cum legionibus.] Sic omninò legendum, non, vt in vulgatis libris, legione. duas enim legiones in Syria habebat Scipio, vt suprà. nec verisimile est, si vnam tantùm legionem habuisset, ad custodiam impedimentorum octo cohortes relinquere voluisse. Hæc Faernus.

8. *Ex fremitu equorum illata suspitione.*] Pro illata, est, incussa, in lib. Faërn.

Iisq; custodiam nauium longarum.] Ijsdemque liber meus habet.

Quæ erat ad custodiam ab Acilio posita.] Videtur legendum, Caninio, quo modo Faern. emendauit: aut paulò suprà, pro Caninius, reponendum erit Acilius. quam scripturam retinuit Paulus Manutius.

Etiam nauem expugnauit.] Pro etiam, emendauit Faërnus, eam. neq; dubitandum est, quin ita legi debeat.

Hellide, atque Amantia.] Liber meus habet, Biblide, non satis emendatè, minùs tamen corruptè. placet Bullide, ex Ptolemæo.

9. *Decertandi potestatem Pompeio fecit.*] Liber meus habet, decernendi.

Atque vt nostri perpetuas munitiones videbant.] Pro, videbant, Faernus legit, iungebant: & delet vocem, timebant. quam nos scripturam retinemus.

Recipere se iussit.] Statuit, Faërnus.

Legiones reduci iussit.] Faërnus, legionem. & ita legendum.

Constipati pila coniecerunt.] Ita legit Faërn. in meo libro est, conspirati.

Aduersus clinum incitati.] Anteà legebatur, pilum, pro quo Manutius reposuit, cliuum. Faërnus autem tumulum, non ita aptè.

Præcipites Pompeianos egerunt, & terga vertere coëgerunt.] Ita est in meo lib.

Pauloq; circa eum locum morati.] In meo lib. pro, circa, est, citra, deest autem vox, morati.

10. *At tum integras.*] Faërni lib. & meus habent, at contra integras, &c.

Nocte cohortes nostras.] Noctu, Faërn.

11. *At plerique existimant.*] Rectiùs legit Faërnus, Ac, pro At. & paulò pòst, alter agere ad præscriptum.

Volcatius Tullius.] Tullns, est in meo lib. & ita habet argenteus nnmmus.

Ad duorum millium numero.] Ad duo millia, Faërnus.

Cæsari renunciauerunt.] Remunerauerunt, habet liber meus.

Cohortemq; duplici stipendio, frumentóue, &c.] Antonius Augustinus legit, frumento, veste, pecunia, alijsq; militaribus donis.

12. *Et Orchomenum de voluntate ipsarum ciuitatum recepit.*] Liber meus non habet particulam, de. & ita lib. 1. de bell. Ciu. locutus est.

Amicitia Cæsaris conciliare studebat.] Faërnus ex veteribus libris legebat, amicitiæ.

Sed etiam fructus ex arboribus deficiebant.] Pro fructus. emendauit Faèrn. frondes.

Locupletesq; ex egentibus effecerat.] Fecerit, Faërni liber, & meus.

Mouuitq; equites.] Deest vox, equites, in meo lib. videndumq; an ita aptiùs sit.

Discedere à nostris.] A nobis, Faërnus. & ita lib. meus haber.

Postquàm id difficiliùs visum est.] In meo lib. est, postquàm id facinus visum est.

13. *In interiorem vallum tela iaciebant.*] Anteriorẽ, Faërnus.

Per mare nauibus expositis in aduersos nostros impetum fecerunt.] Placet, vt legebat Faërn. per mare nauibus expositi in auersos nostros, &c.

Et viribus deficeret.] A viribus deficeretnr, habet liber meus.

14. *Atque opere, vt demonstrauimus, circummuniret.*] Faern. opere, ex Antiquo lib.

Eo loco propugnante.] E loco, habet lib. meus. & paulò pòst, sibi repugnantes, ibi, pro sibi.

Ex parte, ex qua proruebat.] Faern. ea parte, qua perruperat.

Eodem quo venerunt.] Placet, eadem qua venerant. ita legit Faern.

Omnesq; deductos.] Productos, Faern.

15. *Si non omnia caderent secunda.*] Caderent, habet liber meus: & ita Faern. legebat.

Et ne citißima eius profectio cognosceretur.] Citissimè, Faernus. & ita in meo libro apparet scriptum fuisse.

Ipsi incolumes se ad agmen reciperent.] Ità est in meo libro.

Intra vallum castrorum.] Delet Faern. vocem, castrorum, auctoribus vetustis libris.

Ne occasio tẽporis deesset.] Occasioni, lib. meus. tot aũt hic locus ita legitur, & suis vt esset auxilio, &c.

Sed Cæsarem Apollonia directo itinere auerterat.] A recto itinere, pro, directo, Faernus.

Heracleam Senticam.] Sinticam, Ptolemæus, Liu. lib. 42. & 45. Plin. lib. 3. cap. 10.

16. *Quæ gens paucis antè diebus.*] Mensibus, pro diebus, est in Faerni libro, & meo.

Larissam regiones adduxerat.] Larisam, vnico s, scriptum est in meo libro. ita Græci quoque scribunt: & in argenteo nummo est, λαρισαίων.

L. Hirtij.] Hitri, habet liber meus. Cic. ad Attic. lib. 8. appellat C. Hirrum.

Quod proficiscenti promisisset.] Recepisset, Faernus.

Quod satis perspectum habere videretur.] Locus omninò deprauatus, ita restituendus est ex emẽdatione Faërni, & auctoritate mei libri: quum satis perspectum militum animum habere videretur, &c. quod nam Pompeius propositi, &c.

17. *Ex delectibus horum annorum.*] Ex delectu, &c. Faërnus. & plerique sunt ex colonis transpadanis, lib. meus habet.

Ac iam animo victoriam percipiebant.] Præcipiebãt, est in meo lib. & ita legendum opinor.

Hæ erant numero millia x l v.] Ita meus lib.

Euocatorum circiter duo] Ita Faërn. & paulò pòst, quæ tota acie dispersa erant.

Tametsi erant Dyrrhachinis prælijs vehementer attenuata.] Liber meus habet, Tametsi erat Dyrrachinis prælijs vehementer attenuata, vt ad ix. legionem tantùm referatur. quod placet. sequitur enim, & huic sic adiunxit ix. vt penè vnam ex duabus efficeret.

Ipse contra Pompeium constitit.] Cõstitit, lib. meus.

Celeriter externa acie singulas cohortes detraxit.] Latinus Latinius Viterbiensis emendauit, celeriter extrema acie sex cohortes detraxit. suamq; emendationem hoc adducto Plutarch. loco ex Cæsare stabilire conatur. μετεπέμψατο σπείρας ἓξ ἀπὸ τῶν ἐπιταγμάτων, καὶ κατέστησεν ὄπισθεν τοῦ Δεκάτου, κελεύσας ἡσυχίαν ἄγειν, ἀδήλους τοῖς πολεμίοις ὄντας. eadem scribit in Pompeio. & Appia. idem lib. 2. fieri autem potuit, vt librarius scripturę similitudine deceptus, pro, extrema, fecerit, externa: nã in meo quoq; vetustissimo lib. animaduerti in hac ipsa voce lapsum nõ semel librarium, qui & lib. 1. de bello Afric. pro, extremo, scripserit, externo. sed verba illa Cæsaris paulò pòst de hac ipsa re prolata magnoperè Latini emẽdationem confirmant. nec enim, vt in vulgatis libris, quam instituerat ex cohortium numero, legendum est, sed vt calamo notatus liber habet, quam instituerat sex cohortium numero.

Atq; eum milites electi circiter c x x. *voluntariè.*] Faërnus, voluntarij, quos Græci ἐθελοντὰς dicunt.

Dextro Cornu procurrit.] Procucurrit, lib. meus: & ita Charisius.

18. *Circuire cœperunt.*] Circumuenire, Faërn.

Tantùm se opinionem fefellisse.] Faër. ex vetere lib. legit, tantùm se suam opinionem, &c.

Ab eo petierunt.] Petiuerunt, habent Faërni liber, & meus.

Se Sullæ similiter dediderunt.] Deest vox, similiter, in Faërni libro, & meo.

19. *Nisi eo ipso quidam nuncij de Cæsaris victoria.*] Abest à lib. Faërni vox, quidam.

Pari atque anteà ratione egerunt.] Egit, Faërnus legit, deleta, quæ sequitur, voce. & ita est in meo libro.

Nam, quicunque ex fuga Pompeium sequeretur.] Placet, vt in meo lib. legitur, qui cùm ex fuga, &cæt. & paulò pòst, soluerunt, pro soluere iubebantur.

20. *T. Ampium.*] Pro, Appium, Manutius emendauit, Ampium. & ita habet lib. meus.

Senatores omnes ex prouincia vocâsse.] Euocâsse, est in meo libro. & in summam, pro, summa, paulò pòst.

Quod ante ipsam Mineruam collocatum esset: & antè ad simulacrum Mineruæ spectauisset.] Ita est in meo lib. & fortassè meliùs, quàm vt vulgò legunt.

Pergami in occultis ac remotis templis.] Faërni lib. & meus habent, Pergamiq; in occultis, ac reconditis templis.

Corripi, ac interfici iussit.] Faërn. corripi, atque interfici iussit.

21. *Regis domum obsidere, regno expellere alios, alios accersere.*] Placet, vt habet meus lib. Regis domum obsidere, regno expellere: alios accersere.

Deductis copijs.] Diductis, Faërn.

Constrata omnes.] Rostratæ, Faërn.

Hoc tractu oppidi.] Faërnus, in hoc tractu oppidi, & ita legendum videtur.

LIB. I. DE BELLO ALEXANDRINO.

CAP. I.

VT nostri illorum opera imitari viderentur.] Imitari, est in meo lib. quod magis placet.

Nam puteis, fossisq.] Liber meus habet, puteis fossis. & infrà ad fodiendos puteos, dixit. vt de hac lectione, quin vera sit, dubitari non oporteat.

2. *Munitiones nudare nolebat.*] Nudari, habet lib. meus. & paulò pòst, exposuisset, pro exposuissent.

Quanquam si quid grauius illi accidisset.] Ita est in meo libro.

Et ad explicandam classem, & ad receptum, &c.] Ita habet liber meus.

Capitur hoc prælio quinqueremis, vnà & biremis cum defensoribus.] Ita est in meo libro, cùm in alijs desit vox, biremis.

3. *Et illam, & vrbem.*] In meo lib. est, & illa in vrbe. paulò pòst, cum constratis nauibus aggreditur, abest particula, cum.

Et d c c c. *passuum interuallo ad oppidum enatauerunt.*] Placet, pro interuallo, interuallum, vt in meo libro.

Pugna-

Pugnabatur à nostris ex ponte.] A nobis, habet liber meus: quod retinemus.

Pauci alleuati scutis.] Ita est in meo lib. pro, alleuati scutis: quam scripturam non improbamus: ita enim in Antiquis quoque marmoribus hoc ipsum reperitur.

4. *Aut suopte consilio, per occultos nuncios Regis probato.*] Non dubito, quin ita scribendum sit, vt in meo lib. legitur, aut suo priore consilio per occultos nuncios Regi probato.

Quasi verò id Cæsar, bonitate tantùm adductus, & non prudentissimo consilio.] Ac non prudentissimo consilio, &c. est in meo lib.

Sine quo nulla vnquam dimicatio maritima, parum etiam feliciter confecta erat.] Sequor scripturam veteris mei libri, in quo est, sine quo nulla vnquam dimicatio maritima, nulla etiam parum feliciter, &cæt.

Planities ex omnibus partibus subiecta.] In lib. meo est, planicia.

5. *Qua liberum accessum haberi demonstraui.*] Lib. meus habet, quam liberum accessum habere demonstraui.

Magnam multitudinem hostium interfecerunt.] Magnam multitudinem hostium in castris interfecerunt, legitur in meo lib.

Maiorique ex duabus filijs Cleopatræ, &c.] Ita meus liber.

6. *Quintumque Patiscum.*] Patisium, est in meo lib. & paulò pòst, Responsa, pro Responsum, fortassè meliùs.

Cuius itineris hæc erant certæ oportunitates.] Cuius itineris has esse certas oportunitates, ita habet liber meus.

7. *Supplicia constituit in eos, qui aliquam formæ, atque ætatis commendationem habebant, ea, quæ morte essent miseriora.*] Ita hunc locum emendauimus ope veteris mei libri.

Capit ex eo prælio penteremem.] Penteremem, habet liber meus. & dicrotas, pro dycrotas. Baifius tamen asserit legendum, dicrota, in libro de re nauali.

8. *Et prælio Pharsalico rem feliciter gerebat.*] Et Palæopharsali rem feliciter gerebat. ita legendū auctoritate libri mei. adiuuat hanc scripturam locus Orosij ex lib. 6. hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit.

Simulatum causæ tenues conijciebantur.] Simul & causæ, &c. ita legit Latinus Latinius.

Minucius inter saxa, quæ iaciebātur, in itinere.] Meus liber habet, quæ iacebant in itinere. & infrà, relato domum Cassio.

9. *Verùm nihil timere, an omnia licere, mallet.*] Timeret, est in meo libro, pro timere. & ita legendum videtur.

His rebus confectis, totum exercitum lustrat.] Notū, pro Totum, est in meo lib. & fortassè nouum erat legendum.

Sed, id qua mente commotus fecerit, coniectura sciri non potest.] Aliter meus lib. sed id, qua mente, communis erat coniectura.

Frequens legionibus conuentus.] Latinus Latinius legit, Legionariorum.

Lepidus eodem tempore, Marcellusque Cordubam cum suis proficiscitur. Cassius Narbonem. sub idem tempus Trebonius Proconsul. &c.] Ita hunc locum scriptum inueni in meo libro.

10. *Et ambitione atque indulgentia Tribunorum militum.*] Indiligentia, est in meo lib.

Quæ maiores sunt dignitate.] Lib. meus, Maiore.

Legionibus Syriæ.] Legionibus Syriæque, ita est in meo libro.

Ipse iter cæptum.] Inceptum, est in meo lib.

Legionem autem eam, quam ex genere ciuium suorum Deiotarus, &c.] Ita legitur in meo lib.

11. *Seruitiaque agi iussit.*] Seruitia agerentur iussit, liber meus.

Vel ad opus suum tardandum, quo plures in armis tenerentur, id fieri, vel ad ostentationem regiæ fiduciæ, & cæt.] Ita est in meo lib.

Eodem gradu, quo præruptam in prælium descenderat vallem, ascendere aduersus arduum collem, &c.] Ita legitur in meo lib.

Vel fiducia motus.] Cōmotus, lib. meus. & pro oppressus, habet oppressos: vt ad milites referatur.

II. Legiones cum Cælio Vintiano in Ponto reliquit.] Viniciano, putaui aliquando scribendum, motus auctoritate veteris argētei nummi, in quo Viniciæ familiæ nomen notatum animaduerterā. postea verò nactus sum Cæsaris Commentariorū exemplar septingētis ferè ab hinc annis scriptum, quod emendationem hanc confirmauit meam. ita Cœlij; locū in Epist. ad Cic. 4. li. 8. corrigendum puto. M. Cœlium Vinicianum, &c. vbi malè legitur, Vicinianum. opinor autem aliquam è Vinicia familia à Cœlio adoptatum, Cœlium Vinicianum dictum, ex vsitata illa adoptionum formula, qua etiam Q. Cæcilius Pomponianus Atticus est appellatus. Crassus etiā quidam Iunianus apud Ciceronem in Epist. ad Q. Fratrem nominatur; cuius & in argenteo quoq. nummo mentionē inueni hac inscriptione, CRASSVS IVNI. hoc aūt quòd esset ignotius, occasionem aliquibus dedit deprauandi potiùs, quàm corrigendi cognominis.

LIB. DE BELLO AFRICO.

CAP. I.

QVod neque certum locum gubernatoribus, præfectisque quem peterent præceperat.] Rectiùs, puto, legitur in meo libro; quòd neq; certum loca gubernatoribus præfectis quid peterent, præceperat. hanc scripturam confirmat liber Latini Latinij.

Fortuitu.] Fortuito, Latini liber, & meus.

2. *Vt, si fieri posset, nec locum vllum excusatio haberet, &c.*] Magis placet, vt in meo libro scriptum est, Vt, fieri posset nec ne, locum nullum excusatio haberet, nec moram tergiuersatio.

Regium enim equitatum Scipio, & prouincia Africa alebat.] Ita legitur in meo lib.

Tanta hominum erat dementia.] Rectiùs pnto in meo lib. tania homines esse dementia.

Iam cælo albescente.] Albente, lib. meus. sic etiam infrà.

Qui in præsidijs relicti sui milites fuissent.] Ita meus liber.

Subitò ex condensis turmis pedites Numidæ leuis armaturæ, &c.] Ita legendum ex meo lib.

Concursu renouato.] Cursu, habet lib. meus.

Cæsarisq́ equites, iumentaq́, &c.] Locus sine dubio corruptus, ita emendandus ex vetere meo libro: Cæsárisq; equites ex nausea recenti, siti, languore, paucitate, vnlneribus defatigata ad insequendum hostem, perseuerandumque cursum tardiora haberent.

Maxima autem auxilia haberet Numidarum equitum, leuisq́ armaturæ.] Ita liber meus.

Germanisq́ D C C C.] Liber meus habet, ∞ D C. quod magis placet.

Quator tantis.] Quaiertanto, lib. meus. vt ad vocem, auxilio, referatur.

3. *Istius ætatis enim esset.*] Istue ætatis, est in meo libro.

Remp. ab audacibus, scelerstisq́ ciuibus oppressam.] Pro, audacibus, habet, arduis, lib. meus.

Et aqua dulci elota.] Eluta, lib. meus.

4. *Oculos, mentemq́ ad mare depositos.*] Dispositos, est in meo lib.

His se miseris, suamq́ fidem implorantibus.] Ijs se in miserijs, suamq;, &c. ita liber meus habet.

C. Virgilius Petronius.] Placet, Prætorius, vt est in meo lib. sic infrà, C. Decimius Quæstorius. & Tullius Rufus Quæstorius.

Quotidiè mutuis prælijs inter se.] Pro Mutuis, habet, minutis, lib. meus. sic paulò pòst dixit, prælijs minutis cominùs dimicabanr.

Etiam vndiq́ ad Cæsarem veniunt.] Rectiùs, opinor, in meo lib. legitur, & iam vndiq;, &c.

Non ausus periculo suo rem facere.] Periculo suorũ, est in meo lib. quod placet.

Auxilijsq́ tandem suis exhilaratis animo, atq́ leuata solicitudine.] Aliter hic locus legitur in manuscripto meo libro, & fortasse meliùs: auxilijsque tandem suis exhilaratus, annonæque leuata solicitudine.

5. *Propter mare legiones educit.*] Ducit, magis placet, vt est in meo lib.

Ex omnibus præsidijs cohortes deducit.] Eduxit, lib. meus. paulò pòst, conuulneratisque, pro vulneratis.

In acie in cornu dextrum & sinistrum ex iniquiore loco pugnare.] Dextro & sinistro, lib. meus.

Q. Comnius.] Q. Cominius scribendum ex veteribus lib. & ita habet Parisinus codex.

Nauis triremis.] Trieris, est in meo lib. τριήρης enim Græcis.

Rempub. cum optimo quoq́ defenditis.] Defenderis, habet lib. meus.

Apud Thapsum custodiæ causa in salo esse iusserat.] Ita legendnm ex meo lib.

6. *Nimbus cum saxorum grandine.*] Saxea grandine, lib. meus.

Itaque subito imbre, grandineq́ consecuta, grauati pondere, &c.] Opinor hunc locum non vacare mendo. nam in meo lib. qui hac in parte nec ipse satis emendatus est, pro grauati, subruti, & disiecti, est, grauata, subruta, & disiecta: quæ aptiùs ad tentoriola, quàm ad homines in ijs degentes, referuntur.

Vt secum ipse aliquid auctoritatis haberet, cum tribus legionibus equitibusq́ frænatis, &c.] Ita legit Latinus Latinius, deletis illis, exercitusq; Scipionis à terrore Cæsaris.

Et expectatione copiarum regiarum.] Lib. meus habet, expectatio, &c. & paulò pòst, suspensiore animo, pro, suspensione animi.

Quæ erant transeunda Cæsari.] Transgredienda, liber meus. vtitur hoc verbo paulò infrà in hac ipsa re.

Partim viuis sunt potiti.] Viuorum, lib. meus. Ita paulò pòst locutus est, partim occiderunt, partim viuorum sunt potiti.

Partim in quas quisque poterat regiones peruenire,] Ita habet meus lib.

7. *Sed quoniam ij sibi neque modum, &cæt.*] Liber meus.

Et quantum potes, proficisci iubeo.] In meo lib. pro, potes, est, potest. & ita paulò pòst, quãtum potest, abesse ex Africa iubeo, pro, potestis.

Necessitateq́ coactus.] Ita est in meo lib.

Diceretq́, vt reliqua, quæ vellet, perageret.] Liber meus, sed restare, vt reliqua, &cæt. locus hic mihi valdè suspectus est.

Et ne iugo à Cæsare excluderetur.] Ita scriptum est in meo. & paulò pòst, Quintium Aquilam.

8. *Pentiremes duas.*] Penteremes, habet meus lib.

Audaciaq́ commotus.] Ita est in meo, pro, motus.

Seà Nasidij classe captum.] Ita legendum ex meo libro.

Primo impetu legionum.] Ita est in meo libro, pro, legionis.

Eosq́ iaculis conuulnerare satis esse existimaretur; Cæsar intellexit, nihil aliud eos conari, nisi, &c.] Placet hæc lectio magis, quàm quæ in vulgatis libris circumfertur.

9. *Et legionarium militem defatigabant.*] Defatigabat, meus lib. & interficiebat, paulò suprà, pro interficiebant. & ita videtur legendum.

∞ Scipionis circiter I I.] Ita est in meo lib.

P. Cornelio Scipione euocato.] Scipionis euocato, est in meo lib.

Vt suis fortunis præstò, quòd benemeriti esset, auxilium ferret.] Placet vt in meo libro scriptum est, vt suis fortunis populi Ro. qnòd benemeriti essent, &cæt.

Vt haberent facultatem turmas Iulianas circumfundendi, & nihilominus fortissimè, acerrimeq́ pugnarent.] Ita est in lib. Latini Latinij.

10. *Et animaduertit aciem pro vallo Scipionis, elephantosq́ dextro, sinistroq́ cornu collocatos, &c.*] Ita meus liber.

Tubi-

Tubicen.] Tubicina, liber meus: ita in Antiquo quoq; lapide inuenitur.

Elephantus.] Elephans, est in meo lib.

Quibus miseris ea res paruo præsidio fuit.] Meliùs puto, quibus miserijs, vt est in meo lib.

Itaque ij omnes Scipionis milites.] Ita in meo libro legitur.

Totumq; exercitum veteranum donauit, præmia fortissimo cuique, &c.] Ita meus lib.

11. *Liberus fuit L. Cæsari, qui tum ibi Proquæst. fuerat, commendatus.*] Liber meus pro ibi, habet ei.

C. Considij filio.] Rectiùs, opinor, in meo lib. legitur, C. Considio filio.

Liuineio Regulo.] Ita est io meo lib. & io argenteis quoque nummis, L. LIVINEIVS REGVLVS.

Ceteio.] Liber meus, Cæteio. fortè: C. Atteio.

M. Eppio.] Ita est in meo lib. in nummo etiam argenteo, in cuius altera parte Africæ prouinciæ imago expressa est cum literis Q. METELL. PIVS SCIPIO IMP. nominatur M. hic Eppius Scipionis legatus.

Libentes, cupideq; conditionem acceperunt.] Ita est in meo lib. pro Cupidique.

M. Catonem Vtica sibi ipsum manus attulisse.] Ex meo libro ita scribendum.

Lætorio Rustiano.] Legerem Cæstiano, si me antiquus aliquis liber adiuuaret, quod id cognomē sit Plætoriæ familiæ in argenteis nummis. sed fieri etiam potest, vt Rustius aliquis à Plætorio adoptatus, fit deinde Plætorius Rustianus dictus.

* *Atque ibi Crispo Sallustio populi R. Proconsule.*] Abest à meo lib. populi R.

Duodetricesimo die.] Tricensimo, meus lib. est autem antiqua scribendi ratio, qua in æreo quoque nummo, Quadragensima nota.um vidi.

LIB. DE BELLO HISP.

CAP. I.

LEgati clam præsidio Cn. Pompeij.] Pręsidia liber meus.

Cæsar eam ciuitatem omni tempore optimè de populo R. meritam esse sciens, x 1. cohortes, &cæt.] Ita hic locus in meo codice scriptus reperitur. aliter io Aldioo; sed malè.

Id cùm animaduerteret aduersarios minimè velle.] Ita legitur io meo lib.

Et vna facta ex colonijs.] Ita habet meus lib. oon colonis.

Pompeius qui eodem iugo tenebatur loci natura.] Liber meus, Pompeius, quòd eodem iugo tegebatur loci oatura.

Non esse commissurum Cæsarem.] Ita liber meus.

Ad subsidium committendum.] Submittendum, habet liber meus.

Suo loco præteritus est.] Sic est in meo libro, pro Perterritus.

2. *Et opido potiri posse sperarent.*] Ita meus lib.

Quin eruptionem.] Ita, pro Irruptionem, habet liber oieus.

Clamore facto auersati sunt prælium facere.] Ita est in meo libro.

Quæ stramentis à nostris hybernorum caussa ædificata erant.] Quæ stramenticiæ ab nostris, &c. Ita est in meo lib.

Cuius funestæ laudes quoniam ad hanc fortunam, &c.] Ita meus liber.

Tum, qui ita locutus esset, iugulatum.] Eum, qui ita locutus esset, iugulatum, liber meus.

3. *Militi ceruices abscisse.*] Militibus, habet meus lib. & ita videtur legendum.

Flumen transgressi duo.] Ita meus lib.

Ex vtroque genere pugnæ complures sunt vulneribus affecti.] Ex his vtroque genere, &c. lib. meus.

Ita pridie duorum centurionum internicio.] Lib. meus habet, interitio.

In æquum locum non sunt ausi descendere.] Ita habet liber meus.

Prælium ad Soritiam, quod factum est, ex eo tempore metum esse magnum.] Ita in meo lib. hic locus scriptus reperitur.

4. *Et circa Hispalim in olіueto constitit.*] Meliùs puto, io meo lib. contra Hispalim io oliueto constituit.

Interuallum prouinciam diuidit.] Malè hic locus in omoibus, quos viderim, libris legitur. in meo autem ita planè scriptum est: interim oulla planicia diuidit. sed planicia pro Planicies in eo lib. semper scribi animaduerti.

P. Caluicius, qui castris anteà Pompeij præpositus esset.] Latinus Latinius legit, qui castris antè à Pompeio præpositus esset.

Item optimis superadditis vestimentis.] Liber meus habet, Item optimis insternendam vestimentis.

Ipse de temporo cœnauit, vinum & nardum identidem sibi infudit.] Pro vinum, est, resioam, in lib. Latini & meo. quod magis placet.

Simul Cæsar castra contra id opidum posuit.] Contra opidum, habet lib. meus.

Clam cuidam Philoni illi, qui, &c.] Liber meus habet, clam quendam Philonem illum, qui, &c. Ita paulò pòst, pro, clam præsidio, clam præsidia.

5. *Qui imperati à Carteia profecti sine aqua fuissent.*] Imparati est in lib. Latini.

Ad conuallem autem, atque exesam locum in spelunca Pompeius se occultare cæpit.] Latini lib. habet, exesum locum, vt in speluncam, &c.

SCHOLIA
ALDI MANVTII
PAVLI F. ALDI N.

IN C. IVLII CAESARIS DE bello Gallico. Lib. I.

CAP. I.

L*ingua.*] Vide Strabonem, lib.4.

Institutis, legibus.] Vide Cæsarem ipsum, libro 6. de bell. Gallic. Ammianum Marcel. lib.15. & Strabonem, lib.2.

Amicus appellatus erat.] Quibus de causis mos hic fuerit apud Romanos, vide Liuium libro primo de bel. Macedonico.

2. *Allobrogum, qui nuper populo R. pacati erant.*] Cicero in Oratione de Prouincijs Consularibus: C. Pontinius, fortissimus vir, ortum repentè bellum Allobrogum, atque hac scelerara coniuratione excitatum, prælijs fregit, eosque domuit, qui lacessierant, &, ea victoria contentus, Rep. metu liberata, quieuit. Ammianus autem Marcellinus, libro 15. Fabium Maximum, à deuicta, & prorsus domita Allobrogum gente, Allobrogici cognomen consecutum esse scribit.

Rhodanus fluit.] A Rhodo Opido, Rhodiorum Colonia, dictus Rhodanus. Vide Plin. libro tertio, cap. quarto. Pomponius verò Mela, ita de eius ortu, & exitu, scribit: Non longè ab Istri, Rhenique, fontibus Rhodanus surgit, deinde lacu Lemano acceptus, tenet impetum: &, cùm se per medium lacum egerit, tantus egreditur, quantus venit. Eius descriptionem vide apud Ammianum lib.15.

Ad Idus Apr.] Vsitatius loquendi genus. Ad, id est, Ante diem. Quod ab alijs quoque obseruatum video.

3. *Flumen est Arar.*] Sanconnam dictum hunc fluuium, tradit Ammianus lib.15.

Magnam partem eorum concidit.] Non à Cæsare, sed à Labieno, eius legato, Tigurinos superatos esse, tradit Plutarch.

Is Pagus appellabatur Tigurinus.] Pagi, inquit, Festus, dicti à Fontibus, quod eadem aqua vterentur. aquę enim, lingua Dorica, παγαὶ appellantur.

Hic Pagus vnus, cùm domo exisset, Patrum nostrorum memoria, L. Cassium Consulem interfecerat.] Epit. Liuiana, lib.65. L. Cassius, Consul, à Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui à Ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu, cæsus est. milites, qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. Idem tradit Orosius lib.5.cap.17. In quo quiddam diuersum à Cæsare, & Epit. Liuiana, videre licet.

Sub iugum miserat.] Festus: Iugum, inquit, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: Fixis duabus hastis, super eas ligabatur tertia; subijs victos discinctos transire cogebant. Vide Liuium quoq; Initio, lib.9. ab V.C.

Quo grauius homines, ex commutatione rerum, doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, his secundiores interdum res, &c.] Val. Max. lib.1.c.2. Lento, inquit, gradu, ad vindictam sui diuina procedit ira: tarditatemque supplicij grauitate compensat. *Et Hom. Il. δ.*

Εἴπερ γὰρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ: σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν.

4. *Summo Magistratui præerant.*] Duos ex eadem Familia Vergobretos creari non posse, eisque Aeduorum finibus exire fas non esse, tradit Cæsar,

de

de bello Gall. lib. 7. cap. 6. Quo ex loco acerrimi viri ingenii, omniumq; literarum laude præstans, Nicasius Ellebodius Casletanus, Præerat, hic legendum putat, non Præerant.

Ædui libertatem sint erepturi.] Fratres enim sunt à Senatu R. & consanguinei, appellati. infrà. Cornelius quoque Tacitus, libr. 11. Hist. sic ait: Primi AEdui Senatorum in vrbe ius adepti sunt. datũ id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum Fraternitatis nomen cum Populo R. vsurpant. Et Cice. lib. 1. ad Atticum, AEdui, fratres nostri, pugnant. Epito. Liu. lib. 61. AEdui, socij populi R.

Reperiebat etiam Cæsar, &c.] Antiquus liber Bibliothecæ Vaticanæ: Reperiebat etiam in quærendo Cæsar, quòd prælium equestre aduersum paucis antè diebus esset factum, initium eius fugæ factum Dumnorige, atque eius equitibus. Quę melior est lectio, vt mihi quidem videtur.

C. Valerium Procilium.] Ita legi in vetustis & nummis, & lapidibus, non, Porcilium, ostendimus in *Orthographia* nostra.

5. *Consilius, &c.*] Vide Appianum lib. 1. Bell. Ciuil. & in Parthico: & Plutarchum in Sylla, & Crasso.

Ipsi à Gallicis armis, atque insignibus cognouisse.] Liber Gryphij Præpositionem omittit. Et sanè venustiùs hæc legentur, si absit.

Decurionis Equitum Gallorum.] Vegetius libr. 2. capite 14. Quemadmodum, inquit, Centuria, & Manipulus, Peditum vocatur: ita inter Equites Turma. & habet vna Turma Equites XXXII. & qui huic præest, Decurio appellatur.

Phalange facta.] Q. Curtius, libro 3. Phalangem, inquit, Macedones vocant Peditum stabile agmē: ita vt vir viro, & armis arma conserta sint. Vegetius autem libro 2. capit. 2. non tantùm Macedones, verùm etiam Græcos, & Dardanos, Phalangibus vsos esse, scribit: & in vna Phalange 8. armatorum millia censa esse. De hac autem Germanorum Phalange ita Orosius libro 6. Pugna maximè grauis, ex Phalange Germanorum fuit, quam, coacto in vnũ agmine, scutisq; supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti vndique præstruxerant. Sed postquàm aliqui Romanorum militum, agilitate, audaciaque, insignes, supra obductam saliêre testudinem, scutisq; singillatim, velut squamis, reuulsis, desuper nudos deprehensorum, detectorumq; humeros perfoderunt, territi hostes nouo mortis periculo, terribilem dissoluere compagem.

Scutis vno ictu pilorum transfixis.] Vegetius, lib. 2. cap. 15. Bina, inquit, sunt missilia, vnum maius ferro triangulo, vnciarum nouem, hastili pedum v. & semis, quod Pilum vocabant, nunc Spiculum dicitur.

Ab hora VII. ad vesperum pugnatum sit.] Non video, cur alij mutârint, ad vesperam: cùm Plautus Amphitr. (teste quoque Nonio) sic locutus sit. Hæc, inquit, illis est pugnata pugna, vsque à mane ad vesperum.

Mazaras, ac tragulas.] Cùm Sisenna, apud Nonium, dixerit, Galli materibus, Sueui lanceis configunt. Et: Alij materibus aut lanceis tamen medium perturbant agmen: non ineptè ante menatum repositum video à quibusdam, Materes, siue Mateteas. Mazacem apud Hesychium, hastam Persicam dici, dicunt alij. Tragula autem quid sit, docet Festus: cùm dicit, teli genus esse, sic dictum quod scuto infixum trahatur. Nonius verò Marcellus Tragulam hastam esse dicit.

Circiter millia hominum CXXX.] Centum millia Plutarchus dicit prælio superfuisse. Eutropius autem libro sexto, tradit, Heluetijs, ac eorum socijs, XLVII. millia in prelio isto intertempta esse. Strabo autem circiter CD. millia interijsse, & IIX. millia hominum euasisse.

6. *Verbigenus appellatur.*] Aliàs, Vrbigenus. Quidam legunt, Vrbienus, vel, Vrbinus: ab Vrba, antiquissimo Heluetiorum opido.

Prima nocte.] Gryphij liber, Prima noctis vigilia.

In hostium numero habuit.] Re vera occidit: sed mentionem crudelitatis vitare voluit.

Boios petentibus Æduis, quod egregia virtute, erant cogniti, vt in finibus suis collocarent, concessit.] Cæsar libro 7. de bello Gallico, cap. 2. sic: Vercingetorix rursus in Biturig..s exercitum ducit, atq; inde profectus Gergouiam, Boiorum Opidum, quos ibi Heluetico prælio victos, Cæsar collocauerat, AEduisq; attribuerat, &c.

Literis Græcis confecta.] Literis, & sermone. quod Strabonis testimonio probatur. Sic enim libro 4. Καὶ φιλέλληνας κατεσκεύαζε τοὺς Γαλάτας, ὥστε ϰαὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Cæsar autem libro 5. capite 12. Epistolam, inquit, Græcis conscriptam literis, ad Ciceronem mittit, ne intercepta Epistola nostra ab Hostibus consilia cognoscantur. Et libro 6. capite 4. de Gallis: In publicis, priuatisq; rationibus Græcis literis vtuntur. Confirmatur & à Iustino, qui similiter locutus, addit, Sermonem, ait enim libro 20. in extremo, Facto S. C. ne quis posteà Carthaginiensis aut literas Græcas, aut sermonē studeret, ne aut loqui eum hoste, aut scribere, sine interprete, posset.

7. *Vt sibi secreto, in occulto, de sua, &c.*] In alijs, Et occulto. Gryphianus liber, ad oram, tollit hæc duo verba.

Transductos plures.] Cornelius Tacitus, libro 20. Causa, inquit, Germanis transcendendi in Gallias, Libido, atque Auaritia, & mutandæ sedis amor, vt relictis paludibus, & solitudinibus suis, fœcundissimum solum possiderent. Idem tradit & Strabo, lib. 7.

Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere.] Sumpsit hoc à Demosthene, qui simile quid de Stratone contra Midiam narrat: ita autem in eo legitur: Καὶ ἀπεῖπεν οὐδὲν οὐκ ἀποκρινάμενος, ἑστὼς τοῦ σιωπᾷ, ἐν ὑδάτων ... ἀλλὰ καὶ τὸ φθέγξασθαι ὑπὸ ... ὑμᾶς ...

Vt antè Cimbri, Teutoniq́; fecissent.] Eutrop. lib. 5. Epit. Liui. libro 67. & 68. Tacitus de situ, & moribus Germanorum, & libro 20. Histor.

8. *Si quid ille à se velit.*] Parisini, Si quid ille se velit. rectiùs.

Emolumento.] Molimento, legendum esse, ante quinquennium annotatum est in Variarum lectionum libro, ad Calcem Cæsaris impresso.

In consulatu suo, Rex, atque amicus, à Senatu app.] Tractatur hoc idem hoc eodem libro, infrà, paulò fusiùs.

Dicendum sibi & cognoscendum, &c.] Phaernus, Disceodum reponit. Ita autem locutum Terentium obseruaui: Noui, & scio.

Treuiri autem Pagos C. Sueuorum.] Idem Cæsar, de bello Gall. lib. 4. addit, Sueuos ex centum pagis suis quotannis singula armatorum millia, bellandi causa, è finibus suis educere solitos. De centum pagis verò Sueuorum vide & Tacitum de situ, & moribus Germanorum.

9. *Ingenti magnitudine corporum Germanos.*] Magnitudinis corporum causam reddens Cæsar, infrà libro 4. capite 1. hanc esse dicit quòd lacte victitantes, multumq; in venationibus sint. Et lib. 6. capite 5. Vita, inquit, omnis in venationibus, atque in studijs rei militaris, exsistit: ab paruulis duritiæ, ac labori, student: qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. hoc ali staturam, ali hoc vires, neruosq; confirmari, putant. Pomponius verò Mela, lib. 3. Qui Germaniam, inquit, incolunt, immanes sunt animis, atque corporibus, & ad insitam feritatem vastè vtraque exercent, bellando animos, corpora ad consuetudines laborum: maximo frigore nudi agunt, antequam puberes sint. & longissima apod eos pueritia est.

Tribunus militum.] Tribunus mil. (ait Vegetius, lib. 2. cap. 8.) à Tribu denominatur, tribuendóque iure. quia præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Græcè χιλίαρχος dicitur, quod mille militibus præsit. Duo autem eorum genera esse, tradit idem Vegetius: maiorem, qui per epistolam sacram Imperatoris iudicio destinatur: minorem, qui ex labore prouenit.

Qui ex vrbe, amicitiæ causa, Cæsarem secuti.] Multos nobiles, & claros adolescentes, Plutarchus fuisse tradit, qui cum Cæsare in Gallica expeditione, voluptatis, lucriq; causa, se illi adiunxerint.

Vt satis commodè supportari posset, timere dicebant.] Pro, Ne. Sic Terentius, Hec. Act. 1. Scen. 2. Firmæ hæ vereor vt sint nuptiæ.

Aut ei præscribere auderent.] Aliàs, Viderentur.

Repræsentaturum.] Beroaldus legit, Tentaturũ.

Prætoriam cohortem.] Vegetius, de Coborte, & quot in Legione fuerint, lib 2. cap. 6. Prætoria verò dicebatur Cohors, quod à Prætore nunquam discederet. Cuius militibus dabantur (vt ait Tacit. lib. 1.) bini denarij in diem: cùm aliarum cohortium milites singulos tantum acciperent, hoc est, 10. asses.

Se, esse ad bellum gerendum paratissimam.] In alijs libris legitur, Paratissimum. Quo modo si legas, dictum erit, vt à Terentio illud in Eunuchi Prologo: Nunc, quam acuti simus Menandri Eunuchum: & paullò pòst: Transtulisse in Eunuchum suam ex Græca. Referũt enim, ad Comœdiam.

10. *Gratia, dignitate, honore, auctiores, velit esse.*] Auctos, est ad oram Gryphiani libri.

Multis sese nobilibus, principibusq; populi R. gratum esse facturum.] In his, Catoni Vticensi: Plutarchus enim, in Niciæ, & Crassi, comparatione tradit, eum censuisse, Cæsarem, cùm XXX. Germanorum millia cæcidisset, hostibus dedi. Quod cùm ipse Cæsar præclarè nosset, Anticatonem edidit.

Bello superatos esse Aruernos & Rutbenos, à Q. Fabio Maximo.] Epit. Liuius lib. LXI. Q. Fabius Maxi. consul, Paulli nepos, aduersus Allobroges, & Bituitum, Aruernorum Regem, feliciter pugnauit.

11. *Legiones delecta commissum cum Equitatu prælio.*] Commissum, non legitur in varietate lectionis ad oram Gryphiani libri. rectiusq; abest.

M. Valerium Procillum.] Procillum, Gryphius & Parisienses, & hic, & cap. seq. Procilius autem legi in veteribus & nummis, & lapidibus, dixi in Orthographia.

Genus hoc erat pugnæ, &c.] Cæsar libro 4. initio eadem fermè narrat de equestri Germanorum prælio: & Ammianus Marcellus libro 15. vbi pugnã Iuliani Cæsaris cum Alemanis describit. Hoc autem pugnæ genus ante hoc tempus à Romanis vsurpatum, Orosius tradit, libro quarto, capit. 18. quo loco de prælio inter Hasdrubalem, & Romanum exercitum, in Italia commisso, ita scribit: Diu incertus belli euentus fuit, elephantis maximè Romanam infestantibus aciem, qui à militibus R. occisi sunt, quos à volitando, Velites vocant. quod genus militiæ paulò antè fuerat repertum, vt lecti agilitate iuuenes, com armis suis, post terga equitum sederent, & mox, cùm ad hostem ventum esset, equis desilirent, & continuò pedites ipsi, ex alia parte equitibus, per quos aducti fuerant, dimicantibus, hostem perturbarent.

Si ante nouam Lunam prælio contendissent.] Idem à Lacedæmonijs obseruatum, tradit Lucianus, & Plut. in Cæsare eadem, quæ hic Cæsar de Germanis, scripsit. Huius autem rei causam vide infrà, apud hunc eundem, libro 6. cap. 5. eos enim Deos tantùm putabant, quorũ opibus iuuarentur. Germanos verò huiusmodi vatibus, seu sagis deditos fuisse legimus apud Tacitum, de situ & moribus Germanorum: & lib. 10. de Velleda, & Aurinia, fatidicis.

12. *Omnes Alarios, &c.*] Vegetius libro 2. cap. 1. Equitum quosdam hinc Alarios dici putat, quòd ad similitudinem alarum, ab vtraque parte protegant acies: quæ sanè suo tempore Vexillationes à Velo vocarentur, quia velis, hoc est, flãmulis, vterentur.

Triboces.] Plinius libro 4. cap. 17. & Tacitus de situ, & moribus Germanorum, & Eutropius lib. 6. Tribochos nominat: Ptolemæus verò Tribonos: mendosè, vt opinor.

Sedusios.] Edutes, non Sedusij, dicuntur ab Orosio lib. 6. cap. 7.

Millia passuum ex eo loco circiter V.] Plutarchus stadia CD. scriptum reliquit.

Liber II.

CAP. I.

S *Vessiones.*] Ptolemæus Vessones nominat. Aliâs, Suessiones. Nunc, Soissons.

3. *Sin minùs possent, &c.*] Glossema puto verbum, Possent, quod si absit, elegantiùs hoc sit dictum.

Per eorum corpora reliquos audacissimè transire conantes, multitudine telorum repulerunt.] Per eorum corpora, Belgarum scilicet. Plutarchus autem, Romanis transitum esse factum per Belgarum cadauera, scribit.

5. *Teneris arboribus incisis, atque inflexis.*] Q. Curtius, de Mardis, Alexandri exercitum impedientibus, lib. 6. Occultus, inquit, nexus ramorum, velut laquei, perpetua sæpe itinera claudit, &c. Vide eundem Cæsarem infrà, lib. 5. cap. 4.

6. *Vexillum proponendum, quod erat insigne, cùm ad arma concurri oporteret.*] Extrema hæc libenter tollerē, si vetusti alicuius libri auctoritas suffragaretur.

Signum tuba dandum.] Hoc etiam glossema puto. non enim hic est locus, in quo signi dati mentio fieri debeat, sed infrà post cohortationem ad milites. signo enim dato, statim in hostes impetus fiebat. Cæs. de bel. Ciui. lib. 3. cap. 9. Tuba signum dari, atq; in Hostes impetum fieri iussit.

Non modò ad insignia accommodanda:] Quibus ab hostibus distinguuntur.

7. *Decumana Porta.*] Post Prætoriam portam sita. Per eam delinquentes milites ad pœnam deducebantur. Veget lib. 1. cap. 23.

Clamor fremitusq́; exaudiebatur.] Aliàs, Oriebatur.

In his, Primipilo P. Sext.] Vide quæ annotaui in Sallustij Iugurtham de Primipilo.

Manipulos laxare.] Ouid. Fast. lib. 3.

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Inde manipularis nomina miles habet.

Vegetius libro 2. capite 13. Contubernium (ait) manipulus vocabatur, ab eo, quod coniūctis manibus dimicabant. Plutarchus in Romulo aliam Etymologiam dicit esse Manipuli: sic enim ait: Ἐν τοσούτῳ λαοῖς ἀνὴρ ἀφηγεῖτο, Χόρτου, καὶ ὕλης ἀγκαλίδα κοντῷ περικειμένην αὐτῷ ἔχων, Μανίπλα ταῦτα Λατῖνοι καλοῦσι: ἀπ' ἐκείνου δὲ καὶ νῦν ἐν τοῖς στρατεύμασι τούτους Μανιπλαρίους ὀνομάζουσι.

Huius aduentu spectata Militibus.] Similia Plutarchus narrat in Iulio, & Suetonius, & Val. Maxim. lib. 3. cap. 2.

Ex DC. ad III. Senatores.] Quadringentos tantùm fuisse Neruiorum, tradit Plutarchus: Epitome verò Liuiana nonagintaquinque, lib. 104.

Ex hominum millibus LX. vix ad D.] Non D. sed CCC. legitur in Epitome Liuiana.

8. *Custodiæ ex suis, ac præsidio VI. millia hominum, unà reliquerant.*] Gryphianus liber, ad oram, Custodiam, &, Præsidium.

Plerumque omnibus Gallis.] Valerius Palermus Veronensis, in studijs literarum non mediocri cum laude versatus, putat hoc loco pro Plerumque, Plerisque, reponendum. Vt sit, Plerisque omnibus. Quo modo & Terentius And. Quod pleriq; omnes faciunt Adolescentuli. Idem Cæsar libro quinto, capite decimotertio: Equites plerumque omnes (inquit) tela intra vallum conijciebant. Quo etiam loco fortasse legendum, Plerique omnes.

Tanti oneris turrim in Muros sese collocare confiderent.] Parisienses, In muro.

Nostros præsidia deducturos.] Nostros præsidia nō inducturos, Parisienses, rectiùs.

Dies xv. supplicatio decreta est.] Idem tradit & Plutarchus. Suetonius autem: Plurium, quàm quisquam vnquam, dierum supplicationes impetrauit. Supplicia dicuntur à Sallustio. De Supplicationibus verò lege Liuium libro 2. belli Punici, in principio.

Liber III.

CAP. I.

I *N Antuates, Veragros.*] Nantuates, vel Nantuates, & Varagri, dicuntur à Plinio, libro 3. capite vigesimo. & Strabone lib. 4.

2. *Proximis Oceano.*] Proximus mari Oceano, Parisienses.

In Vnellos.] In Eusubios, liber Gryphianus ad oram.

Cæteros antecedant.] Reliquos, Idem Gryphij liber.

Reliquasq́; ciuitates.] Parisienses, Reliquasq́; item Ciuitates.

Quod nomen apud omnes nationes.] Ad, non Apud, Parisienses.

Multum natura loci confidebant.] Quod hic Cæsar Naturam appellat, Ingenium non satis propriè dixit Ouidius, Trist. lib. 5. Eleg. 10.

Nil extra tutum est: tumulus defenditur ipse
Mœnibus exiguis, ingenioq́; loci.

3. *Cùm ex alto se æstus incitauisset.*] De Maris exæstuatione, Plinius lib. 2. cap. 99. & 101. Quinctus quoq; Curtius simile quid narrat de Indici Oceani exæstuatione.

Non absimili forma muralium falcium.] Ruralium, Parisienses. Quæ autem sit forma muralium falcium, vide Vegetium libro 4. cap. 14.

Malatia.] Μαλακία, mollitiem significat.

Reliquos sub corona vendidit.] Gell. libro septimo, capite 4.

4. *In contemptum Sabinus veniret.*] Contemptionem, legi in alijs libris, annotatum est & in varijs lectionibus. Eodem modo dixit & lib. 5. cap. 12.

Vt ad bella suscipienda Gallorum alacer, ac promptus est Animus, &c.] Liu. lib. 10. ab V.C. & libro 4. Belli Macedonici, idem narratur.

Animus, &c. Mens, &c.] Idem de bello Gall. lib. 6. cap. 1. Totus, & mente, & animo, in bellum insistit. Et de bello Ciuil. lib. 1. cap. 5. Tanta erat summa rerum exspectatio, vt nullus in aliam partem mente, atque animo, traheretur. Et Terentius, And. act. 1. Sc. 1. Mala mens, malus animus.

5. *Tolosa & Narbone.*] Tolosa, Carcasone, & Narbone, Parisienses.

6. *Veron-*

6. *Vocontiorum, & Tarusatium.*] Vocatinm, primus repofuit Sabellicus.

Flussates.] Volaterranus reponit, Flussates, quod sua quoque tempestate fuerint Comites de Flusso. Fnluius Vrsinus, doctissimus vir, mihiq; summa familiaritate coniunctus, Elusates, ex Plinio, & Claud. in Ruf. *- muros inuadit Elusa.*

7. *Eò Exercitum adduxit.*] Duxit, Parisienses.

Liber IIII.

CAP. I.

VSipetes.] Vsipij dicuntur à Tacito.

Neque vestitus, praeter pelles, habeant.] Habeanr quidquã, Gryphianus liber.

Et lauentur in fluminibus.] Idem tradit lib. 6. cap. 5. Mela quoque, lib. 3. eos magnam curam in natando ponere, etiam saeuissima hyeme, scribit.

Quàm latissimè à suis finibus vacare agros.] Vide eundem Caesarem, lib. 6. cap. 5. Et Mela, Germani, inquit, vt circa ipsos, quae iacent, vasta sint, curant.

Condrusonum.] Condrusos nominat idem, lib. 2. cap. a. & lib. 6. cap. 6.

a. *Quae appellatur Vacalos.*] Gryphianus lib. Vualis: quo modo nominatur & à Tacito, Hist. lib. 2. in initio.

Mediomatricum.] Mediomatricorum, Parisienses. Ita eos Strabo nominat. quamuis Ptolemaeus Μεδιομάτρικες. Idem lib. 7. cap. 14. Mediomatrices appellar. Quo in loco variant Parisienses.

Tribocorum.] Triboces idem dixit suprà.

4. *Sicambrorum.*] Sicambros, à similitudine Germanici vocabuli Sygenberger dictos facilè crediderim. Vnde à Ptolemaeo, Σύγαμβροι, dicuntur.

Immissa in flumine] In flumen Parisienses.

6. *Cum se inter equitum turmas insinuauêre, & ex Essedis desil.*] Insinuauerunt, ex Ess. Parisienses.

Liber V.

CAP. I.

MAgis magnos ibi fluct.] Minùs magnos, Gryphianus liber, ad oram.

In alio Mari vti assueuerant.] In reliquis vtimur maribus, Gryphius, & Parisienses. Praetereà Priscianus lib. 7. hanc lectionem agnoscit.

2. *Omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis.*] Omnibus ad Britannicum bellum rebus comp. Parisienses. Pleniore nnmero.

3. *Corus ventus.*] Ab alijs dicitur, Caurus. Graeci, Ἀργέστης. Gell. lib. a. cap. 22.

5. *Plumbum album.*] Plinius lib. 34. cap. 17.

Omnes verò se Britanni luteo inficiunt, quod Caeruleum efficit colorem.] Alij alia. Mihi Glasto, non displicet: cùm videam, Plinium, haec dicere, lib. 22. cap. 2. Simile, inqnit, Plantagini Glastum in Gallia vocatur: quo Britannorum coniuges, nurusque, toto corpore oblitae, quibusdam in sacris & nudae incedunt, Aethiopum colorem imitantes. De hoc antem Britannorum more pingendi corpora, vide & Herodianum ad finem libri 3.

7. *Oppidum autem Britanni vocant, cùm syluas impeditas vallo, atque fossa, munierunt.*] Idem propemodum de Germanis narrat Herodianus, libro septimo.

Magnus ibi numerus pecorum repertus.] Pecoris, Parisienses.

Cùm statuisset hyemare in Continente, propter repentinos Galliae motus.] Cùm statuisset hyemem in Continente, propter repentinos Galliae motus, agere, Gryphius, & Parisienses.

Et priorib commeatus expositis Militibus.] Nicasius Ellebodius Casletanus delendam putat particulam, Et.

8. *Samarobrina.*] Alias, Samarobrigae. Fuluius Vrsinus, Samarobriuae, ex antiquo libro, & Ptolemaeo, in quo Σαμαρόβριυα.

Essuos.] Nulla de Essuis apud veteres mentio. Ideo non malè quidam opinati sunt reponi posse, Suessones, vel, vt Ptolemaeus, Vessones: de quibus & supià lib. a. cap. t.

Hic M. Crassum Quaestorem, &c. praefecit.] Nam Publius eius frater, cum patre in Parthos ierat.

Magna manu ad Castra oppugnanda venerunt.] Magna manu Castra oppugnatum venerunt, legunt quidam: vel, Ad Castra oppugnatum: mutatione non tantùm nō necessaria, verùm &, vt mihi quidem videtur, quae non multùm elegantiae habeat. Cùm in alijs optimè legatur, Magna manu ad Castra oppugnandi venerunt. Vt intelligatur, Causa. Loquendi genus, ab alijs, praecipuéq; à Salustio, vsitatum.

10. *Erant, & virtute, & numero pugnandi pares nostri.*] Cùm non cohaererent inter se, Numero pugnandi, mutârunt quidam, legendo, Numero pugnantium: vel, Animo pugnandi. Verùm rectiùs in Parisiensi libro: Erant & numero, & virtute pugnandi, pares nostri.

Sperare se, ab eo suam, ac Militum, salutē impetrari posse.] Parisienses, Sperare se, ab eo de sua, ac Militum salute impetrari posse.

11. *Muralium pilorum.*] De pilis muralib. Vide Vegetium lib. 1. cap. 20.

Vt vltro Militum concursu, ac vocibus, sibi parcere ageretur.] Vltro passiuè dixit. Quo modo & Cicero, Fam. lib. 7. Epist. 10. Snbinuideo, inquit, tibi, vltro etiam accersitum ab eo, ad quem caeteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem, adspirare non possunt.

x. millium passuum circuitu munitionem perfecerunt.] Parisienses, x. millium passunm in circuitu munitionem pedum xv. perfecerunt.

Et verutum in balteo defigitur.] De Veruto, vide Vegetium, lib. 2. cap. 15.

12. *Verum, &c. vt Hostium impetum sustinere non possit.*] Ex Latini sermonis consuetudine tollerem particulam Non: vel Ne, pro Vt, legerem.

Consedit, &, quam aequissimo loc. pot. &c.] Suspicor de mendo. non enim haec aptè coniunguntur. Parisienses alio modo legunt superiora. sed neq; eo modo mihi satisfaciunt.

Neque

Neque etiam paruulo detrimento illum locum relinqui videbat.] Dionysius Lambinus, homo de literis benemeritus, hoc loco putat legendum esse, Vllũ locum relinqui volebat. Quod ita Cæsar dixerit lib. 6. cap. 8. minimo quidem casui locum relinqui debuisse. Quæ lectio optimè huic loco conuenire videtur.

Diutina lætitia.] Lætatio, Gryphianus liber, ad oram.

13. *Multò minorem superesse dicerent partem.*] Dele, Partem. venustior erit lectio.

Liber VI.

CAP. I.

Sacramento rogauisset.] Id est, iureiurando adstrinxisset. Sic locutus & Liuius lib. 2. Belli Macedonici: Lucius, inquit, Cornelius Lentulus Prætor, cum v. Legatis profectus est: obuios in agris, sacramento rogatos, arma capere, ac sequi, cogebat.

Et amicitiæ tribuissent.] Iulia enim, Cæsaris filia, & Pompeij vxor, perierat.

Finitimos atque Germanos.] Gryphius, & Parisienses, Finitimos Germanos.

Aut ex eo, quod metuerat odio Ciuitatis motus existat.] Parisienses, Aut ex eo, quod in eum erat, odio Ciui. &c.

2. *Difficili transitu Flumen Ripisq; præruptis.*] Mosella: quod Ptolemæus Obrincum vocat.

3. *Demonstrauimus.*] Initio lib. 5.

Si ampliùs Obsidum vellet, dare pollicentur.] Si ampliùs Obsidum vellet dari, poll. Parisienses.

Vbiorum satisfactionem.] Vbi horum, Parisienses. Verùm prior mihi lectio magis arridet.

4. *De his duobus generibus.*] Tria genera ponit Strabo libro quarto, Bardos, Vates, & Druidas.

Ambactos, clientesq;.] Ambactus, inquit Festus apud Ennium, lingua Gallica actus dicitur: Idem Cæsar infrà, cap. 4. Serui & clientes, dixit.

Si res in suspicionem venit.] Sic locutus Dolabella, in Epist. Fam. Etsi, ait, nunquam tibi in suspicionem venire debuit.

Iustis funeribus confectis.] Cùm eadem sint iusta, quæ Funera, rectè opinatur Fuluius Vrsinus, vel, Iustis funebribus, legendum: vel Funeribus tollendum, tanquam glossema ad, Iustis. Ita locutus est & Liuius.

5. *Quàm latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere.*] Quàm latissimas, Parisienses.

Harum est consimilis Capris figura.] Plinius lib. 8. capite 15. longè aliam, ac Cæsar, Alcis figuram tradit.

Vri appellantur.] De Vris, Plinius libro 8. cap. 15. Macrobius autem Sat. lib. 6. cap. 4. Vros dicit Gallicam vocem esse, qua feri boues notantur.

6. *Sed hoc quoque factum est, &c.*] Abest, Quoq;, à Parisiensi libro.

Taxo, &c.] De Taxo veneno, consule Plinium, lib. 16. cap. 2.

Quam Legionariorum, periclitaretur.] Parisienses, Quam Legionarius miles periclitetur.

7. *Cuneo facto.*] De Cuneo, Vegetius lib. 3. cap. 19. & Aelianus de instruendis aciebus.

Fidem non haberent.] Parisienses, Fidem non faceret.

Durocortum.] Durocotorum, Parisienses. Fuluius Vrsinus, Durocortorum: cùm Ptolemæus, Δουροκόρτορον. Emendatq; Strabonem, in quo corruptè Δουρικόρτορα legitur.

More Maiorum supplicium sumpsit.] De hoc more vide infrà, de bell. Gall. lib. 8. cap. 6.

Liber VII.

CAP. I.

Quam à Maioribus acceperant.] Acceperint, Parisienses.

In præsentia de obsidibus cauere.] Abest particula De, à Parisiensi libro.

2. *Opinione præceperat.*] Ita legendũ; non, vt in aliis, Perceperat. Sic idem locutus, de Bell. Ciuil. lib. 3. Ac iam animo victoriam præcipiebant. Liuius quoque, Dec. 4. Nec se ad bellum Achaicum, aut rem vllam, quam sua quisque opinione præcipere posset, crederent missos esse. Et: Consul quia non pugnam cominùs, sed locis oppugnandis, futuram præceperat animo. Virgilius, lib. 6.

Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.

Et 11.

Exultatq; animis, & spe iam præcipit hostem.

Omnibus suis inopinantibus.] Abest verbum, Omnibus, à Gryphij libro.

3. *Quæ sit necesse accidere victis.*] Salustius, Catillina, in oratione Cæsaris: Quæ belli sæuitia esset, quę victis acciderent, enumerauêre: rapi virgines, pueros: diuelli liberos à parentum complexu: matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent: fana, atque domos, spoliari: cædem, incendia, fieri: postremò, armis, cadaueribus, cruore, atque luctu, omnia compleri.

4. *Reliqua, quæ ad oppugnationem Opidi pert.*] Reliquaq;, &c. Parisienses.

Fortuitu.] Fortuito, Parisienses. Quo modo itẽ, de bello Africo, cap. 1.

5. *Ab ariete materia defendit.*] Arietis formam vide apud Vegetium, lib. 4. cap. 13. & apud Ammianum, lib. 23.

6. *Conspectum multitudinis fugerat.*] Ita locutus Salustius, Iugurtha: Metellus conspectum Marij fugerat. Et Terentius, Heaut. act. 3. scen. 1.

Tuum conspectum fugitat, ob peccatum.

Etiam ad se euocauit.] Abest verbum Etiam, à Parisiensi libro. Antiquus liber Bibliothecæ Vaticanæ, Ad se etiam Alius Fuluij Vrsini, Deceriam euocauit. Optimè. nam Antoninus in Itinerario suo huiusce Opidi mentionem facit. Quod ipse Fulu. doctissimè, primus, obseruauit.

7. *Castris pro Opido in Monte positis.*] Parisienses, & Gryphij liber ad oram, Castris propè Opidum in Monte positis.

Imperio

Imperio natos.] Ita locutus Salustius, Iugurtha: Vos, Quitites, imperio nati, æquo animo seruitutem toleratis: Qnamnis in alijs libris Præpositio In legatur, hoc modo, In imperio nati. Qnod non admodum probo.

Ad Cæsarem disceptaturi.] Placet, quod in Parisiensi libro legitur, Ad Cæsarem disceptatum.

8. *Matresfamiliâs.*] Parisienses, Matresfamiliæ, & hic, & hac eadem pagina, capite nono.

10. *Negotiandi, aut itineris causa.*] Antiquus liber otnatissimi viri, Io. Vincentij Pinelli, non habet illa, Aut itineris. Et sanè absunt à Parisiensi libto & Gryphij.

Vt, ab re frumen.] Si ab re frument. Gryphius. & antiquus liber Io. Vincentij Pinelli. Si à te frument. Parisienses.

Ex Prouincia.] Nicasius Ellebodius Casletanus delenda putat hæc duo verba; vel legendum, In prouinciam.

12. *Segusianiq́.*] Segusiaci dicuntur à Ptolemæo.

Minus idoneis equis.] Cæsar, suprà lib. 4. cap. 1. Iumentis, quibus maximè Galli delectantur, quæq́; impenso parant precio, Germani importatis non vtuntur; sed, quæ sunt apud eos nata praua, atque deformia, hæc, quotidiana exercitatione, summi vt sint laboris, efficiunt.

Tribunis Mil, reliquisq́ Equitibus R.] Annotatum etiam est in Varijs lectionibus in alijs libris legi, Tribunis Mil. reliquisq́;, sed & Equitibus R. Quæ mihi lectio non displicet.

Confidebat.] Confidat Parisienses. rectè.

Pugnatur vnà omnibus in partibus.] Gryphij liber, Pugnatur vnà tùm omnibus in partibus.

13. *Ad summum fastigio.*] Parisienses, & Gryphij liber, Ad infimum fastigio.

14. *Aulertis.*] Auliorcos nominat Ptolemæus.

Xanthonibus.] Parisienses, Santonibus. Santones, non Santoni, dicuntur ab eodem Cæsare, lib. 1. de Bell. Gall. cap. 2.

Fiduciæ pleni.] Fiducia, Gryphij liber.

Quid ergo mei consilij est? facere, &c.] Gryphins & Parisienses, Quid ergo? Mei consilij est, facere, &c. Rectè.

16. *E castris longurios, musculos, &c.*] A Castris, quidam. Alij Præpositionem omittunt. Parisienses, Ac rastros, longurios, musculos, &c.

Aggere, & cratibus, aditus expediunt: falcibus vallum, &c.] Parisienses, & Gryphij liber ad oram: Aggere, & cratibus, fossas explent: falcibus vallum, &c.

Huius Anni rebus cognitis, &c.] Parisienses, His literis cognitis, &c. Gryphij liber, ad oram, His rebus literis Cæsaris cognitis, &c.

Liber IIX.

CAP. I.

E*Qnitatus præsidio.*] Equitum præsidio, Parisienses.

2. *Velliocassos.*] Vellocassios, Parisienses.

Vt, si diceretur, &c. venire, offerrent se ad dimic.] Parisienses, Si vt diceretur, &c. veniret, offerre se ad dimic. Gryphij verò liber, in alijs cum Parisiensi libro facit; præterquàm, quod in eo, Offerrent, legitur.

Permanerent.] Permanere, Parisienses.

In vallo colloc.] In ipso vallo, Parisienses.

3. *Copijs armatorum, Castrorum vias instruunt.*] Antiquus liber Pinelli, Copias armatorum pro suis instruunt Castris.

Superioribus Commentarijs declaratum est.] Hoc nusquam reperiri in Cæsare, alij obseruârunt. Videndnm igitur, an mendum aliquod sit.

Partes aduerterent.] Parisienses, Animaduerterent.

5. *Circundare conatur.*] Moratur, Pinelli liber. Rectè.

6. *Quæ mœnibus æquaretur.*] Loquendi genus postulat, vt legamus, Quæ mœnibus æquaret. Ita locutus Pacuuius, apud Gell. lib. 14. cap. 1. Nam si qui, quæ euentura sint, præuideant, æquiparent Ioui. Et Cic. noster lib. 1. Offic. Non solùm, inquit, Orationes meas, sed etiam de Philosophia libros, qui iam illis ferè æquârût, studiosè legas. Ita enim legendum censeo, ex antiquis libris. Quod tamen cùm vidisset Dionysius Lambinus, locutionem non assecutus, improbauit. Vide quæ scripsi in illum Salustij locum, Catilina: Regium imperinm in superbiam, dominationemq́;, connertit. Ibi enim huiusmodi multa, apud Scriptores à me obseruata, posui.

Ab intendio restinguendo.] Sic Salustius, Catilina: Incendium meum ruina restinguam. Vide, quid eo loco dixerim.

Paratissimo sustinebant animo.] Fortissimo, Parisienses, & Gryphij liber ad oram.

Conuersi hostem pellere.] Conuersis equis hostem pellere, Parisienses.

8. *Ibiq́ Exercitum lustrauit.*] De hoc lustrandi exercitum more, vide Liu. li. 34. ab V.C.

L. Paullo, & C. Marcello coss.] Gryphij liber ad orã, L. Lentulo, & C. Marcello Coss. rectè.

Insequentis Anni.] Alij legunt, In insequentis Anni. Parisienses, Sequentis Anni.

Sed etiam per se discessionem facere cœpit.] Hunc locum cùm mendosum esse non solùm alij obseruârint, verùm & ipse semper duxerim, de eo, deq́; alijs similibus, vt meus mos est, non solùm amicos & literatos viros, verùm & veteres libros, cùm eos inspiciundi copia fuit, consului. Tandemque Veronæ ante quadriennium autiquum reperl Cæsaris exemplar, in quo, mendosè, sed vnde tamen elici veritas facilè possit, totus hic legitur locus. Sic autem in eo erat: sed etiam per sese discessionem facere cœpit. Quod cùm vidissem, statim venit in mentem, illud extremum se, Senatus signlficare.

Consules, Amiciq́ Pompeij, intercesserunt.] Alij, Suaserunt. Octauius Pantagathus, acerrimo vir ingenio, Intercesserunt, legit.

Cæsari eam, tanquam ex suo numero, dedit.] Abest, Eam, à Parisiensi libro.

SCHOLIA

IN C. IVLII CÆSARIS DE BELLO CIVILI,

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

L*Iteris à Fabio C. Cæsaris consulibus redditis.*] Offendebat, Caij, prænomine; cùm Cæsar, de seipso loquens, nunquam prænomen addere coosueuerit. Verùm posteà reperi, quòd mihi scrupulum hunc eximeret. Parisienses enim ita ediderunt: Literis à C. Fabio Cæsaris cons. red. Quæ mihi placet admodum lectio.

Referunt Consules de Republ. in Ciuitate.] Absurdum. quasi Consules, vbi ciuitas non sit, id est, multitudo ciuium, referre de Repub. possint. Locus igitur mendo non vacat: nec facilis diuinatio est.

Tribuni pl.] His Curionem addit Appianos.

Completur vrbs ad ius comitiorum.] Longè distabat à mense Ian. quo hæc gesta sunt, comitiorũ tempus. quare libri veteres consulendi.

Dolor repulsæ.] In consulatu. epit. Liu. lib. 108. Falsum autem hoc esse, dictumq́, à Cæsare, inuidiæ causa, tradit Plutarch. in Vticensis vita.

Adulatio, atque ostentatio sui, & potentium.] Sic veteres libri: nec obscura sententia. hoc enim dicitur: Cùm ipse sibi, vt solent inanis gloriæ cupidi homines, adularetur, seq; ostentaret, & eorum amicitiam, qui tum in Republ. iudicijsq́;, plurimùm pollebant.

Neminem dignitate secum exæquari volebat.] Velleius lib. 2. Pompeius, ait, vt primùm Remp. aggressus est, non quenquam animo parem tulit. &, in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. neq; eo viro quiquam aut alia omnia minùs, aut gloriam magis, concupijt. Lucanus:

Nec quenquam ferre potest, Cæsárve priorem,
Pompeiúsve parem.

2. *Neque etiam extremi iuris Intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur.*] Intercessionem, glossema videtur. nam extremum ius est Intercessio, quam Sylla tribunis pl. reliquit, Pompeius ademit.

Latorum audacia.] Suspicatus sum aliquando, reponi posse; Latronum. Sed nec, eo modo si legas, planè mihi satisfacio. Absunt hæc à vetere Pinelli libro.

Quique Proconsules sunt ad vrbem.] Hunc locum ante multos annos emendauit Pater meus, ex historia: quanquam scripti libri haberent, Consules, non, Proconsules. Cicero, eadem de re, in Epistola ad Tironem: Posteaquàm Senatus Consulibus, Prætoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, vt curaremus, ne quid Resp. detrimenti caperet. Et in oratione pro Deiotare: Cùm audisset, Senatus consentientis auctoritate arma sumpta, Consulibus, Prætoribus, Tribunis pl. nobis Imperatoribus Remp. defendendam datam.

V. primis diebus, quibus haberi Senatus potuit.] I V. diebus, non v. haberi Senatus potuit, à Kal. Iann. ad VII. Id. reliqui tres comitiales dies sunt. quod ex vetere Kalendario, cum *Orthographia* nostra impresso, liquet.

Sui leuissimis postulatis.] Quibus à Senatu responsum non est: quia Cæsaris literæ, à C. Fabio Consulibus redditæ, recitatæ quidem in Senatu sunt; vt verò ex ijs ad Senatum referretur, à Tribunis pl. qui Cæsari fauebant, impetrari non potuit. quod initio huius libri dictum est.

Faustus Sylla Propræt.] Cùm esset in omnibus libris, Properè. Pater reposuit, Propr. id est, Proprætor. A Vaticano abest, Properè.

Marcellus verò, passurum se in præsentia negat.] Consulatum gerebat cum L. Lentulo: erat autem Cæsaris affinis, vxore ducta, nepte Iuliæ, sororis Cæsaris, Octauia, quæ soror Augusti fuit, & ex hoc Marcello peperit eum, de quo Virg. *Tu Marcellus eris.*

Prouinciæ priuatis decernuntur.] Cùm solerent Magistratum gerentibus decerni: vt Magistratu functi proficiscerentur in prouincias.

Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia.] Vtraq; consularis. Sed Domitio vlterior tantùm obtigit Gallia: nam citerior Considio Noniano, teste Cicerone in Epistola ad Tironem, in qua sunt hæc: Feruntur conditiones ab illo, vt Pompeius eas in Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra, dimittantur: se vlteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum.

Philippus, & Marcellus, priuato consilio, prætereuntur.] Quia Cæsaris affines. nam L. Philippus Atiã, Iulia, sorore Cæsaris, natam; C. Marcellus, vt suprà diximus, Octauiam, Atiæ filiam, in matrimonio habebat.

1 *Ad populum referatur.*] Consuetudo Latini sermonis postulat, Feratur. nam, Referre ad Senatum, Ferre ad Populum, dicimus.

3. *Tribunos pl. qui ad eum confugerant, conuenit.*] M. Antonium, Q. Cassium Longinum, quibus intercedendi facultas erepta erat, significat. Cicero ad Tironem: Antonius noster, & Cassius, nulla vi expulsi, ad Cæsarem cum Curione profecti erant.

L. Cæsar adolescens.] Quem posteà victor Cæsar occidit. Suetonius: Nec vlli perijsse, nisi in prælio, reperientur, exceptis duntaxat Afranio, & Fausto, & L. Cæsare iuuene. ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant. Cicero ad Varro-

nem: Vt audiui de L. Cæsare filio, mecum ipse. Quid hic mihi faciet patri?

Cuius pater.] Auunculus M. Antonij. Cicero, in Epistola ad Dolabellam.

Populi R. beneficium.] Pro beneficio, legi in alijs libris. est in varijs lectionibus.

Ipsi Exercitus dimittantur.] Dimittant, est in Varijs lectionibus.

Legiones alienas.] Quia mitti deberent ad Parthicum bellum. supra: Retineri Legiones II. quæ ab se, simulatione Parthici belli, sint abductæ.

4. *Cum II. legionibus subsistit.*] Nicasius Ellebodius Casletanus, ex obseruatione historiæ, legendum putat, Cum v. Cohortibus.

Tignium, Tigniorum, Tignium.] Cùm Curio in Vmbria pro Cæsare militaret, rectè Steuchus Eugubinus, probatæ doctrinæ vir, reponendum putauit ante me natum, Iuguium, quod videret hoc opidum ita à Plinio lib. 3. cap. 14. nominari. Tignium autem est in Piceno. Cùm verò in antiquo lapide non Ignium, sed Iguuium, nominari ego videam, ita quoq; his in locis reponendû statuo. Eius exemplum sequitur.

Fulginei.

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT.

FRVM. SVB. PRINCIPI. PE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRAEFF.
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA.
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FOROFLA. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM ✠ XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. ✠ IIII. N. DEDIT.

Cn. Pompeius, Pridie eius diei ex vrbe profectus.] Mendum hic esse, putat Nicasius Ellebodius Casletanus: cùm suprà cap. 3. Cæsar dixerit, Pompeium Capuæ esse. Locus est diligenti animaduersione dignus.

Auximo Cæsar progressus.] Nescio, qui venerit in mentem quibusdam mutandi hunc locum; & legere, Maximo Cæsar progressu. Ita si nobis libri emendandi essent, omnia certè mutaremus. Verùm nunquam hoc Institutum probaui, neque probabo, est enim nobis retinenda prior lectio, quantum potest: neque mutanda, nisi prorsus sensus ipse eam respuere videatur. Locus hic admonet, vt tericendam non parem emendationem quandam in Varronis Eumenid. apud Nonium Marcellum Tuburbigensem, (sic enim legendû ego puto, non Tiburticensem) quam proximis diebus mihi significauit nobilissimus iuuenis, idemq; omnium, quos ego vnquam nouerim, doctissimus, Claudius Puteanus. Ita autem est in Nonio, in verbo, Cædere, quod interpretatur, Occidere, vel Mactare: Varro Eumenid.

Maximum cædit ferro, sed cædere Vlyssem,
Cum baccâ syluam cadis, porcosq; trucidat.

Dicit Puteanus, Petrum Delbenium, acerrimi iudicij iuuenem, qniq; multa in optimis auctoribus emendauerit, putare hoc loco ita legendum,

Aiax dum credit ferro se cædere Vlyss. &c.

Quod quàm verè cogitet, qnamq; pulchrè locum emendârit, doctorum sit iudicium. mihi quidem sic probatur, nihil vt magis probari possit.

Camerino.] Nomen retinet, nobilissimum Opidum, ex quo viri doctissimi prodierunt. Populi Camertes dicuntur. De eius antiquitate, & nobilitate, plura dixit Io. Maria Iouius, Camers, iuuenis, ingenij, doctrinæq;, laude, in primis excellens, mihiq; ob id, maximè carus, in eo libro, quo Camertium antiquitatem persequitur.

Vlcillem Hirrum.] Hirrus duplici R R. scriptum, Lucceiæ gentis cognomen fuit. Quo semper veritus sum, ne Lucceium, pro Vlcillem, quod certè corruptum verbum est, Cæsar scripserit.

Qui erat ab Opido millia passuum circiter III.] Pro erat, libentiùs legerem, Aberat.

5. XL. *in singulos iugera.*] Habebat Domitius XXX. Cohortes, id est militum XV. millia: quadraginta igitur in singulos iugera si diuidantur, iugerum erunt sexcenta millia. est autem Iugeri longitudo, pedes CCXL. latitudo CXX. Immanis est hic iugerum numerus: cùm præsertim dicat, Ex suis possessionibus: nec Domitij diuitias, vt Crassi, aut Luculli, quisquam celebrauerit. Quare ante multos annos Pater Quaterna reposuit, pro Quadraginta.

Consultandi causa.] Consiliandi, legi in alijs libris, est in varijs lectionibus.

Animi confirmatione.] Verbum, Confirmatione, mendosum suspicor. cùi, ne mendosum putetur, potest aliquis hoc dicere: veritû esse Cæsarem, ne militum animus, qui, cognito Domitij consilio, mutatus erat, confirmaretur.

Neque eorum tam remisso, ac languido animo quisquam omnium fuit.] Neque eorum quisquam omnium fuit. ita coninnge. malim tamen, Neque verò. Vaticanus liber, Neque eò. Parisienses, Neque tam remisso, &c.

Vt nullus in aliam partem, &c.] Vt alius in aliam partem, &c. Parisienses.

Filius Domitij.] Filius Domitius, legendû puto: quòd ita ferat vetus loquendi consuetudo.

Quod sibi apertè eorum gratia relata non sit.] Fortasse rectiùs, A parte eorum. Quo modo legitur in Parisiensi libro.

6. *Cn. Magius, Cremona.*] Patriæ nomen interdum addebatur. Vt lib. 3. C. Felginatê, Placentia.

Quo

Quo de loquendi genere vide, quæ diximus in *Ortographia*; in verbo, *Arretium*.

Reliquisq; solis pugnabatur.] Pugnabant, Gryphij liber, ad oram.

Deprehensasq; excipiunt.] Abest particula Que, à Carrariensi libro. quod legitur in varijs lectionibus.

7. *Vt operibus anteì studuerit.*] Anteire studuerit, Parisienses.

In Senatu dixerat, &c.] Plutarchus aliam addit causam fuisse, cur Senatus Legationem ad Pompeium de Pace, non miserit. ait enim, timuisse Senatum, ne Cæsar aliud in pectore clausum, aliud in ore promptum, haberet.

Reliquasq; res, quascunque agere instituerat.] Hoc loco multa Cæsar reticet, quæ sine multa ipsius ignominia dicere non poterat. De Pecunijs enim, ab Aerario ablatis, reclamante Metello, scribunt Plutarch. Appianus, & Lucanus.

8. *Quas Sicilia, & in Cosano.*] Quid Siciliæ Insulæ cum agro Cosano? Suspicor equidem de mendo: cùm præsertim veteres libri habeant, Sicili, vel Sigili.

9. *Quem ipse petiuerat.*] Quē ipse pacauerat, Gryphij liber, ad oram.

Præsidio proprio.] Proprio, non legitur in antiquo Pinellij libro.

Iumentorum, & Aquæ magnitudine.] Non opinor subesse mendum, sed verbum, Magnitudine, respicere duas res, iumentorum pondus, aquæ impetum.

10. *Ex primo hastato Legionis quartadecimæ.*] In singulis Legionibus erant hastati, principes, triarij. horumdem centuriones erant: qui hastatorum, primus hastatus dicebatur, secundus, tertius, vsq; ad decimum: vnde illud apud Liuium, libro 42. Virtutis causa mihi T. Quinctius Flamininus decimum ordinem hastarum assignauit. Sic primus princeps, secundus, tertius, vsque ad decimum. Ibidem Liuius: A M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Et Cicero in Epistola ad M. Brutum: Cretensi bello octauum principem duxit. Triariorum quoque decem centuriones fuère: sed, qui primum inter eos locum tenebat, non primus triarius, verùm Primipilus, vel Primipili centurio, vocabatur.

Ex inferioribus Ordinibus.] Non ex priuato milite: sed, cùm ordines duxisset, id est, centurio inter hastatos fuisset: cùm essent nouem prætereà. Sic lib. 3. Ab Octauis ordinibus ad primum pilum se transducere pronúciauit. Id est, qui centurio triariorum octauus fuerat, cum primum fecit.

Ex omnibus Montib. Nix profluit.] Profluxit, Gryphij liber. rectè. Parisienses, Proluit.

Neque Frumenta in hybernis erant, neque multum à maturitate aberãt.] Nicalius Ellebodius Casletanus, cùm videret, ex superioribus Hybernum tempus hic non posse designari, idq; etiā perspicuè ostenderet illud, Neque multùm à maturitate aberant, reponendum putat, In herbis, vel in herba. Quo modo locutum Ouidium obseruauit: Tua messis in herba est. Plinius quoque, libro 18. capite 7. Frumenta hyeme in herba sunt. Et Cicero de Senectute, de Frumentis loquens, Herbescens viriditas dixit.

11. *His tamen omnibus Annona creuit.*] His tum omnibus, legit Nicasius.

Magni demum concursus.] Demum, Gryphij liber. Probo.

Ita comitatus, & eos, qui Frumenti causa processerant, tutò ad se recipit.] Antea, Commeatus. Ego, Comitatus, ex antiquo libro, & quia suprà: Neque maximi comitatus, qui ex Italia, Galliaq; veniebant, in Castra peruenire poterant.

Vt prædæ subsidio sint.] Præsidio, Parisienses.

13. *Lacetani.*] Hos à Strabone lib. 3. & Ptolemæo Iacetanos dici, docuit Fuluius Vrsinus. Quomodo itē legi in antiquo suo libro obseruauit. Emendatq; Liuium, & Plinium.

Illurgauonensis.] Lurgauonenses, eiusdem Fuluij liber. & Liuius. Hos putat à Strabone dici Ἰλεργέτας.

Octogesam.] Idē, Etouisam dici à Plinio, monuit.

Huc iam rem duxerat.] Parisienses, Reduxerat rem. Legendū fortasse, Deduxerat rem. Sic enim locutus est infrà: Res ab Afranianis huc erat necessariò deducta. Et in extremo ferè libro: Res huc deducitur. Et lib. 3. Spe conficiendi negocij, propè in noctem rem deduxerant.

Totis verò Castris Milites circulari.] Cicero in Bruto: Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem. Et Seneca: Qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur. Inde Circulus, cœtus hominum, circumquaque adstantium, aut in orbem collectorum, interseq; confabulantium. Tacitus, libro 3. Nec ignoro, in conuiuijs, & circulis, incusari ista, & modum posci. Seneca: Quidam enim beneficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant: pro, passim prædicant, & iactant. Et Circulator: Seneca: Alter apud proximum circulatorem resedit. Et Circulans, id est, sermones in circulis serens: Seneca, 5. Epistolarum: Sic itaque habe, inquit, vt istam vim dicendi rapidam, atque abundantem, aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem magnam, ac seriam, docentiq;.

14. *Quod fuit illis conandum, atq; omni ratione efficiendum) & totius diei pugna, atque itineris labore, defessi, rem in posterum diem distulerunt.*] Non bona distinctio, nisi fallor: nec videtur parenthesis locum habere. est enim hoc, Quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum, omnino adiungendum sequentibus, & legendū, Sed totius diei pugna. Quo modo Parisienses ediderunt. Totam sententiam qui perpendet, non dubito, quin mecum sentiat.

L. Decidius Saxo.] Veteres libri, Saxa: & oratione 13. in Antoninm: Cùm Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? Ibidem, infrà: Saxam verò Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex vltimis gentibus; vt eum

 tribu-

tribunum pl. videremus, quem ciuem nunquam videramus? Et in eundem 8. Omnes Cafones, omnes Saxæ, cęteræq; pestes, quæ sequuntur Antonium. Idem Saxa, vt opinor, nominatut epitome Liuiana 127. vbi Didio, pro Decidio, legitur: aut, in Cicerone, Decidium, pro Didinm.

Namq; itinera, quæ ad Iberum,] Parisienses, Nam, quæ itinera ad Iberum.

Prosequebantur, necessarij victus inopia.] Parisienses, Proiecqnebantur nos, necessarij victus inopia.

15. *Præsertim cùm non minùs esset Imperatoris, Consilio superare, quàm Gladio.*] Suetonius, de Cæsare: Quo sæpiùs, inquit, vicisset, hoc minùs experiondos casus opinans: nihilq; tantùm victoria acquisiturũ, quantũ auferre calamitas posset. Facit hic locus, vt obiter mentionem faciam de illo Terentij, in Eunncho, Act. 4. Scen. 7.

Omnia priùs experiri verbis, quàm armis, sapientem decet.] Quo in loco variant libri. Abest enim vox, Verbis, à quibusdam impressis, vt obseruauit M. Antonius Muretus, vir is, cui plurimum Græcæ, Latinæq; literæ debeant. In alijs veteribus: Omnia priùs experiri consilio, quàm armis, sapiẽtem decet. In alijs impressis: Consilio omnia priùs experiri, quàm armis, sapientem decet. Quo modo si leges, erit simile loco huic Cæsaris. Sin verò, illud Verbis, vel, Consilio, deleas, erit dictum, quo modo illud ab eodem Cæsare, Ciuil. lib. 2. cap. 6. Atque omnia priùs experienda arbitror. Nihil enim sequitur, quod illi Priùs respondeat; sed per se stat. Et sanè hoc modo videtur Donatus interpres legisse. ait enim: Quam armis [illegible], pro, Quam arma. aut [illegible] est, si subaudiamus, Agere. Libanius Sophista idem propemodum dixit: [illegible]

Cohortium Alariarum.] Cohortium duo genera, Auxiliares, & Legionariæ: Auxiliares, Alariæ dictæ, quia legionarias, tanquam alas, tegerent. Sic Alarij equites, & Auxiliarij, ijdem, in Epistola Ciceronis ad Caninium, lib. 2.

Consiliumq; eius à cunctis probabatur.] Vsitatius loquendi genus, elegantiusque, Consiliumque eius cunctis probabatur.

Ad iusiurandum adigit.] Ex hoc loco facilè adducor, vt emendandum putem Sallustij locum, in Catilina, In eo ita est: Cùm ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret. Puto enim ibi legendum, Adigeret.

Postulant, vt iurent omnes.] Referri malim ad Petreium, & legi, Postulat.

Vana religio iurisiurandi.] Beroaldus, Noua. Rectè.

16. *In aduersarios tela conijciebant.*] In Aduersos, Parisienses. legendum, Auersos.

Relictis ijs munitionibus.] Gryphius, Relictis his legionibus. Parisienses, Relictis legionibus. Alij, Eductis legionibns.

Hora x. subsequi.] Io. Vincentij Pinelli liber antiquus, Ora x. Ex quo Nicasius Ellebodius Casletanus, mendosũm locum suspicans; Omnia auxilia subsequi, reponendum putat.

Quò essent ad id expeditiores.] In antiquo lib. Ad it. Ex affinitate autem T, & D, & earum inter se conuersione factum est ab ijs, qui locum non intelligerent, Ad id: cùm sit legendum, Ad iter. Sic infrà lib. 3. cap. 8. Quo iter, inquit expeditiùs faceret. &c.

Illi impedienda rei, quæ munitionis causa fiebat, hora circ. 11 x.] Antiquus Pinelli liber, Illi, impediendæ munitionis causa quæ fiebat hora circiter 11 x. Rectè.

17. *Ex v. Legione.*] Nicasius legendum putat, Ex quaque legione.

Quem Cæsar deligit.] Delegit, Parisienses.

Habuit, conseruarit.] Habuerit, legitur in Varijs lectionibus.

Flagitaretur.] Flagitarentur, in alijs libris. Vt sit, Petreius, atque Afranius, flagitarentur. Græco more.

Q. Fusium Calenum.] Q. Fufium, legendum obseruauit Fuluius Vrsinus, ex vetere lib. & argenteis nummis. Ita emendandum etiam, infrà, libro 3. cap. 2. 6. & 12.

Liber II.

CAP. II.

C*Apreolis.*] Capreoli, ait Festus, vitium cincinni, intorti, quia ad locum capiendum tendunt, appellati.

Phalangis subiectis.] Græco vsus est vocabulo. lib. 3. Scutulas dixit. Virg. autem libro 2. AEneid. Lapsus. Accingunt omnes operi, pedibusq; rotarum Subijciunt lapsus. Sunt autem rotunda ligna, quibus Naues, maximaque onera, voluntantur. Iulius Pollux: [illegible]

3. *Cum infulis.*] Galli supplices Corollis ex floribus vtebantur, pro amicitiæ, supplicationisq; signo, Polybius lib. 3.

Vt vbi hominibus doctis.] Massiliensium disciplinam, & grauitatem, laudat Cicero, in oratione pro Flacco.

Interiectis aliquot diebus.] Interiectisque, Parisienses.

Portis se foras erumpunt.] Ita legendum. sic enim & alij sunt locuti. Quod cum quibusdam nimis durum videretur, locum mutàrunt. Cœlius, in Epistola ad Ciceronem: Illa inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit. Et Virgilius Georg. lib. 1.

Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese
Diuersi erumpunt radij.

Excisis, & coniectis.] Conuectis, Parisienses. Rectè.

Quod, vbi Hostes viderunt, ea.] Quod, pro Sed, vsurpat. Vt infrà lib. 3. Quod, cùm esset animaduersum, coniunctã esse flumini. Cic. Philip. 10. Quod, qui ab illo abducit exercitum. Cœlius, ad Ciceronem: Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Liuius, libro 41. Quod, cùm Milites, Cõsulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent, cùm is, more maiorum, secundum

dum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab vrbe esset. Varro, lib. 6. Ling. Lat. Quod, cùm dicunt Conspicionem, Cortumionem addunt. Et Plinius libro decimo octauo, capite vigesimo tertio. Quod vt haec quoque curam determinemus.

4. *Fiduciariam operam.*] Id est temporariā, quamq; eum cedere opotteret, aduentu Cn. Pompeij. Q. Curtius lib. 5. Auspicium, inquit, & imperium alij trade Interim, qui tamdiu Rex appelletur, donec Asia decedat hostis. victor deinde Regnum tibi reddat, &c. Et paulò pòst: Compositis rebus, iusto Regi tibi fiducia, (id est, per fiduciam) restituet imperium.

Iis grauiora onera iniungebat, &c.] Aliter hunc locum legi, in Parisiensi, & Gryphiano, est in Varijs lectionibus.

Qui verba atque orationem, aduersus Rempub. habuissent.] Haec exponuntur à Caesare, tanquam iniustè facta, sed Iniustè factum videri non potest, si puniaturis, qui verba, atque orationem, aduersus Rempublicam habuerit: cùm praesertim Caesar causam suam à Reipublic. causa non disiungeret. Quare rectè puto suspicari Nicasium, illud, Aduersus Remp. sincerum non esse: veriùs autem, Aduersus Pompeium.

Ratio autem haec erat Belli, vt secum II. Legiones Gades conferret.] Periti proprietatis, & elegantiae Latini sermonis, non dubito, quin legendū esse mecum sentiant, Vt secum II. Leg. Gades conferret: id est, II. Legionibus. Natus error ex hoc scribendi more, II. Leg. Ita quoq; ediderunt Parisienses. Quo modo est & in Gryphij libro ad oram.

Legem de Dictatore latam.] Errat igitur Plutarchus, qui creatum à Senatu dictatorem Caesarem tradit. Appianus & Dio latam ad populum legem significant.

5. *Curio Marcium Vticam Nauibus praemittit.*] Marcum, omnino videtur legendum, nam hic est M. Rufus, Curionis Quaestor, de quo suprà.

C. Caninium Rebilum Legatum.] Fuerat etiam Legatus in Gallia suprà, libro septimo, de Bello Gal. in fine.

Quae offerrentur.] Parisienses, Qua offerrentur.

Commilitonesq;.] Commilitesq;, Parisienses, & Gryphius.

6. *Namneque prudentes suspicari oportet.*] Verbum Prudentes, fortasse non vacat mendo: nisi si, Prudentes, id est, probos, intelligas: vt opponatur hoc membrum sequenti membro, neque Improbos scire. Diuidit enim Exercitum in Probos qui molestè ferent, sibi parum credi, & improbos, qui Castris loco motis, timeri se intelligent.

Pudore aut Metu, tenentur: quibus rebus Nox maximè aduersaria est.] Terentius Adelph. Act. 3. Scena 5.

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.

Quem locum sumpsit à Plauto, in principio Bacchidum:

Istboc illecebrosius fieri nihil potest,

Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo?

Et Liuius: Nox omnem timorem, aut pudorem extinxerat.

Neque tanti sum animi, vt sine spe Castra oppugnanda censeam: neque tanti timoris, vt ipse deficiam.] Placeret; vt spe deficiam. alterum enim est sine spe, alterum cum spe aliqua.

In me offenditis.] Pater meus coniectura ductus, ita legendum putauit, & imprimi etiam voluit, in libris nostris, ante multos annos: cùm in peruulgatis omnibus legeretur, Iam me offenditis. Hanc verò fecit coniecturam, ex ipsa primùm sententia, deinde ex Latini sermonis consuetudine. Nam, quod ad sententiam attinet, quis hoc significari non intelligit? non credo, Caesaris facta probari à vobis, mea reprehendi. Loquendi genus comprobatur exemplis. Lucceius ad Ciceronem, lib. 5. In altera mihi velim obtemperes, In altera non offendas. pto, non offendaris. Et Cicero, ad Qu. Fr. Epistol. 1. lib. 1. Si quis est, in quo Iam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nullam partem existimationis tuae commiseris. Pro Milone: Si in me aliquid offendistis. Et in Verrem, libi 1. actionis II. Hospes Ianitor, veritus, ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere coepit. Et: Cùm multi viri, fortes in communi incerto;, periculo Belli, terra, & mari, saepe offenderint. Haec enim omnia patiendi significationem habent.

Naues onerarias adduxerim?] Abduxerim, placet: sed ita placet, si hominum eruditorū iudicio comprobetur. ego enim, dissentientibus antiquis libris opinionem meam amare vix possum.

Consensu suo.] Suorum, Parisienses.

7. *Non ita magni, aut difficili, & arduo, adscensu.*] Io. Vincentius Pinellus legendum putat, Non ita magno, at difficili, & arduo adscensu. Vt respondeant inter se, Non ita, & At.

Ac fugientium multitudine.] Hac, Gryphij liber ad oram. A, Parisienses.

Circiter D C. interfectis, atq; vulneratis.] Fuluij Vrsini liber, Ac ∞ vulneratis. Quod non displicet.

Multum ad hanc rem probandam, adiuuat Adolescentia.] Temeritatem esse florentis aetatis, prudentiam senectutis, ait Cicero, de Senectute. Inde Homerus Il. Γ.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

Et Il. Ψ. dicit, velocem esse mentem, sed tenue consilium.

Οἶσθ' οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσιν,
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

8. *Vnam, vt in reliquis rebus, Spem reliquam Salutis esse arbitratus.*] Vnam vt miseris in rebus, &c. Parisienses. Rectè. Cicero in Catil. 4. Spes sola homines in miserijs consolari solet.

Diebusq; aequè post paucis.] Abest verbum, Aequè, à Pinelli vetere libro.

Liber III.

CAP. I.

IS enim erat Annus, quo per Leges ei Consulem fieri liceret.] Intra x. annos, vt apud Liuium libro 40. scriptum est, eundem refici cōsulem, ante multos annos lata lex vetabat. hoc igitur ideo Cæsar dicit, ne putetur, quia potitus esset Italia, dictatorq; dictus sit, aliquid aduersus leges commisisse. distabat enim hic alter eius consulatus à primo annis decem.

Quibus in vrbe præsidia Legionū Pompeius habuerat.] Carpit Pompeium, qui, tertiùm consul, Milone de vi accusato, exercitū in vrbe, contra leges, habuit.

Alijs audientibus iudicibus.] Ob festinationem, breui spacio lege dato.

Antonianos Milites admiscuerat.] Mirabar, in Pompeij copijs Antonianos Milites numerari. cùm tres Antonij fratres, Marcus Caius, Lucius, Cæsaris partes in ciuili bello secuti sint: sed posteà comperi: exercitnm C. Antonij, T. Pulcionis opera proditum, in Pompeij potestatem venisse. propterea quasi dubia fides eorum esset, eos milites Pompeius admiscuerat suis. De hac Antoniani exercitus deditione, hic infrà: Se morte Curionis, & detrimento Africani exercitus tanto militumq; deditione ad Corcyram. Et aliquantò pòst: Hic paulisper est pugnatum: cùm irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent, fortissimè T. Pulcione, cuius opera, proditum exercitum C. Antonij demonstrauimus, eo loco propugnante. Suetonius etiam, Omnibus, ait, ciuilibus bellis nullā cladem, nisi per legatos suos, passus est. quorum C. Curio in Africa perijt, C. Antonius in Illyrico in aduersariorū deuenit potestatem. Idem li. 41. 42. Dio scriprum reliquit. Quorū locorum testimonio, mutilos esse hos Cæsaris libros de bello ciuili, facilè est intelligere: etenim, quod ipse ait, se demonstrâsse, Pulcionis opera proditum exercitum C. Antonij, id in his libris nusquam reperitur.

Cotus ex Thracia.] Cotus, pro Cotys, antiquo more: vt Sulla, pro Sylla: Clupeus, pro Clypeus. nam Cotys verum nomē est Regum Thraciæ. Liuius lib. 42. Tacirus lib. 2. Valerius Max. lib. 3. cap. 7. Error sæpe natus ex ignorarione veteris Orthographię. Vr apud Plinium, cùm sincerum esset, Inclutos cantus, pro Inclytos factum est, Inclusos: vnde obscura sententia viris doctis.

Sasales.] Sadales dicitur à Lucano, lib. 5.

Eius rei causa omni in ora maris.] Parisienses, Eiusq; rei causa omni ora matit.

2\. *Impositis, vt suprà demonstratum est, Legionibus VII.*] Hoc totum glossema arbitror, adscriptum ab imperito, qui legerat illud in princ. huius libri. Eo Legiones VII. Equitatum omnem venire iusserat. Nam, quo modo potuit in Naues imponere Legiones VII. id est, pedestres omnes copias, quas Brundisiū venire iusserat: cùm suprà dixerit: Sed tantùm Nauium reperit, vt angustè XV. millia legionariorum militum, & D. Equites transportare possent. Hoc vnum, Inopia Nauiū, Cæsari, ad conficiendi belli celeritatē, defuit. Infrà quoq; ostendit, non esse transportatas omnes copias. Expositis, inquit, militibus, Naues eadem nocte Brundisium à Cæsare remittuntur: vt reliquæ Legiones, Equitatusq;, transportari possent. Et aliquantò pòst: Reliquarum ex Italia Legionum aduentum exspectare constitnit. Eas autem Legiones Q. Fufius Calenns, & M. Antonius, deniq; transuexerūt.

Qui appellatur Pharsalia.] Pharsalia, regio Thessaliæ est, ab oppido Pharsalo. Cæsar autem copias in Epiro exposuit, haud procul Orico. quare suspicor oppidum in prima Epiro fuisse, cui Pharsalo potiùs, quàm Pharsaliæ nomen esset. Paulus Orosius, lib. 6. cap. 15. non Pharsaliam, neque Pharsalū, sed Palæopharsalū, i. antiqunm Pharsalum, vocat.

Lucretius Hispilo.] Vespillo emendat Fuluius Vrsinus, ex argēteo nūmo, in quo, Q. LVCRETIVS. Q. F. VESPILLO.

Diligentiæ sua.] Indiligentiæ, Parisienses.

Detrimentis receptis.] Acceptis, Parisienses.

3\. *Graces murum adscendere, &c.*] Parisienses: Cùm Græcos murum adscendere, atq; arma capere iuberet. illi autem cum se cont. &c.

L. Straberius.] Straberiam familiam nusquam apud veteres legi. Staberiam, ex antiquorum lapidum obseruatione, notam habeo.

Romæ, in ædibus Mangoniorum, in Campo Martio, in ara grandi. i.

T. STABERIO
SECVNDO. COACIORI
ARGENTARIO. VIATOR
CONSVLARIS. ET. PRAET
SIBI. ET
CLAVDIAE. STRATONICE
VXORI

Ad forum Boarium, in hortis Maximorum, vbi putatur fuisse Fabiorum domus.

T. STABERIVS. EPIGONVS
VIATOR. CONSVLARIS
SIBI. ET. SVIS. ITEM. LIB. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM
VIXIT. ANNIS. LXXXII.
MEN. II. DIEBVS. XX.

Simul ac Cæsar.] Parisienses, Quo simul ac Cæsar.

4\. *Profecto occupato itinere ad Dyrrachium.*] Malim, Præoccupato itinere. nam Profecto mendosum esse constat. Vel: Præfecto occ. it. Parisienses: Persecto. Alij, Profectus.

Huc addunt pauca.] Veteres quidam libri, Hnc adsunt pauca. Vnde suspicor legi posse, Huc adsunt pauca. Pro, Addunt, affingunt.

Inimicitiasq; habebat etiā priuatas cū Cæsare, ex Aedilitate, & Pretura, conceptas.] Etiam ex Consulatu. & meritò: ideo à Cæsare omittitur.

Atque vnà etiam, &c.] Si sic legitur, vt est in vulgaris libris: nec facilè sententia colligitur, nec verba satis inter se cohærent. Videtur locus ita posse restitui: si modò libri veteres opem ferant: Vtq;

vnà

vnà etiam vtrimque admodum tutò Legati venire,& quæ vellent,exponere possent: certum ei rei tempus constituitur.

5. *Legem promulgauit, vt sexies seni dies sine vsuris credita pecunia soluantur.*] Plebi infimæ Cœlius, ære alieno oppressæ, hac lege subuenire cupiebat. Subueniendi autem rationes, vt opinor, duas excogitauit, vnam ne debitores creditas pecunias, ni satis longa die, soluere cogerentur: alterum, vt donec eas soluerent, vsuræ nomine nihil penderent. Vtraque ratio patebit, si quo modo Pater meus legendum putat, ita legatur: Legẽ promulgauit, vt sexenni die, sine vsuris creditæ pecuniæ soluantur. Nã, Sexenni die, pro sex annorũ spatio Latinè dicitur, vt Annua die, Bima, Trima, Quadrima. Ego legendum putabam, Vt sex pensionibus sine vsuris,&c. Quo modo Hirtius locutus, de bell. Afri. c.11. Vt per triennium sex pensionibus populo R. soluerent. Quam lectionem posteà reperi & in Parisiensi.

Et cùm à Q. Pedio, Prætore cum legione Lapide ictus esset ex Muro, perijt.] De Milonis morte, Velleius etiam lib.2. Verùm in eo nulla de Q. Pedio mentio. Antiquus liber Pinelli, pro Lapide ictus, habet, Misso lapide ictus. Ego, ex coniectura, legendum puto: Eò, cùm à Quinto Pedio Tr.mil. lapide ictus esset ex Muro, perijt. Vt illud, Prætore cum Legione, in Antiquioribus libris scriptum contractè fuerit, sic: Prætor cum L. priusque, Tr. cum L. quod significaret, Tribuno Militum: Sed cùm ab ijs, qui libros exscriberent, id non planè intelligeretur, cùm punctus adscriptus non fuisset literæ, nempe quòd I, maiusculis literis scriberent, vt indicat Virgilius Carpensis: inde factum, vt ex MIL. fecerint, CVM L. posteaque, Cum Legione.

Qui eò, præsidij causa, missi erant.] Moneo Lectorẽ, ita locum hunc à Patre meo ex ingenio iampridem restitutum: cùm legeretur in libris omnibus, Prædandi causa.

Quàm omnium litora, &c.] Pro, Quam omnium locorum litora,&c. Nicasius legit, Quam omnia litora,&c.

Hyems præcipitauerat.] Sic locutus Virg.

Nox præcipitat cælo.] Liu. lib. 27. Creditum vulgò est, in puteum apertum, ex equo præcipitâsse. Et lib.39. Et pars maxima inermes per inuia, & rupes deruptas, præcipitantes fugerunt.

In Africum se vertit.] Consuetudo Latini sermonis postulat, vt legatur, in Africum vertit. Vide simile quiddam apud Hirtium libro 8. de bello Gall. Locum enim ibi emendo.

7. *Hoc eodem ferè tempore.*] Hæc, Parisien.

Conferta præfectis.] Differta, Parisien.

Cæterasq; eius Dea statuas.] Antiquus Fuluij Vrsini Liber, Certaque eius rei die constituta. Rectè.

Adesse Scipionem, cum Legionibus.] Ita legendum, non, vt anteà, Legione. nam de duabus suprà mentio. Quod, ante me natum, obseruatum est ab alijs.

8. *Præsidio impedimentis Legionum reliquit.*] Abundat, Legionum: satis enim constat, Impedimenta legionum esse.

Regis Cotti.] Malim, Cotys: de quo diximus lib. 3. de bell. Ciu. c.1.

Cn. Pompeij filius.] Parisienses, & Gryphius, Cn. Pompeius filius. Rectè. Sic Cornel. Nepos in Attici vita, C. Marius filius: & Cic. ad Q.F. lib.2. Seruilius filius. Hic, lib.2. de bell. Ciu. cap.5. L. Cæsar filius. & 3.c.1. Pompeius filius. & de bell. Africo, c.3. Cn. Pompeium filium.

Vt ex superiori pugnans loco.] Et, nõ Vt, legendum putat Io. Vincentius Pinellus.

Hellide.] Gryphius, Biblide. Parisienses, Byllide. Rectè. ita enim Ptolemæus. Emendandus locus & in hoc lib. c.3.

9. *Hac spectans.*] Sic rectiùs, quàm, vt anteà, Hæc exspectans.

Recipere se iussit.] Statuit, Beroaldus.

Subitò constipati pila coniecerunt.] Anteà, Conspicati. Pater, Constipati, ante aliquot annos in libris nostris reposuit.

Aduersus Cliuum.] Et hoc Pater emendauit: cùm Pilũ, non Cliuum, nulla sententia legeretur.

Præcipites Pompeianos egerunt.] In Parisiensi, post hæc verba, leguntur, Et terga vertere coëgerunt.

Paulloq;.] Vsitatiùs, Paullumq;.

Circa eum locum.] Citra. Parisien.

10. *Quod appellatur Chara.*] Cara dicitur à Dioscoride, lib.3. c.59.

Equos eorum vix tolerari.] Pro, vix ali. Infrà ca.12. His rationibus Equitatum tolerare.

Sublicis in terram demissis.] Demissis, Parisienses, & Gryphius. Rectè.

11. *At pleriq.*] Ac pleriq;, Parisien.

Volcatius Tullus.] Sunt qui Tullius legant. Imperitè. duas enim familias in vno homine coniungunt.

Euocatosq; Centuriones complures.] Malim, Euocatos, & Manipulares, Centurionesq;. quo modo legitur in Gryphij libro, & Parisiensi. Vt militum tria genera ceciderint, Manipulares, ac duorum millium numerum Euocati, Centuriones. non enim Centuriones Euocatorum sunt, sed Manipularium, id est, Legionariorum. itaque infrà Crastinus euocatus, milites ad pugnam adhortans, nõ ait: Sequimini me, Manipulares mei: sed Manipulares mei qui fuistis. Centurio enim ampliùs non erat.

Millia sagittarum circiter XXX.] Suetonius maiorem numerũ ponit. Vna, inquit, VI. Legionis Cohors, præposita Castello, IV. Põpeij Legiones per aliquot horas sustinuit, pænè omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum C. ac XXX. millia intra vallũ reperta sunt. Videtur igitur aut in Cæsare legendum, CXXX. aut in Suetonio, Circiter XXX. Errore fortassè nato ex litera C. quæ pro Centum, & pro Circiter, variè accipi potuit.

Foramina CCXXX.] Valer. Max. & Suetonius, C. & XX. ictibus: Plutarchus, CXXX.

Ab octauis ordinibus ad Primipilum.] Primus pilus, ordo est: Primipilus, qui ordinem ducit. Quare, cùm hîc de ordine sermo sit, malim legere, Pri-

mum pilum. quo modo legitur in Antiquo Cardinalis Borromæij, euius vitæ integritatem admirari nunquam satis possumus, libro. Exemplũ occurrit inf. Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primũ pilum in Legione x. duxerat. Et lib.5. bell. Gall. T. Baluetio, qui superiore anno primum pilum duxerat. Et Tacit. lib.20. Infami gratia primum pilum adepto, læta ad præsens malè parta.

Cohortemq́, posteà.] Abest Posteà à Parisiensi libro.

Frumentóue, & speciarijs militaribusq́, donis.] Alij: Frumento, veste, diarijs, militaribus donis. Quo modo T. Liuius lib.22. Frumento, veste, viatico etiam iuuit. Et Xenophon lib.1. Rerum Græcarũ: ἐμένειν τοῖς πλουσίοις ... ἐφόδιον δοῦναι. Et Vale. Max. lib.5. c.1. de Campanis: Protinùs, inquit, Consulibus insignia honoris, militibus vestẽ, arma, equos, commeatum benignissimè præst. De Diarijs autem, Cicero ad Att. Ijs, inquit, diarijs Militum celeritatem incitat. Antonius Augustinus, Episcopus Ilerdensis, singulari vir ingenio, in emendandisq; antiquorum libris maxima cum laude versatus, legendum putat: Frumento, veste, pecunia, alijsq́ne militaribus donis. Nicasius, Frumento, vestiarijs, & cæt. id est, vestibus. Vtrùm rectiùs, iudicent eruditi.

Telis ex vallo abiectis.] Rectiùs videtur, Adiectis.

C. Volusenum.] Ita scribendũ, non Volsienum. Cic. in Orat. pro Cln. Ita quoq; legitur in antiquo meo lapide, cuius exemplum sequitur:

L. VOLVSENVS
MAXIMVS
NOMENCLAT
H. S. E.

Vulgò verò vniuersi.] Induxi, tanquam glossema, verbum, Vniuersi. qui enim, Vulgo, interpretari voluit, adscripsit, Vniuersi. nam, qui dicit, Vulgò peccant, hoc dicit, Vniuersi peccant. & Cic. Epist. 1. lib.9. ad Att. Hinc verò vulgò dicunt. Et pro Murena: Num locum ad spectandum dare, aut ad prandium inuitare? minimè, sed vulgò, passim: Quid est, Vulgo? vniuersos?

Custodiarum vera diligentia animaduersa.] Placet, Varia diligentia, vt habent Parisienses lib. Aut pro Vera, legendum, Vniuersa: mutatione haud ita magna, si scribatur, Via.

13. *Per mare Nauibus expositis, in aduersos impetum fecerunt.*] Quis non videt legendum esse, Expositi in auersos? Antiquus liber Pinelli, Expositi, aduersarij in nostr. Nicasius, Per mare, superfluum putat.

Hoc casu Aquila conseruatur.] Aquila signum Legionis fuit. Plin. lib.10. c.4. Romanis Aquilam Legionibus C. Marius in secundo Cõsulatu suo propriè dicauit. erat & anteà prima cum 4. alijs: Lupi, Minotauri, Equi, Apriq; singulos ordines anteibant. paucis antè annis sola in aciem portari cœpta erat: reliqua in Castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicauit. ex eo notatum non ferè legiones vnquam hybernâsse Castris, vbi Aquilarum non sit iugum.

Omnibus primæ Cohortis Centurionibus interfectis præter Principem priorem.] Cohortem nusquam nominat Polybius, alioqui diligentissimus in acie Romana explicanda. omittendi causam, opinor, habuit, quia Cohors in exercitu ordinaria non fuit, sed, si res posceret, ex tribus manipulis fiebat, vno hastatorum, altero principum, tertio triariorum. quæ autem ex primis manipulis fiebat, prima: quę è secundis, secunda: è tertijs, tertia vocabatur: vsque ad decimam. quoniam deni erant manipuli in singulis militum generibus, hastaris, principibus, triarijs. nam velites, neque manipulos, neque signa, neque centuriones proprios habebant: sed post velitationem, id est, iactum pilorum, & leuem quandam pugnam ad acies vtrimque committendas, æqua portione ad signa hastatorum, principum, triariorum ridebant. Princeps autem prior dicebatur, Centurio ille manipuli principũ, qui ex duobus prior creatus erat. nam, vt ait Polybius, duæ fiebant electiones centurionum à tribunis militum, vtraque denum, quia deni erant manipuli in singulis generibus. prior electio erat honoratior, vsque eò, vt qui centuriones in ea creabantur, ijs rebus, quæ de bello deliberabantur, interessent. hi rursus duos ipsi, qui posteriorem manipuli partem regerent, creabant, quos Polybius οὐραγοὺς appellat. ita erant in singulis manipulis bini centuriones, & bini οὐραγοί. Omninò igitur, cùm ex tribus manipulis, vt dixi, constaret cohors, quinq; sunt interfecti primæ cohortis centuriones, vno conseruato, Principe priore.

14. *Demonstrauimus.*] Quo loco? Quærendum: Non enim vmqnam in his lib. reperi.

Sibi repugnantes.] Parisienses, ibi.

Eodem, quo venerant, receptui consulebant.] Pater legendum putat, Eodem, qua venerant, receptui cõsulebant. Ego verò pro, Consulebant, legerẽ, Continebant. Parisienses, & antiquus Pinelli liber, Receptu sibi consulebant.

Quisquam omninò.] Puto legendum, Quisquam omnium. Quod ita locutus sit idem de bell. Gall. lib.7. c.14. & de bell. Ciu. lib.1. c.5. & lib.2. c.1. Et Terent. Andr.

Angustijs, portiś, Cæsaris Mil.] Parisien. Gryphij liber ad oram, & antiquus Pinelli liber, Angustis portis, atq; his à Cæsare mil.

Felginatem, Tuticanum.] Puto legendum, Fl. Tuticanum.

Agranium.] Cùm prænomen desideretur, & hîc pro Agraninm. vel Agraninm, (nam vtroque modo legitur in Antiquis libris) puto legendum, A. Granium, vel A. Grauium: quorum familiarum mentio reperitur.

Tribunos mil. L.] Mendum in numero. nam singulæ Legiones quaternos tantùm tribunos mil. habebant. qui ergo fieri potest, vt in eo prælio L. perierint? Antiquus liber Fuluij Vrsini habet, Tr. mill. Ex quo suspicari possumus, ita scriptum olim fuisse: Tr. Mil. 111. Quod est, Tribunos Mil. 111 r Nam,

Nam,Militum,vel vna litera,M.vel tribus,Mil.vel quinque milit.significabatur.

Omnesq; deductos.] Parisienses, Omnes productos.

Obiecta.] Rectiùs,vt puto,Abiectæ.

15. *Locum securum ad dimicandum.*] Ex vestigijs antiquæ lectionis,legendum,Locum se æquum,& cæt.

Quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret.] Rectiùs in Carrariensi,Quod esset factum detrimentum, in bonum verteret.

Intra vallum Castrorum continuit.] Parisienses, Intra Castrorum munitionem cont.

Ne occasio temporis deesset.] Occasioni,Parisienses.

Sed Cæsarem Apollonia,&c.] Parisienses, Sed Cæsar Apolloniam à directo.&c.

16. *Casu Ciuitatis comprehensis ex captiuis cognito.*] Comprehensis,abundat.

L. Hirtij.] Gryphij liber, L. Hirtæ, Parisienses, L. Hirti. Ego reponendum puto, Lucceij Hirri,

Promisisset.] Recepisset,Parisienses.

Quod satis persp.] Parisien. Quod satis perspectũ habere militum animum videretur.

17. *Delectibus.*] Delectu,Paris.

Colonijs.] Colonis,Paris.

Aciam animo victoriam percipiebant.] Elegantiùs, Præcipiebant:Quo modo Parisien. Cicc.Philip. XIII. Præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. Vide lib.7.de bell. Gall.c.a.

Cohortes CX. *explenerat. hæc erant millia* LV.] Ergo quingeni milites in Cohorte.

Erant,&cæt.attenuata.] Erat attennata,Parisienses.

Quæ summa erat ∞ XXII. Cohortes dixit esse XXC. ex quo videntur pauciores quingentis in cohorte fuisse: at proximè quingenariam fuisse cohortem diximus. idq; ex quarta quoq; acie, quam è VI.cohortibus Cæsar instituit, intelligitur: nam eos ait Appianus tria millia peditum fuisse. Octuaginta verò Cæsaris cohortes, cùm essent Dyrrhachinis prælijs vehementer attenuatæ, non plus,quàm ∞ XXII. habebant.

Externa acie singulas cohortes detraxit.] Plutarchi verba, in Cæsaris vita, legendum indicant: Extrema acie VI. cohortes detraxit. Ἀπὸ τῆς ἐσχάτης [illegible]. Et in Pompeio: [illegible]. Nam [illegible], subsidia sunt, id est, extrema acies. Sex cohortes & infrà Cæsar nominat: & Appianus, cùm ait, fuisse tria millia peditum, satis ostendit, sex cohortes fuisse. nam singulæ cohortes quingenos pedites habebant.

Voluntarie.] Voluntarij,Paris.

18. *Pilisq; missis, ad gladios redierunt.*] Lib.I. de bell. Gall. c.12. Reiectis pilis, cominus gladijs pugnatum est. lib.7.c.16.Nostri,emissis pilis, gladijs rem gerunt. Sallust. Catilina, Pila omittunt : gladijs res geritur.

IV. *Acici, quem instituerat ex cohortium numero.*] Suprà dixi, Sex cohortium, legendum.

Ad Prætoriam portam.] De Prætoria porta, Vegetius lib.I.c.23.

Tantum se opinionem fefellisse.] Gryphius, Tantam se opinionem fefellisse. Parisienses, Tantum suam se opinionem fefellisse.

Vniuersi Iuris eius Larissam versus se recipere cœperunt.] Frigidè omninò nimiumq; ineptè, qui pro Simul, quod in alijs libris legebatur, Iuris eius, reposuerit: dictum putans, Iuris eius, id est, eius fortunæ vel conditionis. Cuius locutionis exempla, si in tota quæras, non dicam lingua Latina, sed etiam Barbariè, nusquam ne apud Appuleium quidem, aut Martianum Capellam reperire potueris. Hos qui sequitur auctores, mirum hoc non vidisse. Viuat igitur ipse cum suis. Neque superari se aliquando timeat, qui genus tam difficilè ad imitandum non solùm sibi proposuerit, sed etiam mirificè assecutus sit. Notanda omnia in antiquis libris: non tamen omnia sequi debemus. Sæpè videmus corrupta in scriptura veram lectionem inesse, si quis paulò attentiùs consideret. Cuiusmodi cùm multis in locis suppetant exempla, vel hic vnus haud indubiam fidem facere possit. ex vestigijs igitur antiquæ lectionis, Iuris eius, notatum mihi affirmauit, qui nihil temerè affirmat, antiquæ probitatis, & doctrinæ iuuenis, à cuius ingenio, acerrimaque in castigandis veterum scriptis diligentia sperare ampla omnia possumus, Claudius Puteanus, Notatum, inquam, à docto homine, legi posse, Viri sequis. Quòd si putarē ad hanc opinionem confirmandam opus esse pluribus verbis, aliquid adijcerē. verùm cui non vel luce clariùs constat, veram hanc esse Cæsaris lectionem?

Syllæ similiter dediderunt.] Abest verbum Similiter, à Beroaldi lib.

Aquilæ LIX.] Hoc ita verisimile videri potest, si Pompeius Legiones LIX. habuit. Quod cùm à vero longè distet, sincerus numerus pro mendoso reponendus, & fortassè IX. pro LIX. vt IX. legionum Aquilæ ad Cæsarē ex prælio relatæ sint. nam in legione Aquilam vnam fuisse, exploratum satis est, ex Hispaniensis belli libro, & Tacito libro 13. & Plin.lib.10.c.4.

Ab equitibus est interfectus.] A M. Antonio: vide Ciceronem Philip.2.

19. *Ratione egerunt.*] Agit, Gryphij liber ad oram.

Naues soluere iubebantur.] Gryphij liber ad oram, Soluerunt. Parisienses, Soluerant.

20. *T. Ampium.*] Ita restituit pater, cùm in omnibus libris legeretur, T.Appium. vide Cic. Epistola.lib.6.Fam.

Ex Prouincia vocâsse.] Euocâsse, Parisienses. Euocauisse, Gryphij liber.

Ipse enim necessariò Etesijs tenebatur : qui Alexandriā nauigantibus sunt aduersissimi venti.] Placet hoc loco paululum à proposito digredi, vt horū ventorum cognitionem aliqua ex parte illustrem. Primū igitur, qui venti Etesiæ sint, quaq; anni parte, quamque diu, flent: deinde, quomodo gignantur: postremò, quorsum spirent, breui conabor ostendere. Etesias, ventos esse à Septemtrione excitatos, inter omnes constat. ideò dixit Lucret. libro 6. Etesia

flabra

flabra Aquilonum. Nam Poetæ Aquilonem, pro Septemtrione, accipiunt. licèt Aquilo, qui & Boreas, idem est, medius inter Septemtrionem orientemque sit. qui enim directè à Septemtrione ipso, atque ab Vrsa, vt loquitur Aristoteles, aduersus Meridiem flat, Ἀπαρκτίας à Græcis, à nostris vocatur Septemtrio. Quo tempore spirare incipiant, veterum testimonio docebimus. Aristot. Meteor. li. 2. Ἐτησίαι, inquit, πνέουσι μετὰ τροπὰς, καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, καὶ οὔτε τηνικαῦτα, ὅτε πλησιάζει μάλιστα ὁ ἥλιος, οὔτε ὅτε πόῤῥω: καὶ τὰς μὲν ἡμέρας πνέουσι, τὰς δὲ νύκτας παύονται. Quod ita vertimus; Etesiæ spirant post Solstitium, & Canis ortum, neque appropinquante admodum Sole, neque recedente: & interdiù quidam spirant, noctu autem quiescunt. Columella autem sic, libro 11. capite 2. I I X. Idus Iul. Capricornus medius ocidit: V I I. Idus Iul. Cepheus vesperè exoritur: V I. Idus Iul. Prodromi flare incipiunt. Prodromos vocat Etesias, quia Caniculæ ortum præcurrant diebus octo. Et Plinius Etesiarum Prodromos appellat, libro 18. capite 28. quorum in ortu Columellæ assentitur, his verbis, libro 2. cap. 47. Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ Sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente: qui dies decimusquintus antè Augusti Kal. est huius exortum diebus I I X. fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. post biduum autem exortus, ijdem Aquilones constantiùs perflant diebus X L. quos Etesias vocant. Idem infrà: Etesiæ noctu desinunt flare, & à tertia diei hora oriuntur. Cicero etiam libro 2. de Natu. Deor. Etesiæ quorum flatu nimij temperantur calores, à quibusque etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Etesijs nomen est ab ἔτος, quasi anniuersarijs, quòd nulli venti, vt ait Plinius, magis stati sint, & singulis annis certo tempore reuertantur. Gignuntur dissoluente Sole humorem in Septemtrionis regione collectum. de quo sic Aristoteles eodem loco: Ὁ μὲν Βορέας ἀπὸ τῶν ὑπὸ τὴν ἄρκτον πνεῖ τόπων, οἳ πλήρεις ὕδατος, καὶ χιόνος εἰσὶ πολλῆς: ὧν τηκομένων ὑπὸ τοῦ ἡλίου μετὰ τροπὰς μᾶλλον, ἢ ἐν αὐταῖς, πνέουσιν οἱ Ἐτησίαι. Id est, Spirat quidem Boreas à locis Septemtrionalibus, aqua & niue multa confertis: quibus à Sole liquefactis post æstiua Solstitia magis, quàm in ipsis Etesiæ flant. Placet hîc Sudæ verba subscribere, quod ex ijs non hoc solùm de origine Etesiarum, sed alia quædam, de ijsdem ventis, non indigna literis, & memoria, cognoscuntur. Ἐτησίαι, οἱ ἄνεμοι οἱ κατ᾽ ἔτος πνέοντες. πνέουσι δὲ ἐν ἀκμῇ τοῦ θέρους. διότι ὁ ἥλιος μετεωρότερος, καὶ ἀπὸ τῶν μεσημβρινῶν τόπων ἀρκτικώτερος γενόμενος, λύει τὰ ὑγρὰ τὰ ἐν τοῖς ἀρκτῴοις. λυόμενα δὲ ταῦτα, ἐξατμοῦται, καὶ πνευματοῦται: καὶ ἐκ τούτων γίνονται οἱ Ἐτησίαι: καὶ ἀπὸ τῶν ἀρκτῴων τόπων φέρονται ἐπὶ τοὺς μεσημβρινούς. ἅπερ προσπίπτει τοῖς ὑψηλοτέροις ὄρεσι τῆς Αἰθιοπίας, καὶ πολλὰ καὶ ἄθροα γενόμενα, ἀπεργάζεται ὑετούς. καὶ ἐκ τῶν ὑετῶν τούτων πληθύνεται ὁ Νεῖλος τοῦ θέρους, ἀπὸ τῶν μεσημβρινῶν καὶ ξηρῶν τόπων ῥέων. Id est, Etesiæ spirant æstate maxima: propterea quòd Sol altiùs ascendens, & à Meridianis locis ad Septemtrionem propiùs accedens, humores, qui sunt in eo tractu, dissoluit. quibus in aërem spiritumque conuersis, Etesiæ gignuntur: &, à Septemtrione ad Meridianam plagam delatæ, cùm in altiores Aethiopiæ montes inciderint, in vnum coactæ, pluuias efficiunt: quibus exundat Nilus, æstate à Meridianis aridisque locis defluens. Quod autem hîc Sudas de Nili incremento narrat, id ab alijs quoque creditum, Plinius indicat, vbi de Nili ortu sententias diuersas commemorat, libro quinto, capite nono: Causas, inquit, incrementi Nili varias prodidêre: sed maximè probabiles: Etesiarum eo tempore ex aduerso flantium repercussum: vltrò in ora acto mari: aut imbres Aethiopiæ æstiuos, iisdem Etesijs nubila illo ferentibus è reliquo orbe. Et Ammianus libro vicesimosecundo, Opinio celebrior est, quod, spirantibus Prodromis, perque dies X L V. Etesiarum continuis flatibus repellentibus, eius meatus, velocitate cohibita, superfluis fluctibus intumescunt, & reluctante spiritu controuerso adolescens in mains, hinc vi reuerberante ventorum, inde vrgente cursu venarum perennium progrediens in sublime tegit omnia. Quas autem de Nili incremento opiniones & Ammianus, & Plinius, & Sudas, in suos libros retulerunt, eas videntur accepisse à Callisthene, & Democrito, quorum ipsi nomina omiserunt. Verba eorum recitarem, si hoc esset instituti nostri. non enim hic de Nili incremento, sed de Etesiarum generatione, agimus. Qua parte iam absoluta, eorũ cursum ostendamus. Feruntur à Septẽtrione in Occidentẽ, inde in Orientẽ. quod auctor grauissimus Aristot. eod. lib. infrà docet his verbis: Οἱ Ἐτησίαι περιΐστανται τοῖς μὲν πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦσιν, ἐκ τῶν ἀπαρκτίων εἰς θρασκίας, ἀργέστας, καὶ ζεφύρους: ἀρχόμενοι μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτου, τελευτῶντες δὲ εἰς τοὺς πόῤῥω: τοῖς δὲ πρὸς ἕω, περιΐστανται μέχρι τοῦ Ἀπηλιώτου. Latinè sic: Etesiæ ijs quidem, qui ad Occidentem habitant, è Septemtrionibus in Thrascias, Argestas, & Zephyros commutantur: initio facto ab Vrsa, fine in ijs, qui longinqua loca incolunt; ijs verò, quibus ad Orientem sedes est, vsque ad eum ventum, qui Apeliota dicitur. Sententiam Aristotelis comprobant verba Cicer. Epist. 15. lib. 11. ad Cœlium: Ego, inquit, nisi, quid me Etesiæ morabuntur, celeriter, vt spero, vos videbo. Nam è Cilicia Italiam versus, hoc est, ab Orientis partibus ad occasum nauigaturus, ne impediretur Etesijs. timebat non à Septemtrione, id est, dextro latere incurrentibus, sed ab occasu, id est, à fronte reflantibus: cùm ab Occidente ad ortum referuntur. Quod etiam clariùs demonstrat in Epist. 7. libro 6. Ad Attic. Rhodum, inquit, volo, puerorum causa: inde quàm primum Athenas: etsi Etesiæ valdè reflant. Nam, Reflant, impedimentũ à fronte significat. & ibidem Epist. 8. Nos Etesiæ vehementissimæ tardârunt. In Epist. quoque ad Cornificium, flare ab Occidente Etesias Orientem versus, & eos prosequi solere, qui ex Italia Græciam peterent, ostendit his verbis: In Græciam desperata libertate rapiebar, cùm me Etesiæ, quasi boni ciues relinquentẽ Remp. prosequi noluerũt: Austerq; aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rheglum retulit. Prosequi noluerunt, inquit, qui prosequi alios eo anni tempore solerent. Etesiarum dies vocat in Epist. ad M. Brutum, in qua sunt hæc, eadem de re: In medio Achaico cursu cùm Etesiarum diebus Auster me in Italiam retulisset,

te vidi

te vidi Veliæ. Ad Marcellum cùm scriberet libro XV. Ego, inquit, si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, vt spero, videbo. Tacit. quoque lib. XIII. Flatus, inquit, in Orientem nauigantibus secundus, inde aduersus erat. Idem colligitur ex hoc Cæsaris loco. Quæ cùm ita sint, non video, quæ Plinium adduxerit ratio, vt illa scriberet, naturalis historiæ libro 2. In Hispania, & Asia, ab Oriente flatus est eorum, in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus à Meridie. Non modò enim ab Oriente Etesiæ non spirant Hispaniam & Asiam versus, verùm contrà ab Occidente in Orientem. Quod ex Aristotelis sententia, qui mihi instar omnium est, atq; etiam è Ciceronis locis, videmur ostendisse. A Meridie verò nunquam omninò Etesiæ flant: cōtra quam hîc Plinius sensit. Tertium illud, flare Etesias in Ponto ab Aquilone, potest esse verum: hoc modo, vt aliquam Etesiarum auram incolæ Ponti, non tamen vehementem spiritum, sentiant: cùm, Etesias à Septemtrione rectà Occidentem petere, ex Aristotele probatum sit. Verùm & Plinius veterum quorundam auctoritatem secutus videtur: & eosdem, opinor, Gellius, cùm dixit lib. 2. cap. 22. Etesias ex alia, atque alia parte cœli spirare: qui tamen in ea se natare sententia demonstrauit, quia subiunxit hæc, quod sup. dixi, ἐτησίας ex alia & alia parte cœli flare: haud scio, an, secutus opinionē multorum, temerè dixerim. In hac opinionū varietate, quid probem, obscurum est: Aristotelis tamen vnius auctoritate vehementer moueor.

Aciuterfici.] Atque, pro Ac: Parisienses. Minima sunt, neq; tamen omittenda censui, cùm ex ijs fuerint aliquando, qui summam sibi gloriam com parare vellent.

21. *Bibuli filios duos interfecerant.*] Vide Valerium Maximum libro 4. cap. 1. 15. & Senecam, ad Marciam.

Omnesq; eas naues, &c. incendit.] Cum his maximā vrbis partem, quadragintaq; librorum millia incensa esse, scribit Orosius lib. 6. c. 15.

Paullulum suo cursu decesserint.] Ferri potest. liben tiùs tamen, ex proprietate Latini sermonis legerē, Deflexerint.

In parte Cæsaris.] Nicasius legendum putat, In pāte Cæsaris, pro, In potestate. Vide infrà capite 20. Verùm, ne sic quidem hunc locum integrum puto.

IN A. HIRTII DE BELLO ALEXANDRINO LIB.

CAP. I.

PVteis, Fossisq;.] Parisienses, Puteis fossis. Quomodo infrà hoc eodem capite.

2. *Nudare nolebat.*] Nudari, Gryphij liber. ad otam.

Si quid grauius accidisset.] Parisienses, Si quid grauius illi accidisset.

Ad explicandam classem.] Et ad explicandā classem, Parisienses.

4. *Parum etiam feliciter.*] Abest, etiam, à Parisiensi libro.

Magnæ nobilitatis domi.] Quis non videt legendum, Homo? non enim nobilitas domi tantùm nobiscum est.

Partim demissioribus Ripis flumen transnārunt.] Sic in omnibus libris. Legendum tamen contendo, Raptim.

5. *Qua liberùm accessum haberi.*] Parisienses, Quam liberum accessum habere.

Precari offensos iratosq; animos.] Placare, magis huic loco conuenire iudico.

Maiori ex duabus filia.] Parisienses, Maioriq; ex duabus filijs.

6. *Quintumq; Patiscum.*] Paciscum, Gryphius, & Parisienses.

8. *Prælio Pharsalico.*] Parisienses, Palæopharli. Vide Orosium lib. 6.

Relato ad domum Cassio.] Ad, non legitur in Parisiensi.

Q. Sextio.] Hic non Q. Sextius, sed M. Silius, dicitur à Valerio Maximo, libro nono, capite 4.

10. *Maiores sunt dignitate.*] Maiore, Parisienses.

Nicomedi Bithynio.] Appianus in extremo Parthico.

Iter cæptum.] Incœptum Parisienses.

Rex Armeniæ minoris.] Vide Ciceronem Philipp. 2.

Natura disciplinaq; nostra constitutam.] Ita in omnibus, quos vnquam viderim, libris, & impressis, & scriptis. nihil tamē dubito, quin vera lectio sit, quam nos ex alterius loci collatione, & ex ingenio reposuimus. Suprà hoc eodem lib. ca. 6. duas Deiotari legiones disciplina, atque armatura nostra constitutas dixit. Quis ampliùs de hoc loco dubitet?

11. *Quam secum adduxerat Alexandria.*] Aduexerat, legendum puto.

Tali victoria toties victor Cæsar.] Legendum puto, Tali victoria potitus Cæsar.

Cælio Vintiano.] Fuluius Vrsinus, Viniciano reponit, ex argenteo nummo, & ex veteribus libris.

IN A.

IN A. HIRTII DE BELLO AFRICO LIB.

CAP. I.

Ortuitu.] Fortuito, Parisienses. Quomodo item, de bello Gall. lib. 7. capite 4.

2. *Omnium tamen animi.*] Lego, Omnium tum animi.

3. *Istius aetatis cùm esset.*] Istuc, Fuluij Vrsini liber. Quomodo Terent. Heauton. Act. 1. Sec. prima.

4. *T. Salienus.*] Ne quis putet nomen hoc mendosum esse, cùm alibi fortasse apud Scriptores hu lus familiae mentio non reperiatur, placuit hoc loco Antiqui lapidis inscriptionem adhibere, quem Interamnae, vetustissimi, ac celeberrimi, Vmbriae Municipij, superioribus annis effossum, in suum doctissimum ac luculentissimum de patriae antiquitatibus Commentarium contulit Iulius Iacobonius.

M. SALIENVS. A. F. CLV.
GALLVS. FABER. FERRARIVS.

Mutuis praelijs.] Minutis, Beroaldus. Ita infrà c. 6. & bell. Hisp. c. 1. Praelia minuta dixit: & Minutatim infrà hoc eodem cap. & ca. 9. Caesar autem, de bello Gall. lib. 2. cap. 8. & lib. 5. cap. 12. Paruulis praelijs, dixit.

5. *Legiones educit.*] Ducit, Gryphij Liber, ad oram.

Cohortes deducit.] Eduxit, Gryphij liber, ad oram, & Parisienses.

Q. Comminius.] Gryphij liber, & Parisienses, Cominius. Commia sanè familia ignota: Cominia non item. de ea enim mentio in antiquis marmoribus.

Romae in villa suburbana Carpensi.

DIS. MANIBVS
L. COMINI. L. F. POL. BASSI
SACRVM.

Vide & in Orthographia, in, ARRIVS, 5. & in, BAEBIVS, 9. & in, CONSVMMO, 4. & in, RELIGIO, 3. Est & Reate antiqua inscriptio, quam antè quinquennium edidi cum mea Epistola, ad M. Antonium Amulium, Cardinalem, omnium bonarum artium patronum, Reatinorum Episcopum: qua nobilitatem eius Ciuitatis, antiquitatemq; persecutus sum.

Cum vno centurione.] Pontius is dicitur à Valerio Maximo lib. 3. cap. 8.

6. *Cum saxorum grandine.*] Gryphij liber, ad oram, Cum saxea grandine.

Nescrum ipse.] Vt, pro Ne, Parisienses, & Gryphij liber.

7. *T. Aliene.*] Cùm in quibusdam libris legatur, Tusci Saliene, legendum puto, T. Saliene, de quo suprà, capite 4. Quo loco vide nostra Scholia.

Necessitate coactus.] Parisienses, Necessitateque coactus.

8. *L. Cispium.*] Familia & haec non satis nota, quae tamen in antiquis marmoribus legatur. Vide in Orthographia, in, ARRETIVM, 30. & in, FELIX, 13. Nominatur & à Cicerone in Orationibus, post reditum in Senatu, pro Plancio, & pro Sextio.

Se Nasidij classe captum.] Parisienses, Se in Nasidij classe captum.

Primo impetu legionis.] Legionum, Parisiens.

9. *Consuefaceret.*] Vsitatiùs apud hunc, Condocefaceret. Vide suprà hoc eodem capite, & capite quarto.

A Scipione.] Parisienses, A Scipionis. Vt intelligatur, Castris.

Tisdrum.] Thebennath, Parisienses. Tisdrum dicitur à Sallust. in Iugurth.

Vt suis fortunis praesto, quod bene meriti essent.] In Parisiensi, Vt suis fortunis, de populo R. quod bene meriti essent.

M. Crispum.] Nihil muto. Veruntamen venit aliquando in mentem, ex ignoratione antiquae Cispiae familiae, locum esse corruptum, consulendi veteres libri.

11. *Liberis suis, L. Caesari.*] Vnico filio: Sed ita veteres loquebantur: quia Liberi, non Liber, dicebant.

Quidum, &c.] Legendum puto, qui cum.

Impetu facto.] Impetuque facto, Parisienses, rectè.

Q. Ligario, C. Considij filio.] Q. Ligarius, C. Considij legatus fuit. Quod ex oratione pro Ligario colligitur. Repono igitur pro Filio, Legatum. Aut legendum, C. Considio filio: vel, vt in Parisiensi, Et C. Considij filio. Quae, quamuis Latinè dicta sint: durè tamen nimis hoc loco dicerentur.

Liuineio Regulo.] Ita legendū & ex libris veterib. & ex argentei nummi inscriptione, docuit Fuluius Vrsinus.

Cetio, P. Atio, L. Cella.] Vt familiae constarent: legerem libentiùs, C. Atteio, P. Atrio (ita etiam legitur in Parisiensi, & Gryphij lib.) L. Oeellae.

Eodem die.] Eo die, Parisienses, rectiùs.

Pretorio Rustiano.] Fuluius Vrsinus, Caestiano, reponit ex argenteis nummis, in quibus ita legi. vide in Orthographia, in Praetorius.

Populi Romani Proconsule.] Abest, Proconsule, à Parisiensi libro.

IN LL

IN LIBRVM DE BELLO HISPANIENSI.

CAP. I.

CLAM *præsidio Cn. Pompeij.*] Parisienses, Clàm præter præsidia Cn. Pompeij.

Meritam esse sciebat.] Sciens, Parisienses, rectè.

L. Iunium Paciecum.] Nominatur à Cicerone libro 6 Famil. Sed & in Valerio Maximo libro 5. capite 4. de duobus fratribus Pacieeis in Hispania natis, mentio est. Fortassè idem Cæsar de bello Gall. libro 5. capite 8. Q. Iunij ex Hispania mentionem faciens, aliquem ex hac familia intellexit. Legendum autē puto omnibus his in locis, Paciec. Quæ sanè familia hodieque in Hispania nobilissima est.

Cùm animaduerteret.] Parisiēses, Id eùm animaduerteret.

Ex colonis.] Ex colonijs, Parisienses.

Non esse permissurum.] Commissurum, Parisienses.

2. *Opidum potiri.*] Opido, Parisienses.

Irruptionem.] Eruptionem, Parisienses.

L. Minucius Cæsari.] Munacius Plancus dicitur à Valerio, lib. 9. c. 2.

3. *Et eo tempore.*] Lego. Ex eo tempore.

Vt ait Ennius, nostri cessere parumper.] Non quod, vt ego puto, ita Ennius dixerit, sed quod familiare ei fuerit, hoc Aduerbio vti. Quod eius scripta indicant. Lib. enim 6. Annalium, apud Nonium, in, Prognariter:

Vini, inquit, hoc audite parumper:
Vt pro Romano populo prognariter armis
Certando prudens animam de corpore mitto.

Et Annalium lib. 1. apud eundem Non.

Te nunc Sancta precor Venus, & genetrix patris nostri,
Vt me de cælo visas cognota parumper.

Idem eodem:

Inde tuetur ibi lupus fœmina conspicit amnes.
In Campo celeri passu premens parumper.
Conijcit in syluam sese.

Flumen transgredi duo.] Transgressi, Gryphius, & Parisienses.

Clodius Aquitius.] Parisienses, Clodius Arquitius. Fecit hæc varietas, vt de mendo cogitarem. Qua in suspicione cùm essem, reperi in antiquis marmoribus, Auitum cognomen esse Clodiorum. Nihil igitur dubito, quin ita hoc loco emendandum sit.

Romæ, in domo Cæsia.

D M
CLODIAE
AVITAE
HEREDES
EX TESTAMENTO

In Aedibus Arberinorum.

D M
TI. CLAVDIO
FELICI. PATRI. ET
CLAVDIAE
PRIVATAE. MATRI
TI. CLAVDIVS. AVITVS
FILIVS. OPTIMVS
PARENTIBVS

Cùm verò hoc cognomen non admodum frequens apud veteres sit, inde factum est, vt mendosè quandoque scriptum reperiatur. Nominatur à Plinio lib. 34. c. 7. Vibius Auitus. Est item hoc cognomen in antiqua inscriptione Neapolitana per B. scriptum, cuius exemplum sequitur:

D M
AVR. ABITVS. MIL. COH. X. PR
&. VERANI. VIX. AN. XL. MIL.
AN. XIIII. NAT. BESSVS. NA
TVS. REG. SERDICA. VI
CO. MAGARI. AVR. VICT
OR. ATFINIS. ET. AVR. ZOLONI
VS. EI. AVR. ZANTIALA
ET. AVR. GAIANVS
HERED. B. M. F. CR

Quod cùm ita scriptū sit ex affinitate B, & V, literarū apud veteres, placet ἐν τῷ παρέργῳ, paucas hic de multis adscribere veterū marmorū inscriptiones, in quibus variè & B, pro V, legitur; & V, pro B.

1.

D. M
C. ALLIVS. ANENDETVS
FECIT. PATRONAE. B. M.
ET. S. ET. L. E. P. Q. EOR
ITEM. ALLIA. TATIAS
ADSIGNABIT. SE. VIBA
DOMITIAE. TVCHENAE
L. L. P. Q. EIVS

Romæ, in hortis Fabianini Montij. 2.

D. M
C. ANBIBIVS
HYMNVS. FEC
PETRONIAE
PVSCHENI
PATRONAE
B. M

R. Ad Cloacam D. Luciæ, in ædibus Podocatharorum. 3.

BATINIA. PRISCILLA
NYMPHIS. SACRVM

R. Ad D. Andreæ, trans Tiberim, via pub. 4.

IVLIAE. BERONICENI
VXORI. MVLIERI
INCOMPARABILI
RARISSIMAE
FEMINAE. B. M
IVLIVS. CAELIMORPHVS
MARITVS

Neapoli. 5.

D. M. S.
VLPIAE
BERONICES

Caiete. 6.

D . M.
T. FLA. T. F. TALLIONI
MIL. VRB. CHOR. XI. VRB
STIP. XI
Q. B. AN. XXX
FL. ELPIS. MAT. P.

Romæ, ad D. Petri, & Marcellini. 7.

MAXIMILIAN
QVI. BIXIT. ANNVS
IN. PACE.:.:
.:.:.:

&, 8.

T. P. COSMO. CONIVGI. INCONPARAVILI. ET
T. P. CHRESTO. FILIO. DVLCISS.
P. T. IRENE. POSVIT. Q. B. A. LXXVII.
QVI. BIXIT. ANNIS. XI. M. IIII.

&, 9.

D. M
VLIA. PRIMA. AV
RELIO. ZOTICO. FI
LIO. BENEMERE
NTI. QVI. BIXIT. AN
NIS. XXXVIII. M
ENSIBVS. III
DIEBVS. X.

Salerni. 10.

ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO
PRIMARIO. VIRO. ET. EDITORI
MVNERIS. SVI. CVM. FERARVM
LIBYCARVM. QVI. VIX. ANN
XXX. DIGNISSIMO. FILIO
CONSACRABERVNT.

Romæ, in ædibus Mafæiorum. 11.

ARA. POSITA. ASSTANTE. SACERDOTE. SEX
CREVSINA. SECVNDO. VT. VOVERANT. MA
XIMVS. ET. MAXIMINVS. FILI. IMP. COMM
ODO. AVG. PIO. FELICE. IIII. ET. VICTORINO. IICOS

SOLI. INBICTO. MITRE
M. VLPIVS. MAXIMVS. PRAE
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM
SVIS. ORNAMENTIS
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII
VT. VOVERAT. D. D

Romæ, versus Quirinalem. 13.

VAL. ERIA. Ɔ. L. IBERTA
SABINA. VIXIT. ANNOS
XIIII. TIBERIVS. CLAVDIVS
AVGVSTI. LIBIANOR. ET. TI
CLAVDIVS. TI. FILIVS. ET. LI
BIANOR. NATVS. MERENTI
DIS. M

R. Ad D. Agnetis, extra mœnia. 13.

SEBERA. RVFINIANO
BENEMERENTI. FECIT

&, 14.

D. M
AELIA. NICE. SACERDOS. BONAE. DEAE
SE. BIBA. COMPARAVIT. SIBI. ET
ALVMNAE. SVAE. CL. NICE. ET
AEL. THALVSSAE. ET. AEL. SERAPIAE. ET
CL. FORTVNATAE. ET. LVCIAE. FELICITATI
ET. VALERIO. MENANDRO. F.

Ad D. Angeli, in Foro Piscario. 15.

D. M
AELIA. AQVILINA
SE. VIBA. SIBI. FECIT
VIXIT. ANN.:.:

In domo Carpensi. 16.

DOMITIA. ITALIA
SE. VIBA. FECIT. SIBI. ET
HYACINTO. COIVGI. SVO
AVG. N. ET. LIBERTIS. LIBE
RTABVSQVE. POST
ERISQVE. EORVM

Ad D.

Ad D. Cæciliæ, Trans Tib. 17.

T. PIELLENVS. IANVARIVS SE. VIBO. FECIT. SIBI. QVI VIXIT. ANNIS. LXXXXVIII.

In Basilica Lateranensi 18.

D . M

SEPONIA. PROCLINA. CONIVGI DVLCISSIMO. AVRELI. MERCVRIO MEMORIAM. ISTAM. SE. VIBA CONPARAVIT. SIBI. ET. SVIS. PO STERISQVE. ITEM. LIBERTIS. LIBE RTABVSQVE. EORVM. SIQVIS. AVTEM ISTAM. MEMORIAM. EX. NVMERO FILIORVM. SIBE. LIBERTORVM DISTRAHERE. VOLVERIT. INF. AER PP. R. I-S ĪN.

Vide & in Orthographia, Albei Tiberis, in, AFRICA, 9.
Et, Baleas, in, HAVE, 10.
Et, Benantia, in, CONIVX, 34.
Et, B, pro, Bixit, in, COIVX, 17.
Et, Bixit, in, KALENDAE, 17.
Et, Pontif. Flabial. in, PROCONSVL, 5.
Et, Iubentius; &, Iubentutis, in, LAEVA, 1.

Et Cumis.

PILVMNO. SANCTISSIMO GENIO. MVNICIPI. SACRVM P. IVBENTIVS. ANCHARIVS ĪĪ. VIR.

Et, Libius, in, CAECINA, 4.
Et, Serbus, in, PROCONSVL, 9.
Et, Sevibi, in, LICINIVS, 2.
Et, Sevibo, in, MARCIVS, 3.
Et, Sevibos, in, Q. 21. & 30.
Et, Sevibus, in, EPISTOLA, 8.

Romæ, in ædibus Atilij Delphinij. 1.

VNDIS. CYANEIS. DONVM. PLA CAVILE. FECIT CONDVCCIVS. BLANDAS. PER. A QVAS. ARAM. VENERANDAM HINC. ORITVR. PERGITQVE. FLV ENS. DEINDE. OCCIDET. IN. SE RIPAI. MOX. VIRIDIS. RENOVAN TIBVS. INCLITA. NYMPHIS NVMINE. FONTIGERO. GRATES. EX. VNDIQVE. SOLVENS SOSPES. CVM. COMITE. PRAE STAT. RENOVANTE. LIQVORE

Ibidem. 2.

ΠΑΤΗΡ. ΧΑΙΡΕ.

D . M

AVREL. DIOGENETI SACERDOTI. VENE MERENTI. FECIT AVRELIA. CAENIS COIVX. CON. QVEM VIXIT. ANNIS. LII.

Ad D. Gregorij. 3.

ACONTIO

L. RANIO. OPTATO. C. V. COS CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM. CVRAT REI. P. NOLANO RVM. PROCOS. PROVINCIAE NARBONENS LEGATO. AVG. ET. IVRIDICO ASTVRIAE. ET CA LAECIAE. CVRATORI. VIAE SALARIAE. CVR ATORI. REIP. VRVINATIVM MATAVRENSIVM LEGATO. PROVINCIAE ASIAE. PROPRAET. ORI. TRIBVNO. PLEBEI QVAESTORI PROVINCIAE. SICILIAE

Prope Bisentium. 4.

VIRTVTI. VISEN SACR M. MINATI. M. L. SAB. GALLI II. VIR. I. D. QVINQ. MATERNVS. FRATRIS SVI. H. C. ET. OB. DEDICA TIONEM. HONORARIAM VICANIS. FLVVIVM. POPV LO. CRVSTVLVM. ET MVLSVM. DEDIT

Danuuius etiam, non Danubius, legitur in antiqua inscriptione, in Orthographia, in ACCIVS, 1. & in peruetere argenteo Traiani nummo, apud ornatissimum virum, antiquarumque rerum cognitione præstantem, auunculum meum, Rinaldum Odonum, leguntur hæ literæ ab vno latere: IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. ab altero: COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. DANVVIVS.

Iabolenus item reperitur, & Iauolenus.

Romæ, ad D. Mariæ Trans Tiberim.

L. IVLIVS. TROPHI MVS. RASINIAE. IA BOLENAE. KAPITOLI NAE. F. M. RASINII. HR MADIONIS. ET. IABOLINAE SIMPRONIAE M. G. F.

nem: Vt audiui de L. Cæſare filio, mecum ipſe. Quid hic mihi faciet patri?

Cuius pater.] Auunculus M. Antonij. Cicero, in Epiſtola ad Dolabellam.

Populi R. beneficium.] Pro beneficio, legi in alijs libris. eſt in varijs lectionibus.

Ipſi Exercitus dimittantur.] Dimittant, eſt in Varijs lectionibus.

Legiones alienas.] Quia mitti deberent ad Parthicum bellum. ſuprà: Retineri Legiones II. quæ ab ſe, ſimulatione Parthici belli, ſint abductæ.

4. *Cum II. legionibus ſubſiſtit.*] Nicaſius Ellebodius Caſletanus, ex obſeruatione hiſtoriæ, legendum putat, Cum V. Cohortibus.

Tignium, Tigniorum, Tiguium.] Cùm Curio in Vmbria pro Cæſare militaret, rectè Steuchus Eugubinus, probatæ doctrinæ vir, reponendum putauit ante me natum, Iguuium, quod videret hoc opidum ità à Plinio lib. 3. cap. 14. nominari. Tignium autem eſt in Piceno. Cùm verò in antiquo lapide non Inguium, ſed Iguuium, nominari ego videam, ita quoque his in locis reponendû ſtatuo. Eius exemplum ſequitur.

Fulginei.

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT.

FRVM. SVB. PRINCIPI. PE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRAEFF.
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA.
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FOROFLA. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM ✠ XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. ✠ IIII. N. DEDIT.

Cn. Pompeius, Pridie eius diei ex vrbe profectus.] Mendum hic eſſe, putat Nicaſius Ellebodius Caſletanus: cùm ſuprà cap. 3. Cæſar dixerit, Pompeium Capuæ eſſe. Locus eſt diligenti animaduerſione dignus.

Maximo Cæſar progreſſus.] Neſcio, quî venerit in mentem quibuſdam mutandi hunc locum; & legere, Maximo Cæſar progreſſu. Ita ſi nobis libri emendandi eſſent, omnia certè mutaremus. Verùm nunquam hoc inſtitutum probaui, neque probabo. eſt enim nobis retinenda prior lectio, quantum poteſt: neque mutanda, niſi prorſus ſenſus ipſe eam reſpuere videatur. Locus hic admoner, vt reticendam non putem emendationem quandam in Varronis Eumenid. apud Nonium Marcellum Tuburbigenſem, (ſic enim legendû ego puto, non Tiburticenſem) quam proximis diebus mihi ſignificauit nobiliſſimus iuuenis, idemque omnium, quos ego vnquam nouerim, doctiſſimus, Claudius Puteanus. Ita autem eſt in Nonio, in verbo, Cædere, quod interpretatur, Occidere, vel Mactare: Varro Eumenid.

Maximum cædit ferro, ſed cædere Vlyſſem,
Cum bacca ſyluam cædit, porcos' trucidat.

Dicit Puteanus, Petrum Delbenium, acerrimi iudicij iuuenem, quique multa in optimis auctoribus emendauerit, putare hoc loco ita legendum,

Aiax dum credit ferro ſe cædere Vlyſſ. &c.

Quod quàm verè cogitet, quamque pulchrè locum emendârit, doctorum ſit iudicium. mihi quidem ſic probatur, nihil vt magis probari poſſit.

Camerino.] Nomen retinet, nobiliſſimum Opidum, ex quo viri doctiſſimi prodierunt. Populi Camertes dicuntur. De eius antiquitate, & nobilitate, plura dixit Io. Maria Iouius, Camers, iuuenis, ingenij, doctrinæque, laude, in primis excellens, mihique ob id, maximè carus, in eo libro, quo Camertium antiquitatem perſequitur.

Vcillem Hirum.] Hirrus duplici R R. ſcriptum, Lucceiæ gentis cognomen fuit. Quo ſemper veritus ſum, ne Luceeium, pro Vcillem, quod certè corruptum verbum eſt, Cæſar ſcripſerit.

Qui erat ab Opido millia paſſuum circuiter III.] Pro erat, libentiùs legerem, Aberat.

5. XL. *in ſingulos iugera.*] Habebat Domitius XXX. Cohortes, id eſt militum XV. millia: quadragiuta igitur in ſingulos iugera ſi diuidantur, iugerum erunt ſexcenta millia. eſt autem Iugeri longitudo, pedes CCXL. latitudo CXX. Immanis eſt hic iugerum numerus: cùm præſertim dicat, Ex ſuis poſſeſſionibus: nec Domitij diuitias, vt Craſſi, aut Luculli, quiſquam celebrauerit. Quare ante multos annos Pater Quaterna repoſuit, pro Quadraginta.

Conſultandi cauſa.] Conſiliandi, legi in alijs libris, eſt in varijs lectionibus.

Animi confirmatione.] Verbum, Confirmatione, mendoſum ſuſpicor. etſi, ne mendoſum putetur, poteſt aliquis hoc dicere: veritû eſſe Cæſarem, ne militum animus, qui, cognito Domitij conſilio, mutatus erat, confirmaretur.

Neque eorum tam remiſſo, ac languido animo quiſquam omnium fuit.] Neque eorum quiſquam omnium fuit. ita coniunge. malim tamen, Neque verò. Vaticanus liber, Neque eò. Pariſienſes, Neque tam remiſſo, &c.

Vt nullus in aliam partem, &c.] Vt alius in aliam partem, &c. Pariſienſes.

Filius Domitij.] Filius Domitius, legendû puto: quòd ita ferat vetus loquendi conſuetudo.

Quòd ſibi apertè eorum gratia relata non ſit.] Fortaſſe rectiùs, A parte eorum. Quo modo legitur in Pariſienſi libro.

6. *Cn. Magius, Cremona.*] Patriæ nomen interdum addebatur. Vt lib. 3. C. Felginatê, Placentia.

Quo

Quo de loquendi genere vide, quæ diximus in *Ortographia*; in verbo, *Arretium*.

Reliquiś telis pugnabatur.] Pugnabant, Gryphij liber, ad oram.

Deprehensasq́ excipiunt.] Abest particula Que, à Carrariensi libro. quod legitur in varijs lectionibus.

7. *Vt operibus antè studuerit.*] Anteire studuerit, Parisienses.

In Senatu dixerat, &c.] Plutarchus aliam addit causam fuisse, cur Senatus Legationem ad Pompeium de Pace, non miserit. ait enim, timuisse Senatum, ne Cæsar aliud in pectore clausum, aliud in ore promptum, haberet.

Reliquasq́ res, quascunque agere instituerat.] Hoc loco multa Cæsar reticet, quæ sine multa ipsius ignominia dicere non poterat. De Pecunijs enim, ab Aerario ablatis, reclamante Metello, scribunt Plutarch. Appianus, & Lucanus.

8. *Quas Sicilia, & in Cosano.*] Quid Siciliæ Insulæ cum agro Cosano? Suspicor equidem de mendo: cùm præsertim veteres libri habeant, Sicili, vel Sigili.

9. *Quem ipse petiuerat.*] Quã ipse pacauerat, Gryphij liber, ad oram.

Præsidio proprio.] Proprio, non legitur in antiquo Pinelli libro.

Iumentorum, & Aquæ magnitudine.] Non opinor subesse mendum, sed verbum, Magnitudine, respicere duas res, iumentorum pondus, aquæ impetum.

10. *Ex primo hastato Legionis quartadecimæ.*] In singulis Legionibus erant hastati, principes, triarij. horum deni centuriones erant: qui hastatorum, primus hastatus dicebatur, secundus, tertius, vsq; ad decimum: vnde illud apud Liuium, libro 42. Virtutis causa mihi T. Quinctius Flamininus decimum ordinem hastarum assignauit. Sic primus princeps, secundus, tertius, vsque ad decimum. Ibidem Liuius: A M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Et Cicero in Epistola ad M. Brutum: Cretensi bello octauum principem duxit. Triariorum quoque decem centuriones fuêre: sed, qui primum inter eos locum tenebat, non primus triarius, verùm Primipilus, vel Primipili centurio, vocabatur.

Ex inferioribus Ordinibus.] Non ex priuato milite: sed, cùm ordines duxisset, id est, centurio inter hastatos fuisset: cùm essent nouem præterea. Sic lib. 3. Ab Octauis ordinibus ad primum pilum se transducere pronũciauit. Id est, qui centurio triariorum octauus fuerat, eum primum fecit.

Ex omnibus Montib. Nix proflunt.] Profluxit, Gryphij liber. rectè. Parisienses, Proluit.

Neque Frumenta in hybernis erant, neque multum à maturitate aberãt.] Nicasius Ellebodius Casletanus, cùm videret, ex superioribus Hybernum tempus hîc non posse designari, idq; etiã perspicuè ostenderet illud, Neque multùm à maturitate aberant, reponendum putat, In herbis, vel in herba. Quo modo locutum Ouidium obseruauit: Tua messis in herba est. Plinius quoque, libro 18. capite 7. Frumenta hyeme in herba sunt. Et Cicero de Senectute, de Frumentis loquens, Herbescens viriditas dixit.

11. *His tamen omnibus Annona creuit.*] His tum omnibus, legit Nicasius.

Magni domum concursus.] Demum, Gryphij liber. Probo.

Ita comitatus, & eos, qui Frumenti causa processerant, tutò ad se recipit.] Anteà, Commeatus. Ego, Comitatus, ex antiquo libro, & quia suprà: Neque maximi comitatus, qui ex Italia, Galliaq; veniebant, in Castra peruenire poterant.

Vt prædæ subsidio sint.] Præsidio, Parisienses.

13. *Lacetani.*] Hos à Strabone lib. 3. & Ptolemæo Iacetanos dici, docuit Fuluius Vrsinus. Quomodo itẽ legi in antiquo suo libro obseruauit. Emendatq; Liuium, & Plinium.

Illurgauonenses.] Lurgauonenses, eiusdem Fuluij liber. & Liuius. Hos putat à Strabone dici Ἰλλουργῆτας.

Ociogesam.] Idẽ, Etouisam dici à Plinio, monuit.

Huc iam rem duxerat.] Parisienses, Reduxerat rem. Legendũ fortasse, Deduxerat rem. Sic enim locutus est infrà: Res ab Afranianis huc erat necessariò deducta. Et in extremo ferè libro: Res huc deducitur. Et lib. 3. Spe conficiendi negocij, propè in noctem rem deduxerant.

Totis verò Castris Milites circulari.] Cicero in Bruto: Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem. Et Seneca: Qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur. Inde Circulus, cœtus hominum, circumquaque adstantium, aut in orbem collectorum, inter seq; confabulantium. Tacitus, libro 3. Nec ignoro, in conuiuijs, & circulis, incusari ista, & modum posci. Seneca: Quidam enim beneficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant: pro, passim prædicant, & iactant. Et Circulator: Seneca: Alter apud proximum circulatorem resedit. Et Circulans, id est, sermones in circulis serens: Seneca, 5. Epistolarum: Sic itaque habe, inquit, vt istam vim dicendi rapidam, atque abundantem, aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem magnam, ac seriam, docentiq;.

14. *Quod fuit illis conandum, atq; omni ratione efficiendum) & totius diei pugna, atque itineris labore, defessi, rem in posterum diem distulerunt.*] Non bona distinctio, nisi fallor: nec videtur parenthesis locum habere. est enim hoc, Quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum, omnino adiungendum sequentibus, & legendũ, Sed totius diei pugna. Quo modo Parisienses ediderunt. Totam sententiam qui perpendet, non dubito, quin mecum sentiat.

L. Decidius Saxo.] Veteres libri, Saxa: & oratione 13. in Antonium: Cùm Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? Ibidem, infrà: Saxam verò Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex vltimis gentibus; vt cum

K a tribu-

tribunum pl. videremus, quem ciuem nunquam videramus? Et in eundem 8. Omnes Cafones, omnes Saxæ, cęteræq; pestes, quæ sequuntur Antonium. Idem Saxa, vt opinor, nominatur epitome Liuiana 127. vbi Didio, pro Decidio, legitur: aut, in Cicerone, Decidium, pro Didium.

Namq; itinera, quæ ad Iberum.] Parisienses, Nam, quæ itinera ad Iberum.

Prosequebantur, necessarij victus inopia.] Parisienses, Prosequebantur nos, necessarij victus inopia.

15. *Præsertim cùm non minùs esset Imperatoris, Consilio superare, quàm Gladio.*] Suetonius, de Cæsare: Quo sæpiùs, inquit, vicisset, hoc minùs experiendos casus opinans: nihilq; tantùm victoria acquisiturũ, quantũ auferre calamitas posset. Facit hic locus, vt obiter mentionem faciam de illo Terentij, in Eunucho, Act. 4. Scen. 7.

Omnia priùs experiri verbis, quàm armis, sapientem decet.] Quo in loco variant libri. Abest enim vox, Verbis, à quibusdam impressis, vt obseruauit M. Antonius Muretus, vir is, cui plurimum Græcæ, Latinæq; literæ debeant. In alijs veteribus: Omnia priùs experiri consilio, quàm armis, sapiẽtem decet. In alijs impressis: Consilio omnia priùs experiri, quàm armis, sapientem decet. Quo modo si leges, erit simile loco huic Cæsaris. Sin verò, illud Verbis, vel, Consilio, deleas, erit dictum, quo modo illud ab eodem Cæsare, Ciuil. lib. 2. cap. 6. Atque omnia priùs experienda arbitror. Nihil enim sequitur, quod illi Priùs respondeat; sed per se stat. Et sanè hoc modo videtur Donatus interpres legisse. ait enim: Quam armis ἀισχύνονται, pro, Quam arma. aut ἐλλειπές est, si subaudiamus, Agere. Libanius Sophista idem propemodum dixit: Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιθυμεῖν ἀνθρωπινώτερον ἀδικούμενον.

Cohortium Alariarum.] Cohortium duo genera, Auxiliares, & Legionariæ: Auxiliares, Alariæ dictæ, quia legionarias, tanquam alas, tegerent. Sic Alarij equites, & Auxiliarij, ijdem, in Epistola Ciceronis ad Caninium, lib. 2.

Consiliumq; eius à cunctis probabatur.] Vsitatius loquendi genus, elegantiusque, Consiliumque eius cunctis probabatur.

Ad iusiurandum adigit.] Ex hoc loco facilè adducor, vt emendandum putem Sallustij locum, in Catilina. In eo ita est: Cùm ad iusiurandum populares sceleris sui adduceret. Puto enim ibi legendum, Adigeret.

Postulant, vt iurent omnes.] Referri malim ad Petreium, & legi, Postulat.

Vana religio iurisiurandi.] Beroaldus, Noua. Rectè.

16. *In aduersarios tela conijciebant.*] In Aduersos, Parisienses. legendum, Auersos.

Relictis ijs munitionibus.] Gryphius, Relictis his legionibus. Parisienses, Relictis legionibus. Alij, Eductis legionibus.

Hora a. subsequi.] Io. Vincentij Pincili liber antiquus, Ora x. Ex quo Nicasius Ellebodius Casletanus, mendosum locum suspicans; Omnia auxilia subsequi, reponendum putat.

Quò essent ad id expeditiores.] In antiquo lib. Ad it. Ex affinitate autem T, & D, & earum inter se conuersione factum est ab ijs, qui locum non intelligerent, Ad id: cùm sit legendum, Ad iter. Sic infrà lib. 3. cap. 8. Quo Iter, inquit expeditiùs faceret, &c.

Illi impediendæ rei, quæ munitionis causa fiebat, hora circ. 112.] Antiquus Pincelli liber, Illi, impediendæ munitionis causa quæ fiebat hora circiter 112. Rectè.

17. *Ex v. Legione.*] Nicasius legendum putat, Ex quaque legione.

Quem Cæsar delegit.] Delegit, Parisienses.

Habuit, conseruârit.] Habuerit, legitur in Varijs lectionibus.

Flagitaretur.] Flagitarentur, in alijs libris. Vt sit, Petreius, atque Afranius, flagitarentur. Græco more.

Q. Fusium Calenum.] Q. Fufium, legendum obseruauit Fuluius Vrsinus, ex vetere lib. & argenteis nummis. Ita emendandum etiam, infrà, libro 3. cap. 2. 6. & 12.

Liber II.

CAP. II.

Capreolis.] Capreoli, ait Festus, vitium cincinni, intorti, quia ad locum capiendum tendunt, appellati.

Phalangis subiectis.] Græco vsus est vocabulo. lib. 3. Scutulas dixit. Virg. autem libro 2. AEneid. Lapsus. Accingunt omnes operi, pedibusq; rotarum Subijciunt lapsus. Sunt autem rotunda ligna, quibus Naues, maximaque onera, voluuntur. Iulius Pollux: τὰ δὲ τῶν ξύλα, οἷς ὑποβαλλόμενα ἕλκονται αἱ νῆες, φάλαγγες, καὶ φαλάγγια.

3. *Cum infulis.*] Galli supplices Corollis ea floribus vtebantur, pro amicitiæ, supplicationisq; signo, Polybius lib. 3.

Vt vbi hominibus doctis.] Massiliensium disciplinam, & grauitatem, laudat Cicero, in oratione pro Flacco.

Interiectis aliquot diebus.] Interiectisque, Parisienses.

Portis se foras erumpunt.] Ita legendum. sic enim & alij sunt locuti. Quod cum quibusdam nimis durum videretur, locum mutârunt. Cœlius, in Epistola ad Ciceronem: Illa inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit. Et Virgilius Georg. lib. 1.

Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese
Diuersi erumpunt radij.

Excisis, & conuectis.] Conuectis, Parisienses. Rectè.

Quod, vbi Hostes viderunt, ea.] Quod, pro Sed, vsurpat. Vt infrà lib. 3. Quod, cùm esset animaduersum, coniunctã esse flumini. Cic. Philip. 10. Quod, qui ab illo abducit exercitum. Cœlius, ad Ciceronem: Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Liuius, libro 41. Quod, cùm Milites, Cõsulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent, cùm is, more maiorum, secundum

dum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab vrbe esset. Varro, lib. 6. Ling. Lat. Quod, cùm dicunt Conspicionem, Contumionem addunt. Et Plinius libro decimo octauo, capite vigesimo tertio. Quod vt hanc quoque curam detetminemus.

4. *Fiduciariam operam.*] Id est temporariã, quamq; eum cedere oporteret, aduentu Cn. Pompeij. Q. Curtius lib. 5. Auspicium, inquit, & imperium alij trade interim, qui tamdiu Rex appelletur, donec Asia decedat hostis. victor deinde Regnum tibi reddat, &c. Et paulò pòst: Compositis rebus, iusto Regi tibi fiducia, (id est, per fiduciam) restituet imperium.

Iis grauiora onera iniungebat, &c.] Aliter hunc locum legi, in Parisiensi, & Gryphiano, est in Varijs lectionibus.

Qui verba atque orationem, aduersus Rempub. habuissent.] Hæc exponuntur à Cæsare, tanquam iniustè facta, sed iniustè factum videri non potest, si puniatur is, qui verba, atque orationem, aduersus Rempublicam habuerit: cùm præsertim Cæsar causam suam à Reipublic. causa non disiungeret. Quare rectè puto suspicari Nicasium, illud, Aduersus Remp. sincerum non esse: veriùs autem, Aduersus Pompeium.

Ratio autem hæc erat Belli, vt secum 11. *Legiones Gades conferret.*] Periti proprietatis, & elegantiæ Latini sermonis, non dubito, quin legendũ esse mecum sentiant, Vt secum 11. Leg. Gades conferret: id est, 11. Legionibus. Natus error ex hoc scribendi more, 11. Leg. Ita qnoq; ediderunt Parisienses. Quo modo est & in Gryphij libro ad oram.

Legem de Dictatore latam.] Errat igitur Plutarchus, qui creatum à Senatu dictatorem Cæsarem tradit. Appianus & Dio latam ad populum legem significant.

5. *Curio Marcium Vticam Nauibus præmittit.*] Marcum, omnino videtur legendum, nam hic est M. Rufus, Curionis Quæstor, de quo suprà.

C. Caninium Rebilum Legatum.] Fuerat etiam Legatus in Gallia suprà, libro septimo, de Bello Gal. in fine.

Qua offerrentur.] Parisienses, Qua offerrentur.

Commilitonesq;.] Commilitesq;, Parisienses, & Gryphius.

6. *Nam neque prudentes suspicari oportet.*] Verbum Prudentes, fortasse non vacat mendo: nisi si, Prudentes, id est, probòs, intelligas: vt opponatur hoc membrum sequenti membro, neque improbos scire. Diuidit enim Exercitum in Probos qui molestè ferent, sibi parum credi, & improbos, qui Castris loco motis, timeri se intelligent.

Pudore aut Metu, tenentur: quibus rebus Nox maximè aduersaria est.] Terentius Adelph. Act. 3. Scena 5.

Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.

Quem locum sumpsit à Plauto, in principio Bacchidum:

Istboc illecebrosius fieri nihil potest,

Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo?

Et Liuius: Nox omnem timorem, aut pudorem extinxerat.

Neque tanti sum animi, vt sine spe Castra oppugnanda censeam: neque tanti timoris, vt ipse deficiam.] Placeret, vt spe deficiam. alterum enim est sine spe, alterum cum spe aliqua.

In me offenditis.] Patet meus coniectura ductus, ita legendum putauit, & imprimi etiam voluit, in libris nostris, ante multos annos: cùm in peruulgatis omnibus legeretur, Iam me offenditis. Hanc verò fecit coniecturam, ex ipsa primùm sententia, deinde ex Latini sermonis consuetudine. Nam, quod ad sententiam attinet, quis hoc significari non intelligit? non credo, Cæsaris facta probari à vobis, mea reprehendi. Loquendi genus comprobatur exemplis. Lucceius ad Ciceronem, lib. 5. In altera mihi velim obtemperes, in altera non offendas. pro, non offendaris. Et Cicero, ad Qu. Fr. Epistol. 1. lib. 1. Si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nullam partem existimationis tuæ commiseris. Pro Milone: Si in me aliquid offendistis. Et in Verrem, libi 1. actionis 11. Hospes Ianitor, veritus, ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere cœpit. Et: Cùm multi viri, fortes in communi incertoq;, periculo Belli, terra, & mari, sæpe offenderint. Hæc enim omnia patiendi significationem habent.

Naues onerarias adduxerim?] Abduxerim, placet: sed ita placet, si hominum eruditorũ iudicio comprobetur. ego enim, dissentientibus antiquis libris opinionem meam amare vix possum.

Consensu suo.] Suorum, Parisienses.

7. *Non ita magni, aut difficili, & arduo, adscensu.*] Io. Vincentius Pinellus legendum putat, Non ita magno, at difficili, & arduo adscensu. Vt respondeant inter se, Non ita, & At.

Ac fugientium multitudine.] Hac, Gryphij liber ad oram. A, Parisienses.

Circiter D C. *interfectis, atq; vulneratis.*] Fuluij Vrsini liber, Ac ∞ vulneratis. Quod non displicet.

Multum ad hanc rem probandam, adiuuat Adolescentia.] Temeritatem esse florentis ætatis, prudentiam senectutis, ait Cicero, de Senectute. Inde Homerus Ιλ. Γ.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

Et Ιλ. Ψ. dicit, velocem esse mentem, sed tenue consilium.

Οἶσθ' οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσι,
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

8. *Vnam, vt in reliquis rebus, Spem reliquam Salutis esse arbitratus.*] Vnam vt miseris in rebus, &c. Parisienses. Rectè. Cicero in Catil. 4. Spes sola homines in miserijs consolari solet.

Diebusq; æquè post paucis.] Abest verbum, Aequè, à Pinelli vetere libro.

Liber III.

CAP. I.

IS enim erat Annus, quo per Leges ei Consulem fieri liceret.] Intra x. annos, vt apud Liuium libro 40. scriptum est, eundem refici cõsulem, ante multos annos lata lex vetabat. hoc igitur ideo Cæsar dicit, ne putetur, quia potitus esset Italia, dictatorq; dictus sit, aliquid aduersus leges commisisse. distabat enim hic alter eius consulatus à primo annis decem.

Quibus in vrbe præsidia Legionũ Pompeius habuerat.] Carpit Pompeium, qui, tertiùm consul, Milone de vi accusato, exercitũ in vrbe, contra leges, habuit.

Alijs audientibus iudicibus.] Ob festinationem, breui spacio lege dato.

Antonianos Milites admiscuerat.] Mirabar, in Pompeij copijs Antonianos Milites numerari. cùm tres Antonij fratres, Marcus Caius, Lucius, Cæsaris partes in ciuili bello secuti sint: sed posteà comperi: exercitum C. Antonij, T. Pulcionis opera proditum, in Pompeij potestatem venisse. propterea quasi dubia fides eorum esset, eos milites Pompeius admiscuerat suis. De hac Antoniani exercitus deditione, hic infrà: Se morte Curionis, & detrimento Africani exercitus tanto militumq; deditione ad Corcyram. Et aliquantò pòst: Hic paulisper est pugnatum: cùm irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent, fortissimè T. Pulcione, cuius opera, proditum exercitum C. Antonij demonstrauimus, eo loco propugnante. Suetonius etiam, Omnibus, ait, ciuilibus bellis nullã cladem, nisi per legatos suos, passus est. quorum C. Curio in Africa perijt, C. Antonius in Illyrico in aduersariorũ deuenit potestatem. Idem li. 41. 42. Dio scriptum reliquit. Quorũ locorum testimonio, mutilos esse hos Cæsaris libros de bello ciuili, facilè est intelligere: etenim, quod ipse ait, se demonstrâsse, Pulcionis opera proditum exercitum C. Antonij, id in his libris nusquam reperitur.

Cotus ex Thracia.] Cotus, pro Cotys, antiquo more: vt Sulla, pro Sylla: Clupeus, pro Clypeus. nam Cotys verum nomẽ est Regum Thraciæ. Liuius lib. 42. Tacitus lib. 2. Valerius Max. lib. 3. cap. 7. Error sæpe natus ex ignoratione veteris Orthographiç. Vt apud Plinium, cùm sinectum esset, Inclutos cantus, pro Inclytos factum est, Inclusos: vnde obscura sententia viris doctis.

Sasalem.] Sadales dicitur à Lucano, lib. 5.

Eius rei causa omni in ora marit.] Parisienses, Eiusq; rei causa omni ora marit.

2. *Impositis, vt suprà demonstratum est, Legionibus VII.*] Hoc totum glossema arbitror, adscriptum ab imperito, qui legerat illud in princ. huius libri. Eo Legiones VII. Equitatum omnem venire iusserat. Nam, quo modo potuit in Naues imponere Legiones VII. id est, pedestres omnes copias, quas Brundisiũ venire iusserat: cùm suprà dixerit: Sed tantùm Nauium reperit, vt angustè XV. millia legionariorum militum, & D. Equites transportare possent. Hoc vnum, Inopia Nauiũ, Cæsari, ad conficiendi belli celeritatẽ, defuit. Infrà quoq; ostendit, non esse transportatas omnes copias. Expositis, inquit, militibus, Naues eadem nocte Brundisium à Cæsare remittuntur: vt reliquæ Legiones, Equitatusq;, transportari possent. Et aliquantò pòst: Reliquarum ex Italia Legionum aduentum exspectare constituit. Eas autem Legiones Q. Fufius Calenus, & M. Antonius, deniq; transuexerũt.

Qui appellatur Pharsalia.] Pharsalia, regio Thessaliæ est, ab oppido Pharsalo. Cæsar autem copias in Epiro exposuit, haud procul Orico. quare suspicor oppidum in prima Epiro fuisse, cui Pharsalo potiùs, quàm Pharsaliæ nomen esset. Paulus Orosius, lib. 6. cap. 15. non Pharsaliam, neque Pharsalũ, sed Palæopharsalũ, i. antiquum Pharsalum, vocat.

Lucretius Hispilo.] Vespillo emendat Fuluius Vrsinus, ex argẽteo nũmo, in quo, Q. LVCRETIVS. Q. F. VESPILLO.

Diligentia sua.] Indiligentiæ, Parisienses.

Detrimentis receptis.] Acceptis, Parisienses.

3. *Græcos murum adscendere, &c.*] Parisienses: Cùm Græcos murum adscendere, atq; arma capere iuberet. illi autem cum se cont. &c.

L. Staberius.] Straberiam familiam nusqnam apud veteres legi. Staberiam, ex antiquorum lapidum obseruatione, notam habeo.

Romæ, in ædibus Mangoniorum, in Campo Martio, in ara grandi. i.

T. STABERIO
SECVNDO. COACIORI
ARGENTARIO. VIATOR
CONSVLARIS. ET. PRAET
SIBI. ET
CLAVDIAE. STRATONICE
VXORI

Ad forum Boarium, in hortis Maximorum, vbi putatur fuisse Fabiorum domus.

T. STABERIVS. EPIGONVS
VIATOR. CONSVLARIS
SIBI.ET. SVIS. ITEM. LIB. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM
VIXIT. ANNIS. LXXXII.
MEN. II. DIEBVS. XX.

Simul ac Cæsar.] Parisienses, Quo simul ac Cæsar.

4. *Profecto occupato itinere ad Dyrrachium.*] Malim, Præoccupato itinere. nam Profecto mendosum esse constat. Vel: Præfecto occ. it. Parisienses: Perfecto. Alij, Profectus.

Huc addunt pauca.] Veteres quidam libri, Huc adsunt pauca. Vnde suspicor legi posse, Huc adsunt pauca. Pro, Addunt, affingunt.

Inimicitiasq; habebat etiã priuatas cũ Cæsare, ex Aedilitate, & Pretura, conceptas.] Etiam ex Consulatu. & meritò: ideo à Cæsare omittitur.

Atque vnà etiam, &c.] Si sic legitur, vt est in vulgatis libris: nec facilè sententia colligitur, nec verba satis inter se cohærent. Videtur locus ita posse restitui: si modò libri veteres opem ferant: Vtq;

vnà

vnà etiam vtrimque admodum tutò Legati venire, & quæ vellent, exponere possent: certum ei rei tempus constituitur.

5. *Legem promulgauit, vt sexies seni dies sine vsuris credita pecuniæ soluantur.*] Plebi infimæ Cœlius, ære alieno oppressæ, hac lege subuenire cupiebat. Subueniendi autem rationes, vt opinor, duas excogitauit, vnam ne debitores creditas pecunias, ni satis longa die, soluere cogerentur: alterum, vt donec eas soluerent, vsuræ nomine nihil penderent. Vtraque ratio patebit, si quo modo Pater meus legendum putat, ita legatur: Legē promulgauit, vt sexenni die, sine vsuris creditæ pecuniæ soluantur. Nā, Sexenni die, pro sex annorū spatio Latinè dicitur, vt Annua die, Bima, Trima, Quadrima. Ego legendum putabam, Vt sex pensionibus sine vsuris, &c. Quo modo Hirtius locutus, de bell. Afri. c.11. Vt per triennium sex pensionibus populo R. soluerent. Quam lectionem postcà reperi & in Parisiensi.

Et cùm à Q. Pedio, Prætore cum legione Lapide ictus esset ex Muro, perijt.] De Milonis morte, Velleius etiam lib.2. Verùm in eo nulla de Q. Pedio mentio. Antiquus liber Pinelli, pro Lapide ictus, habet, Misso lapide ictus. Ego, ex coniectura, legendum puto: Eò, cùm à Quinto Pedio Tr. mil. lapide ictus esset ex Muro, perijt. Vt illud, Prætore cum Legione, in Antiquioribus libris scriptum contractè fuerit, sic: Prætor cum L. priusque, Tr. cum L, quod significaret, Tribuno Militum: Sed cùm ab ijs, qui libros exscriberent, id non planè intelligeretur, cùm punctus adscriptus non fuisset literæ, nempe quòd I, maiusculis literis scriberent, vt indicat Virgiljus Carpensis: inde factum, vt ex MIL. fecerint, CVM L. postcaque, Cum Legione.

Qui eò, præsidij causa, missi erant.] Moneo Lectorē, ita locum hunc à Patre meo ex ingenio iampridem restitutum: cùm legeretur in libris omnibus, Prædandi causa.

Quàm omnium litora, &c.] Pro, Quam omnium locorum litora, &c. Nicasius legit, Quam omnia litora, &c.

Hyems præcipitauerat.] Sic locutus Virg.

Nox præcipitat cælo.] Liu. lib. 27. Creditum vulgò est, in puteum apertum, ex equo præcipitâsse. Et lib.39. Et pars maxima inermes per inuia, & rupes deruptas, præcipitantes fugerunt.

In Africum se vertit.] Consuetudo Latini sermonis postulat, vt legatur, in Africum vertit. Vide simile quiddam apud Hirtium libro 8. de bello Gall. Locum enim ibi emendo.

7. *Hoc eodem ferè tempore.*] Hæc, Parisien.

Conferta præfectis.] Differta, Parisien.

Cæterasq; eius Deæ statuas.] Antiquus Fuluij Vrsini Liber, Certaque eius rei die constituta. Rectè.

Adesse Scipionem, cum Legionibus.] Ita legendum, non, vt anteà, Legione. nam de duabus suprà mentio. Quod, ante me natum, obseruatum est ab alijs.

8. *Præsidio impedimentis Legionum reliquit.*] Abundat, Legionum: satis enim constat, Impedimenta legionum esse.

Regis Cotti.] Malim, Cotys: de quo diximus lib. 3. de bell. Ciu. c.1.

Cn. Pompeij filius.] Parisienses, & Gryphius, Cn. Pompeius filius. Rectè. Sic Cornel. Nepos in Attici vita, C. Marius filius: & Cic. ad Q. F. lib.2. Seruilius filius. Hic, lib.2. de bell. Ciu. cap.5. L. Cæsar filius. & 3. c.1. Pompeius filius. & de bell. Africo, c.3. Cn. Pompeium filium.

Vt ex superiori pugnans loco.] Et, nō Vt, legendum putat Io. Vincentius Pinellus.

Hellide.] Gryphius, Biblide. Parisienses, Byllide. Rectè. ita enim Ptolemæus. Emendandus locus & in hoc lib. c.3.

9. *Hæc spectans.*] Sic rectiùs, quàm, vt anteà, Hæc exspectans.

Recipere se iussis.] Statuit, Beroaldus.

Subitò constipatis pila coniecerunt.] Anteà, Conspicati. Pater, Constipati, ante aliquot annos in libris nostris reposuit.

Aduersus Cliuum.] Et hoc Pater emendauit: cùm Pilū, non Cliuum, nulla sententia legeretur.

Præcipites Pompeianos egerunt.] In Parisiensi, post hæc verba, leguntur, Et terga vertere coëgerunt.

Paulloq;] Vsitatiùs, Paullumq;.

Circa eum locum.] Citra, Parisien.

10. *Quod appellatur Chara.*] Cara dicitur à Dioscoride, lib.3. c.59.

Equos eorum vix tolerari.] Pro, vix ali. Infrà ca.12. His stationibus Equitatum tolerare.

Sublicis in terram dimissis.] Demissis, Parisienses, & Gryphius. Rectè.

11. *At pleriq;*] Ac pleriq;, Parisien.

Volcatius Tullus.] Sunt qui Tullius legant. Imperitè. duas enim familias in vno homine coniungunt.

Euocatosq; Centuriones complures.] Malim, Euocatos, & Manipulares, Centurionesq;. quo modo legitur in Gryphij libro, & Parisiensi. Vt militum tria genera ceciderint, Manipulares, ac duorum millium numerum Euocati, Centuriones. non enim Centuriones Euocatorum sunt, sed Manipularium, id est, Legionariorum. itaque infrà Crastinus euocatus, milites ad pugnam adhortans, nō ait: Sequimini me, Manipulares mei: sed Manipulares mei qui fuistis. Centurio enim ampliùs non erat.

Millia sagittarum circiter XXX.] Suetonius maiorem numerū ponit. Vna, inquit, VI. Legionis Cohors, præposita Castello, IV. Pōpeij Legiones per aliquot horas sustinuit, penè omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum C. ac XXX. millia intra vallū reperta sunt. Videtur igitur aut in Cæsare legendum, CXXX. aut in Suetonio, Circiter XXX. Errore fortassè nato ex litera C. quę pro Centum, & pro Circiter, variè accipi potuit.

Foramina CCXXX.] Valer. Max. & Suetonius, C. & XX. ictibus: Plutarchus, CXXX.

Ab octauis ordinibus ad Primipilum.] Primus pilus, ordo est: Primipilus, qui ordinem ducit. Quare, çùm hîc de ordine sermo sit, malim legere, Pri-

 mum

mnm pilnm. qno modo legitur in Antiquo Cardinalis Borromæij, euius vitæ integritatem admirari nunquam satis possnmus, libro. Exemplū occurrit inf. Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primū pilum in Legione x. duxerat. Et lib.5.bell.Gall. T.Baluētio, qui superiore anno primum pilum duxerat. Et Tacit.lib.20. Infami gratia primum pilum adepto, læta ad præsens malè parta.

Cohortemq́ posteà.] Abest Postea à Parisiensi libró.

Frumentóue, & speciarijs militaribusq́ donis.] Alij: Frumenro, veste, diarijs, militaribus donis. Quo modo T.Liuius lib. 22. Frumenro, veste, viatico etiam iunit. Et Xenophon lib.1.Rerum Græcarū: ἱμάτιόν τε δίδωσιν ἑκάστῳ, καὶ ἐφόδιον δυοῖν μηνοῖν. Et Vale.Max. lib.5.c.1.de Campanis: Protinùs, inquit, Consulibus insignia honoris, militibus vestē, arma, equos, commeatum benignissimè præst. De Diarijs autem, Cicero ad Att. Ijs, inquit, diarijs Militum celeritatem incitat. Antonius Augustinus, Episcopus Ilerdensis, singulari vir ingenio, in emendandisq́; antiquorum libris maxima cum laude versatus, legendum putat: Frumento, veste, pecunia, alijsq́ue militaribus donis. Nicasius, Frumento, vestiarijs, &cæt. id est, vestibus. Vtrùm rectiùs, iudicent eruditi.

Telis ex vallo abiectis.] Rectiùs videtur, Adiectis.

C.Volusenum.] Ita scribendū, non Volnsiennm. Cic.in Orat.pro Clu. Ita quoq; legitur in antiquo meo lapide, euius exemplum sequitur:

L. VOLVSENVS
MAXIMVS
NOMENCLAT
H. S. E.

Vulgò verò vniuersi.] Induxi, tanqnam glossema, verbum, Vniuersi. qui enim, Vulgo, interpretari voluit, adscripsit, Vniuersi. nam, qui dicit, Vulgò peccant, hoc dicit, Vniuersi peccant. & Cic.Epist. r.lib.9.ad Att. Hinc verò vulgò dicunt. Et pro Murena: Num locum adspectandum dare, aut ad prandium inuitare? minimè, sed vulgò, passim: Quid est, Vulgo? vniuersos?

Custodiarum vera diligentia animaduersa.] Placet, Varia diligentia, vt habent Parisienses lib. Aut pro Vera, legendum, Vniuersa: mutatione haud ita magna, si scribatur, Via.

13. *Per mare Nauibus expositis, in aduersos impetum fecerunt.*] Quis non videt legendnm esse, Expositi in auersos? Antiquus liber Pinelli, Expositi, aduersarij in nostr. Nicasius, Per mare, superflunm putat.

Hoc casu Aquila conseruatur.] Aquila signum Legionis fuit. Plin.lib.10.c.4. Romanis Aquilam Legionibus C. Marius in secundo Cōsulatu suo propriè dicauit. erat & anteà prima cum 4. alijs: Lupi, Minotauri, Equi, Apriq́; singulos ordines anteibant. paucis antè annis sola in aciem portari cœpta erat: reliqna in Castris relinqnebantur. Marius in totum ea abdicauit. ex eo notatum non ferè legiones vnquam hybernâsse Castris, vbi Aquilarum non sit iugum.

Omnibus primæ Cohortis Centurionibus interfectis præter Principem priorem.] Cohortem nusquam nominat Polybius, alioqui diligentissimus in acie Romana explicanda. omittendi causam, opinor, habuit, quia Cohors in exercitu ordinaria non fuit, sed, si res posceret, ex tribus manipulis fiebat, vno hastatorum, altero principum, tertio triariorum. quæ autem ex primis manipulis fiebat, prima: quę è secundis, secunda: è tertijs, tertia vocabatur: vsque ad decimam. qnoniam deni erant manipuli in singulis militum generibus, hastatis, principibus, triarijs. nam velites, neque manipulos, neque signa, neque centuriones proprios habebant: sed post velitationem, id est, iactum pilorum, & leuem quandam pugnam ad acies vtrimque committendas, æqua portione ad signa hastatorum, principum, triariorum ridebant. Princeps autem prior dicebatur, Centurio ille manipuli principū, qui ex duobus prior creatus erat. nam, vt ait Polybius, duæ fiebant electiones centurionum à tribunis militum, vtraque denum, quia deni erant manipuli in singulis generibus. prior electio erat honoratior, vsque eò, vt qui centuriones in ea creabantur, ijs rebus, quæ de bello deliberabantur, interessent. hi rursus duos ipsi, qui posteriorem manipuli partem regerent, creabant, quos Polybius οὐραγοὺς appellat. ita erant in singulis manipnlis bini centuriones, & bini οὐραγοί. Omninò igitur, cùm ex tribus manipnlis, vt dixi, constaret cohors, quinq; sunt interfecti primæ cohortis centuriones, vno conseruato, Principe priore.

14. *Demonstrauimus.*] Qno loco? Quærendum: Non enim vmquam in his lib. reperi.

Sibi repugnantes.] Parisienses, ibi.

Eodem, quo venerant, receptui consulebant.] Pater legendum putat, Eodem, qua venerant, receptui cōsulebant. Ego verò pro, Consulebant, legerē, Concinebant. Parisienses, & antiquus Pinelli liber, Receptu sibi consulebant.

Quisquam omninò.] Puto legendum, Quisqnam omnium. Quod ita locutus sit idem de bell. Gall. lib.7.c.14.& de bell.Ciu.lib.1.c.5.& lib.2.c.1. Et Terent.Andr.

Angustijs, portùsq́ Cæsaris Mil.] Parisien. Gryphij liber ad oram, & antiquus Pinelli liber, Angustis portis, atq; his à Cæsare mil.

Felginatem, Tuticanum.] Puto legendum, Fl. Tuticanum.

Agrauium.] Cùm prænomen desideretur, & hîc pro Agrauium. vel Agranium, (nam vtroqne modo legitur in Antiqnis libris) puto legendum, A. Granium, vel A. Grauium: qnarum familiarum mentio reperitur.

Tribunos mil. L.] Mendum in numero. nam singulæ Legiones quaternos tantùm tribunos mil. habebant. qui ergo fieri potest, vt in eo prælio L. perierint? Antiquus liber Fuluij Vrsini habet, Tr. mill. Ex quo suspicari possumus, ita scriptnm olim fuisse: Tr. Mil. III. Quod est, Tribunos Mil. III.

Nam,

Nam, Militum, vel vna litera, M. vel tribus, Mil. vel quinque milit. significabatur.

Omnesq; deductos.] Parisienses, Omnes productos.

Obiectæ.] Rectiùs, vt puto, Abiectæ.

15. *Locum securum ad dimicandum.*] Ex vestigijs antiquæ lectionis, legendum, Locum se æquum, & cæt.

Quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret.] Rectiùs in Carrariensi, Quod esset factum detrimentum, in bonum verteret.

Intra vallum Castrorum continuit.] Parisienses, Intra Castrorum munitionem cont.

Ne occasio temporis deesset.] Occasioni, Parisienses.

Sed Cæsarem Apollonia, &c.] Parisienses, Sed Cæsar Apolloniam à directo, &c.

16. *Casu Ciuitatis comprehensis ex captiuis cognito.*] Comprehensis, abundat.

L. Hirtij.] Gryphij liber, L. Hirtæ, Parisienses, L. Hirri. Ego reponendum puto, Lucceij Hirri,

Promisisset.] Recepisset, Parisienses.

Quod satis persp.] Parisien. Quod satis perspectũ habere militum animum videretur.

17. *Delectibus.*] Delectu, Paris.

Colonijs.] Colonis, Paris.

Aciam animo victoriam percipiebant.] Elegantiùs, Præcipiebant: Quo modo Parisien. Cice. Philip. XIIII. Præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. Vide lib. 7. de bell. Gali. c. 2.

Cohortes CX. expleuerat. hæc erant millia LV.] Ergo quingeni milites in Cohorte.

Erant, & cæt, attenuata.] Erat attenuata, Parisienses.

Quæ summa erat ∞ XXII. Cohortes dixit esse XXC. ex quo videntur pauciores quingentis in cohorte fuisse: at proximè quingenariam fuisse cohortem diximus. idq; ex quarta quoq; acie, quam è VI. cohortibus Cęsar instituit, intelligitur: nam eos ait Appianus tria millia peditum fuisse. Octuaginta verò Cæsaris cohortes, cùm essent Dyrrhachinis prælijs vehementer attenuatæ, non plus, quàm ∞ XXII. habebant.

Externa acie singulas cohortes detraxit.] Plutarchi verba, in Cæsaris vita, legendum indicant: Extrema acie VI. cohortes detraxit. Ἀπὸ τῶν ἐσχάτων [illegible] [illegible]. Et in Pompeio: [illegible]. Nam [illegible], subsidia sunt, id est, extrema acies. Sex cohortes & infrà Cæsar nominat: & Appianus, cùm ait, fuisse tria millia peditum, satis ostendit, sex cohortes fuisse. nam singulæ cohortes quingenos pedites habebant.

Voluntariæ.] Voluntarij, Paris.

18. *Pilisq; missis, ad gladios redierunt.*] Lib. I. de bell. Gall. c. 12. Relectis pilis, cominus gladijs pugnatum est. lib. 7. c. 16. Nostri, emissis pilis, gladijs rem gerunt. Sallust. Catilina, Pila omittunt: gladijs res geritur.

IV. *Aciei, quam instituerat ex cohortium numero.*] Suprà dixi, Sex cohortium, legendum.

Ad Prætoriam portam.] De Prætoria porta, Vegetius lib. 1. c. 23.

Tantum se opinionem fefellisse.] Gryphius, Tantam se opinionem fefellisse. Parisienses, Tantum suam se opinionem fefellisse.

Vniuersi Iuris eius Larissam versus se recipere cœperunt.] Frigidè omninò nimiumq; ineptè, qui pro Simul, quod in alijs libris legebatur, Iuris eius, reposuerit: dictum putans, Iuris eius, id est, eius fortunæ vel conditionis. Cuius locutionis exempla, si in tota quæras, non dicam lingua Latina, sed etiam Barbariè, nusquam ne apud Appuleium quidem, aut Martianum Capellam reperire poteris. Hos qui sequitur auctores, mirum hoc non vidisse. Viuat igitur ipse cum suis. Neque superari se aliquando timeat, qui genus tam difficilè ad imitandum non solùm sibi proposuerit, sed etiam mirificè assecutus sit. Notanda omnia in antiquis libris: non tamen omnia sequi debemus. Sæpè videmus corrupta in scriptura veram lectionem inesse, si quis paulò attentiùs consideret. Cuiusmodi cùm multis in locis supperant exempla, vel hic vnus haud indubiam fidem facere possit. ex vestigijs igitur antiquæ lectionis, Iuris eius, notatum mihi affirmauit, qui nihil temerè affirmat, antiquæ probitatis, & doctrinæ iuuenis, à cuius ingenio, acerrimaque in castigandis veterum scriptis diligentia sperare ampla omnia possumus, Claudius Puteanus, Notarum, inquam, à docto homine, legi posse, Viri sequis. Quòd si putarē ad hanc opinionem confirmandam opus esse pluribus verbis, aliquid adijcerē. verùm cui non vel luce clariùs constat, veram hanc esse Cæsaris lectionem?

Sylla similiter dediderunt.] Abest verbum Similiter, à Beroaldi lib.

Aquila LIX.] Hoc ita verisimile videri potest, si Pompeius Legiones LIX. habuit. Quod cùm à vero longè distet, sincerus numerus pro mendoso reponendus, & fortasse IX. pro LIX. vt IX. legionum Aquilæ ad Cæsarē ex prælio relatæ sint. nam in legione Aquilam vnam fuisse, exploratum satis est, ex Hispaniensis belli libro, & Tacito libro 13. & Plin. lib. 10. c. 4.

Ab equitibus est interfectus.] A M. Antonio: vide Ciceronem Philip. 2.

19. *Ratione egerunt.*] Agit, Gryphij liber ad oram.

Naues soluere iubebantur.] Gryphij liber ad oram, Soluerunt. Parisienses, Soluerant.

20. *T. Amptum.*] Ita restituit pater, cùm in omnibus libris legeretur, T. Appium. vide Cic. Epist. 12. lib. 6. Fam.

Ex Prouincia vocâsse.] Euocâsse, Parisienses. Euocauisse, Gryphij liber.

Ipse enim necessariò Etesijs tenebatur: qui Alexandriā nauigantibus sunt aduersissimi venti.] Placet hoc loco paululum à proposito digredi, vt horū ventorum cognitionem aliqua ex parte illustrem. Primū igitur, qui venti Etesiæ sint, quaq; anni parte, quamque diu, flent: deinde, quomodo gignantur: postremò, quorsum spirent, breui conabor ostendere. Etesias, ventos esse à Septemtrione excitatos, inter omnes constat. ideò dixit Lucret. libro 6. Etesia

flabra

flabra Aquilonum. Nam Poëtæ Aquilonem, pro Septemtrione, accipiunt. licèt Aquilo, qui & Boreas, idem est, medius inter Septemtrionem orientemque sit. qui enim directè à Septemtrione ipso, atque ab Vrsa, vt loquitur Aristoteles, aduersus Meridiem flat, Ἀπαρκτίας à Græcis, à nostris vocatur Septemtrio. Quo tempore spirare incipiant, veterum testimonio docebimus. Aristot. Meteor. li. 2. Ἐτησίαι, inquit, πνέουσι μετὰ τροπὰς, καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, καὶ οὔτε τηνικαῦτα, ὅτε πλησιάζει μάλιστα ὁ ἥλιος, οὔτε ὅτε πόῤῥω· καὶ τὰς μὲν ἡμέρας πνέουσι, τὰς δὲ νύκτας παύονται. Quod ita vertimus: Etesiæ spirant post Solstitium, & Canis ortum, neque appropinquante admodum Sole, neque recedente: & interdiù quidam spirant, noctu autem quiescunt. Columella autem sic, libro 11. capite 2. I I X. Idus Iul. Capricornus medius occidit; V I I. Idus Iul. Cepheus vesperè exoritur: V I. Idus Iul. Prodromi flare incipiunt. Prodromos vocat Etesias, quia Caniculæ ortum præcurrant diebus octo. Et Plinius Etesiarum Prodromos appellat, libro 18. capite 28. quorum in ortu Columellæ assentitur, his verbis, libro 2. cap. 47. Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ Sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente: qui dies decimusquintus antè Augusti Kal. est huius exortum diebus I I X. fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. post biduum autem exortus, ijdem Aquilones constantiùs perflant diebus X L. quos Etesias vocant. Idem infrà: Etesiæ noctu desinunt flare, & à tertia diei hora oriuntur. Cicero etiam libro 2. de Natu. Deor. Etesiæ quorum flatu nimij temperantur calores, à quibusque etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Etesijs nomen est ab ἔτος, quasi anniuersarijs, quòd nulli venti, vt ait Plinius, magis stati sint, & singulis annis certo tempore reuertantur. Gignuntur dissoluente Sole humorem in Septemtrionis regione collectum. de quo sic Aristoteles eodem loco: Ὁ μὲν βορέας ὑπὸ τῶν ὑπὸ τὴν ἄρκτον πνεῖ τόπων, οἱ πλήρεις ὕδατος, καὶ χιόνος εἰσὶ πολλῆς: ὧν τηκομένων ὑπὸ τοῦ ἡλίου, μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς μᾶλλον, ἢ ἐν αὐταῖς, πνέουσιν οἱ Ἐτησίαι. Id est, Spirat quidem Boreas à locis Septemtrionalibus, aqua & niue multa consertis: quibus à Sole liquefactis post æstiua Solstitia magis, quàm in ipsis Etesiæ flant. Placet hîc Sudæ verba subscribere, quod ex ijs non hoc solùm de origine Etesiarum, sed alia quædam, de ijsdem ventis, non indigna literis, & memoria, cognoscuntur. Ἐτησίαι, οἱ ἄνεμοι οἱ κατ' ἔτος πνέοντες. πνέουσι δὲ ἐν ἀκμῇ τοῦ θέρους. διότι ὁ ἥλιος μετεωρότερος, καὶ ὑπὸ τῶν μεσημβρινῶν τόπων ἀφιστάμενος γενόμενος, λύει τὰ ὑγρὰ τὰ ἐν τοῖς ἀρκτικοῖς. λυόμενα δὲ ταῦτα, ἐξαεροῦται, καὶ πνευματοῦται: καὶ ἐκ τούτου γίνονται οἱ Ἐτησίαι: καὶ ὑπὸ τῶν ἀρκτῴων τόπων φέρονται ἐπὶ τοὺς μεσημβρινούς. ἅπερ ἐπὶ τοῖς ὑψηλοτέροις ὄρεσι τῆς Αἰθιοπίας. καὶ πολλὰ καὶ ἀθρόα γενόμενα, ἀπεργάζονται ὑετούς. καὶ ἐκ τῶν ὑετῶν τούτων πλημμυρεῖται ὁ Νεῖλος τοῦ θέρους, ὑπὸ τῶν μεσημβρινῶν καὶ ξηρῶν τόπων φερόμενος. Id est, Etesiæ spirant æstate maxima: propterea quòd Sol altiùs ascendens, & à Meridianis locis ad Septemtrionem propiùs accedens, humores, qui sunt in eo tractu, dissoluit. quibus in aerem spiritumque conuersis, Etesiæ gignuntur: &, à Septemtrione ad Meridianam plagam delatæ, cùm in altiores Aethiopiæ montes inciderint, in vnum coactæ, pluuias efficiunt: quibus exundat Nilus, æstate à Meridianis aridisque locis defluens. Quod autem hîc Sudas de Nili incremento narrat, id ab alijs quoque creditum, Plinius indicat, vbi de Nili ortu sententias diuersas commemorat, libro quinto, capite nono: Causas, inquit, incrementi Nili varias prodidêre: sed maximè probabiles: Etesiarum eo tempore ex aduerso flantium repercussum: vltrò in ora acto mari: aut imbres Aethiopiæ æstiuos, ijsdem Etesijs nubila illo ferentibus è reliquo orbe. Et Ammianus libro vicesimosecundo, Opinio celebrior est, quod, spirantibus Prodromis, perque dies X L V. Etesiarum continuis flatibus repellentibus, eius meatus, velocitate cohibita, superfluis fluctibus intumescunt, & reluctante spiritu controuerso adolescens in maius, hinc vi reuerberante ventorum, inde vrgente cursu venarum perennium progrediens in sublime tegit omnia. Quas autem de Nili incremento opiniones & Ammianus, & Plinius, & Suidas, in suos libros retulerunt, eas videntur accepisse à Callisthene, & Democrito, quorum ipsi nomina omiserunt. Verba eorum recitarem, si hoc esset instituti nostri. non enim hic de Nili incremento, sed de Etesiarum generatione, agimus. Qua parte iam absoluta, eorũ cursum ostendamus. Feruntur à Septẽtrione in Occidentẽ, inde in Orientẽ. quod auctor grauissimus Aristot. eod. lib. infrà docet his verbis: Οἱ Ἐτησίαι περιΐστανται τοῖς μὲν πρὸς δυσμὰς οἰκοῦσιν, ἐκ τῶν ἀπαρκτίων εἰς θρασκίας, ἀργέστας, καὶ ζεφύρους: ἀρχόμενοι μὲν ὑπὸ τῆς ἄρκτου, τελευτῶντες δὲ εἰς τοὺς πόρρω: τοῖς δὲ πρὸς ἕω, περιΐστανται μέχρι τοῦ Ἀπηλιώτου. Latinè sic: Etesiæ ijs quidem, qui ad Occidentem habitant, è Septemtrionibus in Thrascias, Argestas, & Zephyros commutantur: initio facto ab Vrsa, fine in ijs, qui longinqua loca incolunt: ijs verò, quibus ad Orientem sedes est, vsque ad eum ventum, qui Apeliota dicitur. Sententiam Aristotelis comprobant verba Cicer. Epist. 15. lib. 11. ad Cœlium: Ego, inquit, nisi, quid me Etesiæ morabuntur, celeriter, vt spero, vos videbo. Nam è Cilicia Italiam versus, hoc est, ab Orientis partibus ad occasum nauigaturus, ne impediretur Etesijs, timebat non à Septemtrione, id est, dextro latere incurrentibus, sed ab occasu, id est, à fronte reflantibus: cùm ab Occidente ad ortum referuntur. Quod etiam clariùs demonstrat in Epist. 7. libro 6. Ad Attic. Rhodum, inquit, volo, puerorum causa: inde quàm primum Athenas: etsi Etesiæ valdè reflant. Nam, Reflant, impedimentũ à fronte significat. & ibidem Epist. 8. Nos Etesiæ vehementissimæ tardârunt. In Epist. quoque ad Cornificium, flare ab Occidente Etesias Orientem versus, & eos prosequi solere, qui ex Italia Græciam peterent, ostendit his verbis: Cùm in Græciam desperata libertate rapiebar, cùm me Etesiæ, quasi boni ciues relinquentẽ Remp. prosequi noluerũt: Austerq; aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit. Prosequi noluerunt, inquit, qui prosequi alios eo anni tempore solerent. Etesiarum dies vocat in Epist. ad M. Brutum, in qua sunt hęc, eadem de re: In medio Achaico cursu cùm Etesiarum diebus Auster me in Italiam retulisset,

te vidi

te vidi Veliç. Ad Marcellum cùm scriberet libro x v. Ego, inquit, si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, vt spero, videbo. Tacit. quoque lib. x i i x. Flatus, inquit, in Orientem nauigantibus secundus, inde aduersus erat. Idem colligitur ex hoc Cæsaris loco. Quæ cùm ita sint, non video, quæ Plinium adduxerit ratio, vt illa scriberet, naturalis historiæ libro 2. In Hispania, & Asia, ab Oriente flatus est eorum, in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus à Meridie. Non modò enim ab Oriente Etesiæ non spirant Hispaniam & Asiam versus, verùm contrà ab Occidente in Orientem. Quod ex Aristotelis sententia, qui mihi instar omnium est, atq; etiam è Ciceronis locis, videmur ostendisse. A Meridie verò nunquam omninò Etesiæ flant: cõtra quam hîc Plinius sensit. Tertium illud, flare Etesias in Ponte ab Aquilone, potest esse verum: hoc modo, vt aliquam Etesiarum auram incolæ Ponti, non tamen vehementem spiritum, sentiant: cùm, Etesias à Septemtrione rectà Occidentem petere, ex Aristotele probatum sit. Verùm & Plinius veterum quorundam auctoritatem secutus videtur: & eosdem, opinor, Gellius, cùm dixit lib. 2. cap. 22. Etesias ex alia, atque alia parte cœli spirare: qui tamen in ea se natare sententia demonstrauit, quia subiunxit hæc, quod sup. dixi, E'τησίας ex alia & alia parte cœli flare: haud scio, an, securus opinionẽ multorum, temerè dixerim. In hac opinionũ varietate, quid probem, obscurum est: Aristotelis tamen vnius auctoritate vehementer moueor.

Ac interfici.] Atque, pro Ac: Parisienses. Minima sunt, neq; tamen omittenda censui, cùm ex ijs fuerint aliquando, qui summam sibi gloriam comparare vellent.

21. *Bibuli filios duos interfecerunt.*] Vide Valerium Maximum libro 4. cap. 1. 15. & Senecam, ad Marciam.

Omnesq; eas naues, &c. incendit.] Cum bis maximã vrbis partem, quadragintaq; librorum millia incensa esse, scribit Orosius lib. 6. c. 15.

Paullulum suo cursu decesserint.] Ferri potest. libentiùs tamen, ex proprietate Latini sermonis legerẽ, Deflexerint.

In parte Cæsaris.] Nicasius legendum putat, In pãte Cæsaris, pro, In potestate. Vide infrà capite 20. Verùm, ne sic quidem hunc locum integrum puto.

IN A. HIRTII DE BELLO ALEXANDRINO LIB.

CAP. I.

PVteis, Fossisq;.] Parisienses, Puteis fossis. Quomodo infrà hoc eodem capite.

2. *Nudare nolebat.*] Nudari, Gryphij liber. ad oram.

Si quid grauius accidisset.] Parisienses, Si quid grauius illi accidisset.

Ad explicandam classem.] Et ad explicandã Classem, Parisienses.

4. *Parum etiam feliciter.*] Abest, etiam, à Parisiensi libro.

Magnæ nobilitatis domi.] Quis non videt legendum, Homo? non enim nobilitas domi tantùm nobiscum est.

Partim demissioribus Ripis flumen transnârunt.] Sic in omnibus libris. Legendum tamen contendo, Raptim.

5. *Qua liberùm accessum haberi.*] Parisienses, Quam liberum accessum habere.

Precari offensos iratosq; animos.] Placare, magis huic loco conuenire iudico.

Maiori ex duabus filia.] Parisienses, Maioriq; ex duabus filijs.

6. *Quinctumq; Patiscum.*] Paciscium, Gryphius, & Parisienses.

8. *Prælio Pharsalico.*] Parisienses, Palæopharsali. Vide Orosium lib. 6.

Relato ad domum Cassio.] Ad, non legitur in Parisiensi.

Q. Sextio.] Hic non Q. Sextius, Sed M. Silius, dicitur à Valerio Maximo, libro nono, capite 4.

10. *Maiores sunt dignitate.*] Maiore, Parisienses.

Nicomedi Bithynio.] Appianus in extremo Parthico.

Iter cœptum.] Inceptum Parisienses.

Rex Armeniæ minoris.] Vide Ciceronem Philipp. 2.

Natura disciplinaq; nostra constitutam.] Ita in omnibus, quos vnquam viderim, libris, & impressis, & scriptis. nihil tamẽ dubito, quin vera lectio sit, quam nos ex alterius loci collatione, & ex ingenio reposuimus. Suprà hoc eodem lib. ca. 6. duas Deiotari legiones disciplina, atque armatura nostra constitutas dixit. Quis ampliùs de hoc loco dubitet?

11. *Quam secum adduxerat Alexandria.*] Aduexerat, legendum puto.

Tali victoria toties victor Cæsar.] Legendum puto, Tali victoria potitus Cæsar.

Cælio Vintiano.] Fuluius Vrsinus, Vinielano reposuit, ex argenteo nummo, & ex veteribus libris.

IN A. HIRTII DE BELLO AFRICO LIB.

CAP. I.

Fortuitu.] Fortuito, Parisienses. Quomodo item, de bello Gall. lib. 7. capite 4.

2. *Omnium tamen animi.*] Lego, Omnium tum animi.

3. *Istius aetatis cùm esset.*] Istuc, Fuluij Vrsini liber. Quomodo Terent. Heauton. Act. 1. Sce. prima.

4. *T. Salienus.*] Ne quis putet nomen hoc mendosum esse, cùm alibi fortassè apud Scriptores huius familiae mentio non reperiatur, placuit hoc loco Antiqui lapidis inscriptionem adhibere, quem Interamnae, vetustissimi, ac celeberrimi, Vmbriae Municipij, superioribus annis effossum, in suum doctissimum ac luculentissimum de patriae antiquitatibus Commentarium contulit Iulius Iacobonius.

M. SALIENVS. A. F. CLV.
GALLVS. FABER. FERRARIVS.

Mutuis praelijs.] Minutis, Beroaldus. Ita infrà c. 6. & bell. Hisp. c. 1. Praelia minuta dixit: & Minutatim infrà hoc eodem cap. & ca. 9. Caesar autem, de bello Gall. lib. 2. cap. 8. & lib. 5. cap. 12. Paruulis praelijs, dixit.

5. *Legiones educit.*] Ducit, Gryphij Liber, ad oram.

Cohortes deducit.] Eduxit, Gryphij liber, ad oram, & Parisienses.

Q. Commius.] Gryphij liber, & Parisienses, Cominius. Commia sanè familia ignota: Cominia nonitem. de ea enim mentio in antiquis marmoribus.

Romae in villa suburbana Carpensi.

DIS. MANIBVS
L. COMINI. L. F. POL. BASSI
SACRVM.

Vide & in Orthographia, in, ARRIVS, 5. & in, BAEBIVS, 9. & in, CONSVMMO, 4. & in, RELIGIO, 5. Est & Reate antiqua inscriptio, quam antè quinquennium edidi cum mea Epistola, ad M. Antonium Amulium, Cardinalem, omnium bonarum artium patronum, Reatinorum Episcopum: qua nobilitatem eius Ciuitatis, antiquitatemq; persecutus sum.

Cum vno centurione.] Pontius is dicitur à Valerio Maximo lib. 3. cap. 8.

6. *Cum saxorum grandine.*] Gryphij liber, ad oram, Cum saxea grandine.

Nescum ipse.] Vt, pro Ne, Parisienses, & Gryphij liber.

7. *T. Aliene.*] Cùm in quibusdam libris legatur, Tusci Saliene, legendum puto, T. Saliene, de quo suprà, capite 4. Quo loco vide nostra Scholia.

Necessitate coactus.] Parisienses, Necessitateque coactus.

8. *L. Cispium.*] Familia & haec non satis nota, quae tamen in antiquis marmoribus legatur. Vide in Orthographia, in, ARRETIVM, 30. & in, FELIX, 13. Nominatur & à Cicerone in Orationibus, post reditum in Senatu, pro Plancio, & pro Sextio.

Se Nasidij classe captum.] Parisienses, Se In Nasidij classe captum.

Primo impetu legionis.] Legionum, Parisiens.

9. *Consuefaceret.*] Vsitatiùs apud hunc, Condocefaceret. Vide suprà hoc eodem capite, & capite quarto.

A Scipione.] Parisienses, A Scipionis. Vt intelligatur, Castris.

Tisdram.] Thebennam, Parisienses. Tisdrum dicitur à Sallust. in Iugurth.

Vt suis fortunis praestò, quod benemeriti essent.] In Parisiensi, Vt suis fortunis, de populo R. quod benemeriti essent.

M. Crispum.] Nihil muto. Veruntamen venit aliquando in mentem, ex ignoratione antiquae Cispiae familiae, locum esse corruptum, consulendi vetereslibri.

11. *Liberis suis, L. Caesari.*] Vnico filio: Sed ita veteres loquebantur: quia Liberi, non Liber, dicebant.

Qui dum, &c.] Legendum puto, qui cum.

Impetu facto.] Impetuque facto, Parisienses, rectè.

Q. Ligario, C. Considij filio.] Q. Ligarius, C. Considij legatus fuit. Quod ex oratione pro Ligario colligitur. Repono igitur pro Filio, Legatum. Aut legendum, C. Considio filio: vel, vt in Parisiensi, Et C. Considij filio. Quae, quamuis Latinè dicta sint: durè tamen nimis hoc loco dicerentur.

Liuineio Regulo.] Ita legendũ & ex libris veterib. & ex argentei nummi inscriptione, docuit Fuluius Vrsinus.

Cotteio, P. Atrio, L. Cella.] Vt familiae constarent: legerem libentiùs, C. Atteio, P. Atrio (ita etiam legitur in Parisiensi, & Gryphij lib.) L. Ocellae.

Eodem die.] Eo die, Parisienses, rectiùs.

Praetorio Rustiano.] Fuluius Vrsinus, Caestiano, reponit ex argenteis nummis, in quibus ita legi. vide in Orthographia, in Plaetorius.

Populi Romani Proconsule.] Abest, Proconsule, à Parisiensi libro.

IN LL.

IN LIBRVM DE BELLO HISPANIENSI.

CAP. I.

CLAM *præsidio Cn. Pompeij.*] Parisienses, Clàm præter præsidia Cn. Pompeij.

Meritam esse sciebat.] Sciens, Parisienses, rectè.

L. Iunium Paciecum.] Nominatur à Cicerone libro 6 Famil. Sed & in Valerio Maximo libro 5. capite 4. de duobus fratribus Paciecis in Hispania natis, mentio est. Fortassè idem Cæsar de bello Gall. libro 5. capite 8. Q. Iunij ex Hispania mentionem faciens, aliquem ex hac familia intellexit. Legendum autẽ puto omnibus his in locis, Paciec. Quæ sanè familia hodieque in Hispania nobilissima est.

Cùm animaduerteret.] Parisiẽses, Id cùm animaduerteret.

Ex colonis.] Ex colonijs, Parisienses.

Non esse permissurum.] Commissurum, Parisienses.

2. *Opidum potiri.*] Opido, Parisienses.

Irruptionem.] Eruptionem, Parisienses.

L. Minucius Cæsari.] Munacius Plancus dicitur à Valerio, lib. 9. c. 2.

3. *Et eo tempore.*] Lego, Ex eo tempore.

Vt ait Ennius, nostri esse reparumper.] Non quod, vt ego puto, ita Ennius dixerit, sed quod familiare ei fuerit, hoc Aduerb.o vti. Quod eius scripta indicant. Lib. enim 6. Annalium, apud Nonium, in, Prognariter:

Diui, inquit, hoc audite parumper:
Vt pro Romano populo prognariter armis
Certando prudens animam de corpore mitto.

Et Annalium lib. 1. apud eundem Non.

Te nunc Sancta precor Venus, & genetrix patris nostri,
Vt me de cælo visas cognota parumper.

Idem eodem:

Inde tuetur ibi lupus, fœmina conspicit amnes.
In Campo celeri passu premens parumper.
Conijcit in syluam sese.

Flumen transgredi duo.] Transgressi, Gryphius, & Parisienses.

Clodius Aquitius.] Parisienses, Clodius Arquitius. Fecit hæc varietas, vt de mendo cogitarem. Qua in suspicione cùm essem, reperi in antiquis marmoribus, Auitum cognomen esse Clodiorum. Nihil igitur dubito, quin ita hoc loco emendandum sit.

Romæ, in domo Cæsia.

D M
CLODIAE
AVITAE
HEREDES
EX TESTAMENTO

In Aedibus Arberinorum.

D M
TI. CLAVDIO
FELICI. PATRI. ET
CLAVDIAE
PRIVATAE. MATRI
TI. CLAVDIVS. AVITVS
FILIVS. OPTIMVS
PARENTIBVS

Cùm verò hoc cognomen non admodum frequens apud veteres sit, inde factum est, vt mendosè quandoque scriptum reperiatur. Nominatur à Plinio lib. 34. c. 7. Vibius Auitus. Est item hoc cognomen in antiqua inscriptione Neapolitana per B. scriptum, cuius exemplum sequitur:

D M
AVR. ABITVS. MIL. COH. X. PR
VERANI. VIX. AN. XL. MIL.
AN. XIIII. NAT. BESSVS. NA
TVS. REG. SERDICA. VI
CO. MAGARI. AVR. VICT
OR. ATFINIS. ET. AVR. ZOLONI
VS. EI. AVR. ZANTIALA
ET. AVR. GAIANVS
HERED. B. M. F. CR

Quod cùm ita scriptũ sit ex affinitate B, & V, literarũ apud veteres, placet ἐν τῷ παρέργῳ, paucas hîc de multis adscribere veterũ marmorũ inscriptiones, in quibus variè & B, pro V, legitur; & V, pro B.

1.

D. M
C. ALLIVS. ANENDETVS
FECIT. PATRONAE. B. M.
ET. S. ET. L. E. P. Q. EOR
ITEM. ALLIA. TATIAS
ADSIGNABIT. SE. VIBA
DOMITIAE. TVCHENAE
L. L. P. Q. EIVS

Romæ, in hortis Fabianini Montij. 2.

D. M
C. ANBIBIVS
HYMNVS. FEC
PETRONIAE
PVSCHENI
PATRONAE
B. M

R. Ad Cloacam D. Luciæ, in ædibus Podocatharorum. 3.

BATINIA. PRISCILLA
NYMPHIS. SACRVM

Ad D. Cæciliæ, Trans Tib. 17.

T. PIELLENVS. IANVARIVS
SE. VIBO. FECIT. SIBI. QVI
VIXIT. ANNIS. LXXXXVIII.

In Basilica Lateranensi 18.

D . M

SEPONIA. PROCLINA. CONIVGI
DVLCISSIMO. AVRELI. MERCVRIO
MEMORIAM. ISTAM. SE. VIBA
CONPARAVIT. SIBI. ET. SVIS. PO
STERISQVE. ITEM. LIBERTIS. LIBE
RTABVSQVE. EORVM. SIQVIS. AVTEM
ISTAM. MEMORIAM. EX. NVMERO
FILIORVM. SIBE. LIBERTORVM
DISTRAHERE. VOLVERIT. INF. AER
PP. R. I-S I N.

Vide & in Orthographia, Albei Tiberis, in, AFRICA, 9.
Et, Balcas, in, HAVE, 10.
Et, Benantia, in, CONIVX, 34.
Et, B, pro, Bixit, in, COIVX, 17.
Et, Bixit, in, KALENDAE, 17.
Et, Pontif. Flabial. in, PROCONSVL, 5.
Et, Iubentius; &, Iubentutis, in, LAEVA, 1.

Et Comis.

PILVMNO. SANCTISSIMO
GENIO. MVNICIPI. SACRVM
P. IVBENTIVS. ANCHARIVS II. VIR.

Et, Libius, in, CAECINA, 4.
Et, Serbus, in, PROCONSVL, 9.
Et, Sevibi, in, LICINIVS, 2.
Et, Sevibo, in, MAECIVS, 3.
Et, Sevibos, in, Q. 21. & 30.
Et, Sevibus, in, EPISTOLA, 8.

Romæ, in ædibus Atilij Delphinij. 1.

VNDIS. CYANEIS. DONVM. PLA
CAVILE. FECIT
CONDVCCIVS. BLANDAS. PER. A
QVAS. ARAM. VENERANDAM
HINC. ORITVR. PERGITQVE. FLV
ENS. DEINDE. OCCIDET. IN. SE
RIPAI. MOX. VIRIDIS. RENOVAN
TIBVS. INCLITA. NYMPHIS
NVMINE. FONTIGERO. GRATES.
EX. VNDIQVE. SOLVENS
SOSPES. CVM. COMITE. PRAE
STAT. RENOVANTE. LIQVORE

Ibidem. 2.

ΠΑΤΗΡ. ΧΑΙΡΕ.

D . M

AVREL. DIOGENETI
SACERDOTI. VENE
MERENTI. FECIT
AVRELIA. CAENIS
COIVX. CON. QVEM
VIXIT. ANNIS III

Ad D. Gregorij. 3.

ACONTIO

L. RANIO. OPTATO. C. V. COS
CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM. CVRAT
REI. P. NOLANO RVM. PROCOS. PROVINC. AR
NARBONENS LEGATO. AVG. ET. IVRIDIC
ASTVRIAE. ET CA LAECIAE. CVRATORI. VIAE
SALARIAE. CVR ATORI. REIP. VRVINATIVM
MATAVRENSIVM LEGATO. PROVINCIAE
ASIAE. PROPRAET. ORI. TRIBVNO. PLEBEI
QVAESTORI PROVINCIAE. SICILIAE

Prope Bisentium. 4.

VIRTVTI. VISEN
SACR
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QVINQ
MATERNVS. FRATRIS
SVI. H. C. ET. OB. DEDICA
TIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

Aruerni, Populi inter Celtas, finitimi AEduis, Biturigibus, ac Borbonienfibus, nec longè à Lemouicibus, nomen retinent. Ducatus est, cuius titulus Duci Borbonij adscribitur. In Francorum Regno siti. Hos memorat *Lucanus in primo*. pa. 11. & 18. & 81.

Ascibnrgum, Opidum Germaniæ, non longè à Rheno Fluuio, & eis eum inter Geldubam, & vetera Castra situm, Nusciæ, & Cleuensi Ducatui proximum, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*. Astypyrgion olim ab Vlysse, quorundam opinione, nuncuparum.

Atrebates, inter Belgas Populi finitimi Ambianis, Tornacensibus, & Morinis, partem Picardiæ continent. Ciuitas est, nomen adhuc retinens in Prouincia Rhemensi. Regem agnoscit. *Arras hodie*, vulgo nuncupatur. In hac laudatissima texuntur aulæa. pag. 21. & 45.

Auaricum, erat Opidum Celtarum maximum, munitissimumque, in finibus Biturigum, Agri fertilissima Regione ferè ex omnibus partibus Flumine, & palude perpetua circumdatū, trans Ligerim Fluuium, habens vnum & perangustum aditum, proximum Nouioduno, Opido Biturigum, ac Genabo Opidū Carnutum, & Velaunoduno Opido Senonum, in Francorum Regno situm, Burges, vel Viarons, *à Gallis appellatum*. pag. octuagesima tertia.

Auenticum, Heluetiorum caput fuisse, testis est Tacitus. Ammianus Marcellinus scribit, suis quidem temporibus desertam Ciuitatem, sed non ignobilem quondam, ex AEdificijs semirutis colligi. Hodie latè patentes ruinæ visuntur, & retinet patria lingua priscum nomen Auenche. *Vicus, in Agro, Vannatum*.

Auler-

Aulerci, Populi erant inter Celtas, Aeduorum clientes, de Ange *dicunt*, siue Rhoanum, pagina 104.

Aulerci, item Populi inter Celtas, ex Ciuitatibus maritimis Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur, proximi Rhedonibus, Sesuuijs, Curiosolitis, Osismis, Vnellis, Venetis, ac Cenomanis, in Prouincia Turonensi, & Francorum Regno siti, quos *nonnulli* Aurelianenses esse opinantur. Sed illi Prouinciæ sunt Senonensis. pag. 30.

Aulerci, item inter Belgas, proximi Eburonibus, Lexouijs, ac Velocassis. pag. 36.

Ausci, Populi in Aquitania, proximi Garumnis, Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, Cocosatibus, & Hispaniæ Citeriori, in Regno Francorum siti: quos *coniectura est* fuisse Auscitanos, seu Auxitanos. Ciuitas est Metropolis. Hi sunt Aquitanorum clarissimi, quorum vrbs opulentissima Heliumberrum, *vt refert Pomponius Mela*. pag. 38.

Axona, inter Belgas Fluuius est, in extremis Rhemorum finibus, quo pedibus vado transitus est. La Disne *vulgo* dicitur. In huius Fluminis transitu Germani ab insequentibus Gallis magnũ incommodum accepêre ferè 11 x. millibus passuum vltra Rhemos, Laudunensem, & Rhemensem Diœcesim partiens. *Gallicè* Aisne *nunc* dicitur, prope Opidum quod vocatur *Gallicè* Latonio. pagina 22. & 23.

B.

BACENIS, silua ingens trans Rhenum, Sueuos à Cheruscis pro natiuo muro diuidit: *nunc, vt opinio est*, Nigra silua dicitur, non longè à Friburgo oppido, & Badensi Agro, inter Athesim, Rhenum, Necharum, Moganum, & Danubium, Germaniæ Flumina, Herciniamque siluam, & Hassiæ, Regionis Germanicæ, montes. pag. 70.

Bataui, Populi inter Belgas. nam Mosa Flumen parte quadam ex Rheno recepta longè ferè ab Oceano LXXX. millibus passuum, quæ appellatur Vualis, Insulam efficit Batauorum, in Oceanumque influit. Hi *hodie, vt plerisque placet*, Hollandi dicuntur, Diœcesis Traiectensis, propinqui Phrysiæ, & Ducatui Geldriæ, ac Mari Oceano finitimi. Hos memorat *Lucanus lib. 1.* Hi à Cattis populis Transrhenanis, Cheruscis, & Ligijs Pannoniç Populis vltra Hercyniam siluam finitimis, Hermunduris orti dicuntur, & seditione domestica pulsi, extrema Galliæ oræ vacua cultoribus, simulq; Insulam inter vada sitã, occupauêre. Quam Mare Oceanum à fronte, Rhenus Amnis tergum, ac latera, circumluit, *vt refert Cornelius Tacitus*: dicens, apud Batauos fuisse olim Lucum sacrum, qui, *vt coniectura est*, hodie in finibus vici Haghæ ducis in Hollandia extat. nec longè, *secundum Tacitum*, est Insula, nomine Mona, vnde fortè Monachnm Opidum, vel Monasterium Ciuitas Episcopalis est. pag. 42.

Batauodurum, inter Coloniensem, & Traiectensem, vrbes Episcopales, locum vltra Nouesium, in finibus Ducatus Cleuensis situm, Rheno adiacentem, Belgis adscribendum, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Belgæ, Populi multarum Ciuitatum, Opidorum, ac locorum, Mari Oceano, Rheno, Matrona, & Sequana Fluminibus includuntur. Horum plerique orti à Germanis, Rhenum antiquitùs transducti, Gallos inde expulerunt. Hi moribus, legibus, & ornatu *nunc* sunt valdè culti, humani, & satis effœminati, continueque sunt apud eos Mercatores, quo per ætates commerciaq; mores hominum mutari constat. In his sunt Metropoles, Treuirensis, Coloniensis, Maguntina, Rhemensis, cum earum suffraganeis intra Oceanum Mare, ac eadem tria flumina constitutis. Item Brabantia, Flandria, Hollandia, Geldriæ, ac Phryſię pars, tota Picardia, Hannonia, Iuliacum, Virtutum comitatus, ac Campaniæ maxima portio, Sylua Arduenna vniuersa, cum singulis sibi adiacentibus, & ea inclusis Populis, ac locis: & plerque Principes, tum Profani, tum sacri, Ducesque, & Comites. Ciuitatesque, quarum multæ liberæ, suoque iure agunt, aliæ Francorum Regi obtemperant. Quod superest, Imperatoriæ partes sequitur. In his sunt tres Imperatorum electores, sunt & Francorum Regis, quos Pares vocant fermè omnes. Imperator certè, & Rex in Belgis coronatur, consecratur, & inungitur. alter Aquisgrani, alter Rhemis. Hos memorat *Lucanus in primo*. In his Belgarum clarissimi erant Treuiri, quorum vrbs opulentissima Augusta, *vt refert Pomponius Mela*, quæ *nunc* ignoratur. In Belgica autem à Iul. Cæs. vsque in tempus inclinãtis Imperij Legatum Romani diutius habuerunt. Nunc verò vice Proconsulum, & Legatorũ Romani Pontificatus Monarchia extat, & Legatos natos, & Primates habet, quibus subsunt Episcopi, ad instar Præsidis Prouinciæ instituti. Sunt & collectores, quos *Prisca Ætas* Quæstores appellauit, atque Reges, & Principes, qui, velut Censores, Decreta Pontificis Maximi, & Censuras teuerenter exequuntur. Huic singuli obedientiam exhibent, & ad eum in causis maioribus recurrunt, quas ad ipsum assiduè deferunt. pag. 2. & 21. & 22. & 23. & 123.

Belgium erat Bellouacorum Ciuitas magna, & inter Belgas authoritate atque hominum multitudine præstans, in qua Cæsar interdum hyemauit, ac plures Legiones eius aliquando illic in hybernis fuêre. nomen adhuc retinet. Dictum etiam videri potest Belgium, pro Belgarum Regione: vt *apud Liuium* Samniũ pro Samnitiũ Regione. pa. 57.

Bellocassi, Populi inter Celtas, proximi Lexobijs, quos, *opinio est*, esse Baiocenses. Eorum Ciuitas est Episcopalis in Prouincia Rotomagensi, Ducatu Normaniæ, & Regno Francorum sita. pag. 104.

Bellouaci, Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Rhemensi, ac Francorum Regno sita. *Hodie* Beauuoisin. pag. 23. & 24. & 97.

Betasios, Germanię Populos, inter Belgas, proximos

ximos Caninefatibus, Batauis, Tungris, ac Marsacis, Traiectenses superiores fuisse *coniectura est*, ad vtranque Mosæ fluminis ripam cis Rhenum sitos, in Diœcesi Leodiensi. Hos *Cæsar* non memorat, sed *Tacitus*.

Bibracte Opidum Æduorum in Celtis, longè maximum ac copiosissimum, & maximæ apud Æduos auctoritatis: in quo totius Galliæ Concilium Cæsar indixit, ius dixit, & sæpè hyemauit: In Francorum Regno situm, in formam ruris redactum: & in radicibus Montis, non longè ab Ædua ciuitate, positum, nomen retinet. pagina 8. & 96.

Bibrax, Opidum Rhemorum in Belgis, vltra Axonam Flumen, nec longè ab eo: quod Flumen in extremis Rhemorum finibus erat, & in eo Pons, in Francorum Regno situs: nunc Naui, interdum vado transijcitur. Portus priscum Opidi nomen Latinè retinet. pag. 22. & 29.

Bibroci, Populi in Anglia, Mari proximi, & Cassis, Ancalitibus, Trinobantibus, Cenimagnis, ac Segontiacis. pag. 55.

Bigerriones, Pop. in Aquitania, proximi Tarbellis, Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, & Hisp. Citeriori, in Franc. Regno siti, Comiti de Fuxo subditi. Vbi Comitatus est in Vasconia consistens. Nomen retinent, vbi Tursa est, & castrum Begora, & Episcop. Bicterensis Prouinciæ Narbonensis. Hinc profectus vir fortis Enequus nomine, Regnum Nauarræ constituit, pulsisque inde Mauris, successoribus suis Regnum per manus reliquit. pag. 38.

Bingiam, *nunc* Pingiam, Germaniæ Opidum Belgis adscribendum, inter Maguntiam vrbem, & Confluentiam Opidum, cis Rhenum, eius ripis finitimum, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Bituriges, Populi inter Celtas. Eorum fines ab Æduis, quorum erant in fide, Ligeris fluuius diuidit. proximi sunt Aruernis. XXI. vrbes eorum vno die incenderunt, vt Cæsarem commeatu, & pabulatione prohiberent. Ciuitas est Metropolis, retinens nomen. Carolus VII. qui, pulsis Anglis, Francorum Regnum restituit, cùm nihil fermè aliud esset, quod in Gallia retineret, occupantibus Anglis omnia, Bituricensis Rex in derisum appellabatur. In Regno Francorum sita. Hos memorat *Lucanus lib. 1.* pag. 81. & 109. & 110.

Blannonij, (Brannouij magis legitur) Populi inter Celtas, proximi Segusianis, Ambiuaritis, ac Æduis, quorum clientes erant: qui fuerunt fortè & Brannouices: qui dicuntur *à Gallis* de Blano. pagina 103.

Boij, Populi Transrhenani, Franconiæ, Alpibus Italiæ, Sueuis Australibus, ac Danubio Flumini proximi. Qui in Agrum Noricum transiuêre, Noriamque oppugnârunt, expulsis, *vt coniectura est*, Noricis: quorum Noricorũ adhuc pars, trans Danubium, non longè ab ortu eius, & Athesis Fluminis sita, Noricus Ager appellatus. Boiorum pars Æduis Cæsarem deprecantibus, deuictis Heluetijs, quorum in societate domo excesserant, in finibus Æduorum à Cæsare sunt collocati. Vbi Gergobiam, Ciuitatem exiguam, & infirmã, non longè ab Auarico, Opido in finibus Biturigum sito, eis per Æduos attributam, habitârunt: Boij primùm, post Boioatij, & nunc Bauari dicti. A finibus Herbipolensium per Noricum Agrum, vbi Nurimberga est opidum, in Medio ferè Germaniæ situm, in Augustenses protenduntur, cum quibus, & alijs finitimis Transrhenanis vsque ad Brissinam vrbem, & terras quas hodie Sigismundus, Austriæ Dux, possidet, ac in fines Tridentinos sæpè tunc, & continuè vsque nunc Heluetij Rhenum transeuntes bella gessêre. Hi Borbouij *hodie* dicuntur. pag. 3. & 10. & 82.

Bonnam, Opidum ad Citeriores Rheni ripas situm, & Coloniensi vrbi, ac Confluentiæ Opido proximum, inter Belgas numerandum, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Brannouices, Populi inter Celtas, Proximi Segusianis, Ambiuaritis, ac Æduis, quorum clientes erant. *Hodie*, la Moriane. pag. 103. Ijdem fortè, qui & Brannouij.

Bratuspantium, Opidum Bellouacorum Inter Belgas, finitimum Suessionibus, in Francorum Regno situm. pag. 24.

Brigantes, in Anglia Populos, Silurum gentem, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Britanniæ maioris, cui nomen est Anglia, pars interior ab his incolitur, quos natos in Insula *ipsi* memoria proditum dicunt. Maritima pars ab his, qui prædę, ac inferendi belli causa ex Belgis transierunt, qui omnes ferè his nominibus Ciuitatum appellantur, quibus orti Ciuitatibus peruenerũt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. Inde *opinio* est, eorum linguam ex Populorum diuersitate compositam, intellectu, scientiaq; loquendi difficiliorem esse, quodq; Germanus præ cæteris caros habeant, quia pleriq; Belgæ orti sunt à Germanis, qui antiquitùs Rhenũ transiuerunt, à quibus postea Angliæ pars maritima originẽ sumpsit. Hos *refert Lucanus* vltra Oceanum esse, & toto diseretos orbe. Continet tota Anglia Insula in circuitu bis ∞ millia passuum. Apud hos erat, & est magnus pecorum numerus. Hæc Insula Angliæ, Germaniæ Populis in eam Classe sæpius irruentibus, victis veteribus Colonis Anglorum terra dicta. Verùm partem eius, quæ magis ad Septentrionem vergit, Scoti, & ipsi Germani, Pictis adinistis, occupârunt, hodieq; tenent, Francis amicissimi, Anglorum Regi maximè semper infesti, Populi moribus inconditi, efferi. nullas propè vrbes habent. nemora, & siluas bellis ingruentibus petunt.

Bructeros, ex quibus fuit Velleda virgo fatidica, quæ Germanis, religione animos eorum occupante, aliquando præfuit, *vt auctor est Tacitus*, Germaniæ inferioris populos, Tenchteris, & Phrysijs proximos, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Cabillo-

C.

Cabillonum, Opidum Aeduorum, inter Celtas, quod, *coniectura est*, fuisse Opidum Cabillonem, ad ripas Araris Fluuij, vbi rei frumentariae, commercijque, & commeatus causa saepè Romani negotiabantur. Matiscone Opidum finitimum, in Prouincia Lugdunensi, Ducatu Burgundiae, & Francorum Regno situm, nomen retinens, Challons sur Saone. pag. 108.

Caderes, Populi inter Celtas, ex Ciuitatibus Oceanum attingentibus, quae Armoricae appellantur, proximi Lemouicibus, Rhedonibus, Venetis, Andegauensibus, Cenomanis, in Regno Francorum siti. pag. 104.

Cadurci, Populi inter Celtas, proximi Heleuteris, Gaballis, Vellaunijs, Lemouicibus, & Aruernis. Quorum sub Imperio esse consueuerant: Ciuitas Episcopalis, in Prouincia Bituricensi, ac Regno Francorum sita, nomen retinent. Hos memorat *Iuuenalis in prima Satyra. 3. lib.* Nec longè erant à finibus Prouinciae Romanorum. pag. 103.

Caletes, Populi inter Belgas, Morinis, Oceanoque Mari finitimi, ac Ambianis, ac Atrebatib. proximi. Ab his breuissimis in Britanniam (*nunc* Angliam) transiectus, nomen retinent. Motinensis sunt Dioecesis in Regno Francorū siti, Anglorum Regi subiecti. pag. 21.

Camulodunum, in Anglia Opidum, seu Colonia. Nihil de hoc *Caesar*, sed *Tacitus*: quem post Caesarem ferè c. & x x. annis Historiam scripsisse *constat*: praesertim *ex libro quem de Oratorum, & Poëtarum collatione edidit.*

Caninefates, Populos Batauis finitimos, & eandem Insulam colentes, qui, origine, virtute, lingua pares Batauis, numero superantur, non memorat *Caesar*, sed *Tacitus*.

Cantium, in Anglia, ad Mare est in angulo imi, minorisque lateris ex tribus eius Insulae lateribus contra Galliam, quo ferè omnes Gallicae Naues appellunt, & ad orientem Solem spectat. Ex omnibus autem Anglicis longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt. quae Regio est maritima omnis, neq; multum à Gallica differunt consuetudine. Huic maritimae Regioni i v. Reges praeerāt, quibus *Caesar*, quicquid in annos singulos vectigalis Populo R. Anglia penderet, cōstituit. Nunc Regio Angliae, ex voto Henrici Regis, vectigalis Romano Pontifici facta est, Quaestorque à Romanō Pontifice in Angliam mittitur, qui censum annuum exigat, non dissentiente Rege. In Cantio Ciuitas est Metropolis, nomen retinens. Ferè habet oēs Episcopos Angliae sibi suffraganeos. Eius Archiepiscopus Legatus natus est. Similiter & Eboracensis, cui in Anglia (quae eas duas Metropoles solū habebat) duo tantùm subsunt suffraganei, quòd omnes olim Episcopi Scotiae, quae nullū habet Archiepiscopum, illi subijcerentur. pa. 54. & 56.

Cantabri, Populi Ciuitatum Citerioris Hispaniae, finitimae Aquitaniae, qui auxilio fuerunt Vocatibus, Tarusatibus, Tarbellis, Bigerronibus, Garumnis, Cocosatibus, ac reliquis Populis, & Ciuitatibus Aquitaniae contra Exercitum Caesaris, cuius Dux erat P. Crassus, M. Crassi F. qui, vnà cum Patre, à Parthis interemptus est. Finitimi Oceano Aquitanico, Pyrenaeis Montibus, ac Garumnae Fluuio. pag. 58.

Catgali, Populi Transrhenani, in Galliam Celticam circa fines Sequanorum, ac Aeduorum ab Ariouisto, Germanorum Rege, transportati, quos non abre *opinari possumus*, eosdem fuisse eum Harudibus, ab ipso Rege similiter translatis.

Carnutes, Populi inter Celtas, Andegauensibus, Turonibusque finitimi, ac Oceano proximi, erant in clientela Rhemorum. Regio eorum totius Galliae media, à qua tamen extra Regnum Francorum biduo iter expedito patet. Ciuitas est Episcopalis, nomen Latinè retinens, in Francorum Regno sita. pag. 68. & 69.

Cassi, Populi Angliae, Mari proximi, & Cenimagnis, Trinobantibus, Segontiacis, Ancalitibus, & Bibrocis. pag. 55.

Cattos, Populos Germaniae, trans Rhenum Flumen, Ligijs, Hungariae Populis, Cheruscis, Hercyniaeque syluae proximos, ac Hermunduris, cum quibus pro flumine finitimo sale fecundo pugnabant, & in aeternum discordabant, non memorat *Caesar*, sed *Tacitus*.

Catuaci, Populi inter Belgas, Neruijs, Caletibus, Veromanduis, ac Condrusis proximi, quos fortè Douaci Opidi incolas, Dioecesis Atrebatensis, *opinari licet*. pag. 21.

Caturiges, Populi finitimi Centronibus, ac Garocelis, qua iter erat ab Alpibus Graijs ad Opidum Geneuam, Lacum Lemanum, & Rhodanum Fluuium, quos *verisimile est*, fuisse Dioecesis, vel saltem Prouinciae Tarantasiae, extra Belgas, Celtas, & Aquitanos. pag. 4.

Celtica, quae & Gallia *olim* à Romanis dicebatur, Vesontinam, Senonensem, Bituricēsem, Lugdunensem, Ciuitates Metropolitanas, earumque suffraganeas omnes inter Garumnam, Matronam, Sequanam, & Rhodanū Flumina sitas complectitur. In hac sunt Ducatus Bituricensis, Burgundiae, Borbonij Aruerniae, Aurelianensis, Valesij, à quo recentiores Francorum Reges à Philippo scilicet Valesio, cognominantur, & Normaniae, quoad citra Sequanam se extendit, Comitatus etiam Burgundiae, Niuernensis, Altissiodorensis, Montis Belicardi, Ferretensis, Carolotēsis, Matisconensis, Blesensis, Bellouacensis, de Iouigni, Principatus Auraesicae, multiq; alij, & pars Comitatus Campaniae. Celtarum clarissimi sunt Aedui. Horum vrbs opulentissima Augustodunum, *vt refert Pomponius Mela*, cui Gallica lingua alludit, Autum appellando. Cuius Celticae terminos, quoad R. Imperium in Gallis vignit, Rhodanus Fluuius praebebat, *vt nonnulli scripserunt*. Hi propriè Frāci *nunc* dicuntur. pag. 1.

Cenimagni, Populi in Anglia, Mari proximi, & Trinobantibus, Saguntiacis, Ancalitibus, Bibrocis, ac Cassis. pag. 55.

Centrones, Populi finitimi Garocelis, & Caturigibus,

rigibus,non longè à Vocontijs, & Allobrogibus erat, inter Alpes Graias, quæ *hodie* dicuntur Mons Cinerum, siue Cinesius, & vrbem Genenam, Lacumq; Lemanum, & Rhodanum Fluuium. Nunc autem Centrones, sunt Tarãtasij, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos, in Sabaudia. Ciuitas est Metropolis. Quidam & Centrones legunt. pag. 4.

Centrones, item Belgarum Populi, qui sub Imperio Neruiorum (*nunc* Tornacensium) erãt, proximi Grudijs, Leuacis, Pleumosijs, & Gordunis. Fortè sunt *nunc* Cortracenses, in Flandria, Tornacensis Diœcesis. pag. 4. & 61.

Ceracates, Germaniæ Transrhenanæ Populos, Vangionibus ac Tribocis proximos, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Chamauos, Germaniæ inferioris Populos, pridem Phrysię partem, Oceanum Mare, Rhenũ Fluuium, & Lacus attingentem, paludibus ac saltibus vberrimam Incolentes, quam mox Tubantes Populi, post Vsipij (Germanica itidem gens) inhabitârunt, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Cherusci, Populi Germani gente, nomine, & numero appellati: cis Rhenum Fluuium inter Belgas, Eburonibus, qui *hodie* Leodienses, & Condrusis proximi. Hos *coniectura est*, fuisse inter Populos Leodiensis Diœcesis.

Cherusci, Germaniæ Populi, Transrhenani, quos Bacenis, sylua Germanię ingens (*nunc* Nigra, *vt plerisq; placet*, dicta) à Sueuis pro natiuo muro diuidit. Hos *Tacitus refert*, proximos Hermunduris, Cattis, & Ligijs, Hungariæ Populis. pag. 70.

Cimbri, Populi Rhenum Fluuium trãseuntes, depositis (vbi posteà Aduatici incoluerunt) citra id Flumen impedimentis omnem Galliam vexando, & occupando, solis Bellouacis resistentibus, iterq; per Galliam, Prouinciam Romanorum, facientes, in Italiam contenderunt. Hos memorat *Lucanus lib.* 1. quos à Dacia, quæ Dania dicitur, venisse, *opinio est*. Hi Zelandiam *hodie* tenent. Zelandiq; nuncupantur. pag. 12. & 14. & 105.

Ciuaronem, Opidum proximum Hisaræ Fluminí, Vocontijs Populis, Montiq; Cinesio, & Allobrogibus in Sabaudia, non memorat *Cæsar*, sed *Plancus inter Epistolas familiares Tullij, in illa, quæ incipit: Numquam me hercule*. Quibus in locis, *opinio est*, Cæsarem, initio Gallici belli, v. Legiones ex Italia transduxisse: *& verisimilius est*, quàm quod per Eporediam, vrbem Episcopalem, & Augustam Prætoriam, ac Montem, cui Colonię iugum vulgo nomen est, inter Cinesium, & Sancti Bernardini Montes iter fecerit, cùm hoc impeditiùs ac prolixiùs videretur.

Cocosates, Populi in Aquitania, proximi Sibuzatibus, Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, Garumnis, ac Hispanię Citeriori, ac Garumnę Fluuio: in Francorum Regno siti. pag. 38.

Condrusi, Belgarũ Populi inter Eburones, (qui *nunc* Leodienses sunt) Segnos, & Treuiros, (quorum erant clientes) Menapijs, Mosę Fluuio, & Syluæ Arduennæ finitimi, gente, nomine, & numero Germani, apud quos est ad ripas Mosæ Opidum ab Antonino Pio, *vt quidam scribunt*, conditum, & Benefacta appellatum. nomen retinent. Diœcesis sunt Leodiensis, & vsque ad ciuitatis fere mœnia protenduntur, cuius Antistiti etiam subiacent, *nunc* Ducatui Luxenburgensi, ac Comitatui Namurcensi, & Mosæ Fluuio finitimi. pag. 21. & 75.

Confluens Mosę, & Rheni Fluminum in Sicambros (*nunc* Geldrenses) ad Menapios, (*nunc* Iuliacenses) vt olim se ipsi Menapij protendebant, est longè ab Oceano ferè L x x x. mille passibus, proximus Nouiomaglo, Geldrensium Opido, Diœcesis Traiectensis, Prouinciæ Coloniensis, inter Buscumducis, & Hœsdem, Opida Ducatus Brabantię: in quorum Sicambrorum fines equitatus Vsipetum, & Tenchtherorum post prælium, & fugam suorum se trans Rhenum recepit: inter quem Confluentem, & Coloniensem Ciuitatem (quæ post Vbiorum fuit) Ponte facto, *Cæsar*, primò transiecit exercitum. pag. 43.

Curiosolitæ, Populi inter Celtas, ex maritimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur, proximi Andegauensibus, Sesuuijs, Osissinis, Vnellis, Venetis, Aulercis, Rhedonibus. Hos Corisopitentes esse, *plerisq; placet*. Quæ Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Turonensi, Britanniæ Ducatu, Regnoq; Francorum siti: Cornonaille, *Gallis*. pag. 30. & 104.

D.

DA c i, Populi erant Transrhenani, Danubio Fluuio, & Anartibus, Syluæque Hercynię finitimi, quos olim Hungariæ partem habitâsse, *plerique* transdunt, & post in maritima loca Noruegiæ proxima cessisse. Lucanus lib. 2. pag. 73.

Danubius, Fluuius Germaniæ, ex Monte, qui *ab alijs* Iraneus dicitur, non longè à Rhæticis Alpibus, Athesisq;, & Rheni, Germaniæ Fluminũ, fontibus inter Tridentinam, & Curiensem Diœceses oriens, Germanos sinistra, & Hungaros, ac Teutones dextra alluens. Pòst Ister dictus, ac iterum Danubius, Euxino Mari pluribus ostijs immergitur. Hunc autem, & Rhenum Fluuium in Rætia oriri, *quidam* transdunt.

Diablintres, Populi inter Celtas, Lexobijs, Nannetibus, Ambiliatibus, Vnellis, Curiosolitis, Venetis, & Sesuuijs proximi, ex maritimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus, oppositi Angliæ, in Prouincia Turonensi, & Regno Francorum siti. Leondoul, *Gallicè*. pag. 34.

Diuodurum, inter Belgas Opidum Metensis Ciuitatis, quo ex Colonia vrbe Rhenum attingente, ad eam Ciuitatem iter est, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*. Fortè Theonis villa nunc dicta.

Duracij, Populi in finibus Pictonum, qui perpetuò in amicitia remanserãt Romanorum, propinqui Opido Lemoni, Aruernis, & Ligeri Fluuio, ac Aquitanis: inter Celtas, in Regno Francorum siti. Hinc Duraciorum Familia, inter Gallos pręcipua. Imò verò Duracius proprium viri nomen magis fuisse, ex Cæsaris textu colligitur. vide pag. 117.

Durocotorum (quod & Durocortum *legitur*: &,

Duro-

Durocortorum) Opidum Rhemorum, inter Belgas, in Regno Francorum situm. pag. 78.

E.

Eburones, Populi inter Belgas, gente, nomine, & numero Germani appellati, Condrusis, Menapijs, Aduaticis, Treuiris, quorum clientes erant, & sylux Arduennæ finitimi, *nunc* Leodienses dicti, *apud Gallos* Liege. Horum maxima pars inter Rhenum, & Mosam, qui scilicet Mosa Fluuius eos alluit. His Sicambri (qui Geldrenses erãt Transrhenani) sunt proximi. Ciuitas tunc Eburonum ignobilis, atq; humilis: proximi Oceano, & Syluis, continentesq; paludes habebant. His 2. Reges præerant, quo magis constat, eos fines quàm latissimos extitisse, quibus *coniectura est*, Ducatum Luxemburgensem, & Lotaringensem, ac Iuliacensis partem, & Comitatum Namurcensem, vrbemque Aquisgranum, vbi Imperatores primã ex more suscipiunt coronam, inclusos extitisse, ac quantum Diœcesis ipsa Leodiensis vsquequaq; se extendit, Reges illos possedisse. Apud Eburones autem stirpẽ Caroli Magni in vico, Lupilia nomine. Leodiensi Ciuitati proximo, ortum habuisse *tradunt*, Piplnosq;, & Carlomanos, Belgas, simulq; Germanos fuisse: sicq; in Germanos Cisrhenanos, qui Belgæ sunt, à *Græcis*, non in Transrhenanos est translatum Imperium. Ciuitas *nunc* est Episcopalis, Prouinciæ Coloniensis. Hos memorat *Lucanus in* 1. & *Suetonius in vita Iulij Cæsaris*, quem refert cladẽ Cottæ, & Aurunculeij ægerrimè tulisse. Hanc Ciuitatem Carolus Dux Burgundiæ vltimus, solo æquauit, omnesq; puberes, & sacerdotes interfecit, quod Episcopo consanguineo suo, infestiores aliquantò fuissent. pag. 21. & 41. & 61. & 76.

Eburonices, inter Celtas Populi, Auleteis, Lexouijs, Vnellis, & Curiosolitis proximi, ex Maritimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus. Hos *opinio est*, Populos esse Ciuitatis Ebroicorum, quæ est Episcopalis, in Prouincia Rotomagẽsi, Ducatu Normaniæ, & Francorum Regno sita. pag. 36.

Elauer, Fluuius inter Celtas, apud Aruernos, Gergoniam Opidum, in altissimo Mõte positum, præterfluens, qui ferè ante Autumnum vado trãsiri non solet, in Regno Francorum situs, nomen adhuc retinens: *Gallicè* Allier. pag. 89.

Essui, Populi pacatissimi, & quietissimi, proximi Ciuitatibus, quæ Armoricæ appellantur, remotiã Belgis vltra c. millia passuum. Hos inter Celtas fuisse *coniectura est*, fortè in Normania, aut Britannia Citeriore, & Regno Francorum siti, *Galli* Retelois appellant. pag. 56.

F.

Flustates, Populi in Aquitania, proximi Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, Garumnis, & Hispaniç Citeriori, in Regno Francorum siti, Comitatus est in Vasconia consistens, ad Comitem de Fuxo pertinens, nomen retinet *etiam nunc*. pag. 38.

Frisios, Oceano, & Batauis finitimos, plurasque loca, & Insulas circa Hollandiam, Geldriam, Brabantiam, & Traiectensem vrbem ac ostia, quibus Rhenus Oceanum Mare influit, habitantes, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*, referens, eos Transrhenanam gentem tunc fuisse.

G.

Gaballi, Populi inter Celtas, proximi Heluijs, & Cadurcis, Vellaunijs, & Aruernis, quorum sub Imperio esse consueuerant. Ciuitas est Episcopalis, Prouinciæ Bituricensis olim, *nunc* Atclatensis, in Regno Francorum sita, nomen retinens. pag. 99. 103.

Galli omnes in Septẽtrionibus sunt positi, Carnutum autem fines, regio totius Galliæ media. Galli virtute belli omnibus præferebantur, ac Germanos superabant, vt vltrò eis bella inferrent, & propter hominum multitudinem, Agrique inopiam trans Rhenum Colonias mitterent, & quod à Dite Patre se prognatos prædicabat, spatia totius temporis nõ numero dierum, sed noctium finiendo, ita vt noctẽ dies subsequatur. *Coniectura est*, Horarum initiũ apud eos media nocte incipere cõsueuisse. Apud hos sunt tres præcipuæ Ciuitates, Treuirensis scilicet, Coloniensis, & Maguntina, quæ in Imperatoris electione principatum obtinent. Constitutas autem apud Gallos eas, *coniectura est*, vt CHRISTI fortè fidem faciliùs introducerent apud Germanos, eorum finitimos. pag. decimaquinta.

Garites, Populi in Aquitania, proximi Auscis, Garumnis, Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, & Hispaniæ Citeriori, quos, *coniectura est*, fuisse Lacorites, *nunc* Lectorenses. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Auscitana, & in Vasconia, ac Francorum Regno sita. pag. 38.

Garoceli, Populi citra Rhodanum, finitimi Catnrigibus, vltra Alpes Graias, quibus *hodie* nomen est Mons Cinesius, siue Cinerum. Hac Hannibal, *auctore Liuio*, non sine ingenti difficultate, Exercitum in Italiam transduxit. Hi non longè à Centronibus, *qui* Tarantasij *sunt*, nec ab Hisara Fluuio extra Celtas, Belgas, & Aquitanos in Sabaudia constituti sunt. pag. 4.

Garumna, Flumen, Celtas ab Aquitanis diuidit, qui scilicet Aquitani consistunt inter illud Flumen, Montesque Pyrenæos, ex quibus oritur, & in Mare Oceanum influit, quod Aquitanicum appellatur. pag. 2. *Lucanus in* 1. *& Tibullus Eleg.* VII.

Garumni, Populi in Aquitania, proximi Auscis, Vocatibus, Tarusatibus, Sontiatibus, & Hispaniæ Citeriori, in Regno Francorum siti. pag. 38.

Gebenna, Mons, qui Heluios ab Aruernis separat, vt libro 7. Cæsar dicit. Distat autem hic Mons plurimùm à Geneua Opido. Meminit huius & *Plinius*. pag. 81. & 96.

Geldubam, Germaniç locum, prope Rhenum, Maguntinam, & Coloniam vrbes Metropolicas, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Genabum, inter Celtas, Carnutum Opidum, quod Pons Ligeris Fluminis continebat, proximũ Vellaunoduno, & Agendieo, Opidis Biturigum, in Regno Francorum situm. pag. 52.

Geneua, Opidum Allobrogum, proximum Helvetiorum finibus, ex quo Pons, super Rhodanum Fluuium situs, ad Heluetios pertinebat: Vbi à Lacu Lemano (quem Lausane *dicunt*) Rhodanus ad Ligusticum Mare profluit, finitimum Antuatibus, & à Gallia, Prouincia Romanorum, non longè distans: *Nunc* Duci Sabaudiæ, siue eius Ciuitatis Antistiti proprio Comitatus nomine subest: extra Celtas, Belgas, & Aquitanos. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Viennensi, nomen præsertim *Gallicè* retinens. Hanc memorat *Lucanus lib.* 1. pag. 3.

Gergobina, inter Celtas, Boiorum Opidum, quos Heluetico prælio victor Cæsar ibi collocauerat, Aeduisque attribuerat, *vt suprà descripsimus*, in finibus Aeduorum, proximum Auatico, & Nouioduno, Biturigum Opidis, in Regno Francorum situm. pagina octuagesima secunda. Vide, Boij.

Gergouia, in Celtis, inter Aruernos Opidum, secundum Flumen Elauer, in altissimo Monte positum, fortè *nunc*, Claromontensis, Ciuitas Episcopalis, in Prouincia Bituricensi, & Francorum Regno sita. pag. 80. & 89.

Germania, *vt plerisque placet*, Inter Danubium & Rhenum Flumina protenditur, omnesque illic habitantes Populos à Fontibus eorum vsque ad Maria, in quæ ambo influunt, complectitur, nec non & eos, qui Citeriores Rheni ripas attingunt, Eburones, Condrusos, Treuiros, Aquisgrani vrbem, & plerosque Belgas ortos à Germanis, cis Rhenum Flumen antiquitùs in Galliam transductos. Superior Germaniæ pars, quæ Alta dicitur, ab Alpibus Italiæ imminentibus vsque ad Maguntinam vrbem Rheni Fluminis Citerioribus ripis adiacentem protenditur: inferior ab inde vsque in Mare Oceanum. Horum ciuitates pro gloria habebant, finitimos longissimè expellere. pag. 72. & dein.

Gordunni, Populi inter Belgas, sub Imperio Neruiorum, proximi Centronibus, Pleumosijs, & Grudijs, Gantois *Gallicè*. pag. sexagesima prima.

Grinnes, inter Coloniensem, & Traiectensem vrbes locum vltra Nouesium Opidum Rheno adiacentem, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*: qui, *vt coniectura assequi possumus*, Cleuis est, *vnde* Cleuensis Ducatus dicitur, cui satis vocabulum alludit. Hinc Mater Ludouici XII. Francorum Regis, Maria nomine.

Grudij, Populi inter Belgas, sub Imperio Neruiorum, proximi Centronibus, Pleumosijs, & Gordunnis. *Gallicè* Lannois. pag. 61.

Gugernos, Germanię Populos, prope Rhenum Fluuium, & Geldubam, Batauis proximos, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*, *Sunt*, *qui* Cugernos malint.

H.

Hatudes, Populi Transrhenani sunt, in Galliam Celticam, circa fines Sequanorum, ac Aeduorum, ab Ariouisto, Germanorum Rege, transportati. pa. 11. & 13. & 19.

Hedui, Populi finitimi sunt Aruernis, Biturigibus, Sequanis, ac Sebusianis, inter Celtas. Hi adhuc nomen priscũ Latinè retinent, inter Burgundos *nunc* nominati. nec citra Ararim Flumen, (qui *nunc* Saona appellatur) aliquos habent fines, nec *hodie* sunt Sebusianis finitimi. In Ducatu Burgundiæ, & Francorum Regno siti. Ciuitas horum Aeduorum Episcopalis est, in Prouincia Lugdunensi. pag. 11. & alibi sæpè.

Heleuteri, Populi inter Celtas, proximi Cadurcis, Gaballis, Vellaunis, & Aruernis, quorum sub Imperio esse consueuerant, in Prouincia Bituricensi, & Regno Francorum siti. pag. 103. *Nonnulli* Helueteri corruptè legunt.

Heluetij, inter Celtas Populi sunt, bonitatem Agri habentes, finitimi Constantiensi, Basiliensi, Sedunensi, ac Geneuensi, & Vesontinæ Diœcesibus, ac vltra Lausanensem Agrum protensi, hique ex maxima parte Vesontinæ Prouinciæ sunt, atq; ad Sabaudiæ Ducatum extendebantur. Quorum fines erant in longitudine ab ortu Rhodani inter Curiensem & Sedunensem Diœceses, Montesque Brigam, & Sancti Bernardi, vsque ferè in Bellicensem Diœcesim, cuius Populi, *vt coniectura est*, *olim* Sebusiani sunt dicti. In latitudine autem à Monte Iura circa Basiliensem, & Constantiensem Agros, vsque ad ortum Fluminis Rhodani, quæ latitudo ab inde vsque in finem Lacus Lemani, vbi Pons est, & Ciuitas Geneuæ, augustior fiebat. Quibus limitibus adhuc XII. Heluetiorum Pagi, vt tempore Cæsaris consistunt. Berna caput nunc gentis, Suricum, Lucerna, Turegium, qui olim Pagus Tigurinus, Verbigenus, & cæt. dicebantur. qui, sæpè vltra Rhenum transeuntes bella cum Bauaris, Sueuis, & alijs Transrhenanis finitimis, (quos altos Alemanos *nominamus*) seu cum his, qui tunc loca illa incolebant, quæ *nunc* Constantiensis, Curiensis, Tridentinæ, & finitimarum sunt Diœcesiũ, gerebant. Hoseùm per Galliam, prouinciam Romanorum, transire prohibiti essent à Cæsare, angusto, & difficili itinere, vix qua singuli Carri ducerentur, per locа, vbi Claues, & Iougni Castella *nunc* sunt in extremis Sabaudiæ, & Burgundiæ finibus, in Sequanos, qui *nunc* Comitatum Burgundiæ habitant, penetrâsse creditur, & ad Ararim Fluuium circa Surregium, & Viredunum, Castella, id Flumen attingentia, ac in Aeduos, vbi *nunc* Ducatus est Burgundiæ, contendisse. Hi *à plerisque* Suitenses, *à nonnullis* Fœderati dicuntur: Agrosque, & vicos possidentin Italia citra Montem, qui Sancti Gotthardi dicitur, in Diœcesi Mediolanensi. Contra hos Cæsar suo, ac suorum equis amotis, se prælium commisisse *refert*, & eum VI. Legionibus, Equitatuque, & auxiliaribus copijs duobus prælijs, vno ad Ararim

rim Fluuium, altero in Aeduis, Heluetios ad c c c. l x i i i. millia, eorum, qui ferre arma poterant, fudisse: & tamen ancipiti prælio pugnarum diu, atq; acriter, vt toto prælio, cùm ab hora diei v i i. vsq; ad vesperam pugnaretur, auersum hostem nemo videre potuerit. Hi, cùm sæpè in Italiam erumperent, à Carmaniola, Duce Philippi, Mediolanensis Principis, prælio victi, intra fines se suos posteà continuêre. Nostra demùm ætate à Carolo i i x. Francorum Rege, in terra Italia cogniti, magnum sibi nomen comparauerunt, vt nullus peditatus melior esse censeatur. Quod superiore anno x x x. millia eorum à Venetis euocatis, (id, quod nunquam antè acciderat) fugatis ex Italia Gallis, multò magis comprobatum est. Atq; hoc anno fugatis eisdem ad Nouariam, per insidias castra nocte aggressi, magnum sibi nomen compa-rârunt. pag. 1. & 4.

Heluij, Populi inter Celtas, Aruernorum fines contingunt. Hos Mons Gebenna ab Aruernis diuidit. Proximi sunt Gaballis, Ruthenis, Cadurcis, Volcis, Arecomicis, ac Galliæ, Prouinciæ Romanorum. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Bituricensi, & Regno Francorum sita, *nunc* Albienses dicti. Hinc M. Tullij Ciceronis matrem ortam esse, *Eusebius & alij transdunt*. pag. 81. & 99.

Hercynia, Germaniæ Transrhenanæ Sylua est, fortè ab Hercyno, Monte Germaniæ, dicta, latissima, ac supra omnes alias longissima. Oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, ac Rauracorum finibus, rectaq; Fluminis Danubij Regione, pertinet ad fines Anartium, & Dacorum, quos *plerique* putant Hungariæ partem habitâsse. Hinc *constat* Nemetes, qui Spirenses *vocantur*, & Heluetios trans Rhenum fines tempore Cæsaris habuisse. Quæ sylua multò longior, atque latior est, quàm Italia, vel Gallia tota. pag. 73.

Hermunduros, Transrhenanos Germaniæ Populos, Ligijs, Hungariæ Populis, Cattisque, Cheruscis, ac Syluæ Hercyniæ, & vltra istam proximos, *memorat Tacitus*.

I.

IBernia, Insula est ad Hispaniam, Occidentemque Solem sita, qua medium Angliæ latus vergit: dimidio minor, (vt existimatur) quàm Anglia. Sed pari spatio transmissis a x x. millibus passuum in Iberniam appelles, vt in Britanniam. In hac sunt plures Metropoles, & Ciuitates Episcopales, quàm in Anglia. Eam *quidam* nominant Hirlandiam. pag. 54.

Icenos, in Anglia Populos, ab Ostorio, Romano Duce, subactos, *memorat Tacitus*, qui fortè Itij Portus accolæ fuerunt.

Iosedum, inter Celtas Opidum, Fluminis Sequanæ ripas citerioris attingens supra Melodunum Opidum ei finitimum, & Luteriæ, (quæ Parisiorũ est) proximum, non longè à Senonibus, in Francorum Regno situm. *Hodie* Corbeil nominatur, vt quidam existimant. pagina 98. vide Glareanum, in libro septimo Commentar. Cæsaris.

Itius, Portus inter Belgas, Morinis, Oceanoque Mari finitimus est, Ambianis, & Atrebatibus proximus, à Continenti Britanniæ (quam Angliam *dicimus*) x x x. millia passum distans, & transiectui commodissimus, cui ad dextram Zelandia Insula, Hollandia, & Flandria: ad sinistram autem, Comitatus, qui *dicitur* Põtus, Picardiæ pars, & Normandiæ Ducatus. Ex opposito verò Angliæ consistit. Oppidum est illic, populorum, quibus Caletum nomen est. Id adiecto Itij portus nomine, *vt quibusdam placet*, Calitium nuncupatur. Morinensis Diœcesis, in Regno Francorum, & potestate Anglorum Regis situm. Hunc Portum memorat *Lucanus in primo*. Dictus autem videtur Itius ab Itando, *vt innuit Paulus Æmilius lib. 7. de reb. gest. Franc.*

Iura, Mons, Sequanos ab Heluetijs diuidit: incipiens in finib. Basiliensium, ac Constantiensium, protensus ferè in Sebusianos, *nunc* Bellicenses, Prouinciæ Vesontinæ, qua Sequanorum fines in Rhodanum perueniunt. Illac enim Cæsarẽ ex Allobrogibus in Aeduos ad Ararim contra Heluetios Legiones transduxisse, *opinio est*: Ciuitates namque, Opida, & vici, sicut *olim* continebantur nominibus Populorum, ita vt plurimùm eisdem in *locis* remanserunt de illorum Diœcesibus, Prouincijs, Tribubus, ac Regionibus. pag. 3. & 4.

L.

LAtobrigi, finitimi Heluetiorum sunt, inter Celtas, non longè ab Allobrogibus, quos Lausanenses fuisse, *coniectura est*. Ciuitas est Episcopalis Prouinciæ Vesontinæ, in Ducatu Sabaudiæ sita, ac eius Proprio Antistiti subdita. pagina 3. & decima.

Lemanus Lacus, inter Celtas, quem Rhodanus influit, Galliamque, Prouinciam Romanorum, ab Heluetijs diuidit, qui *hodie* Lausannæ Lacus dicitur, per quem Rhodanus ad Pontem Geneuæ vrbis effluit. *Lucanus in* 1. pag. 2. & 4.

Lemouices, item Populi inter Celtas, ex Ciuitatibus Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur, proximi Vnellis, Venetis, Rhedonibus, Andegauensibus, Cenomanis, Lexouijs, in Prouincia Turonensi, Regnoque Francorum siti. Limosins, *Gallicè*.

Lepotij, Populi sunt Germaniæ, qui Alpes incolunt, inter Sedunensem, & Curiensem Diœceses. Hos, *quibusdam placet*, fuisse Sarmatas, apud quos Rhenus Fluuius oritur. Fortè *hodie* Suitenses dicti, inter Fontem Rhodani Fluuij, & Rætias Alpes siti. pag. 42.

Leuaci, inter Belgas, sub Imperio Neruiorum, proximi Grudijs, Pleumosijs, Gordunnis, & Centronibus: *Hodie*, Louanium. pag. 61.

Leuci, Populi finitimi Lingonibus, & Sequanis, (qui Burgundi sunt) ac Mediomatricibus, (qui Metenses *hodie dicuntur*) Belgis, attribuuntur, & Treuirensi Prouinciæ. *Hodie* Tullenses dicti.

Ciuitas est Episcopalis, In Lotariugia Regione. Hos memorat *Lucanus lib.* 1.pag.15.

Lexouij,qui & Lexobij,Populi inter Celtas,sunt proximi Osissinis. Nãnetibus,Ambiliatibus,Diablintribus, & Aulercis, ex Ciuitatibus Oceanum attingentibus. Hos *quidam opinantur*, esse accolas Ciuitatis Lexouiensis, quæ est Episcopalis in Prouincia Rotomagẽsi, Ducatu Normanniæ, & Francorum Regno sita. *Gallicè*, Lisieux. pagina 34. & 36.

Ligeris,seu Liger,Flumen nou longè ab Aeduorum finibus,in Celtis oriens, eos à Biturigibus diuidit, in Carnutes, diu per Celtas lapsus, multisque obliquis gyris Aquitaniam alluens, in Oceanum Mare, quod Britannicum *dicimus*, influit. Dignum memoria refertur à Philippo, qui secundus hoc nomine regnauit apud Gallos, vadum hic primum inuentum,cùm anteà numquam vado transire potuisset. pag.33.& 81.& 95. Huius Fluuij *meminit Tibullus Eleg*. VII. *Gallicè*, Loire dicitur.

Ligios, Popnlos in Hungaria, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*, proximos Hermunduris,& Cartis.

Lingones,inter Celtas Populi finitimi Aeduis, Sequanis,ac Tullensibus (*qui dicebantur* Leuci) nomen retinent. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Lugdunensi, ac Francorum Regno sita, Langres ab *Indigenis*. Hos *memorat Lucan. lib.primo*. Hinc Statium Poëtam,qui Thebaida,& Achilleida heroico versu scripsit, ortum *transdunt*: qnamuis Statij nomen Seruum significat, *vt scribit A. Gellius*. pag.10.& 15.& 42.

Londinum, Opidum in Anglia insigne, copia negociatorum, & mercatuum maximè celebre. non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*. Ciuitas est Episcopalis, in qua Angliæ Reges, Principes, Senatus, Populi,& Mercatores continentur,in Prouincia Cantuariensi sita.

Longobardos,Cheruscis,Cattis, Caucisq; propinquos, inferioris Germaniæ Populos, *Tacitus refert*: quos *nonnulli* Vvestfalos fuisse *opinantur*, non longè à Caninefatibus, ac Phrysijs. *Quidam* verò, eos Pannones fuisse *transdunt*. Hi sunt, qui cùm Italiam fermè omnem occupâssent per CC. & IV. annos,tandem à Gallis Rege Carolo pulsi sunt: ita tamen, vt Cisalpinæ Galliæ nomen ab his ad nostra tempora peruenerit.

Lucum, Municipium Vocontiorum, prope Caturiges, Garocelos, Centrones, & Allobroges, *Tacitus memorat*.

Lugdunum, vrbem ad Rhodani ripas, & Viennæ finitimam, *Seneca in Epistola ad Lucilium refert*, fatali igne suo tempore exustam: quam inter Celtas adscribere *quibusdam placet*: quoniam omnes eius suffraganei, & pars vrbis, Ecclesiaque ipsa matrix in Celtis sunt. Hinc Plotius, qui primus Romæ Rhetoricam docuit Latinam, ortus est: à quo Romæ se puerum, cum Q. fratre, Latinè primùm doctum esse, *Cicero refert*. Opidũ hoc Munarius Plancus condidit, sed annis post C. incensum Romani restituêre.

Lutetia, inter Celtas est, Prouinciæ Senonensi adscribitur, Opidum erat Parisiorum, positum in Insula fluminis Seqnanæ, quod perpetua Palus influit, proximum Bellouacis, Agendico Opido, ac Senonibus, ac Meloduno opido finitimum: *nunc* vrbem Parisiensem esse *dicunt*. Ciuitas est Episcopalis, in Francorum Regno sita, in quam Cæsar se Concilium transtulisse, & Patrum suorum memoria Parisios cum Senonibus Ciuitatẽ coniunxisse *scribit*. pag.68. & 96.

M.

MAgetrobia, locus in Celtis, in quo Ariouistus, Germanorum Rex, copias Gallorum prælio vicit, non longè à Paludibus: quem Rheno Flumini proximum, & circa ipsum fuisse, *coniectura est*. *Gallicè*; Toaut. pag.11.

Maguntiacus, inter Belgas Germaniæ Ciuitas Metropolis, quæ *nunc* Maguntina dicitur, citeriores Rheni ripas attingens *à Tacito* relata, qui etiam molem à Druso, ad remorandũ Rhenum Fluuium *refert*, & à Paullino Pompeio, Romanarum Legionum in Germania Duce, sub Nerone Imperatore perfectam.

Mandubij, Populi erant inter Celtas, incolæ Opidi, cui nomen Alexia, inter fines Lingonum, & Aeduorum, proximi vico, quem Flauignium *dicimus*. *Nunc* in Ducatu Burgundiæ, Regioneque Alsetum, ab Alesia, *vt quibusdam placet*, dicta, quibus vocabulnm alludit, in Diœcesi Aeduensi, & Regno Francorum siti. pag.102.& 105.

Marcodurum, Vbiorum vicus, procul à Rheni Fluminis ripa, & *vt coniectura est*, Transrhenanus. *Tacitus*.

Marcomani, Populi Germani sunt, qui cum Ariouisto, Germanorum Rege, à Cæsare sunt prælio superati, quos *coniectura est*, fuisse Transrhenanos. Sic & Harudes, & Ariouistus ipse Germani fuerũt, cuius ferè omnes reliquas copias cis Rhenum incoluisse videmus, vt sunt Triboci, (*hodie* Argentinenses) & Nemetes (*nunc* Spirenses) ac Vangiones (qui Vvormatienses *appellantur*) ac Sedusij, quos fortè Sedunos prope Montes Brigã, & Sancti Bernardi *opinari possumus*. nisi quis fortè Marcomanos *conijciat* eos esse, qui vallem Heluetijs finitimam incolunt, cui nomen est Marecomana, Sequanis, & Monti Iuræ proximam. Cum his Marcus Antonius, cognomento Philosophus, periculosissimum, & diuturnum bellum gessit. Tandem Christianorum precibus, qui pluuiam à DEO impetrârunt, cùm exercitus Romanus siti laboraret, victi, & in deditionem accepti. pag.19.

Marsacos, Germaniæ Populos, Batauis, Canlnefatibus, Tungrisque proximos, &, *vt coniectura est*, Cisrhenanos, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Matiscon, inter Celtas Opidum, tunc in Aeduorum finibus ad Ararim Fluuium, qui Saona *nunc* dicitur, inter Lugdunensem, & Canillonensem vrbes. Ciuitas est *nunc* Episcopalis, Prouinciæ

ciæ Lugdunensis, nomen retinens, in Comitatu Matisconensi, & Francorum Regno sita. pagina 108.

Matrona, Fluuius est, Celtas à Belgis definiens, in finibus Lingonum, & prope Tullensem agrum, nec longè à Fonte Mosæ Fluminis oritur, Catalaunum Ciuitatem Episcopalem in Campania Franciæ interfluens, per Francorum Regnum prorsus labens, parum supra Parisiensem vrbem Sequanę Fluuio miscetur. pag. 1.

Mediomatrices, Populi inter Belgas, finitimi Treuiris, Tullensibus, & Tribocis, (*hodie* Argentinensibus.) Hos Metenses esse *constat*. Ciuitas est Episcopalis, Prouinciæ Treuirensis. pagina 42. & 104.

Melodunum, inter Celtas Opidum, in Insula Fluminis Sequanæ positum, Agendico Opido, Senonibusque proximum, ac Luteriæ, (quæ *hodie* Ciuitas Parisiensis est) & Iosedo, ad ripas Sequanæ posito, finitimum. Olim Ciuitas Episcopalis erat, *nunc etiam* Opidum est in Francorum Regno, nomen retinens, *Gallicè*, Melun. pag. 96.

Menapij, Populi Galliæ, inter Belgas, Treuiris, Condrusis, Arduennæ syluæ, Rhenoque finitimi, densissimas syluas, perpetuasq; paludes, & ad vtrãque Rheni ripam, Agros, Aedificia, vicosq; habebant, proximi Vbijs, Eburonibus, & Sicambris, qui *hodie* Geldrenses sunt. Hi scilicet Sicambri, ad Confluentem Mosæ, Rheniq;, Oceanum etiã Mare attingunt. *nunc* Iuliacensis Ducatus est, Coloniensis Diœcesis: angustior satis, *vt videtur*, ac subductior, quàm pridem Menapiorum fines essent. pag. 21. & 34. & 38. & 49.

Metiosedum, *Vide*, Iosedum.

Mœsios, trans Danubium Flumen Populos, Pannonibus finitimos, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Mona, Insula est, sic nominata, in medio cursu inter Angliam, & Iberniã, ferè ab vtraq; xv. millia passuum distans, ad Occidentem vergens, circa quæ loca etiam complures minores subiectæ Insulæ esse existimantur: vbi multò breuiores sunt noctes, quàm in Continenti: sicut etiam, quanto magis ad Occidentem vergimus, breuiores æstate noctes, & hyeme longiores *manifestè videmus*. pagina 54.

Monam Insulam in Rheno Fluuio Hollandiæ, Phrysiæ, ac Geldriæ proximam, vnde fortè dicti sunt Monasterienses, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Morini, Populi sunt inter Belgas, Atrebatibus, Ambianis, Neruis, Oceanoque Mari finitimi, à quibus breuissimus in Britanniam, *nunc* Angliam, est transiectus. continentes syluas, & paludes habebant, eorum finibus comprehenditur Comitatus, cui nomen est Pontus, ad Abbatiam Sancti Bertini directo iure pertinens, veteri nomine Ponti, quo Regio illa à plerisque describitur. Ciuitas est Episcopalis, quæ *Latinè* nomen retinet, *Gallicè*, verò Teruana nuncupatur, in Prouincia Rhemensi, & Regno Francorum sita. pagina 45. & 49.

Mosa, Flumen, profluit ex Monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, in Francorum Regno, non longè ab ortu Matronæ, & Araris Fluuiorum: & parte quadam circa Noniomagum Ducatus Geldriæ Opidum, longè ab Oceano ferè LXXX. millia passuum, ex Rheno recepta, quæ appellatur Vualis, Insulam efficit Batauorum, (qui *hodie* Hollandini dicuntur) Oceanumque influit; & sic in Celtis oriens, immergitur Belgis. pagina 42.

Mosellam, Fluuium, qui circa fines Lingonum in Celtis oriens, Metensem, ac Treuirensem vrbes præterfluit, & Confluentiam, Germaniæ Cisrhenanæ Opidum, interfecat, illicque Rhenum influit, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*: *referens*, L. Verum, Nerone imperante, Romanarum Legionum in Germania Legatum, Mosellam, atque Ararim Flumina, facta inter vtrunq; fossa, parâsse connectere, vt copiæ per Mare, dehinc Rhodano, & Arare subuectæ per eam fossam, mox Flumine Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatisque itineris difficultatibus nauigabilia inter se Occidentis, Septentrionisque litora fierent: cui operi Aelium Gracilem, Belgicæ Legatum, inuidisse dicit: deterrendo Verum, ne Legiones alienæ Prouinciæ assuescerent, studia Galliarum affectare, formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerunque prohibentur conatus honesti. *Tacitus lib.* 13.

N.

NAbaliæ, Flumen trans Rhenum, Geldrensem, & Phrysium Agrum alluens, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Nannetes, Populi inter Celtas, Osissinis, Lexobijs, Ambiliatibus, Diablintribusque proximi, ex maritimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus, oppositi Angliæ. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Turonensi, ac Britannia Citeriore Britonante, & Regno Francorũ sita, nomen retinens, & Comitatus titulum habens, qui semper Ducis Britanniæ Primogenito adscribitur. Nantes *hodie* dicti. pag. 34.

Nantuates, qui *à quibusdam* Antuates dicuntur, Populi Germaniæ, citra Rhenum Fluuium, per quorum fines longo spatio, quasi ab ortu suo, Rhenus ipse citatus fertur, proximi Heluetijs, ac Sequanis. Hos Constantienses *nunc* esse, satis constat. Ciuitas est Episcopalis Maguntinæ Prouinciæ. pag. 31. Nantuatum *meminit Plinius lib.* 3. *cap.* 20. *& Strabo lib.* 4.

Narbona, Galliæ Ciuitas, Prouinciæ Romanorum, finitima Tolosatibus, & non longè à Sontiatibus, Populis Aquitaniæ. Ciuitas est Metropolitica, nomen retinens. In hanc cùm C. Cæsar Dictator Colonos ex Martia Legione Milites deduxisset, Martius Narbo posteà dictus est. pag. 37. & 81. & 122.

Nemetes, Populi Germani, inter Belgas numerantur, finitimi Metensibus, Argentinensibus,

Vuormatiensibus, & Rheno Flumini, ferè omnes Germanica lingua vtentes. Ciuitas est Episcopalis, Prouinciæ Maguntinæ, Alsatiæ adscribitur, *nunc* Spirensis dicta. Est & alia Alsatia maritima prope Insulam quandam Phrysiæ. Alsatia autem, in qua Spira & Argentina Ciuitates consistunt, *vt quidam opinantur*, nomen indidit Regioni illi Ducatus Burgundiæ, in qua Alsatum Regio est sita. atq; id nomen ab Alexia olim Opido dictum putant, quasi Ariouistus, Germanorum Rex, qui Alsatiæ præerat, id ei nomen imposuerit. pag. 19.

Nemetocerna: in Belgio, vbi interdum hyemauit Cæsar, Inter Belgas, dicta fortè à Nemetibus, *nunc* Spirensibus. pag. 123.

Neruij, Populi inter Belgas maximè feri, Arrebatibus, Ambianis, Aduaticis, Morinis, Vellocassibus, Veromanduis, ac Treuiris finitimi. A Bellouacis longè absunt, quos Sabis, & Scaldis Flumina irrigant. Nullus ad eos Mercatoribus aditus erat, nihil vini, reliquarumque rerum, ad luxuriam pertinentium, patiebantur inferri, ne eorum animi elanguescerent, virtusque remitteretur, magnæ virtutis homines maius in discrimen, quàm vsquam in tota Gallia, Germania, aut Britannia fuerit, vniuersum Cæsaris Exercitũ deduxerunt: ita, vt Neruiorum prælio rem in angusto vidisse, neq; vllum fuisse subsidium, quod submitti posset, & scuto à nouissimis vno Militum detracto in primam Aciem se processisse, quod solum in extrema spe salutis Imperatori licet, Cæsar ipse testetur, *nunc* Tornacenses dicti. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Rhemensi, & limitibus Francorum Regni sita. pag. 25. & alibi sæpè.

Nitiobriges, Populi inter Celtas, proximi Ruthenis, & Gaballis, ac Narbonensibus, Galliæque Prouinciæ Romanorum, & Bituricensi Prouincia, & Francorum Regno siti. Montpellier *hodie à Gallis dictum*, pag. 81. & 89.

Noricus Ager, trans Rhenum, non longè Danubio, & Athesi, Germaniæ Fluminibus, intra Tridẽtinam, ac Constantiensem, & Curiensem Diœceses, satis proximus Bauaris, ac Sueuis, qui Vallis Norica *appellatur*, in quem Boij, oppugnata Norica, transierant. Inde *Tacitus* affirmat, quòd Noricos, Rætosque Rhenus Fluuius interfluit, quibus Rętis Lepontij fuêre proximi. Noriberga *nunc à Germanis*. pag. 3.

Nouesium, Opidum Germaniæ, *nunc* Nussia dictum, Coloniensis Diœcesis, Rheno Fluuio, & Clenensi Ducatui proximum, citerioris Rheni ripas attingens, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Nouiodunum, inter Belgas Opidum, finitimũ Suessionibus, & Veromanduis proximum Parisijs: *nunc* Ciuitas Episcopalis, nomen retinens, in Prouincia Rhemensi, & Francorum Regno sita. *Gallicè*, Noyon.

Nouiodunum, item Celtarum Opidum vltra Ligerim Fluuium, in finibus Biturigũ, proximum Auarico, Biturigum opido, ac Genabo, Carnutum opido, & Vellaunoduno, & Agendico, Senonum opidis, in Regno Francorum situm.

Nouiodunum, item inter Celtas Aeduorum opidum, ad ripas Ligeris Fluuij, proximum Bibracti, opido Aeduorum, in eorum finibus, & Francorum Regno situm. pag. 24. & 82. & 83. & 95.

O.

OCelum, (quod & Oscellum, seu Oscella) est Citerioris Prouinciæ extremũ, à quo per Alpes in vlteriorẽ Galliam, Centronesque, (*nunc* Tarentasios) ad Garocelos, Caturiges, Vocontios, & Allobrogas transitus est, Auillanæ, & Seclusæ vicis proximum. *nunc, vt coniectura est*, Nonclesium nuncupatur. Seclusa autem, *vt nonnullis placet*, dicitur quasi Citeriorem Galliam ab vlteriori secludens. Diœcesis est Taurinensis. Tres enim Legiones in Aquileia hyemantes poterat Cæsar per Ræticas, vel Lepontias Alpes breuiùs vltra Montes, & in Agrum Heluetiorum eundo Tridentum transducere, sed intendens in vlteriorem Galliam ad comprimendum Heluetiorum agmen, iam in Agro Aeduorum consistentium proficisci, *vt opinio est*, in Agrum Cremonæ paulò antè ædificatæ, dehinc Placentiam, & Taurinum peruenit, qua proximum iter in vlteriorem Galliam erat, per Alpes Legiones transducturus. pagina quarta.

Octodorus, vicus Veragrorum, *hodie* dicitur Sancti Mauritij, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos, in Sabaudia, inter Sedunos, Antuates, & Allobrogas, in valle non magna adiecta planicie, altissimis montibus vndique continetur, in duas partes Rhodano Fluuio diuisus, Diœcesis Sedunensis. pag. 31.

Ordouices, Populos in Anglia, Arduis Montibus proximos, apud quos Ostorius, Dux Romanus Caractacum in Anglia impetantem prostrauit, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Osissini, Populi inter Celtas, ex maritimis Ciuitatibus, Oceanum attingentibus, proximi Lexobijs, Vnellis, Nanetibus, Venetis, Ambiliatibus, Diablintib. Curiosolitis, Sesuuijs, Aulercis, Rhedonibus, inter Ciuitates Armoricas nominantur, in Prouincia Turonensi, Regnoque Francorum siti. Horum Litora Britannico sunt Mari aduersa, *vt refert Pomponius Mela*. pag. 30. & 34.

P.

PAEmani, Populi inter Belgas, nomine, & numero Germani appellati, Eburonibus, Condrusis, Cheruscis, proximi. Hos, *coniectura est*, fuisse inter Populos Diœcesis Leodiensis. pagina 21.

Pannones, trans Danubium Fluuium Populos, quos Hungaros *dicimus*, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Parisij, Populi inter Celtas, qui Senonensi Prouinciæ attribuuntur, Senonibus, Bellouacis, & Agendico Opido proximi, ac Meloduno Opido finitimi. Lutetiam habẽt Opidum, quam *nunc* Pari-

siensem

siensem Episcopalem vrbem inhabitant, positam in Insula Fluminis Sequanæ, quod perpetua palus influebat, in Regno Francorum siti. pag. 68.

Petrocorij, quos Petragorios *dicimus*, Populi in Aquitania, proximi Pictauis, ac Santonibus. Eorũ Ciuitas est Episcopalis, nomen retinens, in Prouincia Burdegalensi, & Francorum Regno siti. pagina 104.

Pictones, Populi inter Aquitanos, Santonibus, Engolismensibus, & Petragorijs proximi. Eorum Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Burdegalensi, Regnoq; Francorum sita, nomen retinens, Comitatus titulo insigniti. Non longè ab his, Philippus Valesius, Gallorum Rex, ab Edouardo, Britanniæ Rege, memorabili pugna victus est. Poictiers, *Gallorum lingua*. pag. 117.

Pleumosij, Populi inter Belgas, sub Imperio Nertiorum proximi Gordunnis, Leuacis, Grudijs, ac Centronibus, in Diœcesi Tornacensi siti. Flamingi, *vulgò* pag. 61.

Prætiani, Populi in Aquitania, proximi Bigerrionibus, Vocatibus, Tarusatibus, & Hispaniæ Citeriori, in Regno Francorum siti. pag. 38.

Primigenos, in Anglia Populos, Antonæ, & Sabrinæ Fluminibus propinquos, Socios aliquando Romanorum, memorat *Tacitus*. *Nunc in Tacito, lib.* 12. legas, Quod primi Iceni ab, &c.

Prouincia Gallia Romanorum, finitima erat Rhodano Fluuio, qui eam à Celtis diuidebat, ac Mari Ligustico, & Alpibus, quas Maritimas *dicimus*, & Allobrogibus, quibus limitibus etiam Delphinatus pars, ac Prouinciæ, seu Metropoles Ebredunensis, Tolosana, & Narbonensis, pro parte includebantur: licet Viennam Vrbem *Strabo* Allobrogibus adscribat. pag. 2. & 105.

Pyrenæi, Montes altissimi, maximiq; diuidunt vlteriorem Hispaniam ab omni Gallia. pag. 2.

R.

RAuraci, Populi finitimi erant Heluetiorum, inter Celtas, proximi Rheno Flumini, in Prouincia Vesontina, quos esse Basilienses, *coniectura est*, quia per Heluetiorum, & Sequanorum fines Rhenus profluit, & ipsis Sequanis adscribuntur. Ciuitas est Episcopalis, quam Rhenus ipse intersecat. Bernenses *appellantur*. pag. 3. & 104.

Rhedones, Populi inter Celtas ex Ciuitatibus Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur, proximi Aulercis, Sesuuijs, Curiosolitis, Osismis, Vnellis, Venetis, Andegauis, Cenomanis. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Turonensi, & Francorum Regno sita, nomen retinet, in Britanniæ Ducatu consistit. pag. 30.

Rhemi, inter Belgas proximi Celtis: fratres & consanguinei, proximiq; Suessionibus, cum quibus eodem iure, & ijsdem legibus vtebantur, vnũ Imperium, vnumque magistratum cum eis habentes: finitimi quoque Veromanduis, Treuiris, Metensibus, Catalaunensi, & Laudunensi Diœcesibus, ac Syluæ Arduennæ. Ciuitas est Metropolis; cuius omnes suffraganei sunt in Belgica: nomen retinens: in qua Francorum Rex vngitur, & consecratur, in Regno Francorum sita. pag. 21. & 22.

Rhenus, Germaniæ Fluuius, non longè à Danubij, & Rhodani Fluminum fontibus, & ferè in medio eorum oritur ex Lepontijs, qui *à nonnullis* Sarmatæ dicti, Alpes incolunt, inter fines Diœcesium Curiensis, & Tridentinæ, non longè ab Italia, longoq; spacio per fines Nantuatium, (qui *hodie* Constantienses esse creduntur) Heluetiorũ, & Sequanorum, (ex quibus sunt Basilienses) & Comitatus Ferretensis, Mediomatricum, (*hodie* Metensiũ) qui tunc vsque ad Rhenum extendebantur, Tribocum, (*nunc*, Argentinensium) & Treuirorum citatus fertur. ac, vbi Oceano proximus est, in plures diffluit partes, multis, ingentibusque Insulis effectis, quarum tres ferè à Phrysijs, ac reliquæ à Sicambris, *nunc* Geldrensibus, & Hollandis (qui *olim* Batauj dicebantur) ac à quibusdam feris nationibus incoluntur. *Sunt* etiam, *qui* hunc & Danubium in Rætia oriri tradidant, & non longè à locis, vbi vina Ortrinasca nascuntur. Rhenus igitur non attingit Sequanos, (*hodie* Burgundos) nisi à finibus Heluetiorum, circa Basileam, vsq; in fines Argentinensium. Basilea enim comprehenditur inter Sequanos, & suffraganea est Vesontinæ Metropolis. Inde est, quod reliqua pars Fluminis Rheni ab eius ortu circa Curiensem Diœcesim Prouinciæ Maguntinæ vsque in fines Basiliensiũ circa ipsum Flumen tota ad Heluetios pertinebat: qui, veteres R. in militaribus signis imitati, capita Boum, Aprorum, Vrsorum, & similium in vexillis suis depingere consueuerunt. pag. 42. & 43. & 44. & 45.

Rhodanus, Fluuius, Sedunos, Veragros, Allobrogas, & Galliam Prouinciam Romanorum, à Celtis dispartiens, oritur non longè à Danubij, & Rheni, Fluminum, fontibus, circa fines Diœcesis Sedunensis, prope Montem, cui *nunc* Briga nomen est: &, ad Sedunum, Germaniæ vrbem, decurrẽs, vicum Veragrorum, qui *hodie* Sanctus Mauritius dicitur, intersecat: Lacuique Lemano, quem *Accolæ* Lausanensem *nominant*, admistus, & ad Pontem Geneuæ vrbis eundem Lacũ egressus, in Lugdunum, Viennam, aliasque vrbes, & insignia loca ad Volcas, *nunc* Auenionenses, prolapsus, Ligusticum Mare tribus ostijs influit. Rhosne, *Gallis hodie*. pag. 2. & 3. & 12.

Rigodulum, locum inter Belgas, supra Mosellam Fluuium, non longè à finibus Treuirorum editum, vbi Petillius Cerialis, Romanus, copias Treuirorum, & Germanorum, magis casu, quàm prudentia, fudit, proximum Metensium finibus, Montibus, & Mosella Fluuio sæptum, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Rutheni, Populi Prouinciales, non longè ab Aruernis, & Santonibus, Narbona ac Tolosa, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos. Eorum Ciuitas est Episcopalis, nomen *Latinè* retinens, in Prouincia Bituricensi sita. Hi Comiti Armeniaci subijciuntur, & Rhoderz dicti. Hos *Lucanus in primo* memorat. pag. 17. & 81. & 99.

S.

SAbis, inter Belgas Flumen, Neruios irrigat, & Mosam Fluuium, penes Condrusios, seu Namurcium, opidũ Leodiensium, influit. *Hodie* Sambram *vulgus nominat*. pag. 25.

Sabrinam, in Anglia Fluuiũ, *Tacitus* memorat.

Samarobrina, locus inter Belgas, vbi Cæsar Gallorum Concilium indixit, & aliquando hyemauit, ac impedimenta Exercitus, Obsides Ciuitatũ, Literasque publicas, ac Frumentum reliquit. Hanc Cameracensem esse vrbem, *quibusdam placet*. Sabis enim Fluuius eam interfluit, & his *Gallica lingua* satis alludit vocabulum: estque ferè locus ipse in medio Belgarum situ, fertilis, ac solo opportuno constitutus. Ciuitas est Episcopalis, & Imperialis, Prouinciæ Rhemensis, forsan ab Eburouicibus, Populis Ciuitatum, Oceanum attingentium, quæ inter Celtas erant, orti: vel à Segnis, Belgarum Populis. In hoc Opido v. abhinc anno, fœdus inter omnes Christianos Principes, ad internecionem Veneti nominis, ictũ est, auctore Pontifice Iulio II. quod Cameracense ab opido dictũ est. Sunt tamen, qui Sancti Quinctini opidum malint. pag. 56. & 63. & 65.

Santones, inter Aquitanos Populi, finitimi Tolosatibus, & propinqui Petrocorijs, Engolismensibus, Pictauis, ac Galliæ, Prouinciæ Romanorum, Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Burdegalensi, in Francorũ Regno sita, nomen retinens. pag. 4.

Sarmatas, Germaniæ Populos, qui contra Sueuos Vannio, Sueuorum Regi, ab eis expulso, opem tulēre. *Tacitus refert*.

Scaldis Flumen, inter Belgas, Mosam influens, in extrema parte Arduennæ syluæ, nec longè ab Aduaticis, Neruios, & Tornacensem vrbem intersecat, nomen retinens. pag. 75. vbi Sabini *legendum putant*, non Scalden, quod ille in Mosam influit, iuxta Namuram: hic, non item.

Sebusiani, Populi inter Celtas, extra Galliam, Prouinciam Romanorum, trans Rhenum Fluuiũ primi, Allobrogibus, Sequanisq́; ac Aeduis, quorum erant clientes, finitimi, inter Lausanensem, & Lugdunensem Diœcesim sitæ, quos Bellicenses esse, *coniectura est*. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Vesontina Duci Sabaudiæ subdita, siue eius Antistiti. Per horum fines, ad loca, vbi nunc viens, cui Sanctus Amor nomen est, in Comitatu Burgundiæ, ac rectà ad Ararim, qui *nunc* Saona dicitur, vbi Pagum Heluetiorum Tigurinum deleuit, Cæsar peruenit circa Viredunum, & Turegium Castella illius Fluminis Citerioris ripas attingentia. pag. 4. & 99.

Sedusij, vel Seduni, Populi Germaniæ, si pro Sedunum vrbem incolentibus capiantur, *vt coniectura est*, Heluetijs & pro parte Celtis annumerantur, vel saltem eis sunt finitimi, ipsosq́; Rhodanus fluuius irrigat. finitimi etiã sunt Veragris, inter Montes, quibus *nunc* Briga, & Sancti Bernardi nomen est, non longè ab Antuatibus, & Allobrogibus, *Germanica* lingua ex magna parte vtentes. Ciuitas est Episcopalis, Tarentasiæ *Latinè* nomen retinens: in cuius finibus Rhodanus oritur: nec longè ab eis, versus Curiensem, & Tridentinam Diœceses, Rhenus exoritur. pag. 19.

Segni, inter Belgas Populi, ex gente, & numero Germanorum, Condrusis finitimi, qui ambo Populi sunt inter Eburones, & Treuiros, Comitatui Namurcensi, Arduennæ syluæ, & Ducatui Lucemburgensi, Mosæq́; Fluminí proximi, nomen retinent. Eorum opidum Diœcesis Leodiensis, illius Episcopo subijcitur. pag. 75.

Segontiaci, Populi in Anglia, Mari proximi, & Cassis, Bibrocis, Trinobantibus, Cenimagnis, & Ancalitibus, *nunc* fortè Eboracenses dicti, cui satis alludit vocabulum. Ciuitas est Metropolis. pagina 55.

Senones, inter Celtas, finitimi Belgis, Parisijs, ac Carnutibus, fuerant antiquitùs ante Cæsarem in fide Aeduorum. Ciuitas est Metropolis, cuius omnes suffraganei sunt in Celtica, in Regno Francorum sita, retinens nomen. quam in Burgundia sitam *vulgus* vocitat. Forsan enim id inoleuit à primis Burgundionum Regibus: quos Senones, Lugduni, ac Viennæ post natum CHRISTVM per multa secula regnâsse in Celtica, *plerique transdunt*. pag. 68.

Sequana Fluuius prorsus in Francorum Regno, Celtas, postquam Matrona Fluuius sibi immistus est, à Belgis definiens. Oritur prope fines Aeduensis, ac Lingonensis Diœcesium, in Ducatu Burgundiæ, in Alteri Regione, non longè à vico Abbatiæ, & Monasterij Sancti Sequani: ac per Trecensem Agrum, & Parisiensem vrbem delapsus, Rotomagum Ciuitatem, & Mare Oceanum influit, nomen adhuc retinens. pag. 1.

Sequani, Populi inter Celtas, *hodie* Burgundiæ Comitatum incolentes, quos à Gallia, Prouincia Romanorum, Rhodanus Fluuius diuidebat, finitimi Heluetijs, Aeduis, Lingonibus ac Rheno: per fines Comitatus, *nunc* Ferretensis, nihil, *vt videtur*, de his, quæ in Ducatu Burgundiæ sunt, tunc possidentes, quod illa omnia speciali nomine Aeduis, & Lingonib. adscriberentur, nec illi dicerentur Sequani, sed hi solùm, qui à Rhodano prope Bellicensis vrbis Diœcesim, vsque ad Vesontinam Ciuitatem maximam Sequanorum, & abinde vsque in fines Comitatus Ferretensis, ac Diœcesis Argentinæ, Rhenumq́ue Fluuium protendebantur. Inter quos Fluuios Rhodani, & Rheni per Ciuitatẽ illam Vesontionem, quæ quasi in medio est, v. dierum iter expedito patet finibus ijsdem. Vltra quoque Ararim Fluuium, non longè post eius ortum, Sequanorum fines, quos ipsa Vesontina Diœcesis complectitur, protendi videbantur. pagin. 4. & 12. & 70.

Sesuuij, Populi inter Celtas, ex maritimis Ciuitatibus, Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur, proximi Aulercis, Curiosolitis, Rhedonibus, Osissinis, Vnellis, & Venetis. Hos *quidam* putant esse Exisinos, quæ Ciuitas est Episcopalis Prouinciæ Turonensis, in Regno Francorum sita. pag. 30.

Sibut-

Sibutzates, Populi in Aquitania, proximi Garumnis, Auſcis, Vocatibus, Taruſatibus, Cocoſatibus, & Hiſpaniæ Citeriori, in Francorum Regno ſiti. pag. 38.

Sicambri, Populi Germaniæ; *olim* ex toto Tranſrhenani, proximi Vbijs trans Rhenum tunc ſitis. ſyluas, & ſolitudines habebant, ad quos ex Menapiorum, ac Eburonũ finibus, Rheni tranſitu, maximè vbi ipſe & Moſa confluunt, breuis eſt aditus. Eburones enim Rheni Citeriores ripas, Sicambri autem vlteriores incolebant: *nunc* opida, vicos, & Agros, Sicambri, quos Geldrenſes *appellamus*, etiã inter Moſam, & Rhenum poſſident, quorum pars eſt Diœceſis Leodienſis. pag. 44. & 76.

Silures, Populos Angliæ, *Tacitus refert*.

Sontiates Populi, inter Aquitanos, finitimi Vocontijs, & Taruſatibus Populis, Aquitanis, & Toloſæ, ac Narbonæ, Ciuitatibus Galliæ, Prouinciæ Romanorum, & Hiſpaniæ Citeriori: habentes opidum, natura loci, ac manu munitum, in Regno Francorum ſiti. pag. 37.

Sueſſij, Populi Germaniæ, quos *coniectare licet* fuiſſe Conſtantienſi, Baſilienſi, ac Sedunenſi Agro finitimos, & inter Celtas, Heluetioſque anumerari: ſiue fortè Suiteoſes eſſe, qui cum Turicenſibus quondam Heluetijs *noſtra memoria* bella geſsêre: vel Sueſſij, id eſt, Sueui, nam, cùm ſingulis annis domo Sueuorum media pars excederet, fortè diuerſas ſibi ad habitandum Regiones delegerũt. Ex quibus forſan ſunt illi maritimi, qui Daciæ, & Noruegiæ ſunt finitimi, ac qui circa Lepontios, Ræto ſq; habitant: idem ferè nomen Sueuorum habentes: à Sueuo Monte: qui, ab Ortu Solis Germaniæ initium faciens, ad Cimbrorum vſq; Promontorium magno aditu protenditur, fortè dicti.

Sueſſiones, Populi inter Belgas, fratres, & conſanguinei Rhemorum, eiſque attributi, quibus, ac Bellouacis, & opidis Nouioduno, quod *hodie* eſt Ciuitas, Bratuſpantioq; erant finitimi: Agros feraciſſimos, & latiſſimos fines habebant, apud quos Rex fuerat totius Galliæ potentiſſimus, qui etiam Britanniæ Regnum obtinuerat, XII. Opida in Sueſſionibus habens. Tempore autem Cæſaris regnabat Galba: multique Gallorum Reges vſque poſt Magni Caroli tempora diu in Belgica regnâſſe, & coronam apud Sueſſiones accepiſſe, *leguntur*. Ciuitas eſt Epiſcopalis, nomen retinens, in Prouincia Rhemenſi prima ſuffraganea, & in Regno Francorum ſita. pag. 21.

Sueuorum gens, trans Rhenũ, Bauaris, & Franconibus finitima, plus quàm C. Pagos habens, maxima, & bellicoſiſſima Germanorum omnium. Inter hanc gentem ſunt Vlma opidum, Ciuitateſque, & loca inſignia multa. Bauariæ vetus eſt Principatus, & Auſtriæ Ducibus, ac Marchionibus Badenſibus, Comitibus de Vuirtemberg, alijſq; Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus ſubiecta, qui, *vt olim, referente Cæſare*, Principes Regionum, atque Pagorum ſunt, & in pace inter ſuos ius dicunt, controuerſiaſque minuunt. pagina 20. & 40. & 41. & 42.

T.

Tameſis, Fluuius in Anglia, fines interioris Regionis à maritimis Ciuitatibus diuidens, à Mari circiter paſſuum mil. octoginta. Id vno omnino loco pedibus, atque ægrè, tranſiri poteſt, & in Mediterraneis illius locis Inſulæ oriens, nauigabiliſque Oceanum influit. Tamiſa, *vulgò*. pag. 53.

Tarbelli Populi in Aquitania, proximi Bigerrionibus, Sontiatibus, Vocatibus, Taruſatibus, Hiſpaniæ Citeriori, in Regno Francorum ſiti. pag. 38.

Tarbiacos, In finibus Agrippinenſium Populos non memorat *Cæſar*, ſed *Tacitus*.

Taruſates. Populi Aquitaniæ, proximi Vocontijs, Sontiatibus, Tarbellis, Garumnis, Cocoſatibus, & Hiſpaniæ Citeriori. Hos, *coniectura eſt*, fuiſſe Populos Turiæ, quæ Ciuitas eſt Epiſcopalis in Prouincia Auſcitana, & Francorum Regno ſita, pagina 38.

Taſandrum, opidum in Leodienſi Diœceſi, cui D. Trudo nomen fecêre.

Tauciaci, (*aliâs*, Rauciaci) Populi Germaniæ proximi Nemetum, & Heluetiorum finibus, à quibus Sylua Hercynia oritur, & fortè erant Rauraci, qui proximi Heluetijs circa Baſilienſium fines habitabant: hi tamen Hercyniæ Syluæ non erant proximi. ſed Baceni Syluæ, quæ Nigra *dicitur*, interfluente tamen Rheno. *Vide*, Rauraci.

Tectoſages, Populi olim Galli, fertiliſſima Germaniæ loca circa Hercynias Syluam occupauerunt, atque ibi conſederunt, ſummam iuſtitiæ, & bellicæ gloriæ opinionem habentes in ea inopia, egeſtate, & patientia, qua Germani, permanentes, eodem victu, & cultu corporis vtentes. His fortè Francones, Germaniæ Populi, eiſdem locis proximi ſucceſſerunt: à quibus Franconibus poſteà eis Rhenum tranſeuntibus, & Galliam occupantibus, velut priſcum, propriumq; ſolum repetentibus, citraque Pariſios Populos ſedem eligentibus, Francia dicta eſt, *vt plerisque placet*. Ex his Tectoſagibus erant hi, quos Manlius, Romanorum Dux, in Gallogræcia ſtrauit, & vicit, Triumphumq; retulit. pag. 73.

Tenchtheri, Germaniæ Populi, Tranſrhenani, qui cum Vſipetibus, & magna multitudine hominum, à Sueuis diu agitati, & triennio vagãtes, Rhenum Fluuiũ tranſierunt, non longè ab oſtio, quo Rhenus ipſe Mare influit, Menapiorum Agros, vtramque Fluuij ripam incolentium, occupârunt. Quo *ſatis conſtat*, Menapiorum fines, quos *pleriq; opinantur* Iuliacenſes fuiſſe. multò, quam *nunc*, maiores extitiſſe. Hæc gens, poſteà Rheno diſcreta, ſollicitauit Vbios, *nunc* Agrippinenſes, vt à Romanis deficerent, initio Imperij Veſpaſiani. *Tacitus*. pag. 40. & 65.

Teutoni Populi vltra Rhenum Fluuium fuerũt, ex quibus, & Cimbris Aduatici fuêre prognati. Apud quorum loca, cùm id Flumen in Galliam venientes tranſijſſent, Impedimenta cum vnius ferè Legionis præſidio reliquerunt. *Vſus* autem Teutonos *credit*, qui Franconiam, & Bauariam, Germaniæ

maniæ Regiones, eisq; finitimas terras inhabitát. *Vulgus* verò omnes citra, & trans Danubium populos appellat Teutonos. Hi fortè, suis finibus quondã pulsi à Sneuis, qui quàm latissimè Agros desertos possidere gloriabantur, sese Cimbris sociârunt, cum quibus à Romanis, Duce Mario, cæsi sunt, quos *Pomponius Mela* Albi Flumini, Cimbris que, Hermonibus, & Sarmatis propinquos *transfert*: Teutonos tamen eos esse, qui trans Domitium ad dextram eius inhabitant, *plures scripsere*, inter Alpes scilicet Italiæ imminentes, & Danubij alucum incolentes. Dicti autem fortè sunt à Tuiscone, eorum Rege, Manni filio, *vt sentit Tacit. lib. de situ Germ.* Italica, ac Gallica lingua alludunt.

Tigurinus, Pagus, & Populi eius quartam partē Helueticæ continebant, ac inter Celtas erant. Inde fortè *coniectura est*, eos esse, qui *nunc* Turegium cum Agro adiacenti apud Sulenses, Basilienses, Constantienses, incolunt. pag. 5.

Tolosates, Populi Galliæ Prouinciæ, finitimi Narbonensibus, & Santonibus, neclongè à Sontiatibus Populis in Aquitania, nomen retinent. Ciuitas est Metropolis, Francorum Regi subdita. pag. 4. & 37. & 81.

Treuiri, Populi inter Belgas, in confinibus Germaniæ, finitimi Neruijs, Menapijs, Eburonibus, Remis, Mediomatricibus, *id est*, Metensibus, & Rheno Flumini vsque in Pontem, quo Cæsar transiecit Exercitum, quæ pars *nunc* est Coloniensis Diœcesis. Ferè autem omnes Treuiri Germanica lingua vtuntur: &, nisi Exercitu coacti, imperata non faciebant. Nam ciuitas, propter Germaniæ vicinitatem, quotidianis exercita bellis, cultu, & feritate non multùm à Germanis differebat. Horum inter Gallos, virtutis opinio erat singularis: & plurimùm Equitatu, Peditatuq; valere existimabantur: nomen retinent. Situs Ciuitatis est natura munitus, & Metropolis huius Ciuitatis Præsul, vnus ex Electoribus Imperatoris est, qui, proximis his annis Legatus à Maximiliano Cæsare ad Venetos veniens, vnà cum Cardinali Luxemburgensi, re infecta abijt. pag. 13. & 27. & 10. & 51. & 65. & 66. & 117.

Triboces, seu, Triboci, Populi Germaniæ, In finibus Celtarũ, & Belgarum, finitimi Tullensibus, Basiliensibus, Spirensibus, Lingonibus, & Rheno, ferè omnes Germanica lingua vtentes. Ciuitas est Episcopalis Prouinciæ Maguntinæ: *nunc* Argentinenses *Latinè* dicti: quibus vulgaris sermonis cum veteri satis alludit vocabulum. Hi sunt in Regione Alsatia: *olim*, *vt quibusdam placet*, Heluctia. pag. 19.

Trinobantes, Populi in Anglia, propè firmissimam earum Regionũ Ciuitatem incolentes, Mari proximi, & Cenimagnis, & Segontiacis, Ancalitibus, Bibrocis, Cassijs, Angliæ Populis. pag. 55.

Tubantes, Germaniæ Populos, qui Phrysiæ partem Mari Oceano, Rheno Fluuio, ac Lacubus proximam, saltibus, & paludibus abundantem, incoluerunt, quam anteà Manni Populi habitârant, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

Tulingi, Populi erant finitimi Heluetijs, inter Celtas, non longè ab Allobrogibus: &, *vt quidam opinantur*, etiam fuerunt incolæ Turegi opidi, *nunc* inter Heluetios siti, quod forsan *tunc* ex illorum Pagorum numero non erat, in Constantiensi Diœcesi habitantes, sed ab Allobrogibus satis remoti. *Quidam* autem *interpretantur* Turegum, quasi Duregum, id est, duorum Regum: & Tulingos credunt *nunc* Lotharingos esse dictos, nomine composito, ex Lotario eorum Rege Carlomani stirpe. pag. 3. & 10.

Tungros, Belgarum Populos, *Tacitus facit*, His eis Rhenum, & Mosam, inter Eburones, numerantur. Opidum est, nomen retinens, *olim* Ciuitas Episcopalis. Huius sedes postea fuit ad Leodiensem vrbem translata, vsque ad cuius opidi mœnia, *vt plerique volunt*, Oceanus protendebatur, cuius rei quædam illic vetustatis *adhuc* monumenta videntur. Inde *Cæsar scribit*, Eburones, fuisse Mari proximos.

Turones, Populi inter Celtas, Carnutibus, & Andegauensibus finitimi, proximi Oceano. Ciuitas est Metropolitica, cui⁹ omnes suffraganei sunt in Celtica, & ex maiore parte in Britanniæ Citerioris Ducatu, nomen retinens, in Regno Francorum sita, quam & Andegauensem vrbem D. Ludouicus, Francorum Rex, Britanniæ Ducatui detraxit: cuius tamen Prouinciæ omnes aliæ, Britanniæ etiam Britonantis, Ciuitates remanserunt. pag. 30. & 80.

Tygenos (*quin potius*, Icenos) Populos Angliæ, quorum Rex Prasutagus Neronem imperatorem hæredē instituit, Non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*.

V.

Vadam, Inter Coloniensem, & Traiectensem vrbes locum vltra Nouesium Rheno Fluuio, & eis eum adiacentem in Ducatu Cleuensi situm, *Cæsar* non memorat, sed *Tacitus*.

Vangiones, Populi Germani, inter Belgas numerantur, finitimi Tullensibus, Metensibus, Spirensibus, Maguntinis, ac Rheno Fluuio, omnes ferè Germanica lingua vtentes. Ciuitas est Episcopalis, Prouinciæ Maguntinæ, *nunc* Vuormacienses dicti, Alsatiæque (*olim*, Heluetiæ: tunc Gallici, nunc autem Germanici iuris) adscripti, quo magis ipsi, & Spirenses, ac Argentinenses, quin & Maguntini, tanquam omnes altæ Alemanniæ attributi, & ad ripas Rheni citeriores siti, viderentur inter Celtas forsan collocandi, nisi quis rectà à Matronæ Fluminis ortu ad Rhenum Fluuiũ Celtas his finibus à Belgis dispartiat: quibus Belgis pari ratione Vireduuum, quæ Ciuitas est Episcopalis Prouinciæ Treuirensis, in Ducatu Barrensi consistens, adscribitur, pag. 19.

Vascones, in Aquitania Populos, *Tacit. memorat*.

Vatasticam Insulam, in Fluuio Rheno, finitimã Batauis, & Phrysijs, quæ est Diœcesis Traiectensis, non memorat *Cæsar*, sed *Tacitus*. Batauos autem, quos Hollandos *dicimus*, longè alios esse, *certum est*, ab illis Hollandis, qui propè Balteum Mare, ac Daciam habitant: sicut & alia est, circa id Mare, & Daciam, Zelandia.

Vatuca,

Vatuca, seu Ratuca, inter Belgas Castellū, quasi in medijs Eburonum finibus, non longè à Colle vno, syluis, & tumulo, ac magna conualle, vbi Titurius, & Aurunculeius Romani hyemantes cum Legione vna, & v. Cohortibus, à 11, Eburonum Regibus dolis intercepti sunt. Id Castellum proximū fuisse Limburgensi, nec longè ab Aquisgrani vrbe, *verisimile est*. Forsan eo loco, vbi est *nunc* Castellum, cui Valcatus Mons nomen est. Vatucæ tamen Castello, *vt Cæsar ipse describit*, suberat Rhenus Fluuius: proptereà *nonnulli credunt*, Vatucam Castellum fuisse, vbi *nunc* est Iuliacum opidum, quod Ducatus est titulus, inter Aquisgranum, & Coloniam, Germaniæ vrbes Cisrhenanas, quod à Iulio Cæsare denominari *putant*, vbi *adhuc* plura insignia vetustatis monumenta apparent. pag. 75. & 76.

Vbij, Germani Populi, *olim* Transrhenani, quorum fuit Ciuitas ampla, & florens, vt est captus Germanorum, qui paulò sunt eiusdem generis, & cæteris humaniores, quia Rhenū attingunt, multumq; ad hos Mercatores ventitant, & ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos Sueui diu, & sæpe bellis experti finibus expellere adnixi sunt, & sibi vectigales fecerunt, multoq; humiliores, & infirmiores reddiderunt. in quorum fines Cæsar primò trans Rhenum Exercitu, per Pontem, in Menapijs factum, ducto, vastatis Agris Sicambrorum, se recipit. Iterum autem paullulum supra eum locum, quo ante Exercitum transduxerat, Pontem in finibus Treuirorum fecit, Legionesq; transduxit: cuius Pontis vltima pars Transrhenana ripas Vbiorum continebat. Hos esse Agrippinenses, *nunc* Colonienses, à Claudio Cæsare, Agrippinæ viro, acceptos *plerisque placet*: qui, *vt verisimile est*, à Sueuis compulsi, citra Rhenum, hortante Agrippina, vrbem condere, & habitare cœperunt, quæ Ciuitas paulò pòst eùm Romanorum socia esset, ac recens condita, fatali igne, *vt Tacitus scribit*, consumpta est, & ferè eodem tempore simili casu Lugdunum incensum, & dirutum *esse constat*, *vt in Epistolis refert Seneca*. Vbij igitur, Cæsaris tempore, *vt coniectura est*, loca, vbi Marchiæ Comitatus à Duce Cliuenli *nunc* possessus, & Vestfaliæ opida sunt, parsq; Ducatus Montensis incoluisse præsumuntur, quorum *adhuc* magna pars ad Coloniensem Ecclesiam pertinet. Hos *Tacitus*, Transrhenanos etiam suo tempore fuisse, *scribit*, quod fortè ad vtramque Rheni ripam vicos, Agros, possessionesque haberent. Sic & Allobroges ad Rhodani ambas ripas, & Menapij tunc ad Rheni vtramq; ripam, sic & Phrysij, & Geldrenses *nunc*, ad ipsius Rheni ambas ripas, vicos, Agros, possessionesque habebant, & *adhuc* possident. Quin & aliquando vsque ad Rhenum Fluuium protensos Saxones fuisse, *quibusdam placet*. quod facile est, eùm quis origine Saxo illic fortè aliquid possederit, vt sæpe Principibus alienigenis hoc diuerso iure contingit. pag. 42. & 45. & 69.

Vellauni, Populi inter Celtas, proximi Helenteris, seu, Helueteris, Cadurcis, Gabalis, & Aruernis, quorum sub imperio esse consueuerant. Ciuitas est Episcopalis, in Prouincia Bituricensi, nomen retinens, à multis tamen S. Flori Ciuitas dicitur. pag. 103.

Vellaunodunum, inter Celtas, Opidum Senonum propinquum Agendico, Senonum opido, ac Genabo, opido Carnuti, quod Genabum opidum Pons Ligeris Fluminis continebat, nec longè ab Auarico, & Nouioduno, opidis Biturigum, in Francorum Regno situm. pagina 82.

Veloeasses, Populi inter Belgas, Morinis Neruijsque finitimi, proximi Ambianis, & Atrebatibus, Hi *hodie* Casletenses *dicti*, In Comitatu Flandriæ & Francorum Regno, Morinensique Diœcesi siti, instar Pagi sunt. Hanc Prouinciam repetit Rex Franciæ, *nunc* à Duce Burgundiæ. pagina 21.

Veneti, Populi inter Celtas, ex maritimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus, quæ Armoricæ appellantur: proximi Vnellis, Osiſmis, Curiosolitis, Sesuuijs, Aulereis, Rhedonibus: hi, *vt quibusdam placet*, etiam Vanes *dicti sunt*, in Prouincia Turonensi & Regno Francorum siti. Ciuitas est Episcopalis, cuius amplissima erat auctoritas omnis oræ maritimæ Regionum earum in Britannia Britonante. Sunt præterea alij quidam populi, Auenionensibus proximi, Venuxinum Comitatum incolentes, patrimonio Beati Petri subditi. Hos, partem Galliæ Prouinciæ Romanorū fuisse, *quibusdam placet*. pag. 30. & 33.

Veragri, Populi extra Celtas, Belgas, & Aquitanos, inter Sedunos, Antuates, & Allobrogas, Montesque Sancti Bernardi, & Brigam, quos Veragros Rhodanus Fluuius interlabitur. Caput gentis est vicus, vbi Abbatia, qui S. Mauritius dicitur, Diœcesis Sedunensis. quidquid ramen agri trans Rhodanum possidebant, Celtis adscribitur. Per hos ad Montes illos, quos Cæsar Summas Alpes nominat, ex Gallia in Italiam venientibus aditus est. pag. 31. Veragri sunt *Plinio*.

Verbigenus, Pagus Heluetiorum, inter Celtas. pag. 10.

Veromandui, Populi inter Belgas, Rhemis, Atrebatibus, Neruijsque finitimi, nomen retinent, in Francorū Regno siti, atex magna parte in Diœcesi Laudunensi, ac Suessionensi, & ex toto in Prouincia Rhemensi, instarque Prouinciæ habentes, inter quos sunt incolæ oppidi S. Quintini, quos Rex repetit. Varmandois, à Gallis, mutata aliquantulum nominatione, dicti. pag. 25.

Vesontio, opidum maximum Sequanorum, natura loci munitum, inter Celtas, nunc Comitatu Burgundiæ circumseptum. Ciuitas est Imperialis, ac Metropolitica, nomen retinens, mutata litera V in B. vt Romanis, & Vasconibus pronunciandi mos est. Situm habet, qualem *Cæsar in Commentarijs descripsit*, præterquam quod *nunc* eam idem Fluuius ex magna parte intersecat. In illa sunt loca vetusta, qualia Romæ, quæ Pantheon, Campus Martius, Campusq; Mineruæ, vulgò semper *Latine* dicta sunt, multaq; alia priscæ vetustatis monumenta consistunt. pag. 13.

Vetera Castra hybernorum Romanorum locū, citra,

citta,& prope Rhenum Fluuium, amplum habentem vallum, cuius pars in collem leniter exsurgens, pars equo aditur, vbi Opidum,& obliqua in Rhenum moles, culus obiectu volutus Amnis,& latitudo Camporum inter Ciuitates Traiectensem, & Coloniensem, quibus hybernis obsideri, premique Germanias Cæsat Aug. crediderat, *non Cæsar*, sed *Tacitus* refert. In Cleuensi Ducatu situm.

Vienna, Ciuitas Metropolis in Gallia, Prouincia Romanorum, *nunc* Delphinatus, extra Celtas, Belgas,& Aquitanos, quam Fluuius Rhodanus præterfluit, ad eius citeriores ripas sita, proxima Aruernorum finibus, dispartiente Rhodano Aeduorum finibus Cæsaris tempore, ad quos Matisco opidum, *nunc* Ciuitas, pertinebat, *hodie* Lugduno Ciuitati finitima, beneq; sita. pag. 81.

Vindonissæ, locum prope Maguntiam, vrbem Cisrhenanam, noo *Cæsar*, sed *Tacitus*, refert.

Vnelli, Populi inter Celtas, ex matirimis Ciuitatibus Oceanum attingentibus, proximi Andibus, Venetis, Osissinis, Lexobijs, Curiosolitis, Sesuuijs, Aulercis, Rhedonibus, ioter Ciuitates Armoricas oumerati, io Prouincia Turooësi,& Francorum Regno siti. pag. 30.& 104.

Vocates inter Aquitanos, proximl Tarusatibus, Sootiatibus, Tarbellis, Bigerrionibus, Garumnis, Garitibus, Cocosatibus,& Hispaniæ Citeriori, in Regno Francorum siti. ab his fortè Vascones *dicti*. Hos *coniectura est*, fuisse Vesaticos. Ciuiras est Episcopalis, in Prouincia Auscitana, in Francorū Regno sita, quos Vasateoses *dicimus*. pag. 38.

Vocetius Mons io Heluetijs, quem *Cæsar* noo memorat, sed *Tacitus*.

Vocontij, Populi, extra Celtas, Belgas,& Aquitanos, citra Rhodanum, Centurionibus, *id est*, Tarcotasijs, finitimi, & Allobrogibus, vltra Alpes Graias, quibus *hodie* Mons Cioerum, siue Cinesius, nomen est. Hos Isara Fluuius alluit. Vasatium, *Gallicè*. pag. 4.

Volgæ, Populi Prouinciales, non longè ab Atomicis, seu Arecomicis, qui *nunc* Aurasiēses sunt, Tolosatibus, Narbonensibus, Massiliensibus, Gabalis, Caducis, Heluijs, ac Ruthenis, extra Celtas, Belgas,& Aquitanos. Hos Rhodanus Fluuins alluit, posthac Ligusticum Mare influit. Aremici, aut Arecomici, pridem, *à nonnullis*: *nunc* Aueniooeoses *dicti*. Ciuitas est Episcopalis Prouinciæ Arelatensis *olim, nunc* verò Vienneosis, *maiorum nostrorum memoria* pattimonio Beati Petri, emptionis titulo, addita. Hic Romani Pōtifices Sedem, magoo totius Italiæ incommodo, maiore vrbis Romæ tenuēre, LXX. & ampliùs annos, donec felicissimo euentu Italiæ restituti Pontifices, ad *hanc diem* mansere. pag. 81. & 99.

Vosegus, Mons, in finlbus Lingonū, à quo Mosa Fluuius, profluit, non longè à Fonte Matronæ Fluuij, in Francorum Regno situs. pag. 42.

Vsipetes, Germaniæ Populi Transrhenani, qui cum Tenchtheris, & magna multitudine hominum, à Sueuis diu agitati, & triennio vagantes Rheoum Fluuium transierunt, non longè ab ostio, vbi in Mare influit, & Menapiorum Agros vtramque Fluminis ripam incolentes, occupârunt. Ex hoc *constat*, Menapiorum fioes, quos *plerique opinantur* Iuliaceose: fuisse, multò latiores, maioresq; extitisse, & agros Ducatus Montensis Rheni ripis vlterioribus adiacentes, ac etiam Cliuensis possedisse. pag. 40.

Vualis, seu Vacalos est pars Flnuij Rheni, quam Mosa Fluuius recipit antè, quàm in Batauos,& Mare Oceanū fluat,& est Diœcesis Traiectensis, prope Nouiomagum opidum,& Traiectensem vrbem Episcopalem, nomen retinens. pag. 42.

Vxellodunum, opidum in finibus Cadurcorum, inter Celtas, non longè à Gallia, Prouiocia Romaoorum, Moote, egregiè loci natura munito, situm: cuius partes omnes prætuptissimis saxis difficili adscensu,& Flumine infimam vallem diuideote, totum penè Montem cingeote, præmunitæ erant. sub cuius etiam muro magnus Fons Aquæ perrumpebat, ab ea parte, quaferè Pedum CCC. ioteruallo Flumiois circuitus vacabat. Vide Cæsarem de Bello Gallico libro octano, pagina 119.

ATQVE

ATQVE hæc de Gallorum, Gallisq́; , qui aut proximi, aut finitimi, sunt Populis, ita perstrinximus, vt, quamuis vetustatem illustrare pro virili consilium fuerit, multa tamen inserta quoque sint, quæ tempora hæc recentiora, mores, & viros, ac res præclarè gestas ab ÿs explicent. Nec tamen singula persecuti sumus, sed summas rerum, & ex his illustrißima quæque libauimus. Nam, si aliarum quoque gentium, quæ toto orbe nunc degunt, nominum mutationes, fortunæ varietates, mores, locorum diuersas appellationes, aut Fluminum, vires, res gestas ad hanc normam dirigere voluissem; id sanè & operosum nimis, ac immensi penè operis fuisset, & consilÿ obliti nostri videremur: quippe qui ab initio Cæsarem tantùm, aut Tacitum, & Gallos ac finitimas his gentes hoc nostro Indice complecti voluerimus, reliquum operis & in aliud tempus, & in alias commentationes resecerimus. Illud admonuisse diligentem Lectorem volo, multa illum ex varia Historiarum lectione collecturum, quæ Europam, & Asiam, ac Africam, saltem oram Literalem, notiora nobis factura sint. Nam, vt vlterius penetres, hæc Legis Mahometanæ diuersitas à Christiana pietate prohibet: sed & ipsa orbis parens, gentium omnium Regina, Italia, tantas mutationes sensit, vt vix nomen vllum retineat, quod olim habuit. Quis enim nescit, eam Italiæ partem, quam Samnites, Apuli, Græci, Campani olim tenuêre, totam nunc in Regni Neapolitani nomen abÿsse: quod olim Latium, nunc Campaniam, aut terram Romanam; quæ Gallia Cisalpina, in Lombardiam; quæ Venetia, in Marchiam Taruisinam; quæ Flaminia olim, nunc in Romandiolam esse mutatam? Iam, quæ priscis illis temporibus clarißima Opida fuerant, aut penitùs concidère, aut in vicos abiêre, succeßeréque omnino cum aliæ gentes, tum aliæ quoq; nominationes diuersißimæ. Lirim enim à veteribus Amnem dictum, iam DCC. *abhinc annos à Gariliano Castello, quod Saraceni munitißimum propugnaculum sibi construxerant, Garilianum appellamus. Ticinum olim, nunc Papiam, à Papio quodam, Gallorum Duce. Fregellæ ipsa in Campania in Pontem Curuum mutatæ. Egnatia Apuliæ, Iuuenatium à nobis dictum. Anienum ipsum Patrem, Tiberonem Accolæ vocant. Sipus illa sapiarum captura celebris, & inde nomen adepta, nunc Manfredonia vulgò, à Manfredo, Secundi Federici Imperatoris filio, dicitur. Verum longiùs, quàm par forsan erat, euagati sumus. Cætera sibi Lectoris diligentia pariat, aut in altiori otio à Nobis exspectet.*